
13
10 E
14

R. P. CHRISTOPHORI HAUNOLDI SOC. JESU,

JURISPRUDENTIÆ JUDICIARIÆ TOMUS POSTERIOR,

OPERIS TOTIUS DE JUSTITIA

TOMUS VI.

JURISPRUDENTIÆ JUDICIARIÆ BIPARTITÆ TOMUS POSTERIOR.

OPERIS TOTIUS DE JURE ET JUSTITIA SEXTUS.

DE JUDICIIS ET PROCESSU IN CAUSIS CRIMINALIBUS

INSERTIS, ULTRA JUS COMMUNE, ILLIS, QUÆ VEL IN IMPERIO SECUNDUM ORDINATIONEM CRIMINALEM CAROLI V. VEL IN ARBITRARIIS EX SCABINORUM PRÆJUDICIIS SECURE PRACTICARI POSSUNT.

AUTHORE

R. P. CHRISTOPHORO

HAUNOLDO

SOC. JESU, SS. THEOL. DOCTORE,

Ejusdémque antehac

IN FRIBURGENSI ET INGOLSTADIENSI ACADEMIA PROFESSORE ORDINARIO.



Cum Repertorio Universali ad omnes Sex Tomos de Jure & Justitia.

Cum Privilegio Cæsareo, & Superiorum Permissu.

INGOLSTADII.

Apud JOANNEM PHILIPPUM ZINCK, Typographum Academicum.

Anno M. DC. LXX IV.

JNDEX TITULORUM TOMI POSTERIORIS.

DE

JUDICIJS

ET

PROCESSU

IN CAUSIS CRIMINALIBUS.

TRACTATUS I.

DE

JUDICE CAUSARUM CRIMINALIUM, Foróque Competente.

)(§.VII.

JNDEX TITULORUM
TOMI POSTERIORIS.
DE
JUDICIJS
ET
PROCESSU
IN CAUSIS CRIMINALIBUS.
TRACTATUS I.
DE
JUDICE CAUSARUM CRIMINALIUM,
Foróque Competente.

TRACTATUS II.

DE DELICTIS, & POENIS CORRESPONDENTIBUS.

CAPUT I.

De Delictis in genere. 60

CAPUT II.

De Delictorum Speciebus, eorūmque Pœnis.

Ordine Alphabetico discußis. 79

Index Titulorum.



TRACTATUS III.
DE
PROCESSV CRIMINALI.

CAPUT I.

De Processûs Criminalis Objecto & Differentiis.

CAPUT II.

De Accusatore, & Accusatione.

CAPUT III.

De Forma Processûs Ordinarij.

)( )(Contr. III.


NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANU.
13
10 E
14

R. P. CHRISTOPHORI

HAUNOLDI

SOC. JESU,

JVRISPRVDENTIÆ

JUDICIARIÆ

TOMVS POSTERIOR,

OPERIS TOTIUS DE JUSTITIA

TOMUS VI.

JURISPRUDENTIÆ JUDICIARIÆ

BIPARTITÆ

TOMUS POSTERIOR.

OPERIS TOTIUS

DE

JURE ET JUSTITIA

SEXTUS.

DE

JUDICIIS

ET

PROCESSU

IN CAUSIS CRIMINALIBUS

INSERTIS, ULTRA JUS COMMUNE, ILLIS, QUÆ VEL IN IMPERIO SECUNDUM ORDINATIONEM CRIMINALEM CAROLI V. VEL IN ARBITRARIIS EX SCABINORUM PRÆJUDICIIS SECURE PRACTICARI POSSUNT.

AUTHORE

R. P. CHRISTOPHORO

HAUNOLDO

SOC. JESU, SS. THEOL. DOCTORE,

Ejusdémque antehac

IN FRIBURGENSI ET INGOLSTADIENSI ACADEMIA PROFESSORE ORDINARIO.



Cum Repertorio Universali ad omnes Sex Tomos de Jure & Justitia.

Cum Privilegio Cæsareo, & Superiorum Permissu.

INGOLSTADII.

Apud JOANNEM PHILIPPUM ZINCK, Typographum Academicum.

Anno M. DC. LXX IV.

JNDEX TITULORUM
TOMI POSTERIORIS.

DE

JUDICIJS
ET
PROCESSU
IN CAUSIS CRIMINALIBUS.

TRACTATUS I.

DE

JUDICE CAUSARUM CRIMINALIUM, Foróque Competente.

§. VII.



TRACTATUS II.

DE DELICTIS, & POENIS CORRESPONDENTIBUS.

CAPUT I.

De Delictis in genere. 60

CAPUT II.

De Delictorum Speciebus, eorumque Pœnis.

Ordine Alphabetico discussis. 79

Adulterium

Index Titulorum;



TRACTATUS III.
DE
PROCESSU CRIMINALI.

CAPVT IV.

De Forma Processûs Inquisitorij.

CAPVT V.

De Captura & Incarceratione, & Salvo Conductu.

CAPVT VI.

De Examine, & Responsionibus Rei.

CAPVT VII.

De Probatione Delictorum per Testes.

CAPVT VIII.

De modo procedendi in probatione & deductione innocentiæ, & Delicto non plenè probato.

CAPVT IX.

De Tortura,

CAPUT X.

De Indicijs ad Torturam prærequisitis.

CAPUT XI.

De Varijs Causis Pœnarum Mitigationem vel Remissionem exposcentibus, & de Cumulatione Pœnarum.

)()() Contr. X.

CAPUT XII. ET ULTIMUM.


De Condemnatione: Pœnarum Executione: Bonorum Confiscatione: Sumptibus: Appellatione: & Banno.

APPENDIX.

F I N I S.



R.P. CHRI-



R. P. CHRISTOPHORI

HAUNOLDI

E SOCIETATE JESU

CONTROVERSIARUM

DE

JUDICIIS

ET

PROCESSU

IN CAUSIS CRIMINALIBUS

TRACTATUS .I

DE

JUDICE CAUSARUM CRIMINALIUM, FOROQUE COMPETENTE.

1. Um de Jurisdictione in genere & specie plenè actum sit in Tomo præcedente, huc solùm reservavimus aliquas Quæstiones ad Processum Criminalé propriè spectantes. Cùm autem Jurisdictio Criminalis strictè & antonomasticè sumpta illa sit, quæ dicitur Merum Imperium, in eo distinctum à Mixto, quòd nihil habeat commune cum Negotiorum civilium disceptatione, sed totum occupetur in administranda Justitia Vindicativa, vindicandis nempe delictis, solent à DD. tres illius gradus constitui. Primum gradum volunt esse Sup-

esse Supplicium. Secundum, proximam morti pœnam: Tertium, corporis coercitionem absque vitæ periculo. Fundamentum hujus divisionis sumuntex c. 28. ff. de pœnis. [Capitalium pœnarum ferè isti gradus sunt. Summum supplicium esse videtur ad furcam damnatio, item vivi crematio, item capitis amputatio. Deinde proxima morti pœna metalli coercitio. Pòst deinde in insulam deportatio. Cæteræ pœnæ ad existimationem, non ad capitis periculum pertinent, veluti relegatio ad tempus, vel in perpetuum, vel in insulam, vel cùm in opus quis publicum datur, vel cùm fustium ictu subjicitur.] Cùm autem præter pœnas hìc speciatim notatas sint plures aliæ, tùm capitales, tùm non capitales, non est difficile plerasque ad suum gradum revocare: præsertim si aliam divisionem attendamus, quæ habetur. *l. 6. §. fin. eod.* [Et sunt pœnæ, quæ aut vitam adimant, aut servitutem injungant, aut civitatem auferant, aut exilium, aut coercitionem corporis contineant.] quò etiam pœnæ pecuniariæ referri possunt. De quibusdam tamen est controversum, de quibus in progressu.

CONTROVERSIA I.

An, Iure communi inspecto, Causæ Meri Imperii possint delegari.

SVMMARIVM.

Causa Meri Imperii non potest universim alteri delegari. 2.
Absens potest alteri demandare. 3.
Item infirmitate impeditus. 4.
An ob alias occupationes possit delegari. 6.
An Jurisdictio criminalis possit de consensu partium prorogari. remissivè. 8.
An causa demandata ob absentiam solùm demandata censeatur ad cognoscendum. 9.
Quid Jure Bavarico competat, in criminalibus, Præfectis & Nomarchis. 10.

1. Dicendum I. Non potest, universim loquendo, causa meri imperii alteri delegari. Colligitur ex *lege 6. ff. de Off. Proconsul.* [Solet (*Proconsul*) etiam custodiarum cognitionem mandare legatis: scilicet ut præauditas custodias ad se remittant, ut innocentem ipse liberet: sed hoc genus mandati extraordinatium est, nec enim potest quis gladii potestatem sibi datam, vel cujus alterius coërcitionis ad alium transferre.] Unde desumpta est Regula Juris 70. *Nemo potest gladii potestatem sibi datam vel cujus alterius coercitionis ad alium transferre.* Excipitur tamen semper Judex à Principe datus, qui potest alteri delegare, etiam causam meri Imperii, quod colligunt DD. ex l. un. *C. Qui pro sua Jurisdict. Judices dari.* in fine. ibi. [Hæc teneant, nisi Judices à nobis specialiter delegantibus dati aliis causas delegaverint judicandas. Nam his delegantibus nullo personarum causarumque habito tractatu appellationum ad eos Jure judicia remeabunt.] Quamvis hic textus facilè reciperet aliam interpretationem. sed communi DD. calculo, & ipso usu exceptio firmatur, ut colligo ex Gail. lib. 1. obs. 97. & tenet etiam Longivallius tanquam certam, etsi dissentiat Alexander, & Matthæus: quos sequitur Gilbusius. n. 61. concedens tamen posse subdelegare causas infimas. Certè causas meri Imperii per canonicas Sanctiones posse delegari satis constat *ex c. 2. de Off. Vicarii. in 6.* Siquidem Archiepiscopi, Episcopi, & alii proceres Ecclesiastici merum Imperium habentes, illud alteri committere solent.

3. Dicendum II. Si habens, merum Imperium sit absens, potest alteri mandare. *L. 1. ff. de Off. ejus cui mand. est Jurisd.* ibi. [Non aliter igitur mandare poterit, quàm si abesse cœperit: cùm aliàs Jurisdictio etiam à præsente mandetur.] Major controversia est, an infirmitas etiam sufficiat ad hoc, ut valeat delegatio Meri Imperii: quod aliqui negant.

4. Dicendum tamen est III. Ex communi DD. ob Infirmitatem æquè ac ob absentiam posse Merum Imperium delegari. Ratio est, quia infirmitas, reddens animum impeditum ad exercendam cognitionem causæ criminalis, in æstimatione morali reddit hujusmodi personam absentem: non enim venit in considerationem absentia corporis, sed absentia animi. Ergo cùm infirmitas non minùs subducat animum, quàm absentia corporis, meritò, quod leges statuunt de absente, extenditur etiam ad infirmum.

5. Contra utramque tamen conclusionem objicitur lex 1. citata, ubi in præcedentibus verbis videtur potestas delegandi ob absentiam, restringi ad certam speciem & causam: [Et ideo videntur errare Magistratus, qui cùm publici Judicii habeant exercitionem, lege vel Senatûs consulto delegatam, veluti legis Juliæ de adulteriis, & si quæ sunt aliæ similes, Jurisdictionem suam mandant. Hujus rei fortissimum argumentum, quòd NB. lege Juliâ de vi nominatim cavetur, ut is qui obtigerit exercitio, possit eam si proficiscatur, mandare.] ℟. Ex sequenti-

quentibus verbis suprà relatis colligi, quòd restrictio ad absentiam, & æquivalentem causam non excludat alias causas meri Imperii, sed solùm excludat alias excusationis causas. Hinc

6. Dicendum IV. Non sufficere ad delegandum Merum Imperium, quòd Magistratus, cui id ex speciali concessione competit,(nulli enim competit Jure Magistratûs præcisè, inspecto Jure scripto, quidquid sit de consuetudine Germaniæ, sed ex speciali concessione, ut habetur l. 1. cit.)ob publicas occupationes videatur excusari. Ratio est, quia nulla occupatio tanta esse debet, ut quæ illius singulari industriæ commissa sunt, aliis expedienda committat, alioquin sæpè finis intentus à lege non obtineretur.


7. Neque obstat *lex 2. C. de ped. Judicib.* hæc enim solùm procedit in causis civilibus, prout seipsam lex explicat, & sic habet. [Placet nobis, Præsides de his causis, in quibus quòd ipsi non possent cognoscere, ante hac pedaneos Judices dabant, notionis suæ examen adhibere, ità tamen, ut si vel propter occupationes publicas, vel propter causarum multitudinem omnia hujusmodi negotia non potuerint cognoscere, Judicis dandi habeant potestatem. Quod, NB. non ità accipi convenit, ut in his etiam causis, in quibus solebant ex officio suo cognoscere, dandi Judices licentia eis permissa credatur;quod usque adeo in Præsidum cognitione retinendum est, ut eorum Judicia non diminuta videantur, dum tamen & de ingenuitate, suprà qua poterant etiam antè cognoscere, & de libertinitate Præsides ipsi dijudicent.] Quodsi in his non excusant publicæ occupationes, quâ ratione excusarent in causis criminalibus?

8. Dubitatur I. An Jurisdictio criminalis possit de consensu partium prorogari, dummodo ille in quem prorogaretur, alioquin haberet etiam merum Imperium, sed non in hos prorogantes. Ad hoc Quæsitum respondebitur ad longum infrà Contr. 5.

9. Dubitatur II. An, quando causa meri Imperii alicui demandatur propter mandantis absentiam aut infirmitatem, censeatur mandata præcisè ad cognoscendum, & non ad definiendum. R. Affirmativè; quod colligunt DD. ex *lege 22. C. ad leg. Corn. de falsis.* [Ubi falsi examen inciderit &c. sed inter utramque personam sit Judex medius, nec ullâ interlocutione divulget quæ sentiat; sed tanquam ad imitationem relationis, quæ solùm audiendi mandat officium, præbeat notionem, postremâ sententiâ, quid sibi liqueat, proditurus.] Aliud est in Delegato Principis, qui etiam potest sententiam ferre. *l. 1. C. si contra Jus vel util.* [Non idcirco minùs is cui ex nostro rescripto cognitio delata est, judicare potest, quod ex gestis &c.] Excipitur etiam causa famosi latronis, ob periculum in mora quâ Præses exspectaretur. *arg. l. 6. §. 9. ff. de injusto rupto.* ibi. [Nisi fortè latro manifestus, vel seditio prærupta, factoque cruentâ, vel alia justa causa, quam mox Præses litteris excusavit, moram non recipiant, non pœnæ festinatione, sed præveniendi periculi causâ; tunc enim punire permittitur, deinde scribere.]

10. Jure Bavarico in causis criminalibus mortem promerentibus,Præfecti & Nomarchæ (Germanicè Pfleger / und Landrichter) procedunt usque ad sententiam definitivam exclusivè, sententiam verò definitivam Latrunculator (Bann-Richter) certo salario constitutus concipit, publicat, bacillum frangit, & denique executionem fieri facit. Quodsi verò Præfecti & Nomarchæ per suos Vicepræfectos Jurisdictionem criminalem accipiant, Latrunculatorem quidem non tenentur adhibere, salarium tamen illi nihilominus solvere debent, nisi inveterata consuetudo aliud admittat. In causis criminalibus autem non mortem sed aliam pœnam corporalem merentibus, Præfecti & Nomarchæ, pro jussu consilii Aulici & Dicasteriorum regiminum, executionem fieri faciunt. *M. P. O. t. 1. a. 1.*

Ordines Provinciales merum Imperium habentes, suos Judices capitales habere debent, qui tamen Jurisdictionem criminalem à principe accipere debent, operam Latrunculatoris non adhibent. Iidem Ordines provinciales Processum Inquisitionis, vel quemvis alium processum, nisi Princeps ex certis causis (Jure tamen Ordinum Provincialium salvo permanente) ut talis processus cum prascitu consiliariorum formetur, mandaret, plenè, ad definitivam quoque sententiam inclusivè producere possunt, nec tenentur acta ad Consilium aulicum vel Dicasteria Regiminum remittere. *tit. eod. ar. 3.*



CONTROVERSIA II.

An Causa Criminalis membri abscissione punienda, sit Meri Imperii primi Gradûs, h. e. Capitalis.

SUMMARIUM.

AN poena mutilationis sit meri imperii. 11.
An membri abscissio sit pœna capitalis. 12.
Negativa præfertur. 13. *& seqq.*
Unde denominetur Pœna Capitalis. 14.

DIxi in proœmio, aliquas causas esse controversas, an sint Meri Imperii.

11. Primò ergo dubitari posset, an illa crimina, quibus constituta est abscissio membrorum, v.g. manûs, aurium, sit meri Imperii. Et quidem DD. unanimiter respondent affirmativè; procedit enim talis pœna à potestate gladii ad plectendos facinorosos. Deinde colligunt hoc ex eo, quia hujusmodi pœna est non quæcunque animadversio, sed corporis afflictiva per diminutionem illius, adeoque licèt non tollat omnem vitam, tollit tamen particulam vitæ. Hinc autem nascitur

12. Controversia, an membri abscissio sit Pœna Capitalis, Juridicè loquendo: quæ quæstio habet in praxi diversas utilitates. Si enim numeretur inter pœnas capitales, qui illâ affectus esset, non posset facere testamentum, & per consequens neque ex testamento capere posset, ut colligitur ex *l.* 1. *tot.* *ff. Qui testamenta.* Secundò, si numeretur inter pœnas capitales, permittitur super illa causa transactio, ut suo loco dictum, *to.* 4. *tract.* 10. *n.* 1018. secùs si non est capitalis. Tertiò, si statuto aliquo præscriberetur alicui delicto pœna capitalis, non specificando, satisfieret statuto, amputando manum. Quartò, hinc colligi posset, ad quem Judicem spectaret manûs amputatio, casu quo in aliqua civitate essent duo Judices, ad quorum unum spectarent causæ capitales, ad alterum, non capitales.

Esse capitalem causam supponit Daumhuderus, idem tenet Alex. in *l. transigere. C. de Transact.* Crtius. ib. n. 73.

13. Communis tamen aliorum est sententia, non esse, nisi impropriè, causam capitalem. Neutrius sententiæ fundamenta sunt convincentia. meliora tamen opinionis communis. Communis sententia probatur. I. ex Novella 134. §. *fin.* ubi dicitur, membrorum dissolutionem esse graviorem pœnam abscissione utriusque manûs: atqui membrorum dissolutio quæ fit per torturam, non est capitalis, Ergo nec manuum abscissio. Responderi potest, distinguendo majorem. Membrorum dissolutio quando fit principaliter & finaliter in pœnam alicujus delicti, est gravior conceditur: quando præcisè ordinatur ad executionem alteriùs actûs, vel ad extorquendam veritatem, negatur. Et in priore sensu loquitur Novella citata. Ità cum Alciato respondet Mattheac. Sed, meo judicio, ex isto diverso fine non satis ostenditur, cur membrorum dissolutio sit gravior pœna manuum abscissione, in uno quàm altero casu: nam quando infligitur principaliter in pœnam, tolerabilior solet esse, quàm quando fit in tortura. Est enim illa sæpè momentanea, ut quando fit per repentinam cordæ laxationem. Cæterùm, vix est credibile, membrorum dissolutionem esse pœnam graviorem (prout hodie in usu est) quàm manuum amputationem, quare ex dicta Novella non multùm probatur.

14. Probatur II. Ex *l.* 2. *ff. de publ. Jud.* ubi inter pœnas capitales non numeratur manuum abscissio, vel alia corporis mutilatio. Respondent adversarii, ideo non fuisse numeratam, quia tunc non erat adhuc in usu. Sed, nisi fallor, hæc responsio non enervat textum, & sic habet. [Publicorum judiciorum quædam capitalia sunt, quædam non Capitalia. Capitalia sunt, ex quibus pœna, mors aut exilium est, hoc est, aquæ & ignis Interdictio. per has enim pœnas eximitur caput de civitate. nam cætera non exilia, sed relegationes propriè dicuntur, tunc enim civitas retinetur.] Ecce! unde denominetur pœna *Capitalis*, nempe quando Respublicâ alicujus subditi caput amittit, vel naturaliter vel civiliter; atqui per manuū abscissionem hoc non fit. Ergo non est propriè pœna Capitalis. Unde in dicta lege statim subjungitur. [Non capitalia sunt, ex quibus pecuniaria, aut in corpus aliqua coërcitio pœna est.] Huc facit lex 103. ff. de V. S. [Licèt capitalis, latinè loquentibus, omnis causa existimationis ((*h. e. infamans*) videatur, tamen NB. appellatio capitalis, mortis, vel amissionis civitatis, intelligenda est.] Ergo, manuum abscissio posset quidem dici causa capitalis latinè loquendo, hoc est infamans, Sed non juridicè & quoad præsentem materiam.

15. Solet pro confirmatione hujus sententiæ adduci lex 10. *ff. Qui testam. Qui manus amisit, testamentum facere potest, quamvis scribere non possit.* Atqui passus pœnam capitalem non habet testamenti factionem. Ergo manuum abscissio non est pœna capitalis. Verùm ille textus

le textus non loquitur (clarè) de amissione manuum ex delicto, sed fortè ex alio casu, vel infirmitate. Et ideo hæc probatio est levis, & priores sufficiunt, accedente præsertim communi sensu.

16. Objicitur I. Ex *Nov.* 128.*c.*10. ubi videtur manuum abscissio æquiparari supplicio, illis verbis: *citra tamen novissimum supplicium, aut membri abscissionem.* ℞. Ineptè hinc inferri æquipatationem quoad gravitatem pœnæ, ut per se clatum est. Utriusque pœnæ inflictio prohibetur ibi certis Judicibus, sive manuum abscissio sit capitalis sive non: de hoc Imperator nihil dicit.

17. Objicitur II. Ex l. fin. *C. de superexactoribus.* Ubi statuitur pœna capitalis in eos qui plus debito exegerint. Atqui in Nov. 17. c. 8. iisdem dicitur esse interminanda manuum amputatio. Ergo hæc est pœna capitalis. ℞. 1. in l. finali expresse pœnam illam statui in eum qui in delicto perseverat. in Nov. autem est sermo de eo qui primâ vice non paret mandato: imò non est sermo de exactore supra debitum, sed de eo qui antipochas non reddit, cujus delictum tam grave non est. Omitto alia argumenta leviora.

CONTROVERSIA III.

An Deportatio & Relegatio sint Meri Imperii.

SUMMARIUM.

Quomodo differat Deportatio & Relegatio. 18.
Deportatio est Meri Imperii. 19.
Item Relegatio. 20.
Item Bannum. 23.

18. DEportatio & Relegatio differunt secundùm aliquos; quòd deportari dicitur, qui mittitur in perpetuum exilium, & certo locorum spatio circumscribitur, intra quod luat: Relegare autem sit extra certos fines patriæ vel Jurisdictionis amandare, ut redire non liceat, vel intra certum tempus, vel etiam in perpetuum. Ità quidem Gilhusius. Sed hæc differentia non est sufficiens. nam aliquando etiam certo loco circumscribuntur Relegati, ut dicitur l. 4. *ff. de Interdictis releg.* mox referenda. Meliùs declaratur differentia in lege 7. §. 2. *ff. eod.* [Hæc est differentia inter deportatos & relegatos, quòd in insulam relegari & ad tempus, & in perpetuum quis potest. Sive ad tempus, sive in perpetuum quis fuerit relegatus, & civitatem Romanam retinet, & testamenti factionem non amittit.] Et lege. 6. dictum erat, quod Deportatio adimat civitatem Romanam. Ergo substantialis differentia consistit in ademptione & non ademptione Civitatis. Banniti hodie æquiparantur deportatis, quibus igni & aquâ interdictum est, ut explicabitur in fine hujus tomi. Deportati hodie in Imperio sunt illi, qui ultra quatuor Imperii sylvas mittuntur.

19. Dicendum est I. Deportationem esse Meri Imperii. Ratio est. Quia pœnæ capitales sunt meri Imperii. Sed Deportatio est pœna capitalis, ut patet ex juribus præced. controversiâ adductis. Ergo &c. Et in hac conclusione conveniunt DD.

Relegationem non esse Meri Imperii, sed Mixti, tenet Speculator in *l. 9. ff. de Jurisdict.*

20. Dicendum tamen est II. Cum communi DD. Relegationem etiam ad Merum Imperium spectare, adeoque is cui competeret Imperium sine Jurisdictione, posset relegare. Probatur ex lege 12. §. 4. *ff. de accusat.* ibi. [Idemque dicendum est in cæteris legibus, quibus pecuniaria pœna irrogatur, vel etiam Capitis, quæ servorum pœnis non convenit, sicuti Relegatio.] Ergo dum dicitur (licèt impropriè) pœna capitalis, videtur hoc ipso annumerari illis pœnis, quæ ad merum Imperium spectant.

21. Objiciunt I. Relegatus non amittit Civitatem & libertatem. *L. 4. ff. de Interdictis & releg.* [Relegati in insulam in potestate liberos suos retinent, quia & alia omnia jura retinent: tantùm enim Insulâ eis egredi non licet. & bona quoque omnia sua retinent, præter ea, si qua eis adempta sunt.] ℞. Ex hoc textu benè quidem probari, quòd non sit pœna propriè capitalis, sed non sequitur: Ergo non continetur mero Imperio: nam, ut vidimus, manuum abscissio etiam non est capitalis pœna propriè, & tamen ad merum Imperium spectat.

22. Objiciunt 2. Pecuniaria pœna non pertinet ad merum Imperium; sed ad mixtum. Ergo & relegatio, ut colligunt ex lege 5. ff. de pœnis, ubi dicitur. [Meliùs statueretur, in absentes pecuniarias quidem pœnas, vel eas quæ existimationem contingunt statui posse, & usque ad relegationē procedi.] ℞. 1. Multi docent, etiam pecuniariam pœnam spectare ad merum Imperium. ℞. 2. Ex eo quòd relegatio dicatur meri Imperii, non benè infertur, nunquam posse exerceri ab eo, qui simul cum Imperio habet Jurisdictionem, & Imperium mixtum, ut benè observat Joannes Calvinus in suo Lexico. Potest ergo aliqua pœna esse meri Imperii, hoc est, illi competere, qui habet Imperium sine Juris-

dictione, & tamen poteſtas illam pœnam infligendi etiam eſſe conceſſa illi, qui unà cum Imperio habet Jurisdictionem. Eſto habentes Jurisdictionem plerumque habeant Imperium magis reſtrictum & limitatum, ut patet ex alibi dictis.

23. Ex dictis infertur. Bannum quoque ad merum Imperium ſpectare. Nam aliquando æquiparantur deportatis, aliquando relegatis, quia aliquando puniuntur banniti deportatione, aliquando relegatione. Sed de Banno agam in fine hujus tomi.

CONTROVERSIA IV.

An Ius incarcerandi, item torquendi, mulctandi, confiſcandi, ſit Meri Imperii.

SVMMARIVM.

Incarceratio tædialis non pertinet ad merum Imperium. 24.
Benè tamen, quando adhibetur ad cuſtodiam in cauſa criminali. 25.
Item incarceratio perpetua in pœnam. 27.
Item tortura valde gravis. 28.
Quid dicendum de Mulcta pecuniaria, & bonorum confiſcatione. 29.

24. Supponit absque diſtinctione Decianus, *lib.* 7. *c.* 10. *n.* 23. eâ ratione ductus, quòd incarceratio ſit quædam ſpecies ſervitutis. Alii dicunt, quandoque etiam ſimplici Jurisdictioni competere. Alii cum Marthesio varios caſus diſtinguunt. Et quidem, quando in cauſa pecuniaria adhibetur non per modum cuſtodiæ, ſed ut tædialis, conveniunt omnes, convenire Jurisdictioni, nec pertinere ad merum imperium, ſicut nec ipſa cauſa pertinet.

25. Controverſia eſt, quando adhibetur ad cuſtodiam in cauſa criminali. Negat Bartolus. Affirmat Baldus, quem plerique ſequuntur. Et t. colligitur ex *l.* 1. *ff. de Cuſtodia & exhib. reorum.* [De cuſtodia reorum Proconſul æſtimare ſolet, utrum in carcerem recipienda ſit perſona, an militi tradenda, vel fidejuſſoribus committenda, vel etiam ſibi. Hoc autem vel pro criminis, quod objicitur qualitate, vel propter honorem, aut propter ampliſſimas facultates, vel pro innocentia perſonæ, vel pro dignitate ejus qui accuſatur, facere ſolet.] Si ergo cauſæ cognitio ad merum imperium pertinet, utique & executio. Dum autem dicitur, hoc fieri ſolere, inſinuari videtur, quandoque etiam mixto imperio convenire.

26. Objicit Bartolus ex *Nov.* 15. ubi *cap.* 6. §. 1. *de defenſoribus* Civitatum dicitur, eos poſſe incarcerare: qui tamen carent mero Imperio. ℞. 1. ut jam dixi, poſſe aliquid eſſe meri Imperii, eſto etiam concedatur alicui habenti mixtum Imperium. Sic quando quis ob contumaciam incarceratur, talis incarceratio poteſt fieri ab habente Jurisdictionem, ut tradunt communiter DD. *in l.* 3. *ff. de Jurisd.*

℞. II. In allegato loco Defenſorem eſſe merum executorem, incarcerando in eum finem, ut Præſidi ſiſtat; & ſic habet. [Audient quoque leviora crimina, & caſtigationi competenti contradent, & eos qui in majoribus criminibus capiuntur, detrudent in carcerem, & mittent ad provinciæ Præſidem.] Simile quid dicetur infrà, quòd in certis caſibus poſſit laicus apprehendere Clericum mittendum ad ſuum Superiorem.

27. Denique Meri Imperii eſt, quando carcer perpetuus in pœnam conſtituitur & adhibetur, prout fieri poſſe conceditur Epiſcopis *c.* 3. *de pœnis in* 6. [Quamvis ad reorum cuſtodiam, non ad pœnam ſpecialiter carcer deputatus eſſe noſcatur: Nos tamen non improbamus ſeu convictos (eorum exceſſibus & perſonis cæterisque circumſtantiis providâ deliberatione penſatis) in perpetuum vel ad tempus, prout videris expedire, carceri mancipes ad pœnitentiam agendam.] Et *cap.* 27. *de V. S.* §. *fin.* dicitur. [Pro illo verò falſario ſcelerato, quem ad mandatum noſtrum capi feciſti, hoc tibi duximus conſulendum, ut in perpetuum carcerem ad agendam pœnitentiam ipſum includas, pane doloris, & aquâ anguſtiæ ſuſtentandum, ut commiſſa defleat, & flenda ulteriùs non committat.] Quòd autem ſit meri Imperii, probatur I. quia damnati ad perpetuum carcerem æquiparantur damnatis in metallum: atqui damnare in metallum eſt meri Imperii, nempe ſpecialiter conceſſum Præfecto. Secundò, quia talis amittit libertatem, & pœnæ ſervus efficitur in effectu, ac perpetuum exilium patitur: imò damnatus ad perpetuum carcerem dicitur pœnâ capitali dignus, & teſte Bartolo, teſtari non poteſt.

28. Quoad torturam breviter dicendum eſt ex dictis, eam, ſi ſit valde gravis, ſpectare ad merum imperium, ſive fiat principaliter, ut pœna, ſive ut medium extorquendi veritatem in cauſa tali, quæ ad merum Imperium ſpectat, nec Jurisdictionem requirit. Cæterùm, levis tortura

tura ad extorquendam veritatem in causa pecuniaria & ad Jurisdictionem spectante, potest fieri ab eo qui habet Imperium non merum, ut tradit Mattheacius, & cum eo Gilhusius, *arg. l. fin. ff. de off. ejus cui mand.* ubi ratio redditur his verbis. *Mandatâ Jurisdictione privatâ, etiam Imperium quod non est merum, videtur mandari. quia NB. Jurisdictio sine modica coërcitione nulla est.* Nescio tamen in quo haec levis tortura consistat, nisi sit carcer taedialis. neque illi AA. specificant.

19. Simili modo, Mulctam imponere aliquando est meri Imperii, nempe quando imponitur poena Pecuniaria ob delictum mero Imperio proportionatum, aliquando verò est Jurisdictionis, de qua est sermo in lege fin. adducta, nempe quando imponit eam Judex ad tuendam suam Jurisdictionem.

A fortiori etiam bonorum confiscatio pertinet ad merum Imperium, cùm sit poena tam gravis, ut morti aliquatenus comparetur. Et de hoc est *lex un. C. Ne sine Jussu princip.* [Nulli Judicum liceat (exceptis qui in summa administrationis sunt positi potestate) proscriptionis tempestate totius substantiae aliquem percellere, nisi ad nostras aures hoc ipsum referatur.]

CONTROVERSIA V.

An Partes possint Processum Nullum ex defectu Iurisdictionis, convalidare spontaneâ confessione, vel Iurisdictionem Prorogare in criminali causa.

SUMMARIUM.

An confessio coram Judice incompetente sufficiat ad condemnandum. 30.
An faciat plenam fidem, si acceptetur ab adversario. 31.
Quid de Clerici confessione coram Laico. 32.
An Judex incompetens possit per inquisitionem, non contradicente & sciente reo, prorogare in se Jurisdictionem. 34.
An per viam accusationis, reo per ignorantiam comparente, prorogetur Jurisdictio. 35
An possit prorogari Jurisdictio Judicis caeteroquin qualificati in praejudicium partium, vel etiam Judicis competentis. 36.
Quid si scientia incompetentiae superveniat primùm in processu. 37.

30. Quaeritur I. An, si Reus coram Judice incompetente fateatur crimen, valideatur processus eò usque, ut talis confessio sufficiat ad condemnandum. Ratio dubitandi est, quia est Regula, quòd confessio validet nullitatem processûs. Verùm, haec regula non procedit, quando processus est nullus ex defectu Jurisdictionis, sed solùm quando ex alio capite est nullus. Itaque

Dicendum. Confessio facta coram Judice Incompetente, non sufficit in vim probationis ad condemnandum. Ratio est, quia est confessio extrajudicialis, & ideo non plùs valet quàm extrajudicialis. De hoc pluribus infrà.

31. Dubitatur tamen, an saltem faciat plenam fidem, quando ab altera parte praesente fuit confessio acceptata. Affirmare videtur Abbas *in cap. at si Clerici, post n. 16. de Judiciis.* Verùm, Julius *Clarus lib. 5. §. fin. pract. crim. q. 55. n. 4.* sic habet. [Sed certè quidquid sit de Jure, ego semper vidi in practica observari, quòd tales confessiones non praejudicant confitentibus ad plenam probationem, si deinde illam revocant, sed tantummodo torquentur, ut in ea perseverent, nisi fortè cum hujusmodi confessione concurrerent tot alia argumenta, ex quibus posset dici, quòd omnibus simul sumptis de crimine plenè liqueret.] Ex Conclusione

32. Infert Farinacius q. 81. n. 193. quòd Confessio Clerici facta coram Judice Laico, non sufficiat, ut inde condemnetur à suo competente Judice. *c. at si. pr. de Judiciis.* [At si Clerici coram saeculari Judice convicti fuerint, vel confessi de crimine, non sunt propter hoc à suo Episcopo aliquatenus condemnandi.] Volunt aliqui Canonistae talem confessionem praebere saltem Judici Ecclesiastico Jus iterum eundem interrogandi, & si reus variet, non esse admittendum, nisi ad probandum, quòd sua confessio facta alium sensum habuerit. Verùm, hanc opinionem alii non admittunt nisi quoad torturam, vel quoad indicendam purgationem ratione infamiae resultantis ex facta confessione. Et quidem talem confessionem (sicut quaevis alia extrajudicialis spontanea) sufficere tanquam indicium ad torturam, tenet valde comunis sententia, quamvis sententia negans sit aequè communis, & quia est favorabilis, meretur alteri praeferri, cùm neutra habeat argumenta convincentia, nec Jus scriptum pro se, de quo tamen iterum infrà suo loco.

33. Magis controversum est, an possit Jurisdictio in criminalibus prorogari à partibus ad aliquem Judicem, qui caeteroquin habet merum Imperium, sed non circa has personas. De prorogatione in causis civilibus, plenè actum est in praeced. tomo, de Judiciis causarum civilium, nunc

nunc quæstio est de protogatione in causis criminalibus, in qua à certiotibus ad incerta progrediemur.

34. Quæritur ergo I. An possit fieri prorogatio, quando Judex procedit per inquisitionem,& reus, sciens in se inquiri, non contradicit, & factâ inquisitione deprehenditur reus, quæritur an posset ille Judex incompetens qui inquisivit, procedere ad condemnationem. Ratio dubitandi est, quia Inquisitor habet se instar Accusatoris: ergo prorogabitur Jurisdictio consentiente seu non contradicente reo, saltem in sententia illorum DD. (de qua paulò pòst) quòd prorogatio etiam in criminalibus locum habeat. Et in hanc sententiam propendet Julius Clarus, si reus positivè consentiret. Nihilominus

Dicendum est I. Et respondendum negativè. Ratio est. Nam in hoc judicio & processu non interveniunt partes, quæ possunt dici prorogare jurisdictionem, sed tantùm intervenit Judex, & diffamatio, quæ fungitur loco accusatoris: Atqui est per se absurdum, posse Judicem suam jurisdictionem prorogare, concurrente infamatione, quæ est res inanimata, Judex autem ageret personam rei, & loco rei in ejus præjudicium prorogaret, quod absurdum est.

35. Quæritur II. Quando procederet Judex incompetens per viam accusationis, & Reus ignarus, eum esse Judicem incompetentem, coram eo compareret, an censeretur prorogata Jurisdictio, saltem in sententia afferente, posse in criminalibus prorogari Jurisdictionem. Affirmat Arnaldus Albert. apud Farinacium. *q. 7. n. 4.*

Dicendum tamen est II. Et respondendum negativè. Ità etiam illi DD. qui alioquin admittunt in criminalibus Jurisdictionis prorogationem. Ratio est, quia prorogatio debet fieri sponte, & per explicitum consensum in suum præjudicium, cùm sit quædam cessio exceptionis declinatoriæ judicii: Atqui talem consensum non habet, nec potest præsumi habere ille, qui per errorem comparet coram Judice non competente accusatus, comparet enim invitus & coactus. Imò scientia incompetentiæ non præsumitur, sed potiùs error, in talibus personis, quæ plerumque sunt Juris ignari, & supponunt, eum apud quem accusatur, meliùs nôsse suam potestatem, nec inchoaturum processum, si non sciret sibi competere. Nec potest prudenter dubitari, quòd talis, si conscius esset incompetentiæ, & simul etiam se reum sciret, non esset consensurus in prorogationem, sed exceptione usurus.

36. Quæritur III. Et principaliter, an possit prorogari Jurisdictio Judicis incompetentis quidem ratione partis accusatæ, sed cæteroquin qualificati, & habentis jurisdictionem in tali crimine & materia. In quo punctο aliqui primâ fronte videntur simpliciter negare, alii simpliciter affirmare. Verùm, si AA. integrè legantur cum suis limitationibus, reverà tandem consentiunt, & quod paucis clarè dici posset, multis ambagibus involvunt.

Dicendum ergo III. In præjudicium partium, non item in præjudicium Judicis competentis & ordinarii, posse Jurisdictionem etiam in Criminalibus prorogari. Ità Julius Clarus q. 42. Dicens esse communem, sed nullam adducit probationem. Solùm dicit, quòd non possit fieri in præjudicium Reipublicæ & Judicis competentis, v. g. quoad applicationem pœnæ, quia alioquin possent fieri mille fraudes. Ex Julio Claro descripserunt Farinacius, Decianus, & Guazzinus. Intelligenda autem est conclusio de casibus, in quibus proceditur per viam accusationis, neque posset procedi per inquisitionem. Nam si Judex ordinarius posset per viam inquisitionis procedere, tunc si ipse contradiceret prorogationi, non procederet prorogatio, sed ipsi plenum jus manet, procedendi per inquisitionem, secùs si consentiret. Hæc est summa eorum, in quibus se AA. cum confusione diffundunt. Ad probandam Conclusionem adducitur 1. textus ex *lege 2. §. 1. ff. de Judiciis.* [Convenire utrum inter privatos sufficit, an verò etiam ipsius Prætoris consensus necessarius est? lex Julia Judiciorum ait: *quominus inter privatos conveniat*: sufficit ergo privatorum consensus. Proinde si privati consentiant, Prætor autem ignoret consentire, & putat suam jurisdictionem, an legi satisfactum sit, videndum est, & puto posse defendi, ejus esse jurisdictionem.] Ex qua lege colligitur, quòd nihil intersit, an Judex prorogatus sciat vel ignoret, suam jurisdictionem prorogari. Decianus insuper adducit legem. 1. *C. de Jurisd. omnium Judicum.* Sed illa lex tota quanta est de causis civilibus. Nec alium Juris textum pro hac conclusione invenio. ac proinde videtur ea tandem potissimùm fundari in regulis generalibus de Prorogatione, quia causæ criminales non repetiuntur exceptæ.

37. Quæsitum est, an, si à principio intervenit error, & ignorantia incompetentiæ, sed inter processum superveniret scientia, an partes consentiendo possent totum processum validare. Respondent DD. citati, Decianus n. 13. & Guazzinus n. 18. cum distinctione. Si processus ab initio fuit omnino nullus, (intelligo ex alio capite quàm ignorantiæ) tunc non potest validari, per regulam; quod ab initio vitiosum est, tractu temporis non convalescit. Si verò non fuit nullus, dicunt, convalescere per ratihabitionem. Pari modo dicunt, posse convalescere per supervenientem ratihabitionem Judicis ordinarii.

per

per regulam, quod ratihabitio mandato comparetur. Quodsi à principio fuisset facta prorogatio per metum injustum, non validaretur ullomodo, per ea quæ dicta sunt de contractu ex metu inito. *tract. 8. de Jure privat.*


CONTROVERSIA VI.

Quibus modis delinquens sortiatur Forum.

SUMMARIUM.

Quatuor præcipui modi sortiendi forum. 38.
Accusator aliquando ex privilegio non sequitur forum Rei. 39.
Accusator inter plures Judices Rei habet electionem. 40.
Ob rei potentiam potest immediatus superior præteriri. 41.
Per recanventionem potest accusator sortiri forum Judicis non sui. 42.
Libertus subjicitur foro patroni. 43.
Vxor accusanda est in foro sui mariti. 44.
Imperator potest contra Clericum inquirere, non tamen eum judicare. Episcopus potest ex formato processu judicare. 45.
Quinam de familia Clericorum gaudeant privilegio fori. 46.
An possit Papa concedere privilegium Sæculari procedendi contra Clericum. 47.
Amisso per delictum privilegio fori, potest Laicus procedere. 48.
Refertur Privilegium concessum Regi Galliæ, procedendi contra Clericos non incedentes habitu clericali. 49.
In dubio, an habitus sit clericalis, Judicium spectat ad Ecclesiasticum. 50.
An Clericus commisso delicto suspectus de fuga capi possit à Laico. 51.
An ad comprehensionem Clerici à Laico requiratur degradatio realis. 52.
Quid Juris competat Laico in assumentem statum Clericalem post delictum. 53.
Judex Ecclesiasticus procedere potest contra Laicum non subditum in temporalibus, si crimen spectat ad forum Ecclesiasticum. 54.
Item contra non Administrantes Justitiam Clericis. 55.
Item contra foventes inimicitias periculosas. 56.
Item quando Laicus delegat causam Criminalem Clerico. 57.
Item quando supplenda est negligentia Judicum sæcularium. 58.
Item contra injicientes manus in Clericum ejusue familiam. 59.
Et universim, quando delictum meretur censuram Ecclesiasticam. 60.
Vagabundus potest judicari ubi est deprehensus. 61.
An esset mittendus ad Judicem loci delicti si peteretur. 62.
An Judex domicilii possit per viam accusationis procedere contra subditum delinquentem extra territorium. 63.
An etiam per viam Inquisitionis. 64.
Cujus loci statuta sequi debeat talis Judex. 65.
An hodieque locus Originis constituat speciale forum distinctum à loco domicilii. 66.
Habens plura domicilia, potest in quovis accusari & inquiri. 67.
Potest reus à Judice domicilii citari, ubicunque existat. eod.
Reus puniri potest à Judice loci commissi & consummati delicti. 68.
Procedit etiam de Personis in dignitate constitutis infra Illustret. 69.
Quis Judex sit competens delicti in confinibus commissi. 70.
An & cum quo effectu possit reus à tali Judice citari. 71.
Praxis moderna procedendi contra absentem. 72.
Quis Judex competens delicti in uno Loco commissi, & in alio consummati. 73.
Clericus per delictum non amittit privilegium fori, nec Legatus peccat in legatione. 74.
Studiosi etiam, Iure communi, à solo Rectore judicari possunt. eod.
Quidsi delictum in foro publico commissum. 75.

38. IN cap. fin. de Foro Competente, assignantur quatuor generales modi seu causæ sortiendi Forum: Delictum, Contractus, Domicilium, Locus rei sitæ. Ad hos modos reducuntur variæ species, loquendo tam de foro in causis civilibus, quàm in criminalibus; adeo ut Marianus Socinus numeret modos 119. Verùm inhærendo solis causis criminalibus, eas Decianus ad quatuor vel quinque fontes rednicit. Primus fons est Accusatoris Persona. Secundus est Persona accusanda. Tertius Persona Judicis, Quartus Qualitas Delicti, ejusque circumstantiæ. Quintus Forma, Qualitas, & accidentia Judicii sive Causæ quæ agitur.



§. I.

De diversis modis sortiendi Forum ex Persona Accusatoris.

39. Dicendum I. Privilegium Accusatoris aliquando facit, ut Reus possit conveniri in foro non suo, contra regulam, quòd Actor sequatur Forum Rei. Exemplum. Si Ecclesia est spoliata à Laico, potest eum accusare etiam apud Judicem Ecclesiasticum, ex speciali privilegio, cùm alius Spoliatus non posset nisi coram Judice Laico. Textus notabilis in *cap. 8. de foro compet.* [Cùm sit generale, ut actor forum rei sequatur: Verùm, quoniam sæculares Judices in exhibenda Justitia personis Ecclesiasticis sæpè in Judicio sunt remissi, in favorem Ecclesiæ est introductum, ut malefactores suos, qui sacrilegi sunt censendi, venerabilium locorum Rectores possint, sub quo maluerint, Judice convenire.] Aliud esset, si Reus esset etjam privilegiatus, nam privilegiatus contra æquè privilegiatum non utitur privilegio.

40. Dicendum II. Quando Jurisdictio competit diversis Judicibus in solidum & cumulativè, ità ut sit locus præventioni, tunc Reus sortitur forum illius Judicis, quem Accusator elegerit, nec potest Reus recusare. Ratio est, quia per vulgaria, quamvis in alternativis rerum electio sit penes debitorem & reum, in alternativis tamen locorum electio est penes actorem. Et sanè absurdum est, concedere reo accusando Jus excipiendi contra Judicem, eligendo alterum, & si coram hoc accusaretur, posse iterum, ante litem contestatam, variare, & alium eligere, atqui hoc posset, si penes ipsum esset electio. ergo &c. Servit conclusio pro casu quo delictum esset factum in confinio duorum territoriorũ, tunc enim uterque Judex esset competens, & posset reus accusari coram quo vellet accusator.

41. Dicendum III. Ob Rei accusandi formidabilem potentiam, quà Judex immediatus fortè terreri posset, item, si Judex suspectus esset, posset Accusator recurrere ad Superiorem vel ipsum Principem, & impetrare alium Judicem. Ratio est, quia non debent delicta ob potentiam Rei, vel imperitiam aut malitiam Judicis manere impunita. arg. *legis un. C. Quando Imperator inter pupillos &c.* ibi. [Quodsi pupilli vel viduæ, aliique fortunæ injuriâ miserabiles, Judicium nostræ Serenitatis oraverint, præsertim cùm alicujus potentiam perhorrescunt, cogantur eorum adversarii examini nostro sui copiam facere.]

42. Dicendum IV. Per Reconventionem potest Accusator tanquam Reus sortiri forum Judicis non sui. ut patet ex alibi dictis de Reconventione, & redibit infrà sermo.

§. II.

Quibus modis Status Personæ Rei tribuat Forum, præsertim Clericalis.

43. Dicendum I. Si Libertus à Patrono accusandus est, Patronus non tenetur accusare apud Judicem Liberti, sed potest eum accusare apud suum, hoc est, Patroni, Judicem, adeoque libertus subjicitur foro patroni, etiam ut Reus. *l. 6. §. fin. ff. ad Municipalem. Libertini originem patronorum, vel domicilium sequuntur: item qui ex his nascuntur.* Idem est, si ab alio quàm Patrono accusetur. Quodsi secus delinquat, punietur in loco, ubi deliquit, neque dominus poterit revocare ad provinciam suam, ibi defendendum. *l. 7. §. 4. ff. de accusat.* [Idem Imperator rescripsit, servos ibi puniendos, ubi deliquisse arguantur: dominumque eorum, si velit eos defendere, non posse revocare in provinciam suam, sed ibi oportere defendere, ubi deliquerint.]

44. Dicendum II. Uxor accusanda est in foro sui mariti, si quidem accusetur tempore matrimonii. per arg. à contrario sensu, ex *lege 19. ff. de Jurisdict.* [Cùm quædam puella apud competentem Judicem litem susceperat, deinde condemnata erat, postea que ad viri matrimonium alii Jurisdictioni subjecti pervenerat. &c.] & clariùs *l. fin. C. de Incolis.* [Mulieres honore maritorum erigimus, & genere nobilitamus, & forum ex eorum persona statuimus.] Colligitur etiam ex *l. fin. §. 3 ff. ad Municipalem.* [Item rescripserunt, mulierem, quamdiu nupta est, incolam ejusdem civitatis videri, cujus maritus ejus est.] Idem de vidua dicendum, dum vidua manet. *l. 7. §. 1. ff. eod.* [Vidua mulier amissi Mariti domicilium retinet, exemplo clarissimæ personæ per maritum factæ: sed utrumque, aliis intervenientibus nuptiis permutatur.]

45. Dicendum III. Ex eo quòd Clericus exemptus sit ratione status, à potestate Laicorum (de qua immunitate actum est tomo præcedente) non potest, ne quidem ab Imperatore judicari, etiam super Crimine læsæ Majestatis: poterit tamen Imperator contra illum inquirere, & formare processum, & ex eo, quatenus sec-

varie

tutis servandis formatus sit, poterit deponi à suo Episcopo, vel etiam actualiter degradari, & tradi Imperatori puniendus, per argumentum à minore ad majus, ut tradit Decianus c. 9. n. 7. per *Novel.* 83. §. 2. ibi. [Illud palàm est, si reum esse putaverit eum, qui convenitur provinciæ Præses, & pœnâ judicaverit dignum: priùs hunc (*Clericum*) spoliari à Deo amicabili Episcopo sacerdotali dignitate, & ità sub legum fieri manu.] & enucleatiùs in *Nov.* 123. c. 21. §. 1. Si verò crimen fuerit, quod adversùs quemlibet memoratarum Reverendissimarum personarum inferatur, siquidem apud Episcopum aliquis accusatur, & ipse veritatem invenire potuerit, ab honore & gradu hunc secundùm Ecclesiasticas regulas dejiciat, & tunc competens Judex hunc comprehendat, & secundùm leges litem examinans causæ finem imponat. Si verò priùs civilem Judicem adeat accusator, & crimen per legitimam examinationem potuerit approbare, tunc Episcopo locorum gesta monumentorum palàm faciat. Et si ex his agnoscatur proposita crimina commisisse eum, tunc ipse Episcopus hunc secundùm regulas ab honore sive gradu quem habet, separet: Judex autem ultionem illi inferat legibus congruentem.] Verùm, hæc parùm curanda essent, nisi accederet textus in *cap. si quis Laicus. ca.* 22. *q.* 5. ubi in fine dicitur: *Episcopus verò, Presbyter, Diaconus, si hoc crimen* (læsæ Majest.) *commiserit, degradetur.* quem tamen locum aliqui solùm accipiunt de degradatione verbali, seu depositione.

46. Quæres I. An qui sunt de familia Clericorum, etiam gaudeant privilegio fori in Criminalibus. Breviter Respondetur ex communi DD. 1. Ascendentes non gaudere, quia nec censentur pars corporis descendentis, nec sunt in servitio. 2. Descendentes in potestate patria constitutos gaudere, quia censentur portio patris. Imò (inquit Dec. n. 91.) Confessio criminis facta per filium, potest per patrem revocari, quia ipsius interesse vertitur: ergo meritò filius gaudet privilegio fori, quia in hoc vertitur interesse patris: nam in foro Ecclesiastico pœna sanguinis non ingeritur, quæ tamen in sæculari infligitur: ergo multùm interest Clerici, ut & filius privilegio fori gaudeat, cùm & illi Judicio intentato contra filium criminaliter possit ipse Clericus pater interesse. 3. De famulis & ancillis est majus dubium: & quidem de famulis Episcoporum omnes affirmant, non tamen de famulis aliorum Clericorum, qui in criminalibus probabiliùs non gaudent, ne crimina maneant impunita.

47. Quæres II. An possit Papa concedere privilegium Principi sæculari & Laico, ut in criminalibus procedat contra Clericum. Negare videtur Bossius in tr. de foro comp. n. 130. & quidam alii. Affirmant DD. communiter, & allegant exemplum ex can. *Verum.* 22. *distinct.* ubi Papa committit duobus Ducibus causam Clericorum Simoniacorum. Ego in decretis nullum hujus initii Canonem reperio. Adducunt etiam textum cap. Monomachiam. ca. 2. q. 5. ubi nihil horum legitur. Sicut nec in can. *Nos si incompetenter. ca.* 2. *q.* 7. Decianus testatur, Illustrissimos DD. Venetos habere à diversis Pontificibus hujusmodi privilegium. Plures etiam affirmant Regem Galliæ habere privilegium cognoscendi contra Clericos in his tantùm, videlicet, de armorum usu, de fractione salvæ guardiæ, de injuria facta per Clericos officialibus Regiis, & de Usurpatione Jurisdictionis Regiæ, licèt Guido Papa q. 77. dicat non exstare tale privilegium. Decianus n. 68. testatur, se bis vidisse observari, quòd in homicidiis appensatis illustrissimum Dominium Venetum impetret à Summo Pontifice Licentiam procedendi contra Clericum, assistente Ordinario Ecclesiastico, qui tamen nihil potest in condemnatione vel absolutione, & cogitur etiam nolens degradare condemnatum. In eo etiam conveniunt DD. quòd summo Pontifice inferior Ecclesiasticus non possit committere causam criminalem alicujus Clerici Laico.

48. Illud tamen hîc monendum est, posse utique Laicos procedere contra Clericos, qui per delictum vel alio modo amiserunt privilegium fori. Hujusmodi sunt Assassinio rei c. 1. §. *fin. de homic. in* 6. ubi diffidantur, & pro degradatis ipso facto habentur, ut interpretatur Decianus. Item hujusmodi sunt Clerici joculatores & moriones: de quibus est textus *in c. un. de vita & honest. cleric. in* 6. [Clerici, qui clericalis ordinis dignitati non modicum detrahentes, se joculatores seu goliardos faciunt aut bufones, si per annum artem illam ignominiosam exercuerint, ipso Iure: si autem tempore breviori, & tertiò moniti non resipuerint, careant omni privilegio clericali.] Idem est de Clerico in minoribus constituto, qui effectus miles exercet arma. Item, qui dimisso habitu clericali se immiscuit in sævis & atrocibus delictis, & in habitu laicali repertus est in flagranti crimine, ut cum aliis asserit Decianus n. 89. dicens, hoc probari per apertum textum *cap. fin. de Apost.* ubi nullum verbum de hoc. volebat citare cap. 1. quod sic habet. [Præterea Clerici, qui relicto ordine Clericali, & habitu suo in Apostasia tanquam Laici conversantur, si in criminibus comprehensi teneantur, per censuram Ecclesiasticam non præcipimus liberari.] Hoc capitulum in summario intelligitur de privilegio Canonis. Sed verius est, loqui de privilegio fori. Cæterùm, quia loquitur de Apostata, ideo dubium est, quousque possit extendi. Concludit ergo Decianus n. 92. quòd

quòd ubicunque quis non incedit in habitu eo animo, ut non modo in illo delicto, in quo deprehenſus eſt, haberetur pro laico, ſed generaliter in omnibus, quia nullo tempore volebat haberi pro clerico, puta quia per annum & ultrà ſemper commoratus eſt, & vixit, & negotiatus eſt palàm uti Laicus, negando ſe Clericum, talis, inquit, eſt Apoſtata, & ideo poteſt detineri, & puniri per Laicum, dato quòd conſtaret eſſe Clericum, ſi in atrociori delicto fuerit deprehenſus. In tali ergo caſu putat Decianus, non requiri trinam monitionem, ut clericus privetur privilegio fori, quæ cæteroquin de Jure communi requiritur. *cap. 25. de ſent.* excom. in fine. Ibi. *hujuſmodi clerici, ſi à Prælatis ſuis tertiò commoniti militaria noluerint arma deponere, de privilegio Clericorum ſubſidium aliquod habere non debent.* & cap. 45. eod. ex quo clariùs conſtat, quòd loquatur de privilegio fori, & extenditur etiam ad eos, qui poſt delictum commiſſum reaſſumunt tonſuram, & ſic habet. [Sanè, in diæceſi tua quidam exiſtunt, qui nec in modo tonſuræ, nec in veſtimentorum forma, nec in qualitate negotiorum de Clerico quidquam oſtendunt, ad pœnæ ſubterfugium ſe Clericos exhibentes; cùm enim ſuper exceſſibus, quos ſæculari luxu committunt, ad publica Judicia pertrahuntur, circumciſis crinibus, ut poſſint circumvenire vindictam, pro Clericis ſe repræſentant, clericalis fori privilegium labiis allegantes, qui factis paulò antè negaverant clericatum. Verùm, quia privilegium meretur amittere, qui permiſſâ ſibi abutitur poteſtate, ac fruſtra legis auxilium invocat, qui comittit in legem: volumus & mandamus, ut tales, ſi tertiò à te commoniti ſeipſos contempſerint emendare, illius efficiantur imunitatis exortes, quæ pro Clericorũ tutela, & Laicorum violentia coercenda dignoſcitur instituta.]

49. Et hæc quidem procedunt de jure communi, ſecluſo privilegio ampliore, quale per Conſtitutionem Leonis X. conceſſum dicitur Regi Galliæ, quòd poſſint Judices Seculares illius Regni Clericos in habitu non incedentes, dummodo per quatuor retro menſes etiam inceſſerint ſine habitu clericali & tonſura, capere, diſtringere, & in eos inquirere, & etiam, ſi in Sacris non fuerint, punire.

50. Quæres ad quem Judicem ſpectet cognoſcere, an habitus ſit clericalis, quando id eſt dubium, quod facilè fieri poteſt, quia veſtis clericorum eſt varia. Reſpondet Guido, quem ſequitur Decianus n. 95. pertinere ad Judicem Laicum, aitque Decianus, hoc clarè probari per textum *c. 12. de ſent. excom. in 6.* quod ſanè eſt mirabile, cùm ibi definiatur ab Eccleſiaſtico eſſe judicandum, quando dubitatur, an ſit Clericus, unde idem videtur dicendum, ſi dubitetur, an veſtes ſint clericales, ob rationis paritatem, ut putarem, errorem irrepſiſſe in Decianum, niſi reverà hæc ſententia tribueretur Guidoni etiam à Sebaſt. Guazzino & aliis. In cit. cap. plura deciduntur, quæ huc ſpectant. [Si Judex Laicus malefactorem captum detineat, & is ſe clericum dicens, ad curiam Eccleſiaſticam petat remitti, vel curia ipſa eum tanquam ſuum clericum repetat, Judice illum inficiante clericum, ac ob hoc minimè remittendum, dubitationis hujusmodi, an ſcilicet ſit, qui reperitur clericus, ad Judicem Eccleſiaſticum (quia de re Eccleſiaſtica, & ſpirituali, vocato tamen Judice ſæculari vel alio cujus intereſt) cognitio pertinebit &c. *Et infrà.* Non ſic autem volumus obſervari, ſi ante deprehenſionẽ pro Laico publicè ſe gerebat, ac pro tali communiter habebatur, quamvis deprehenſionis tempore repertus fuerit in habitu clericali: tunc enim reſtituendus non eſt, quousque fidem de titulo fecerit clericali: cujus eidem probatio incumbat, propter præſumptionem, quæ adversùs ipſum orta eſt ex declaratione laicalis habitûs præcedente.] Hæc ultima verba fortè pro ſe facere putavit Decianus, ſed non eſt ità, nam ſupponitur, fuiſſe notorium, quòd antè ſemper inceſſerit ut Laicus: Nullibi autem dicitur, quòd poſſit Laicus decidere dubium, an habitus in quo repertus eſt, ſit clericalis. Unde contra Guidonem, & Jul. Clarum q. 36. n. 14. tenent Covarr. Maſcardus & Guazzinus, dicens, illorum opinionem ut falſam, & Canonibus contrariam communiter reprobari. Porrò, interim dum agitatur quæſtio ſuper clericatu, vel habitu, non poteſt procedere Laicus, ut additur in cit. cap. Idem dicendum, ſi captus eſt in veſte ſæculari, ſed incidit dubium, an amiſerit privilegium fori.

51. Quæres ulteriùs, an Clericus commiſſo delicto ſuſpectus de fuga, capi poſſit à Laico hac intentione, ut tradatur Judici Eccleſiaſtico. Reſpondent DD. affirmativè. Idemque dicunt de clerico noctu illicitè incedente, cum periculo comittendi delicti. Et ego ipſe vidi capi Parochum de nocte ſtricto gladio tumultuantem, & alios provocantem, quem loci Toparcha curavit à convocatis campanæ ſigno ruſticis capi, & etiam catenis conſtringi, quemque altero die ad ſuum Epiſcopum ità miſit, & factum fuit approbatum.

52. Quæres iterum; An ad comprehendendum clericum à laico, ſufficiat aliquando ſola degradatio verbalis, ſeu depoſitio, vel an requiratur degradatio actualis ſeu realis. ℞. Aliquando ſufficere depoſitionem verbalem, abſque actuali degradatione ſi accedat incorrigibilitas, & ob contumaciam excommunicatio & anathematizatio. Ità interpretes *in c. 10. de Judiciis.* ibi. [Quòd ſi Clericus in quocunque ordine conſtitutus, in furto vel homicidio, vel perjurio ſeu alio crimine fuerit deprehenſus legitimè, atque convi-

convictus, ab Ecclesiastico Judice deponendus est. Qui si depositus incorrigibilis fuerit, excommunicari debet. Deinde contumaciâ crescente anathematis mucrone ferici: postmodum verò si in profundum malorum veniens contempserit, cùm Ecclesia non habeat ultrà, quid faciat, ne possit esse ultrà perditio plurimorum, per sæcularem comprimendus est potestatem, ità quòd ei deputetur exilium, vel alia legitima pœna inferatur.] Porrò, quatenus post excommunicationem ulteriùs requiritur Anathematizatio, hæc superaddit excommunicationem solennem cum execrationibus publicis.

53. Quæres denique, quid juris habeat Judex Laicus in eum, qui post commissum delictum assumit statum Clericalem. ℞. Cum distinctione, an assumpserit ante capturam, vel post capturam, si fortè è carcere evasit illegitimè aut contra fidem datam. In priore casu, iterum distinguendum: nam si Judicium nondum est cæptum, esto jam esset accusatus, non posset cognoscere Judex sæcularis: Si verò Judicium jam esset cœptum, communis est opinio, quòd quoad causam sæcularis tanquam præveniens possit cognoscere, & judicare: quoad personam verò neque detinendo, neque torquendo possit contra ipsum procedere, sed tantùm quoad bona: & persona quoque poterit capitaliter condemnari, & tunc Episcopus debebit eum degradare; & Decianus n. 138. ait se multoties vidisse ità observari. In secundo casu posset contra eum procedere Laicus absque consideratione: quia censetur in fraudem assumpsisse statum clericalem, vel religiosum. Sixtus V. Apud Rodriquez to. 1. regul. q. 2. a. 3. plenam Judicibus sæcularibus potestatem concessit procedendi contra eos, qui post susceptam accusationem, aut institutam inquisitionem Religiosi facti fuerunt, imò eorum Professionem irritam pronuntiavit.]

§. III.

In quibus casibus possit Iudex Ecclesiasticus procedere criminaliter contra Laicos sibi non subditos in temporalibus.

54. PRimus casus. Si Laicus commisit crimen Ecclesiasticum, h. e. ad forum Ecclesiasticum spectans, ut est Hæresis, Simonia &c. de quibus alibi: cujusmodi etiam sunt illa, quæ mixti fori sunt.

55. Secundus casus, contra non administrantes Clericis Justitiam, habetur in *can. 26. ca. 23. q. 5.* [Administratores planè sæcularium dignitatum, qui ad Ecclesiarum tuitionem, pupillorum ac viduarum protectionem, rapaciumque refrænationem constituti esse procul dubio debent, quoties ab Episcopis & Ecclesiasticis viris convent fuerint, eorum querimonias attentiùs audiant, & secundùm quod necessitas expetierit, absque negligentia examinent, & diligenti studio corrigant. Quòdsi Dei timorem præ oculis non habentes, negligere post secundam & tertiam admonitionem inventi fuerint, omni se noverint communione usque ad condignam satisfactionem privatos.] Imò talis Jurisdictione privandus est, *auth. statuimus. de Epis. & Cler.* ibi. [Sancimus etiam, ut si quis clericis vel Ecclesiasticis personis justitiam denegare præsumpserit, tertiò requisitus Jurisdictionem suam amittat.] Non utique ipso Jure, sed per sententiam Judicis, & quidem, secundùm glossam, Ecclesiastici.

56. Tertius casus, contra foventes inimicitias periculosas, habetur can. 9. distinct. 90. [Placuit etiam, (sicut plerumque fit) quicunque odio aut longinquâ inter se lite dissenserint, & ad pacem revocari diuturnâ obstinatione nequiverint, à sacerdotibus civitatis primitùs arguantur. Qui si inimicitias deponere pernitiosâ intentione noluerint, de Ecclesiæ cætu justissimâ excommunicatione pellantur.]

57. Quartus Casus. Quando Laicus delegat causam criminalem Clerico, sed cum moderamine quod præscribit *Alex. III. in cap. 4. de Raptorib.* ibi. [Cùm autem excessus hujusmodi Rex Siciliæ tibi & aliis Episcopis commiserit puniendos, respondemus, quòd tales in Jurisdictione tua existentes pecuniariâ poteris pœnâ mulctare, & etiam flagellis afficere, eâ moderatione adhibitâ, quòd flagella in vindictam sanguinis transire minimè videantur. Si verò ità fuerit gravis excessus, quòd mortem vel detruncationem membrorum debeant sustinere, vindictam reserves Regiæ Majestati.]

58. Quintus casus est, quando supplenda est negligentia Judicum sæcularium, acg. c. 10. *de foro compet.* quod ità sumatur. [Laicus laicum super re civili coram Judice Ecclesiastico convenire non potest, nisi in defectu Justitiæ sæcularis, vel nisi consuetudo id exposcat.]

59. Sextus, habetur in can. *Si quis suadente ca. 17. q. 4.* ut possit Ecclesiasticus procedere contra illos, qui manus violentas injecerint in clericum vel ejus familiam.

60. Denique innumeros casus agglomerant AA. sed qui omnes facilè reducuntur ad unam regulam, nempe, quando delictum est tale, quod meretur censuram Ecclesiasticam, eo

quòd fit in præjudicium Ecclesiæ, vel Imunitatis Ecclesiasticæ, vel dignitatis ejusdem, nam talibus pœnis subjacent hoc ipso, quòd sint Ecclesiæ membra, nec tamen verentur in Matrem peccare.

§. IV.

De Vagabundis.

61. Dicendum, quòd Vagabundi, hoc est, nullibi domicilium habentes, si delinquant, non solùm in loco commissi delicti, sicut alii, (de quo infrà) sed ubicunque deprehenduntur, possunt accusari & judicari à Judice illius loci, ubi sunt deprehensi. Colligunt hanc conclusionem Interpretes ex *l.* 1. *C. Ubi de criminibus agi oport.* quæ sic habet. [Quæstiones eorum criminum, quæ legibus vel extra ordinem coercentur, ubi commissa vel inchoata sunt, vel ubi reperiuntur, qui rei esse perhibentur criminis, perfici debere, satis notum est.] Ubi illa verba: *Ubi reperiuntur:* sunt quidem intelligenda de domicilio, respectu illorum, qui domicilium habent, sed respectu vagabundorum intelligenda sunt, de loco, ubi deprehenduntur: cujus ratio mihi videtur esse, quia fictione Juris censetur habere ibi domicilium ubi deprehenditur, ne alioquin melioris conditionis sit, quàm habens domicilium.

62. Quæstio tamen est, an, si Judex loci ubi deliquit, repeteret reum ab illo Judice, ubi deprehensus est, deberet illi remitti. Cynus, Bartolus & quidam alii, post glossam negativè respondent. Affirmant verò Canonistæ, quos sequitur Decianus: & est, meo judicio, efficax ratio. Ideo vagabundus ubique conveniri potest, quia cùm nullibi habeat domicilium, ubique dicitur illud habere, adeoque fingitur etiam habere in loco ubi deprehenditur: Atqui si in rei veritate haberet ibi domicilium, deberet, si peteretur, remitti ad locum delicti. Ergo multò magis vagabundus. Min. probatur *ex cap. fin. de foro competente.* Sed de hoc pluribus infrà.

§. V.

Quomodo ex loco Originis vel Domicilii forum acquiratur.

63. Quæritur I. An Judex Originis vel Domicilii possit per viam Accusationis procedere contra suum subditum ratione delicti extra suum territorium commissi. ℞. Affirmativè ex communi omnium DD. tum quia alioquin titulus Originis & domicilii esset de vento, & nullius emolumenti, & quia alioquin frequenter delicta manerent impunita, si accusator non haberet electionem. Et colligitur ex *l.* 1. *relata C. Ubi de crimin.* Verbo. *ubi reperiuntur* quæ de domicilio accipiuntur à glossa & communi DD. ut paulò antè dixi. Colligitur etiam efficaciter ex *l.* 10. *C. de Ep. & Cler.* ubi datur sæculari Judici potestas judicandi illos, qui in Ecclesia delinquunt, esto Ecclesia sit extra territorium illius; nec potest hic textus eludi, quasi hoc fiat ex speciali privilegio in favorem Ecclesiæ, quia potiùs fit, ne delicta maneant impunita. Sic habet. [Si quis in hoc genus sacrilegii proruperit, ut in Ecclesias catholicas irruens sacerdotibus & ministris, vel ipsi cultui locoque aliquid importet injuriæ quod geritur, à provinciæ rectoribus animadvertatur, atque ità provinciæ moderator Sacerdotum & catholicæ Ecclesiæ ministrorum, loci quoque ipsius & divini cultûs injuriam capitali in convictos seu confessos reos sententiâ noverit vindicandum; nec exspectet, ut Episcopus injuriæ propriæ ultionem deposcat, cui sanctitas ignoscendi gloriam dereliquit. Sitque cunctis laudabile, factas atroces sacerdotibus aut Ministris injurias veluti crimen publicum persequi, ac de talibus reis ultionem mereri.]

64. Quæritur II. An etiam possit procedere per viam Inquisitionis. Affirmant aliqui cum Cyno & Bartolo. Communior tamen præsertim antiquorum est negativa. Quam opinionem sequitur, sed cum moderatione, Decianus, nempe si offensus non esset subditus Judicis Originis vel domicilii accusati. rationem reddit, quia tunc ille subditus extra territorium delinquendo non turbavit territorium. Ergo non habet causam inquirendi. Quæ tamen ratio non videtur convincens: ratio enim & utilitas inquisitionis, non fundatur unicè & adæquatè in medendo factæ actuali turbationi, sed vel maximè in amovendo periculo futuræ perturbationis, quæ à talibus meritò timeri potest, qui extra territorium delinquere audent. Certè, si delictum tale esset, quod non nisi extra territorium perpetrari posset, v.g. ferendo arma ad barbaros, fatetur ipse Decianus, quòd affirmativa esset verior. Pro Negativa & communi sententia non invenio aliud argumentum, quàm hoc: De Jure Civili (secùs de Jure Canonico) Inquisitio non est permissa nisi in casibus expressis, pro quo affert Decianus ex lege 2. §. 5. *ff. ad leg. Jul. de adult.* ubi nec verbulum de hoc est, sed sic habet. [Si publico Judicio maritus uxorem ream faciat, an lenocinii allegatio repellet maritum ab ac-

ab accusatione? Et putem non repellere: lenocinium igitur mariti ipsum onerat, non mulierem excusat.] Quid hoc ad rem? Deinde argumentum probaret, quòd nec Judex loci ubi delictum commissum est, possit inquirere. Itaque mihi magis placet sententia RR. qui admittunt talem inquisitionem, & videtur posse confirmari ex lege 10. C. de Ep. & Clef. paulò antè relata. Et ità practicari in foro Saxonico colligo ex Bened. Carpzovio *p. 3. q. 110. n. 8.* ubi dicit: Solet enim delinquens hodiernis moribus conveniri, & contra eum inquisitoriè, aut per viam accusationis procedi, ubi domicilium habet, vel ubi delictum perpetravit, vel ubi deprehensus est.

65. Quæritur III. An Judex inquirens in delinquentem extra suum territorium, teneatur sequi statuta sui fori, vel statuta loci, in quo commissum est delictum. DD. adhibent varias distinctiones, sed in Jure non satis fundatas. Communis est opinio, quòd Judex domicilii condemnare non possit delinquentem extra territorium suum secundùm statuta sua, sed vel secundùm Jus commune, vel secundùm statuta loci delicti. Processum tamen potest ac debet formare secundùm statuta territorii sui.

66. Quæritur IV. An hodieque locus Originis constituat speciale forum, distinctum à loco domicilii, in criminalibus. Ad hoc respondet Carpzovius n. 10. quòd hodie ex generali Germaniæ consuetudine non ampliùs attendatur domicilium Originis, sed solum domicilium habitationis, nisi reus in loco originis deprehenderetur; sed tunc locus originis perinde se haberet, sicut quivis alius locus, ubi nec delictum commissum est, nec domicilium habet reus. De Jure communi tamen illæ Jurisdictiones distinguuntur per *leg. 29. ff. ad Municipalem.* [Incola & his Magistratibus parere debet, apud quos incola est, & illis apud quos civis est: nec tantùm municipali Jurisdictioni in utroque municipio subjectus est, verùm etiam omnibus publicis muneribus fungi debet.]

67. Quæritur V. Quid Juris sit, si quis plura habeat domicilia. ℞. Posse in utroque Loco (si sub diversis territoriis sunt) accusari, & inquiri. Quodsi tamen quis per majorem notabiliter partem anni in uno loco ex duobus habitaret, vel familiam suam haberet, ibi solùm haberet domicilium, prout colligitur ex *lege 5. ff. eod.* [Labeo indicat, eum, qui pluribus locis ex æquo negotietur, nusquam domicilium habere: quosdam autem dicere refert, pluribus locis eum incolam esse, aut domicilium habere, quod verius est.] junctâ lege seq. §. 2. [Viris prudentibus placuit, duobus locis posse quem habere domicilium, si utrobique ità se instruxit, ut non ideo minùs se apud alteros se collocâsse videatur.]

Illud autem speciale est in Judice domicilii, quòd possit suum subditum citare, ubicunque existat, quia quocunque vadat, dicitur ejus subditus, quod non potest ità universaliter facere Judex loci delicti, nisi ibi reperiatur, de quo §. seq. q. 3.

§. VI.

Quomodo quis Forum sortiatur ratione Delicti.

68. Hic est celebris modus sortiendi Forum, adeo ut, sicut in Civilibus forum domicilii dicitur esse potentius cæteris, ità in Criminalibus forum ex delicto est potentius foro ex domicilio, ut ex dicendis de Remissionibus constabit. Itaque Dicendum, & pro Regula (salvis exceptionibus) est statuendum, quòd delinquens puniri possit à Judice illius territorii, in quo commissum, seu consumatum est delictum. Probatus variis Juribus. Imprimis *l. fin. ff. de accusat.* [Alterius provinciæ reus apud eos accusatur, & damnatur, apud quos crimen contractum ostenditur: quod etiam in militibus esse observandum, optimi Principes nostri rescripserunt.] Hoc ultimum intelligunt Interpretes, de delicto non militari, sed communi. Item l. 1. jam sup. recitatâ. *C. ubi de crimin. agi oport.* ex qua lege habetur, quòd sufficiat ibi fuisse delictum inchoatum, de quo tamen infrà q. 4. plura, ubi etiam alia Jura adducentur. Subjungitur illi legi Authentica: [Qua in provincia quis deliquit &c. illic etiam Juri subjaceat: quod Jus perpetuum est. Si ergo ambo, & actor & reus sint in provincia, illic, omni privilegio cessante, res expediatur.] Intellige de privilegio auferibili à Sæculari & Imperiali potestate. Hinc

69. Quæritur I. An Conclusio procedat etiam de personis in Dignitate constitutis. ℞. Procedere in personis Clarissimis, infra tamẽ Illustres constitutis. per textum *in l. 1. C. ubi Senatores vel clarissimi Civil. vel Criminal. conveniantur.* [Quicunque non Illustri, sed Clarissimâ dignitate tantùm præditus virginem rapuerit, vel fines aliquos invaserit, vel in aliqua culpa vel crimine fuerit deprehensus: intra provinciam in qua facinus perpetravit, publicis legibus subjugetur, nec fori præscriptione utatur, omnem enim hujusmodi honorem reatus excludit.]

70. Quæritur II. Si in confinio duorum territoriorum aliquis occisus reperiatur, uter Judex habeat cognitionem? Respondet Ant. Perez, si certò constet, in confinio cædem esse perpetratam

tam, sed utrumque pertinere. quia absurdum esset dicere, ad neutrum cognitionem pertinere, cùm maleficia non debeant esse impunita. Locus tamen esset præventioni. Quodsi non constat, homicidium esse perpetratum in confinio, tunc aliquorum est opinio, eum cognoscere debere, in cujus territorio caput occisi reperitur, cùm caput sit pars principalis hominis. Illud certum est, quòd quando accusatus coram Judice loci delicti, neget se commisisse in tali loco & territorio, de hoc cognoscet ille Judex, apud quem est accusatus; ut colligitur ex *lege 5. ff. de Judiciis.* alibi relata.

71. Quæritur III. An, & cum quo effectu possit reus à Judice in loco delicti citari. In hac re non satis se declarant plerique DD. Gilbusius ordinatè sic discurrit. Aut delinquens existit in territorio Judicis delicti, aut non. Priori casu citari potest delinquens omnibus modis, tam verbali quàm reali citatione. Ratio est, quia Judex loci delicti in delinquentem constitutum in suo territorio ad omnes effectus juris habet Jurisdictionem, hoc est, non solùm in Personam delinquentis, sed etiam in Bona alibi existentia, ità ut in pœnam delicti per sententiam bonis privare possit reum, licèt executio facienda sit à Judice illius loci ubi bona existunt. Posteriori casu subdistinguitur. Aut enim citatio pervenit ad reum in territorio Judicis citantis, aut non. Priori casu, ex communi DD. concluditur, citationem esse validam, atque contra non comparentem processum institui, sententiam annotationis bonorum in territorio existentium, item immissionem in bona, banni & excommunicationis ferri posse. Argumento c. 19. de foro compet. [Proposuisti nobis, quòd quidam subditus tuus, ad petitionem cujusdam adversarii sui à te legitimè citatus ad causam, quia postmodum jurisdictionis alterius esse cœpit, tuum intendit judicium declinare. Porrò tuæ prudentiæ dubium esse non credimus, quòd is in prædicta causa jus revocandi forum non habet, quasi ab illo jam præventus.] Ecce! rationem: per citationem erat præventus, & ideo jam obnoxius contumaciæ, quocunque se conferat. Posteriore casu, quando citatio non pervenit ad illum in territorio delicti, rursus distinguitur. Aut enim citatus habet bona sub Jurisdictione Judicis citantis, aut non habet. Priore casu concluditur, citationem hactenus valere, ut absentis bona annotari, & in ea immissio fieri possit. Altero verò casu, cùm citatio non pervenit in loco delicti, nec delinquens habet bona intra locum delicti, citatio caret omni effectu, quia extra territorium jus dicenti impunè non paretur. Requiri tamen potest Judex domicilii, aut loci ubi reus existit, ut reus remittatur, de qua remissione infrà agetur.

72. Et hæc quidem de Jure communi procedunt. Cæterùm, Carpzovius *p. 3. q. 110. n. 47.* testatur, praxin esse, ut in loco delicti commissi causa criminalis adversùs absentē etiā Reum agitetur, etiamsi citatio præsenti non sit insinuata. Nam Judex delicti absentem per subsidium Jurisdictionis ex delicto quæsitæ, ubi deprehenditur, vel si latitat, edicto publico in tribus diversis trium dominorum territoriis affixo citare, & adversùs non comparentem ad bannum procedere solet. In hoc ergo consuetudo locorum est attendenda; v. g. Studiosi absentes, & ubicunque tandem existentes, ad valvas Academiæ affixo programmate citantur.

73. Quæritur IV. Si delictum in uno loco est inchoatū, sed in alio territorio consummatum, quis Judex sit competens. Exemplum vulgare est, si quis stans in territorio A. ejacularetur in adversarium, & occideret stantem in territorio B. Decianus videtur velle *n. 9.* quòd, nisi in loco explosionis exstet statutum, prohibens explosiones in genere, solus Judex loci ubi occisus est, possit delictum punire. Alii tenent quòd quivis eorum territoriorum possit causam judicare. Ità etiam sentit cum aliis Gilhusius n. 115. qui quidem nullum jus affert, sed mihi videtur textus apertus in *l. 1. C. ubi de crim. agi oporteat.* quam paulò superiùs adduxi, ubi expressè dicitur disjunctivè; *ubi commissa, vel inchoata sunt.* esset ergo inter illos præventioni locus. Ratio etiam non deest, nempe illa ipsa ob quam Jura universim volunt forum acquiri per delictum: nempe. 1. ut hac ratione homines à delictis hujusmodi committendis absterreantur. 2. ut sic puniatur injuria, quæ infertur loco, ubi cōmittitur delictum. 3. ut faciliùs possint reperiri accusatores delicti: quas rationes affert Covarruvias pract. *qq. c. 11. n. 3.* quibus addenda alia principalis, quia plerumque faciliùs haberi possunt probationes in loco delicti commissi, quàm in loco domicilii: quam rationem affert Ant. Perez. Hæ rationes possunt facilè accommodari propositæ quæstioni & resolutioni. Verùm accuratiùs hoc dubium infrà discutietur, contr. 6. q. 14. ubi diversi casus per exempla declarabuntur.

74. Dictum est in Conclusione. *Salvis Exceptionibus.* Nam excipiuntur illi, qui ab Ordinaria Jurisdictione per privilegium exempti sunt, v. g. Clerici, (de quibus suprà) qui fori privilegium per delictum non amittunt. Item legatus in legatione peccans, privilegium fori retinet. *Glossa in auth. quà provincià. C. ubi de criminib. agi oport.* item miles gaudet privilegio fori, de quo est *lex 6. C. de Jurisd. omn. Jud.* [Magisteriæ potestati inter militares viros, vel privatum actorem & reum militarem, etiam civilium quæstionum audiendi concedimus facultatem t præter-

præsertim cùm ipsum de more litigantium esse videatur, constetque militarem reum nisi à suo Judice nec exhiberi posse, nec si in culpa fuerit, coërceri.] Huc denique refert Gilhusius Studiosos, ut non nisi coram suo Rectore conveniri possint, etsi alibi deliquerint, imò cùm Rector non habeat territorium, ubicunque delinquant, extra territorium sui Magistratûs delinquunt. Fundatur hoc privilegium fori in Autb. Habita. *C. ne filius pro patre.* ibi in fine. [Veruntamen si litem eis quispiam super aliquo negotio movere voluerit: hujus rei optione datâ Scholaribus eos coram Domino vel Magistro suo vel ipsius civitatis Episcopo, quibus hanc Jurisdictionem dedimus, conveniat. Qui verò ad alium Judicem eos trahere tentaverit, etiamsi causâ justissima fuerit, à tali conamine cadat.] Sed de his consulenda sunt Academiarum privilegia.

75. Denique si delictum in via publica est commissum, illius cognitionem volunt multi spectare ad illum, cujus est Jus Regale in eadem via publica. Alii tamen volunt spectare ad eum, qui in territorio per quod via transit, habet merum Imperium. In quo etiam praxis attendenda est, (nam Jure communi res non est decisa) vel peculiaria statuta, cujusmodi refertur exstare pro Foro Saxonico, ubi posterior sententia observatur.

CONTROVERSIA VI.

Quanam sit obligatio remittendi delinquentem ad alium Judicem requirentem.

SVMMARIVM.

76. IN hac Controversia priùs videndum est, quid sit dicendum de Jure Communi. Deinde, quid observetur de Consuetudine; & sanè lectis omnibus quæ DD. de Remissionibus scribunt, apparet totum hoc Jus redditum esse Consuetudinarium.

77. Quæritur I. An sit obligatio remittendi, quando nulla remissio petitur. Respondent DD. non esse obligationem, sed tamen nec etiam prohiberi, quominus, si velit Judex, qui comprehendit reum extra locum delicti commissi, remittere ad Judicem loci ubi deliquit, id possit ex urbanitate facere. Quòd non teneatur, colligitur ex Novella 134. c. 5. quod commodiùs infrà refertur. Unde rectè infertur, posse hujusmodi reum non petitum, puniri ab eo qui illum Jure apprehendit, ut Judex domicilii, vel si reus sit vagabundus, qui ubique accusari potest, ut suprà dictum.

78. Quæritur II. An Judex ratione delicti in suo territorio commissi, possit Jure petere remissionem rei existentis in aliquo alio territorio, ubi Judex illius territorii nullam habet Jurisdictionem in delinquentem. Affirmant Calderinus, & Panormitanus, quos refert & sequitur Covarruvias pract. quæst. c. 11. n. 6. Ant. Perea

Perez *in tit. de exhib. & transmitt. reis.* & Fachineus *l. 9. c. 22.* qui tamen in titulo quæstionis requirit, ut illi Judices sint sub eodem Principe. cum qua limitatione est communis hæc sententia. Sed seclusâ hac limitatione

Communis & verior est Sententia Negativa. pro qua adducitur *c. 1. de privilegiis in 6.* ubi dicitur, exemptum, qui alioquin de Jure remittendus esset ad Judicem à quo Jure delicti commissi petitur, non posse remitti à Judice Ordinario, qui ratione exemptionis nullam Jurisdictionem in illum habet. Ad hoc capitulum duplicem responsionem adhibet Covarruv; sed prior est manifestè divinatoria, cujus nullum vestigium exstat in textu. Respondet 1. Posse intelligi de casu, quo non est petita remissio. Respondet 2. Posse intelligi de delinquente non solùm exempto ratione personæ ab Ordinario illius loci ubi existit, sed etiam exempto ratione loci: quo casu non poterit quidem remitti à Judice Ordinario, ratione exemptionis quoad locum, sed tamen erit remittendus à suo Judice proprio. Textus sic habet. [Definimus, quòd quantumcunque sic exempti gaudeant libertate (*ex privilegio concesso, ut non teneantur nisi sub certo Judice respondere*) nihilominus tamen ratione delicti sive contractûs, aut rei de qua contra ipsos agitur, ritè possunt coram locorum ordinariis conveniri, & illi quoad hoc suam in ipsos Jurisdictionem (prout Jus exigit) exercere. Nunquid ergo (*objicit sibi Pontifex*) carent omnino in his commodo libertatis? non utique, quia nec coram Ordinariis ipsis, dummodo sit in loco exempto comissum delictum, vel contractus initus, aut res litigiosa, nec ubi domicilium habent, si alibi delinquant vel contrahant, aut res ipsa consistat, conveniri possunt aliquatenus super istis: ne domiciliorum prætextu locorum diœcesani (si ubi deliquerunt, vel contraxerunt, vel res ipsa existit, illi conveniantur) remittendi eos illuc, vel ipsis ut illic respondeant, injungendi habeant aliquam potestatem.] Itaque Ordinarius prohibetur remittere ideo, quia nullam habet Jurisdictionem in delinquentem, quæ ratio est generalis: ac proinde nullus Judex potest requiri ad remissionem, quando nullam habet in reum Jurisdictionem, nisi fortè subsint eidem Principi, & in eadem provincia, & sic censeantur habere quoad talem remissionem faciendam communem Jurisdictionem, pro bono illius Provinciæ.

79. Pro communi Sententia negativa est etiam duplex ratio. Prima, quia Judex ad remittendum requisitus, non potest remittere, nisi præcedente aliquâ summariâ cognitione, quâ ipsi probabile fiat, delictum esse comissum in territorio petentis remissionem. atqui hæc cognitio non rectè fit ab eo, qui nullam habet Jurisdictionem in reum, in quem inquirit: & ipsum vocabulum *Remissio*, videtur sonare aliquam Jurisdictionem non supremam, sed superabilem ab alia, nempe ab illa, à qua petitur remissio. Secunda ratio affertur à Deciano. Qui vult remittere, necesse est, ut detineat personam ejus, & remittat actu ipso, vel citet, & jubeat, ut compareat coram Judice, ad quem intendit remittere: sed isti sunt actus Jurisdictionales, qui non possunt exerceri nisi in subditum aliquo titulo.

80. Objiciunt affirmantes ex *Novella 15. c. 6. §. 1.* ubi de defensoribus civitatis dicitur. [Audient quoque leviora crimina, & castigationi competenti contradent, & eos, qui in Majoribus Criminibus capiuntur, detrudent in carcerem, & mittent ad Provinciæ Præsidem.] Unde argumentantur. Defensor non habet Jurisdictionem in eum, qui gravius crimen deliquit, & tamen debet remittere. Ergo &c. ℞. Si ex hoc loco aliquid probaretur, etiâ probaretur quòd deberet fieri remissio, nullâ factâ præviâ petitione, hoc enim debet facere defensor. ℞. Directè, Defensorē non habere quidem Jurisdictionem plenam cognoscendi & puniendi tale delictum, sed tamen habere Jurisdictionem incarcerandi delinquentem, quem deprehendit graviter delinquentem. jam ergo sumus extra casum quæstionis. Objicit Ant. Perez: Judex delicti videtur alteri dare Jurisdictionem ad custodiendum & mittendum reum. ℞. Malè hoc videri. nam quomodo potest dare Jurisdictionem pro territorio, pro quo ipse non habet?

81. Cæterùm, quidquid sit de Jure, Farinacius q. 7. n. 28. testatur, generalem consuetudinem stare pro hac negativa sententia. quod tamen intelligo de illis locis, in quibus necdum in desuetudinem abiit omnis remissio, de qua infrà.

Deinde, non est intelligenda Conclusio de illis, qui ità sunt subjecti superiori Principi, & remissionem petenti, ut ille Princeps habeat Jus citandi reum in illorum inferiorum Judicum territorio. Nam tunc isti tenentur reum apprehendere & remittere, esto nullam Jurisdictionem habeant ordinariam: & ità observatum testatur Decianus in quodam Ariminensi (quæ civitas, dum hæc scribo, per terræ motum propemodum eversa est) qui furto subtraxerat Romæ bonam summam Scutorum Thesaurario Summi Pontificis Pauli III. nam ad requisitionem Pauli III. Dominium Venetum ipsum inventum & carceratum in civitate Utini, Romam remisit. Addit Guazzinus, hodie ad nutum Summorum Pontificum omnes Principes remittere delinquentes ad Curiam. (quod intelligo de Principibus Orthodoxis) *Et ego* (inquit) *dum fui locum tenens criminalis Auditoris Cameræ, feci aliquos suspen-*

suspendere (suspendi) *qui fuerunt remissi per Principes ad Paulum V. S.* Pontificem.

82. Quæritur III. An Judex requisitus debeat aliquam causæ cognitionem priùs facere, antequam remittat. Negat rotundè Antonius Gomez c. 1. *de delictis n.87. in fine*, citans Bartolum, Albert. & Angelum. Julius Clarus cum Covarr. ait, hanc esse communem, & in practica observari. Alii communiter omnes affirmant, sed tandem ità se explicant, ut fortè AA. negantes non essent contradicturi. Itaque non requirunt Affirmantes, ut ille Judex necessariò aliquem processum instituat, & inquisitionem, si absque ea acquirat aliquam probabilem notitiam tum delicti à tali persona commissi, tum commissi in territorio talis Judicis. Imprimis enim Decianus fatetur, quòd sufficeret, si Judex requisitus cognovisset, quòd Reus fuerit contumax coram Judice delicti: nam contumacia faciet indicium contra delinquentem, quòd verè sit reus, & propter præsumptionem pro Judice illum remittet, ubi summatim cognoverit de contumacia. Deinde dicit, quòd licèt non teneatur credere Judici afferenti, commissum esse delictum, si tamen apud Judicem requisitum invaluisset fama de commisso delicto à tali in tali loco, deberet eum remittere absque alia causæ cognitione. Immò plùs dicit Farinacius n. 35. in fine, nempe quòd ista Summaria cognitio non spectet ad Judicem remittentem. ille enim est merus executor, nec potest etiam summariè de crimine cognoscere, sed sufficiat, quòd Judex requirens in litteris requisitoriis summatim delicti probationem inserat, ex qua orietur Summaria cognitio apud Judicem requisitum, sine qua remittere non tenetur.

83. Quæritur IV. An in omnibus Criminibus habeat locum Remissio. ℞. Negativè, nam neque in levioribus cri minibus, etiamsi criminaliter agatur, neque etiam in atrocioribus, si tantùm civiliter agatur, permittitur remissio. Ratio prioris est, quia finis remissionis ad locum delicti est, ut ibi sumatur vindicta, ubi datum est malum exemplum, & damnum, ut alii absterreantur: quæ ratio non ità urget in levioribus delictis. Ratio posterioris est, quia in causis civilibus non permittitur remissio, ergo nec in illis, quæ civilibus comparantur. utriusque ratio generalis est, quia remissio non fit, nisi ad puniendum. atqui cùm civiliter agitur, non intenditur punitio. ergo &c. Prior pars (in qua est major dubitandi ratio) colligitur per argumentum à contrario sensu ex *lege 3. pr. ff. de re militari.* [Desertorem auditum ad suum ducem cum elogio Præses mittet, præterquam si quid gravius ille desertor in ea Provincia, in qua repertus est, admiserit, ibi enim eum plecti pœnâ debere, ubi facinus admissum est, Divus Severus & Antoninus rescripserunt.]

84. Quæritur V. An in atrocioribus remissio debeat fieri de necessitate, an solùm ex urbanitate. ℞. Judicem Originis vel Domicilii non solùm ex urbanitate, sed debere ex necessitate legis remittere, si à Judice delicti requiratur. Ità communis sententia, sed cum hac limitatione, nisi esset præventus à Judice Domicilii, nam si iste jam cœpisset Judicium, aut punivisset reum, non teneretur, nec oporteret remitti, ne bis puniatur. Et sic intelligo, quæ tradit Farinacius n. 24. aliis relatis, qui videntur contrarium tenere. & expressè ità se declarat Covarruvias n.6. §.6. quia Judex loci delicti jam esset præventus.

Probatur ex *Novella* 134. c. 5. [Si verò quis comprehensorum criminum latuerit, aut reliquerit provinciam illam, in qua crimina deliquit, jubemus legitimis edictis à Judice evocari eum: & si non obediat, illa in eum procedere, quæ nostris legibus definita sunt. Si verò cognoscatur, quòd in alia provincia degit, jubemus illius provinciæ Judicem, in qua peccati quid huiusmodi contigerit, epistolâ uti ad Provinciæ illius Judicem, in qua delinquens persona degit, illum verò qui publicas susceperit litteras, NB. & periculo suo & officii sui comprehendere hujusmodi, & ad Judicem provinciæ remittere, in qua peccavit, suppliciis legitimis subjiciendum. Si verò, qui publicam Epistolam susceperit, neglexerit hoc facere, aut officium ejus tradere, aut imperata neglexerit, tunc NB. & ipsum Judicem tres auri libras, & officium ejus alias tres pro pœna inferre jubemus. Si verò Judex aut aliquis officii ejus propter lucrum hujusmodi personam non comprehendat, aut comprehendens non transmittat, & hoc agens convincatur, spoliatus cingulo exilio tradatur.] Nescio, quomodo aliqui potuerint hunc textum ità torquere, ut solùm loquatur de Judice subdito illi à quo requiritur. Et magis mirum est, quomodo Baldus dixerit, se nescire legem dicentem, quòd in criminalibus debeat fieri remissio.

Rationes autem hujus æquissimæ constitutionis variæ afferuntur, nempe illæ ipsæ quas suprà retuli, quare ratione delicti quis forum nanciscatur.

85. Quæritur VI. Si Judex, ad quem delinquens fuit remissus, esset morosus & negligens in procedendo contra reum, aut puniendo, an Judex domicilii posset procedere. ℞. Affirmativè. Ità Decianus n. 27. & Farinacius n. 23. Ratio est, quia non debent delicta manere impunita, nec Judex potest opponere remissionem aut pendentiam litis, quia morosus & contumax eam si opponat, non auditur, ut tenet

Bartolus & alii, Unde pro cautela potest Judex domicilii remittens delinquentem, præfigere terminum, intra quem expediatur causa, alioquin se processurum. Cæterùm, non prohibetur Judex domicilii etiam post latam sententiam remittere reum pro sententiæ executione, quia expedit ibi puniri, ubi delictum commissum est, ut sup. dictum.

86. Quæritur VII. An, si delictum commissum est in territorio Judicis inferioris, reus verò existat in territorio Judicis Superioris, teneatur Judex Superior remittere ad inferiorem. ℞. Negativè. ità Farinacius n. 53. dicens, esse vulgare, quòd Curia Superior non remittat Inferiori. quod tamen est intelligendum, quando Curia Superior habet potestatem avocandi causam ab inferiore, aut retinere cujuscunque appellationis occasione. Monet tamen Covarruvias §. *decimo tertiò.* quòd si ille Judex superior non possit causam apud Judicem inferiorem pendentem avocare, nec ejus cognitionem assumere aliter, quàm per legitimam appellationem, profectò tenebitur requisitus delinquentem remittere ad locum delicti, quamvis illius loci Magistratus inferiores sint, & hunc Superiorem habeant; & exemplificat Covarr. in Ducibus, Comitibus, & Marchionibus Hispaniæ, qui, tametsi sint Domini loci ubi commissum est delictum, quia tamen non habent Jus avocandi causas, tenentur requisiti remittere etiam ad suum subditum seu inferiorem.

87. Quæritur VIII. An Vagabundus remittendus sit ad locum ubi deliquit. Pro Negativa refert Guazzinus Julium Clarum *q. 39. n. 6.* (volebat citare n. 7.) sed reverâ Julius Clarus non negat, debere remitti, si requiratur. Solùm dicit, quòd possit ibi puniri, ubi deprehenditur. Ideo cum communi. ℞. affirmativè. Ratio est, quia utique non debet plus habere juris ille Judex, qui nec est Judex ratione domicilii, nisi Juris fictione, quàm ille, qui verè est Judex ratione domicilii. Cum hoc stat, quòd Judex comprehendens alibi possit non requisitus vagabundum judicare & punire, prout suprà dixi, & notat Fachineus *l. 9. c. 24.*

88. Quæritur IX. Si Judex requisitus nolit remittere, quâ ratione cogi possit. ℞. Non posse quidem cogi à Judice requirente, quia par in parem non habet potestatem, sed esse adeundum Principem, qui eum compellat mediis competentibus, quales in foro Ecclesiastico essent Censuræ.

89. Quæritur X. Si Judex, qui alioquin haberet jus in delinquentem, sit inferioris potestatis, & cognoscat, delictum mereri graviorem pœnam, quàm ipse possit infligere, an debeat remittere, etiam non requisitus, ad superiorem. ℞. Affirmativè. Pro quo imprimis facit textus sup. relatus de defensoribus civitatum: & ratio est generalis, ne crimina maneant impunita.

90. Quæritur XI. Si Judex petens remissionem, esset prudenter suspectus, quòd reum ad se remissum non esset pro merito puniturus, sed infra meritum, fortè quia est persona conjuncta &c. an Judex domicilii nihilominus remittere teneretur. ℞. Negativè, per rationem allatam, ne delicta maneant impunita. Non credo tamen quòd teneretur ad hanc Exceptionem opponendam, sed posset, si vellet, repositâ suspicione remittere: nam posset adhuc postea procedere contra reum non punitum.

91. Quæritur XII. Quid si delinquens ex territorio ubi deliquit, fugerit ad aliud territorium, & ibi captus sit, non quidem à Judice illius territorii, sed à privatis personis, (quales etiam censerentur illi, qui in territorio delicti potuissent eum capere, sed persecuti sunt eum, & ceperunt in alieno territorio) an talis remissus ad locum delicti possit ibi judicari, & puniri. ℞. Negativè, sed debet relaxari, & in pristinam libertatem restitui, adeoque ad locum ubi captus est remitti; sicut in simili dicitur, quòd qui ex asylo extractus est, debet restitui loco asyli. Ratio est, quia illi qui comprehenderunt, non habuerunt jus auferendi libertatem: ergo injustè spoliatus est ante omnia restituendus. Facit huc etiam lex *fin. ff. de Jurisdict.* quòd extra territorium Jus dicenti impunè non paretur. Ergo ejus ministri non habent Jus capiendi extra territorium. Ergo contra sic captum injustè procedetur. Accedit, quòd, ut patet ex relata Nov. ad jus remissionis requiritur, ut petatur à Judice, & à Judice remittatur puniendus: ergo non potest peti à privatis, nec à privatis remitti. Ità Ant. Gomez aliique communiter omnes, quos refert & sequitur Farinacius n. 40. & 41.

92. Quæritur XIII. Quid si commisit quis plura delicta in diversis territoriis, & ab uno Judice detinetur propter unum delictum, & ab altero petitur sibi remitti propter aliud delictum, quid agendum est? ℞. Imprimis considerandum esse, an pœnæ utrique delicto correspondentes sint compatibiles, hoc est, quòd unâ jam inflictâ possit adhuc altera infligi, necne, quales non sunt pœnæ mortis. Si primum, tunc iterum considerandum est, quæ pœna sit mitior, & tunc ille Judex priùs judicabit, & puniet, qui de minore delicto cognoscit, & ideo ad illum facienda est remissio; qui factâ executione remittet iterum ad alterum Judicem, ut & ille pro majore delicto ad ipsius Jurisdictionem pertinente reum punire possit, nam à mitiore pœna incipiendum est, præsertim si gravior pœna præmissa impediret pœnam minorem. Si verò pœnæ essent incompossibiles, tunc non est necesse remittere, sed punietur ab illo Judice, apud quem detinetur

tur reus, quia in pari causa ille præfertur. Ità communis DD. & in specie Farinacius. Qui tamen non resolvunt, an, si unus illorum Judicum posset judicare de utroque delicto, v.g. quia est Judex domicilii, & ideo potest judicare etiam de delicto commisso extra domicilium, an, inquam, si pœnæ sunt incompossibiles, deberet tamen pœnam augere, propter duplicatum delictum: Et videtur affirmandum, per regulam generalem, quòd delicta non debeant manere impunita: maneret autem alterutrum delictum impunitum, si non infligeretur nisi pœna commensurata uni delicto. Verùm, ad hanc dubitandi rationem respondebitur infrà, cùm agam de cumulatione pœnarum ob pluralitatem delictorum.

93. Quæritur XIV. Et difficiliùs. Quisnam sit Judex competens, quando unum idémque delictum est inchoatum in uno territorio, & in altero consumatum. Pro cujus resolutione distinguendi sunt cum Felino & Farinacio tres casus diversi. Primus est, quando tam agens quàm patiens idem est, & concurrunt in eodem loco. v.g. quando Petrus Paulum animo occidendi aggressus est in uno territorio, & fugientem insecutus occidit in altero territorio. Hoc casu dicendum est, posse quemlibet illorum Judicum procedere absque altero, & consequenter erit locus præventioni: nec unus tenetur remittere ad alterum, quia uterque in suo territorio læsus est. Aliud exemplum affertur de rapiente puellam in uno loco, & stuprante in alio. Secùs esset, si initium esset licitum, sed consumatio esset illicita, tunc enim solus Judex ubi perfectum est, esset competens, quia inchoate non fuit delictum, ut ponitur in casu. v.g. Si quis in uno territorio inciperet castigare servum modo licito, sed persequendo in alio territorio excederet modum, & occideret.

94. Secundus casus est in delictis inchoatis in uno, & perfectis in alio, non respectu utriusque, sed solius agentis, vel solius patientis. Primum exemplum sit in eo, qui emittit sagittam in uno territorio, & occidit in altero. Secundum, in eo, qui existens in uno territorio, mandat fieri delictum in alio. Utroque enim casu non concurrunt in eodem loco simul. In priore exemplo Bartolus voluit, illum solum esse judicem competentem, apud quem est delictum perfectum. Farinacius tamen n. 46. cum communi aliorum tenet, utrumque esse competentem, sicut in priore casu. Rationem reddunt, quia ut non maneant delicta impunita, expedit, ut Jurisdictio utrique territorio attribuatur: & quia utrumque territorium etiam in hoc casu læsum est, & quandoque poterit faciliùs in uno, quandoque faciliùs in alio probari. Meritò ergo competere debet accusatori electio: & ità etiam suprà respondi.

95. Major est difficultas & controversia in secundo exemplo, de Mandante in uno loco, & Mandatario exequente in alio loco, an Mandans possit puniri à Judice illius loci ubi datum & acceptum est mandatum, vel an debeat puniri à loco commissi & consummati delicti: idem de Mandatario quæri potest, cùm in utroque loco peccaverit, in uno per consensum seu accipiendo mandatum, & in alio per executionem. In hac quæstione vehementer dissentiunt DD. nemo tamen accuratiùs & theoricè magis pondera vit Farinacio: cujus doctrina nobis tenenda est, quia cohæret cum hactenus dictis. Pro resolutione

96. Præmittendum est I. Mandatum si consideretur secundùm se, præscindendo ab effectu secuto, esse etiam delictum punibile, & quidem si effectus non est secutus, aliquando & plerumque puniri pœnâ extraordinariâ, hoc est, mitiori, quàm puniretur, si effectus esset secutus, aliquando verò in quibusdam atrocissimis delictis (de quibus infrà) puniri etiam pœnâ ordinariâ, perinde ac si effectus esset secutus.

Præmittendum est II. Quòd quando sequitur effectus, mandatum præcedens sit verè causa illius, licèt mediata, & mandans revetà sit causa principalis per suum mandatum non revocatum, non minùs quàm qui jacit sagittam, cum solo discrimine, quòd mandans utatur instrumento animato, alter inanimato, & in se impunibili. His præmissis

97. Dicendum I. Tam mandans quàm mandatarius possunt puniri à Judice illius loci, ubi contractum est mandatum, eâ pœnâ, quâ puniretur mandatum, si nullus effectus esset secutus, sive ea sit extraordinaria, sive ordinaria. Ratio est, quia hoc delictum est commissum in illius territorio, & quidem ab utroque: ergo non est cur non habeat jus illud puniendi, etiamsi consumationem delicti punire non posset, (de quo videbimus) eò quòd extra territorium sit facta. Habet enim delictum mandati suam propriam & distinctam punibilitatem, quia puniretur, etiamsi effectus non esset secutus.

98. Dicendum videtur II. Posset etiam ab eodem Judice loci ubi datum est mandatum, uterque puniri pœnâ ordinariâ, ob secutum effectum, si uterque esset illius subditus ratione originis seu domicilii. Probatur à pari ex suprà dictis, nam Judex domicilii potest punire delictum etiam extra territorium commissum. Ergo multò magis potest punire mandantem & mandatarium qui delictum in loco domicilii ità inchoârunt, ut posuerint causam, ad quam consumatio delicti per se loquendo esset ex eorundem inten-



tione secutura. Unde Farinacius meritò dubitat, an, si peteretur remissio ab eo, in cujus territorio delictum est perfectum, esset facienda remissio, aitque se non esse remissurum nisi Superiore consulto. Nempe quia in morali æstimatione videtur perinde mandans per mandatum, & alter per acceptationem influere in effectum, sicut qui jacit sagittam. Nam quòd possit mandatum revocari, non item sagitta, non minuit, imò auget delictum, quia ipsa non revocatio est etiam delictum, quia est continuatio delicti libera.. Hinc autem

99. Dicendum mihi videtur III. Imò etiamsi non sint subditi ratione domicilii, adhuc poterit uterque puniri à Judice, ubi mandatum datum & acceptum est, & quidem pœnâ ordinariâ. Probatur à paritate illius qui jacit sagittam ob rationes, quas paulò antè attulimus.

100. Tertius casus est, quando in delictis in uno loco inchoatis, & in alio loco perfectis, nec persona agentis, nec patientis concurrit, cujus duo exempla afferuntur. Primum in delictis tractatis & præparatis in uno loco, commissis autem in alio loco: Secundum, in ratificante delictum alibi commissum. Circa primum distinguit Farinacius n. 4.. sicut in exemplo mandantis. Nam mandans homicidium, & tractans homicidium pari passu ambulant. Solùm ergo restat quæstio, quid dicendum, si tractans in aliquo loco non est subditus illius Judicis ratione originis aut domicilii: Et tunc si talis tractatus solet puniri aliquâ pœnâ extraordinariâ, vel ordinariâ, poterit utique puniri in loco facti tractatûs, quia ratione tractatûs sortitus est forum. Quodsi verò tractatus non solet puniri nisi secuto effectu, & tractans sit ille idem, qui delictum perfecit, tunc puniendus est in loco delicti, quia tractatus confunditur cum sequenti delicto. Si autem tractans non sit ille idem qui delictum commisit, tunc si punitioni locus est, potest in loco tractatûs puniri, nisi à Judice loci delicti remissio petatur, quæ tamen non erit concedenda, nisi superiore consulto, & non nisi in casu, in quo tractans non sit aliâ ratione loco tractatûs illius jurisdictioni subjectus. In secundo exemplo, ratificans debet in loco delicti puniri. Ità Farinacius.

101. Quæritur XV. Cujus expensis facienda sit remissio. ℞. De hoc varia tradi à DD. cùm non exstet clarum Jus. Aliqui volunt esse faciendam expensis ipsius transmittentis, sicut etiam suo periculo debet transmittere. Communior tamen est opinio, periculum quidem pertinere ad transmittentem, si aliquam culpam committat, non adhibendo debitam custodiam, expensas verò esse faciendas à petente. Alii dicunt, transmissionem fieri expensis delinquentis, quodsi iste non habeat, expensis accusatoris, & in hujus defectum expensis Judicis requirentis, & ultimo loco expensis transmittentis. In his ergo consuetudo locorum observanda erit.

102. Restat nunc dicendum de Consuetudine Remissionis. De qua Gilhusius n. 114. sic scribit. ' Delinquentes ex Germaniæ consuetudine non remittuntur ad locum delicti, sed in loco captivitatis forum sortiuntur, ibique supplicia subeunt. In atrocioribus verò delictis propter exemplum ad locum delicti precariò & jure amicitiæ & vicinitatis atque benevolentiæ remissio plerumque fieri solet, idque sub antigrapho sive litteris, ut vocant, reversalibus ipsius Magistratûs aut Domini remissionem petentis, quòd videlicet hujusmodi remissio remittentis Jurisdictioni non sit nocitura, sed sine præjudicio. Plùs dicit Carpzovius *q.* 110. *par.* 3. *n.* 53. Verùm inquit, remissiones delinquentium ubique ferè locorum hodie in desuetudinem abierunt. Nam apud Italos eam non servari testatur post DD. *in Clem. Pastoralis de re jud.* Bartolus &c. Idemque in Flandria & plerisque locis practicari affirmat Jo. Damhouderus in praxi rerum criminal. c. 35. n. 5. Hancque sententiam communi totius Christiani orbis usu & praxi receptam esse dicit Covarr. c. 11. pract. qq. n. 10. Deinde hujus consuetudinis ratio assignatur ab eodem A quòd in Germanico Romano Imperio non ampliùs, ut olim, omnes ditiones uni Principi pateant. Ex Urbanitate tamen posse & solere fieri hujusmodi remissiones idem Carpzovius restatur, & insuper addit, quòd, si in loco delicti deprehenso delinquente, inquisitio formata, causa criminalis ventilata, & sententia jam lata fuerit, iisque peractis reus aufugiat, tunc si in alterius territorio deprehendatur, Judex iste ad locum delicti reum remittere debeat, ne processu jam finito lata sententia eludatur, & frustratoria reddatur. Denique n. 71. tradit, hodierno tempore, plerumque ex officio per modum inquisitionis adversùs facinorosos procedi eo loco, ubi reperiuntur; adeoque non esse necesse, ut vel ibi deliquerint, vel domicilium aut originem habeant.

103. Quæritur ultimò, an insistendo Juri scripto, remittendus sit ad locum furti commissi fur alibi cum re furtiva deprehensus, vel an possit ab illo Judice puniri, à quo cum re furtiva deprehensus est. In hoc puncto celebris est, & pluribus in tribunalibus practicata opinio Bartoli, non esse remittendum necessariò, sed posse puniri ab illo Judice, in cujus territorio cum re furtiva deprehensus est. Ità tenet in leg. *si dominium. ff. de furtis.* & eum sequuntur innumeri DD.


Contraria sententia non minùs auctoritate

pollet,

pollet, non posse ab illo Judice puniri, pro commisso furto, si non sit ejus subditus vel ratione originis, vel domicilii. Hanc tenent post alios Julius Clarus q. 38. v. tu scis. Covatr. pr. qq. c.11.n.9. Farinacius q.7. à n.7. Fachineus lib. 9. c. 19. Guacinus defens. 1. c. 15.

104. Mihi magis placet sententia Bartoli. Ratio est, quia continuata contrectatio est continuatum furtum, adeoque continuatum delictum, & quidem physicè: imò quò longiùs rem furtivam fur aufert, eò graviùs lædit, quia reddit difficiliorem rei recuperationem: ergo reverà delinquit etiam in altero territorio. Ergo etiam ibi forum sortitur, adeo ut censeam, quòd ille Iudex deprehendens, quamvis ex urbanitate posset, non teneretur tamen remittere requisitus, sed posset ipse procedere. Neque obstat, quòd moraliter sit unum delictum, & ideo non multiplicetur actio furti respectu ejusdem domini: nam continuatio retentionis sufficit, ut censeatur utrobique deliquisse, & possit, imò debeat ex officio comprehendi in illo loco, ubi cum re furtiva deprehenditur: sicut, qui in uno territorio inciperet blasphemare, & continuaret usque ad alterum territorium, non dubito, quin ibi esset etiam puniendus, esto in morali æstimatione censeretur una blasphemia continuata. Uno verbo, furtum continuatum æquivalet in ordine ad illationem damni repetito furto. Et denique quia in odium furis meritò ità practicatur, ne alioquin furta facilè maneant impunita.

Confirmatur. Delictum potest & debet puniri in eo territorio, ubi præbetur malum exemplum, & subditis illius territorii scandalosum ac pernitiosum: atqui per furti continuationem præbetur non minùs malum exemplum in loco ubi primò res aliena contrectatur, quàm in illo, ubi continuatur: imò sæpè in hoc solo, quia in priore fortè ignoratur. Ergo &c.



CONTROVERSIA VII.

De Præventione in Criminalibus.

§. I.

Dubia quædam, inter quos locum habeat Præventio.

SUMMARIUM.

Quando Præventioni locus sit inter Judicem Ordinarium & Delegatum. 105.
An superior possit præveniri ab inferiore. 106.
An possit Ordinarius præveniri ab eo, qui solùm potest de crimine incidenter cognoscere, & econtrà. 107.
An Judex competens possit præveniri ab eo, cujus Jurisdictio est prorogata. 108.
An habens facultatem judicandi in defectum alterius, possit alterum prævenire. 109.
An præventus per viam Inquisitionis, possit procedere per viam accusationis. 110.
An mandans per Notarium fieri Inquisitionem & registrari, vel recipiens libellum accusatorium, hoc ipso prævenerit. 111.
An & quomodo per citationem verbalem dicatur præventa Jurisdictio. 112.
Quomodo fiat præventio per citationem realem. 113.
Quis præferendus ex pluribus verbaliter citantibus, nec constat de præventione. 114.
Quid si unus citavit ad domum, alter personaliter. eod.
Quid si unus citavit Mandatarium, alius postea Mandantem, quis prævenit? 115.
An præcipiendo reo, ne ex tali loco discedat, ubi Judex in illum inquiret, jam alios prævenerit. eod.
Præventionis effectus principalis est consolidatio Jurisdictionis in tali causa. 116.
An citatio unius correi inducat præventionem etiam respectu reliquorum. 117.
An accusator possit mutare tribunal. 118.
Quem stylum servare debeat in processu Judex præveniens. 119.
An hæres delinquentis debeat sustinere Iudicem prævenientem. eod.
An valeret processus Iudicis præventi, non excipiente eo qui prævenit. 120.
Quid si præventus non curet exceptionem. eod.

An

105. QUæritur I. Quando Præventioni locus sit inter Judicem Ordinarium & Delegatum. ℞. Judicem delegarum posse ab Ordinario præveniri solùm, antequam Delegato sunt litteræ præsentatæ, per quas illi tribuitur Jurisdictio, & ab Ordinario avocatur: unde in capit. 59. *de appellat.* non admitteretur appellatio vel exceptio illius, qui diceret, se exspectare litteras. ibi: *non obstante, si dicat, quòd ad Superiorem Judicem nuntium destinaverit, aut litteras impetraverit ab eodem, priusquam delegato fuerint assignatæ.* Cæterùm, Decianus c.10. n.6. ait, hodie contrarium observari: nam Delegatio præsertim in Criminalibus, fit semper privativè, etjamsi Ordinarius antè prævenisset, & ità, ait, vidi semper practicari.

106. Quæritur II. An Judex Superior possit præveniri à Judice inferiore. ℞. Tunc solùm posse præveniri, quando Jurisdictionem suam non accepit à Superiore: quia tunc Superioritas habet se merè materialiter: secùs, si eam à Superiore accepisset, tunc enim censetur Superior sibi reservâsse Jus avocandi causam, nisi aliud in concessione expressisset. *l.* 58. *ff. de Judiciis. Judicium solvitur vetante eo qui judicare jusserat.*

107. Quæritur III. An possit Ordinarius præveniri ab eo, qui de crimine solùm potest incidenter cognoscere, & econtra. v.g. testis deponit falsum coram Judice in causa civili: de quo delicto potest Judex causæ civilis incidenter cognoscere, & tanquam læsus à tali teste eum punire, quæritur, an in hoc fit locus præventioni. ℞. Posse prævenire & præveniri ab ordinario. *arg. leg.* 14. *C. de testibus.* ibi. [ut quicunque aures ejus offenderiot, non dubitent sibimet formidandum, datâ cunctis Judicibus absque ullo præscriptionis obstaculo (sicut sæpè dictum est) in testes, quorum voces falsitate vel fraude non carere perspexerint, pro qualitate videlicet delicti, animadvertendi licentiâ.]

108. Quæritur IV. Si Accusator & Reus prorogâtunt Jurisdictionem alicujus Judicis incompetentis, an Judex competens possit ab illo incompetente præveniri. ℞. Tunc solùm posse præveniri, quando delictum est tale, ut non nisi per accusationem possit judicari. Tunc enim tenetur habere ratam prorogationem, nisi per collusionem inter accusatorem & reum facta esset. Secùs dicendum, si potest per inquisitionem procedi, tunc enim Judex competens potest non obstante accusatione & prorogatione, inquirere. Ità Decianus c. 10. n. 10.

109. Quæritur V. Quando alicui datur facultas judicandi in defectum alterius, an possit alterum prævenire. ℞. Negativè, sed debet præcedere negligentia, vel impedimentum. Nam sub hac restrictione concessa est Jurisdictio, ut notant Interpp. *in cap.* 8. *de off. deleg. in* 6.

110. Quæritur VI. Si unus ex Judicibus per Inquisitionem alterum prævenisset, an hoc ipso impediretur alter procedere per viam accusationis. ℞. Negativè. Ratio est, quia Accusatio est remedium Ordinarium, Inquisitio extraordinarium. Ità aliis relatis Decianus. n. 22.

§. II.

Quibus actibus fiat Præventio.

111. QUæritur I. An facta esset præventio ab illo Judice, qui mandâsset per Notarium fieri inquisitionem, eamque registrari, vel si apud ipsum productus esset libellus accusatorius. ℞. Nisi accedat Citatio, non esse factam præventionem. Nam talibus actibus, sicut etiam ipso inquisitionis mandato, potiùs censetur declarari voluntas præveniendi, & potiùs sunt præparatio Judicii, quàm Judicii pendentia: adeoque ut nec testium examinatio per inquisitionem fieret præventio, nisi testes recepti essent pro informatione Curiæ, ut ipsa Inquisitionem formaret, & citaret, tunc enim fortè videretur facta præventio, quamvis & hoc aliqui negent, apud Guacinum. c. 9.

112. Quæritur II. An & quomodo per Citationem verbalem dicatur præventa Jurisdictio. ℞. I. Ut per Citationem fiat præventio, non requiritur trina citatio, neque una peremptoria, quæ sit virtualiter trina, sed sufficit simplex citatio. Ita DD. omnes in cap. 19. de foro competente. [Proposuisti nobis, quòd quidam subditus tuus ad petionem cujusdam adversarii sui à te legitimè citatus ad causam, quia postmodum Jurisdictionis alterius esse cœpit, tuum intendit judicium declinare. Porrò tuæ prudentiæ dubium esse non credimus, quòd is in prædicta causa jus revocandi forum non habet, quasi ab illo jam præventus.]

℞. II. Si per viam accusationis procedit ur, debet citatio fieri ad instantiam accusatoris. Si verò

Si verò per viam Inquisitionis, sufficit citationem fieri ex mandato Judicis. Ità notant DD. cum Bart. *in l.* 13. *C. de Iudic.* & pro cautela monentur Judices, ut hoc faciant exprimi in actis.

℞. III. Non sufficit, citationem emanâsse, sed debet ad notitiam rei pervenisse, ut communiter tenent DD. contra Bart: Bald. & Abbatem, quia aliud est citatio, & aliud commissio citationis. Quòd autem aliqui, ut Scaccias n. 59. ulteriùs requirant, ut vel reus ad factam citationem comparuerit, vel fuerit ab adversario incusatus de contumacia, non invenio in Jure aut ratione fundatum, nisi fortè consuetudo id observet.

113. Quæritur III. Quomodo fiat præventio per citationem realem. & procedit dubitatio, quando concurrit citatio Verbalis unius Judicis cum reali alterius. In quo casu si eodem temporis momento fierent, (quod rarò continget) tunc ex communi consensu DD. prævaleret citatio realis, utpote potentior quàm verbalis, & multò magis si tempore præcederet. Difficultas est, quando verbalis præcessisset, quænam tunc prævaleret. Non desunt, qui dicant, etiam tunc prævalituram realem. Ità post alios Farinacius n. 53. Communiùs tamen alii, quos sequitur Decianus, volunt, tunc prævalituram verbalem, quia nullo Jure adimitur huic Jus præventionis. Et sanè ipse Farinacius tandem fatetur, quòd si reus captus à posteriore, opponeret de præventione verbali ab alio facta, reus esset ad illum anteriùs citantem remittendus: quod si verum est, videtur manifestè sequi, verbalem citationem absolutè prævalere, alioquin non apparet, quomodo fundet exceptionem rei.

114. Quæritur IV. Quis præferendus sit quando plures simul verbaliter citârunt, & non constat de præventione. ℞. Quando unus illorum habet majorem Jurisdictionem, & potestatem, ille præfertur. Si verò sint pares, tunc vel inter se debent concordare, vel stabitur Juramento Rei citati, quis illorum prævenerit. Quodsi illi plures Judices habent Jurisdictionem in tali reo ex privilegio & favore rei, tunc penes reum est electio, coram quo velit comparere, & judicari. arg. Auth. *Habitâ. C. ne filius pro patre.* jam suprà recitatæ, ubi in Scholaribus ità deciditur.

Quæritur V. Quidsi citatio unius Judicis facta sit ad domum, alterius verò personaliter, & in tempore sint pares, vel ignoratur, quæ fuerit prior? ℞. Illum censeri prævenisse, qui personaliter citavit, nam de priore non constat, quòd citatio innotuerit.

115. Quæritur VI. Si unus citavit mandatarium, sed alius postea citavit Mandantem, quis censeatur prævenisse. ℞. Si utriusque est idem delictum, censetur absolutè etiam respectu mandantis prævenisse, qui prior citavit mandatarium. & ità in facti contingentia fuit judicatum Florentiæ, teste Nello apud Dec. n. 16.

Quæritur VII. Si unus Judèx non quidem citâsset formaliter, sed tamen præcepisset reo, ne ex tali loco recederet, ubi Judex in illum inquiret, an censeretur alios prævenisse. ℞. Affirmativè, quia tale præceptum esset loco citationis formalis, cui æquivaleret quoad effectum præventionis.

§. III.

De Effectibus Præventionis.

116. NEJus Præventionis sit merè de vento, æstimandi sunt effectus illius. Et quidem Principalis illius effectus est Consolidatio Jurisdictionis pro tali causa in Judice præveniente, ità ut nullus alius Judex, quantumvis antecedenter ad præventionē competens fuisset, in negotio prævento se ingerere possit. arg. *l.* 7. *ff. de Judiciis.* [Si quis, posteaquam in Jus vocatus est, miles, vel alterius fori esse cœperit, in ea causa Jus revocandi forum non habebit, quasi præventus.] quod itidem dicitur in *c. pen.* de foro competente, paulò antè cit. Hinc

Infertur I. Quòd, si alius Judex vellet se ingerere, posset præveniens eum inhibere, & etjam pœnalibus remediis suam Jurisdictionem tueri, si sub eodem Principe essent.

Infertur II. Quòd citatus à præveniente non possit postea mutare forum in præjudicium prævenientis, ut satis indicatur in cit. lege & cap. & hoc ait Decianus maximè procedere in criminalibus ad condemnationem.

117. Quæritur I. Si plures sint correi ejusdem delicti, an unius illorum citatio inducat præventionem etiam quoad reliquos. Negat Farinacius n. 62. cum aliis à se relatis, & ait, in facti contingentia ità fuisse resolutum. Nam, cùm Rmus. D. Auditor Cameræ Apostolicæ carcerari fecisset aliquos, propter celebratos illicitos contractus, aliquis alius correus post horum incarcerationem comparuit coram Rev. Vicario, coram quo, præstitâ idoneâ cautione de se sistendo, obtinuit significationem, ut ab Auditore Cameræ non posset super eo prætenso delicto molestari. Commissio fuit proposita in signatura, & Fiscus urgebat causam remittendam esse ad Auditorem Jure præventionis factæ per aliorum correorum capturam. Fuit tamen resolutum contrari-

trarium, & commissio rejecta, dictumque, eum, qui significationem obtinuerat, non posse alibi molestari, quàm coram Vicario, coram quo quoad ipsum comparentem dicebatur præventum, non obstante anteriore captura facta per Auditorem, utpote quæ solùm induxit præventionem quoad captos, non quoad alios. Affirmativam, quæ Juri conformior videtur, tenent alii, quos sequitur Decianus c. 22. n. 4. & Scaccia n. 78. Ratio est, quia alioquin divideretur continentia causarum, quod Jura fieri prohibent: unde, quando Clericus delinquit cum Laico, Judex Ecclesiasticus utrumque judicabit, quia dignius trahit ad se minùs dignum. ob eandem rationem paulò superiùs dictum est, quòd citato Mandatario facta sit præventio etiam ratione mandantis.

118. Quæritur II. An accusator possit mutare tribunal, & accusare apud alium, postquam accusavit apud unum: ℞. Negativè, & hoc in favorem rei, ne apud plures Judices vexetur, & quia cæteri Judices censentur hoc ipso recusati. Unde è contrario infertur, quòd si apud unum esset contumax, posset apud alium accusari.

119. Quæritur III. Quem stylum in processu servare debeat Judex præveniens. ℞. Stylum suæ Curiæ, perinde acsi nullus alius Judex competens, & alterius Curiæ esset.

Quæritur IV. Si hæres delinquentis, facta præventione, sed necdum absoluto Judicio, sit alterius fori, an debeat prosequi causam, & sustinere Judicem prævenientem. ℞. Affirmativè. *l. 34. ff. de Judiciis.* [Si is qui Romæ Judicium acceperat, decessit, hæres ejus, quantumvis domicilium trans mare habet, Romæ tamen defendi debet, quia succedit in ejus locum, à quo hæres relictus est.]

120. Quæritur V. Si Judex præventus procederet, nec pars præventa opponeret de præventione, sed taceret, an processus præventi Judicis esset validus. Respondet aliis relatis Farinacius n. 54 & Scaccia n. 67. quòd utriusque Judicis processus, per se loquendo, valeret, dummodo sententiæ non essent inter se contrariæ: posseique in utroque foro condemnari. Observant autem hic DD. post Andr. Gail *lib. 1. obs. 29. n. 6.* quòd præveniens excipiens non debeat uti exceptione *incompetentiæ*, quia verè Judex præventus est competens, sed Exceptione Præventionis, vi cujus Judex præveniens tenetur, si ità velit reus, Judicium cœptum absolvere.

121. Sed, quidsi Iudex præventus non attendat oppositionem Iudicis prævenientis, quid remedii habet Reus? ℞. Eum posse appellare, vel recurrere ad Iudicem prævenientem, qui inhibeat Iudicem præventũ: & denique si nec hoc sufficeret, esset recursus ad Superiorem, seu Principem, cui supplicabit, ne se permittat vexari à duobus Iudicibus: Scaccia tamen putat, quòd citatus haberet electionem comparendi, coram quo maluerit. Quodsi Iudices essent sub diversis Principibus, tunc vel res forte dirimenda esset, vel ambo simul cognoscere possent.

122. Quæritur VI. An suam vim habeat præventio, si dolo aut fraude rei est procurata. ℞. Negativè. Tunc enim non attentâ oppositione, potest procedere Iudex præventus. Præsumitur autem dolus, quando se reus sponte præsentavit; item quando, postquam constat esse citatum reum verbaliter ab uno, alter incarceraret, quod tamen non est universim verum, & ideo Iudicis arbitrio relinquitur cognitio de dolo & fraude.

123. Quæritur VII. Si in delicto Mixti fori reus à Judice præveniente non fuit sufficienter punitus, an possit ab altero Judice denuo cognitâ causâ puniri eò usque, ut censeatur pœna commensurata delicto. ℞. Affirmativè. quia sicut delicta non debent simpliciter manere impunita, ità nec debent esse impunita pœnâ sufficiente. Et quia Judex Ecclesiasticus sæpè non solet punire nisi pœnâ spirituali, potest delictum ulteriùs puniri à Judice Laico pœnâ corporali, quando delicto talis pœna est constituta, & hoc habere locum in omnibus delictis mixti fori, colligunt Covarr. *Var. resol. l. 2. to. 2. c. 10. n. 6.* Gomez, Scaccia *ex cap. 5. de pœnis in 6.* Exemplum affert Scaccia: si blasphemans sit punitus per Judicem Ecclesiasticum, poterit denuo puniri per Judicem Sæcularem amputatione linguæ. Ant. Gomez c. 1. de delictis n. 40. in medio ponit eandem universalem Conclusionem, quòd in atrocibus & gravissimis delictis mixti fori, in quibus per Judicem Ecclesiasticum non potest imponi competens pœna, licèt delinquens sit punitus per Judicem Ecclesiasticum, quòd inquam, illa pœna non tollat pœnam sæcularem, possitque postea capi & puniri pœnâ ordinariâ sæculari. Deinde adducts Auctoritatibus, etiam Jura quædam affert, sed non convincentia; quare insistit citato *cap. 5. de pœnis in 6.* ubi post multas pœnas quæ imponuntur offendentibus Cardinalem, dicitur, quòd per eas Pontifex non intendat adimere facultatem Iudicibus sæcularibus, quo minùs possint procedere in illo delicto, & imponere pœnas legales. Qui tamen textus, utidem Auctor ostendit, posset eludi, & non desunt graves Canonistæ, qui contrarium tenent, nec improbabiliter.

124. Addendum tamen est cum Bossio & Scaccia n. 91. communem opinionem solùm procedere in duobus casibus. Primò, quando à Ju-

à Iudice Ecclesiastico fuisset imposita pœna medicinalis, & potiùs ad salutem animæ, quàm afflictionem corporis, ut etiam tradit Clarus. Secundò, quando delicto est constituta pœna Sanguinis, quam Iudex Ecclesiasticus non potest imponere. Quod si verò à Iudice Ecclesiastico fuisset imposita pœna afflictiva pro delicto non puniibili pœnâ sanguinis, tunc, etiamsi illa pœna imposita à Iudice Ecclesiastico, secundùm dispositionem Iuris Canonici esset minor illâ, quæ potuisset imponi à sæculari secundùm leges civiles, tamen præsumeretur reus sufficienter punitus, & consequenter non posset denuò puniri. Neque enim conveniens est, ut Iudex Ecclesiasticus in taxanda pœna perinde astringatur legi civili, sicut Iudex sæcularis astringitur, cujus sententia esset omnino nulla, si non puniret pœnâ à Iure ipsi præscriptâ.

125. Restat tamen dubium in pœnis arbitrariis, hoc est, Iudicis arbitrio relictis, an, qnacunque pœnâ illatâ, debeat hocipso reus censeri sufficienter punitus. ℞. Affirmativè, regulariter loquendo, sed non absque duplici limitatione, quam ponit Scaccia n. 91. Nam primò, si dolo id fieret, ut notabiliter levior pœna, quàm quæ pro merito esset infligenda, infligeretur, fortè quia Iudex Sordibus corruptus est, item, si ex lata culpa vel ignorantia pœna minor esset illâ pœnâ, quæ à Iure est taxata pro majori delicto, sicque evidens esset, pœnam non esse commensuratam delicto, naturali æquitate attentâ, posset talis reus ulteriùs à Iudice prævento, vel Superiore puniri, per regulam generalem, quia delicta non debent manere impunita. Quin & ipse Iudex talis pœnam mereretur, non minùs quàm ille, qui minueret pœnam à Iure taxatam. Sicut de Carolo I. scribitur, quòd fecerit furcâ suspendi Iudicem, qui, cùm deberet condemnare reum, ut capite plecteretur, condemnavit in amputationem manûs.



CONTROVERSIA VIII.

Quænam Delicta sint Mixti Fori.

SUMMARIUM.

Sacrilegium est mixti fori. 127.
Sortilegium itidem. 128. *nisi saperet hæresin.* 129.
Item Crimen falsi. 130.
Item Concubinatus. 131.
Error Julij Clari circa concubinatum Clerici. 132.
An Concubina Clerici possit puniri à Magistratu sæculari. 133.
Refertur Constitutio Concilji Tridentini. 134.
Non licet Laico extrahere concubinam è domo Clerici, nec exigere expensarum compensationem. 135.
Bigamia est mixti fori. 136.
Item Offensio Ecclesiarum. 137.
Item Assassinatus. 138.

126. Quamvis aliqua, & certiora retulerim in præcedente tomo cap. 4. contr. 11. ibidem tamen in fine obiter aliqua retuli, quæ dixi, huc reservari, quò propriè spectant. Omissis ergo, Usurâ, Iuramento, Blasphemiâ, Sodomiâ, Adulterio, Incestu, de quibus ibi sufficienter actum, cætera hic expediemus.

§. I.

Sacrilegium.

127. Sacrilegium esse mixti fori colligitur ex eo, quòd aliquando imponitur pœna excommunicationis, vel alia pœna spiritualis, quam Laicus imponere non potest, aliquando verò pœna sanguinis, quàm Ecclesiasticus infligere non potest, aliquando pœna pecuniaria in vim restitutionis, quam potest quivis eorum imponere, & erit Accusatoris eligere.

Huc pertinent variæ leges Civiles. *lex 6. & 9. ff. ad L. Jul. pecul.* alibi referendæ, ubi variæ pœnæ statuuntur. Item *l. 10. C. de Episc. & Cleric.* ubi capitali pœnâ jubentur puniri, qui irrogant injuriam Sacerdotibus, vel loco sacro, vel cultui divino, quam legem referam §. 5. & quòd sit mixti fori supponitur in Novella 123. *cap. 21. §. 1.* [Si verò crimen fuerit, quod adversùs quemlibet memoratum Reverendissima-

rum personatum insectatur, si quidem apud Episcopum aliquis accusatur, & ipse veritatem invenire potuerit, ab honore & gradu hunc secundùm Ecclesiasticas regulas dejiciat: & tunc competens Judex hunc comprehendat, & secundùm leges litem examinans causæ finem imponat. Si verò priùs civilem Iudicem adeat accusator, & crimen per legitimam examinationem potuerit approbare &c.] Unde inferunt DD. quòd si Clericus cum muliere Laica peccavit, vel Laicus cum Moniali, possit Laicus & Laica puniri tam ab Ecclesiastico, quàm sæculari Iudice, & quidem pœnis diversis, si in utroque foro sunt constitutæ pœnæ diversæ.

§. II.

Sortilegium.

118. SOrtilegium esse mixti fori, constat ex utroque Jure. De foro Ecclesiastico *ex can. 10. ca. 26. q. 5.* [Contra Idolorum cultores, vel aruspices, atque sortilegos fraternitatem vestram vehementiùs pastorali hortamur invigilare custodiâ, atque publicè in populo contra hujus rei viros sermonem facere &c. Quos tamen si emendate se à talibus, atque corrigere nolle repereris, ferventi comprehendere Zelo te volumus: & si quidem servi sunt, verberibus, cruciatibusque, quibus ad emendationem pervenire valeant, castigare: si verò sunt liberi, inclusione dignâ districtâque sunt in pœnitentiam redigendi, ut cruciatus saltem eos corporis ad desideratam mentis valeat reducere sanitatem.] Pro foro sæculari facit titulus Codicis De Maleficis, & Mathematicis, & cæteris similibus.

129. Ubi tamen advertendum, quòd quando sortilegium esset ejusmodi, ut saperet hæresin, quà tale ad solum Ecclesiasticum Judicem spectatet. Quando autem sapiat aut non sapiat hæresin, Julius Clarus *lib. 5. §. hæresis. n.25.* sic distinguit. Aut invocantur Dæmones, ut quis sciat futura, & hoc sapit hæresin manifestam, quia tribuit Diabolo id quod est proprium Dei, scilicet ventura præscire. Aut invocantur ad alium finem, puta ad tentandam pudicitiam mulieris, vel hujusmodi, & non sapit hæresin, quia advocatur Diabolus ad id, quod ei maximè convenit, cùm sit tentator hominum. Et dicit Abbas *in rub. de hæret. n. 13.* quòd ità fuit determinatum in Romana Curia in causa cujusdam Joannis de Pattiniaco, quòd hujusmodi incantationes, quæ fiunt ex causa amoris, non essent hæreticæ: & teste Oldr. consil. 210. in fine, in facti contingentia fuit absolutus quidam, qui fecerat sortilegia propter amorem cujusdam mulieris. An autem sapiant hæresin, adeoque ad Inquisitores spectet sortilegium factum ad rescienda furta commissa, meritò dubitatur. Negat Julius Clarus, & Farinacius, sed Barbat. consl. 55. lib. 1. affirmat, de quo non est hic locus disputandi. Videatur Farinacius De Delictis. *q. 20. à n. 72.* ubi plenè declarat, quando sint hæreticalia.

§. III.

De Crimine Falsi.

130. PUniri hoc crimen in foro Ecclesiastico, & posse etiam puniri in foro Sæculari colligitur ex *cap. 7. de crimine falsi.* ibi. [Statuentes, ut Clerici, qui falsarii fuerint deprehensi, omnibus Beneficiis Ecclesiasticis perpetuò sint privati: ità, quòd qui per se falsitatis vitium exercuerint, postquam per Ecclesiasticum Judicem fuerint degradati, sæculari potestati tradantur, secundùm constitutiones NB. legitimas puniendi: per quam & laici, qui fuerint de falsitate convicti, legitimè puniantur.] Et in Digestis ac Codice est titulus: *ad legem Corn. de falsis.*

§. IV.

De Concubinatu.

131. COncubinatum puniri à Magistratu Ecclesiastico, est extra dubium, pro quo adduci solet *cap. Nemo. ca. 32. q. 4.* ubi in latiore & impropria significatione vocatur adulterium, omne carnale peccatum cum non conjuge. [Nec hoc solum est adulterium, cùm aliena peccare conjuge, sed omne quod non habet potestatem conjugii.] De Judice sæculari dubitatur, quia legibus civilibus non prohibetur concubinatus, ut aliqui putant, inter quos est Julius Clarus duplici loco. *in §. Fornicatio. n.7.* ubi dicit, quòd ab hac sententia non recederet in judicando. Deinde *§. fin q. 37. n. 4.* parùm reverenter sic scribit. [Sed quidquid sit de Jure, nos videmus, quòd Judices Laici de concubinatûs crimine puniendo parùm se intromittunt, & hodie pauci etiam ex Ecclesiasticis, fortè, ne in aliis puniant id, in quo ipsimet delinquunt.] Sed nos in Germania hoc non videmus, quod se videre dicit Clarus.

132. Cæterùm, hic Auctor in puncto non est curandus, qui in priore loco n. 18. audet asserere, quòd peccatum solutæ cum Presbytero non sit sacrilegium, sed simplex fornicatio, quæ sententia in Germania nostra sine scandalo non doceretur,

ceretur, quidquid teneant auctores ab eodem telati.

Rectiùs Decianus cum aliis docet, leges Civiles novissimas abhorrere concubinatum, argumento Novellæ 14. quæ est de Lenocinio, ubi §. 1. dicit Imperator. [Sancimus igitur, omnes quidem secundùm quod possunt, castitatem agere, quæ etiam sola Deo cum fiducia potis est hominum animas præsentare.] Et paulò pòst jubet Lenones comprehendi, & omnia novissima sustinere supplicia.

133. De Concubina Clerici dubitatum est, an ea possit puniri à Magistratu sæculari. Et communiter distinguunt DD. quòd possit, quando est notorium delictum, secùs, quando est occultum. Cæterùm, quòd sit occultum, non facit, ut delictum ex se mixti fori, fiat solius fori Ecclesiastici; & satis notorium est, si Magistratui judicialiter innotescat. Quia tamen ad amoliendum scandalum securius est, puniri à Magistratu Ecclesiastico, ne magis notorium fiat, prout fortè fieret, si à Judice sæculari puniretur, ideo decet hoc delictum Magistratui Ecclesiastico puniendum relinquere, quando nec dum est plebi notorium.

134. Imò Decianus n. 25. cum Angelo asserit universim, Laicam peccantem cum Sacerdote, puniendam esse à solo Ecclesiastico. Sed in hoc observanda est hodie Constitutio Concilii Tridentini *sess.* 25. *c.* 14. *de reform.* omnium Clericorum oculis exhibenda, quæ fortè à paucis legitur. [Quàm turpe, ac Clericorum nomine, qui se divino cultui addixerunt, sit indignum, in impudicitiæ sordibus immundoque concubinatu versari, satis res ipsa communi fidelium omnium offensione, summoque Clericalis militiæ dedecore testatur. Ut igitur ad eam, quam decet, continentiam, ac vitæ integritatem Ministri Ecclesiæ revocentur, populusque hinc eos magis discat vereri, quò illos vitâ honestiores cognoverit: prohibet sancta Synodus quibuscunque Clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo vel extra detinere, aut cum illis ullam consuetudinem habere audeant, alioquin pœnis à sacris Canonibus vel statutis Ecclesiarum impositis puniantur. Quodsi à Superioribus moniti ab iis se non abstinuerint, tertiâ parte fructuum, obventionum ac proventuum Beneficiorum suorum quorumcunque & pensionum ipso facto sint privati, quæ fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio loco arbitrio Episcopi applicetur. Sin verò in delicto eodem cum eadem vel alia fœmina perseverantes, secundæ monitioni adhuc non paruerint, non tantùm fructus omnes ac proventus suorum Beneficiorum & pensiones eo ipso amittant, qui prædictis locis applicentur, sed etiam à Beneficiorum ipsorum administratione, quoad Ordinarius, etiam uti Sedis Apostolicæ delegatus arbitrabitur, suspendantur, & si ità suspensi nihilominus eas non expellant, aut cum iis etiam versentur, tunc beneficiis, portionibus, ac officiis & pensionibus quibuscunque Ecclesiasticis perpetuò priventur, atque inhabiles ac indigni quibuscunque honoribus, dignitatibus, beneficiis, ac officiis imposterum reddantur, donec post manifestam vitæ emendationem ab eorum Superioribus cum iis ex causa visum fuerit dispensandum. Sed si, postquam eas semel dimiserint, intermissum consortium repetere, aut alias hujusmodi scandalosas mulieres sibi adjungere ausi fuerint, præter prædictas pœnas Excommunicationis gladio plectantur. Nec quævis appellatio aut exemptio prædictam executionem impediat aut suspendat: supradictorumque omnium cognitio NB. non ad Archidiaconos, nec Decanos, aut alios inferiores, sed ad Episcopos ipsos pertineat: qui sine strepitu & figura judicii, & solâ facti veritate inspectâ procedere possint. Clerici verò beneficia Ecclesiastica aut pensiones non habentes, juxta delicti & contumaciæ perseverantiam & qualitatem, ab ipso Episcopo carceris pœnâ, suspensione ab Ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisve modis, juxta sacros Canones puniantur. Episcopi quoque, quod absit, si ab hujusmodi crimine non abstinuerint, & à Synodo Provinciali admoniti se non emendàrint, ipso facto sint suspensi: & si perseverent, etiam ad Sanctissimum Romanum Pontificem ab eadem Synodo deferantur, qui pro qualitate culpæ etiam per privationem, si opus erit, in eos animadvertat.] Declarationes monent, hoc Decretum non procedere in simplici incontinentia, absque qualitate concubinatûs: in illa ergo procedetur pœnâ arbitrariâ.

135. Illud hìc ex P. Laymanno addere placet. 1. Non esse licitum Judici Sæculari, vel apparitoribus irruere in domum Parochi, & mulierem inde extrahere: quia hæc esset violentia usurpata adversùs ipsos Ecclesiasticos. 2. Non valere consuetudinem Judicum, exigentium à Parochis expensas factas in capturam concubinatum, vel personarum suspectarum, ex eo quòd his causam dederint. Nam hoc esset indirectè judicium ferre de crimine ipsius Clerici.

§. V.

De Crimine Polygamiæ.

136. QUi plures ducit uxores, quandoque est suspectus de hæresi, & tunc pertinet utique ad Judicem Ecclesiasticum. Sed quan-

quando apparet factum esse ex libidine, tunc est mixti fori, & memini, hoc delictum in militibus fuisse à sæculari Magistratu punitum.

§. VI.

De offendentibus Ecclesias &c.

137. HOs puniri posse & defacto puniri in foro Ecclesiastico manifestum est. Posse etiam & debere hos puniri in foro sæculari constat ex lege 10 cum auth. *seq. C. de Episc. & Clericis.* [Si quis in hoc genus sacrilegii proruperit, ut in Ecclesias Catholicas irruens sacerdotibus & ministris, vel ipsi cultui locoque aliquid importet injuriæ, quod geritur, à Provinciæ Rectoribus animadvertatur, atque ità provinciæ moderator Sacerdotum & Catholicæ Ecclesiæ ministrorum, loci quoque ipsius & divini cultûs injuriam, capitali in convictos seu confessos reos sententiâ noverit vindicandum: nec expectet, ut Episcopus injuriæ propriæ ultionem deposcat, cui sanctitas ignoscendi gloriam dereliquit. Sitque cunctis laudabile, factas atroces sacerdotibus aut ministris injurias, veluti crimen publicum persequi, ac de talibus reis ultionem mereri.]

§. VII.

De Assaßinatu.

138. HOc crimen puniri Jure Civili, est per se manifestum. Quòd etiam puniatur in foro Ecclesiastico, patet ex *cap. 1. de Homicidio in 6.* quod alibi relatum est. Atque ex dictis hactenus poterit de quibusdam aliis judicari, quæ proinde DD. non solent referre.



CONTROVERSIA IX.

De modo declinandi Forum per fugam ad Ecclesiam.

SUMMARIUM.

Refertur Bulla Gregorii XIV.

Quo Jure sit introducta immunitas fugientium ad locum sacrum. 140.

An sit Juris divini. 141. *& seq.*

Canonicis Constitutionibus Jus Civile suffragatur. 143.

An hac Immunitas sit stricta vel amplæ interpretationis. 144.

Sufficit Ecclesiam esse auctoritate Episcopi erectam, etsi necdum consecratam. 145.

An debeant ibi fuisse actu celebratæ Missæ. 146.

An debeat Ecclesia esse perfectè constructa & absoluta. 147.

An competat tempore Interdicti, aut quo Polluta est. 148.

Ad quem ambitum se extendat. 149.

An apprehendens Ecclesiæ portæ ansam, gaudeat immunitate. 150.

Item an constitutus supra tegulas Ecclesiæ. 151.

Quousque possit reus semel receptus progredi ob naturæ necessitatem. 152.

Immunitate gaudent cæmeteria, etiam non consecrata. 153.

Eâdem gaudent Conventus Religiosorum, secundùm omnia, quæ sunt intra septa. 154.

Item Episcopi palatium. 155. *Ubi vide limitationes.*

Quid si reus confugiat ad Sacerdotem ferentem Sacram Hostiam. 156.

139. PRo celeberrima hac Quæstione expedienda, præmittenda est Bulla Gregorii XIV. edita 28. Maji Anno 1591. in qua tanquam Jure novissimo disertè proponuntur, quæ circa confugientes ad Ecclesiam observanda sunt.


§. I.

Refertur Bulla Gregorii XIV.

CUm aliàs nonnulli Prædecessores nostri, & præsertim felic. record. Sixtus Papa V. necnon

non Pius etiam V. sancto Zelo ducti, diversas facultates & indulta extrahendi etiam in casibus quibusdam à jure non permissis, ex Ecclesiis criminosos, & delinquentes, compluribus sæcularibus Principibus, eorumque curiis, & Magistratibus sub variis modis & formis concesserint, prout in illis pleniùs continentur. Experientia postmodum docuit, tum ob diversitatem & differentiam hujusmodi indultorum, tum quia plerique eorundem Principum Ministri, ex hoc ipso illa diversimodè, etiam latiùs quàm par erat, & ad suum libitum interpretandi occasionem arripuerunt, illisque abuti cæperunt, subortam esse non mediocrem in aliquibus locis, libertatis & immunitatis Ecclesiasticæ perturbationem & confusionem: alibi verò ne ipsos quidem laicos indultis hujusmodi uti voluisse, aut potuisse, quòd populis inveterata erga Ecclesias reverentia devotis & assuetis, scandali potiùs quàm quietis occasionem præberent. Illud etiam absurdum sæpenumerò secutum est, ut infimæ interdum conditionis laici, non modò Juris, sed etiam litterarum penitus ignari & imperiti, dum quasi Potestates & Ministri Curiæ sæcularis in aliquo Castro aut Oppidulo Jurisdictionem exercebant, facultatum & indultorum hujusmodi limites longè excesserint, eaque suo arbitratu in sensus minùs rectos, & ab intentione concedentis omnino alienos detorserint, & illorum prætextu quidquid sibi in mentem venit attentare præsumpserint, in grave Jurisdictionis, & immunitatis Ecclesiasticæ præjudicium, locorum & personarum divino cultui dicatarum contemptum, ipsius divinæ Majestatis offensam, & scandalum plurimorū. Quare pro commisso nobis à Domino Pastoralis officii munere, prædictis absurdis & scādalis obviare, ac differentias hujusmodi ad uniformē regulā reducere, omnemque dubitandi ac perperam interpretandi occasionem dilucidā declaratione submovere, abusus tollere, & ne Ecclesiastica Jura planè conculcentur, & negligantur, opportunè providere decrevimus, prout etiam dictus Sixtus Prædecessor noster, iisdem de causis motus statuere decreverat, licèt morte præventus hoc adimplere nequiverit, ità tamen, ut quando præsens temporum calamitas, & nimia, quæ jam invaluit perversorum hominum malitia, id exposcit, aliquid etiam ad terrorem delinquentium, & ad coërcenda eorum facinora, ultra id quod prisca illa Majorum nostrorum disciplina, & vetus Sacrorum Canonum norma præscripserat in quibusdam casibus, congruā moderatione adhibitā, permittamus. Hac itaque nostrā perpetuò valiturā Constitutione, omnia, & quæcunque privilegia, indulta & gratias, tā per prædictum Sixtum ac Pium V. quàm alios quoscunque nostros Prædecessores, aut nosmetipsos, Sedemque Apostolicam, ejusque Legatos, super abducendis, vel extrahendis ab Ecclesiis, Monasteriis, Sacellis, Domibus regularibus, & sæcularibus, locisve Sacris aut Religiosis, aliasque in casibus Jure permissis, hominibus certorum tunc expressorum vel non expressorum criminum reis, aut fraudulentis decoctoribus, etiam in odium certorum delictorum, & pro bono, pace & quiete publica, & ex causis urgentissimis ac necessariis, & æquipollentibus casibus in Jure expressis, atque ex paritate, identitate aut Majoritate rationis extensis, perpetuò vel ad certum nondum elapsum tempus quomodolibet concessa, etiam iteratis ac multiplicatis vicibus approbata & innovata ac usu recepta, litterasque Apostolicas sub plumbo aut in forma Brevis, seu aliàs quomodocunque desuper confectas, quarum tenores hic haberi volumus pro expressis, ac ad verbum insertis, sublatā penitùs omni differentiā, ità ad unam tantùm formam reducimus, & moderamur, ut Laicis ad Ecclesias, locaque sacra & religiosa prædicta confugientibus, si fuerint publici Latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, publicasque stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur: aut depopulatores agrorum, quive homicidia & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis earúmve Cœmeteriis committere non verentur, aut qui proditoriè proximum suum occiderint, aut assassinii, vel hæresis aut læsæ Majestatis in personam ipsiusmet Principis rei; immunitas Ecclesiastica non suffragetur. Sed universis & singulis Venerabilibus Fratribus nostris, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Ecclesiarum & Monasteriorum Prælatis, tam sæcularibus, quàm cujusvis Ordinis Regularibus, districtè præcipiendo mandamus, & præcipimus, ut Laicos in casibus prædictis delinquentes, ad eorum Ecclesias, Monasteria, domos, & alia loca supradicta sacra seu religiosa respectivè confugientes, & in eis se recipientes atque morantes, qui prædicta delicta, eorúmque aliquod judicio suo commisisse videbuntur, quando à Curia sæculari fuerint requisiti, & quilibet eorum fuerit requisitus, Ministris & Officialibus Curiæ sæcularis absque Irregularitatis nota, aut alicujus Censuræ Ecclesiasticæ incursu, tradi & consignari curent, & faciant, & quilibet eorum curet & faciat. Ne autem Curia sæcularis prædictā Ministri facultate illos per se & propriā auctoritate extrahendi & abducendi sibi olim, ut præfertur attributā, & per præsentes revocatā abutantur, Volumus, dictaque auctoritate decernimus, & declaramus, ut Curia sæcularis, ejusque Judices & Officiales, ab Ecclesiis, Monasteriis, Locisque sacris prædictis Laicum aliquem, ut præfertur delinquentem, in nullo ex casibus suprà dictis sine expressa licentia Episcopi, vel ejus Officialis, & cum interventu Personæ Eccle-

Ecclesiasticæ ab eo auctoritatem habentis, ad quos solos & non alios Episcopis inferiores, etjamsi alii Ordinarii sint, aut nullius Diœcesis, aut Conservatores ab hac Sede specialiter vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi facultas pertineat. Occurrente autem casu in loco exempto, & nullius diœcesis, tunc ad Episcopum viciniorem devolvatur hæc cognitio, & non ad alios; capere, extrahere, aut incarcerare non possint, nisi eo casu, quo ipse Episcopus, & dictæ personæ Ecclesiasticæ requisitæ, illos in delictis superiùs expressis culpabiles tradere, aut capturæ & carcerationi intervenire & assistere recusârint, tuncque reverentiæ Ecclesiæ & locis sacris debitæ memores prædictos delinquentes, minori quo id fieri poterit scandalo, & tumultu extrahere curent. Quodque delinquentes Laici prædicti, postquam, ut præfertur, ab Ecclesiis locisque extracti & capti fuerint, ad carceres Curiæ Ecclesiasticæ reponi, & inibi sub tuto & firmo carcere, ac opportunâ custodiâ datâ, illis, si opus fuerit, per curiam sæcularem detineri debeant, nec inde extrahi, Curiæque sæculari prædictæ consignari, nec tradi possint, nisi cognito priùs per Episcopum, seu ab eo deputatum, an ipsi verè crimina superiùs expressa commiserint: tuncque demum de mandato Episcopi per Judicem Ecclesiasticum curiæ sæculari, quacunque appellatione sepositâ consignentur. De crimine verò hæresis cognitio ad forum Ecclesiasticum tota pertineat, neque in ea curia sæcularis se quoquo modo intromittat. Sicuti etiam prohibemus, ne contra Ecclesiasticas personas sæculares, aut cujusvis Ordinis vel militiæ, etiam S. Joannis Hierosolymitani regulares, quoquo modo etiam vigore prædictorum privilegiorum, indultorum, aut concessionum, quæ omnia ad terminos Juris per præsentes reducimus, procedant, aut se intromittant, illasvè ab Ecclesiis, Monasteriis, Domibus, locisque sacris aut religiosis, etiam in casibus in hac Constitutione expressis, extrahere, abducere, capere carcerare, aut cognoscere de criminibus ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, aliàs quàm de jure & per privilegia eisdem Ordinibus aut militiis concessa permittitur, quomodolibet præsumant. Quodsi quis quacunque dignitate & auctoritate præditus, præmissorum, aut alio quovis prætextu quidquam præter aut contra hujus nostræ Constitutionis tenorem attentare præsumpserit, declaramus eum ipso facto Censuras & pœnas easdem incurrere quæ contra libertatis, Juris & Immunitatis Ecclesiasticæ violatores, per sacros Canones, & Conciliorum generalium nostrorumque Prædecessorum constitutiones sunt promulgatæ. Sicque per quoscunque Judices Ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi & interpretandi facultate, in quavis causa & instantia judicari & definiri debere; necnon irritum decernimus & inane, si secùs super his per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis tam Sixti & Pii V. quàm aliorum quorumcunque Prædecessorum nostrorum litteris Apostolicis, privilegiis, indultis, & facultatibus, quibusvis personis, etiam Imperiali, Regiâ, Ducali, aut aliâ quavis dignitate, & auctoritate fulgentibus, aut Rebuspublicis, Dominiis, Regnis, Provinciis, Civitatibus, Terris & locis, eorumve Curiis, Parlamentis, Senatibus, Consiliis, Communitatibus, Universitatibus, Collegiis, aut Præsidentibus, Proregibus Gubernatoribus, Locatenentibus, Vicariis, Potestatibus, aliisque Magistratibus, Officialibus, Ministris, aut Consiliariis, ex prædictis, vel aliis etiam gravioribus & Urgentioribus causis, tam illorum intuitu & contemplatione, sive ad eorum preces & instantiam, quàm etiam motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ac per modum statuti & legis perpetuæ, etiam in vim contractûs, & Fratrum nostrorum consilio, sub quibuscunque tenoribus, & formis, & cũ quibusvis præservativis, restitutivis, mentis atrestativis, derogatoriorum derogatoriis, aliisque validissimis & efficacissimis & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiamsi inibi caveatur expressè, quòd illis, nisi sub certis modis & formis, & nisi de expresso eorum consensu, ad quorum favorem concessæ fuerint, derogari possit, & aliter factæ derogationes nullius sint roboris vel momenti, & aliàs quomodolibet concessis etiam sæpius approbatis & innovatis. Quæ omnia & singula, ac illorum tenores pro expressis habentes, quatenus præmissis in aliquo adversentur, aut plures, quàm superiùs expressos casus contineant, auctoritate & tenore præmissis omnino ac perpetuò tollimus & abrogamus, ac ad terminos præsentis Constitutionis quoad superiùs descripta duntaxat reduximus, & nolumus, cuiquam de cætero suffragari, & quâlibet aliâ dictæ Sedis indulgentiâ generali vel speciali per quæ præsentibus non expressa vel ad verbum non inserta, effectus earum quomodolibet valeat impediri. Ut autem præsentes litteræ ad omnium notitiam facilius deducantur, &c.



§. II Qua

§. II.

Quo Iure hæc Immunitas sit introducta.

140. QUòd saltem Jure Ecclesiastico sit introducta, constat non solùm ex Constitutione jam relata, verùm etiam ex antiquis Canonibus, qui habentur in *ca.* 17. *q.* 4. can. 8. qui est S. Augustini. ibi dicitur. *Ecclesia igitur illæsum revoca, quem vir irreligiosissimus rapuisti.* Et clariùs can. 35. [Definivit S. Concilium *Toletanum*, ut nullus audeat confugientes ad Ecclesiam vel residentes inde abstrahere, aut quodcunque nocibilitatis vel damni, seu spolii residentibus in loco sancto inferre ? sed esse potiùs his ipsis, qui Ecclesias petunt, per omnia licitum, in 30. passus ab Ecclesiæ Januis progredi, in quibus 30. passibus uniuscujusque Ecclesiæ in toto circuitu reverentia defendatur, sic tamen, ut hi, qui ad eam confugiunt, in extraneis vel longè separatis ab Ecclesia domibus nullo modo ascendant, sed in hoc 30. passuum numero absque domorum extranearum receptaculo progrediendi aditum obtinebunt, qualiter ad requisitæ naturæ usû debitis exeant locis, & nullo teneantur eventu necessitudinis, qui dominicis se defendendos commiserint claustris &c.] Innocentius III. in *cap.* 6. *de Immun. Eccles.* ibi. [Fugiens ad Ecclesiam aut liber existit, aut servus. Si liber, quantumcunque gravia maleficia perpetraverit, non est violenter ab Ecclesia extrahendus; nec inde damnari debet ad mortem vel ad pœnam. Sed Rectores Ecclesiarum sibi obtinere debent membra & vitam. Super hoc tamen, quòd iniquè fecit, est aliàs legitimè puniendus: & hoc verum est, nisi publicus latro fuerit, vel nocturnus depopulator agrorum, qui dum itinera frequentat, vel publicas stratas obsidet aggressionis insidiis, ab Ecclesia extrahi potest, impunitate non præstitâ secundùm canonicas sanctiones.]

141. Controversia celebris est, an hæc Immunitas sit Juris Divini. Similem controversiam tractavimus to. I. An Privilegium fori Clericorum sit Juris Divini. In præsenti quæstione Affirmativam tenent aliis relatis Card. Tuschus *to.* 4. *Concl.* 56. *n.* 1. & alibi, Lupus *in tr. de libert. Eccles. p.* 2. *q.* 2. Negativa est communissima, quam aliis relatis tenent Covarr. *lib.* 2. *var. res. c.* 20. *n.* 1 Decianus *lib.* 6. *c.* 25. *n.* 2. (neque distinctio, quam adhibet, aliud recipsâ vult, dum ait, posse dici, esse Juris divini, si per Jus divinum intelligamus legalia & ceremonialia præcepta, Moysi à Deo data; non tamen accipiendo Jus divinum propriè, hoc est, pro præceptis Decalogi.) Ambrosinus *c.* 1. *cum seqq.* Bonacina de imun: Eccles: § 1. *Castro Palao p.* 5. Ratio hujus sententiæ est efficax. Nã vel loquuntur adversarii de Jure divino antiqui Testamenti, vel novi. Si novi: nullum possunt afferre textum, quo Christus hoc constituerit. Si antiqui: Illud fuit privilegium concessum templo illius legis, privilegium autem illud non constat esse extensum ad nostra templa. Itaque loquendo de Jure divino positivo, non est fundata sententia affirmans. Æquè parùm potest esse vera de Jure divino naturali. Nam, ut optimè discurrit P. Franc. Suarez *to.* 1. *lib.* 3. *de Relig. c.* 8. *n.* 9. non est per se, & intrinsecè malum, malefactores de templo extrahere, alioquin in nullo casu liceret, quod repugnat Juribus adductis. Ergo, nisi fiat formali intentione in contemptum templi, non est ex vi operis irreverentia aut injuria templi, adeoque non ideo prohibetur, quia ex se malum est, sed ideo malum est, & in tantum, in quantum prohibetur. Ad summum ergo dictat ratio naturalis, esse consentaneum dignitati illius loci, ut ei hoc privilegium concedatur.

142. Quodsi quis diceret, ex perpetua traditione colligi & haberi, quòd Christus hanc Immunitatem instituerit, facilè refutabitur, tum quia hæc traditio gratis confingitur, quandoquidem DD. non solùm eam nunquam agnoverunt, verùm etiam contrarium constanter asseruerunt, & ipsi Canones relati attribuunt hanc Immunitatem Constitutioni Conciliorum, tum per Regulam generalem, quòd Christus (ut discurrit Suarez) nullas leges cæremoniales Ecclesiæ suæ tribuerit, præter Substantiales ritus Sacrificii & Sacramentorum: reliquas cæremonias & Sacra per suos Vicarios disponenda reliquit, ut est Ecclesiarum benedictio, consecratio, & denique modus hujus Immunitatis, ejusque determinatio ad loca, personas, delicta, effectus &c. ad Ecclesiam spectare patet ex Juribus allatis. Non aliter ergo potest dici esse Juris divini, nisi remotè, & radicaliter, quatenus data est Ecclesiæ potestas eam instituendi.

Quàm congruâ autem ratione hæc Immunitas confugientium ad Ecclesias instituta sit, mirâ eruditione ex profanis historiis æquè ac ex S. Scriptura demonstrat Covarruvias *c.* 20. *to.* 2. *var. resol. concl.* 3. & Decianus *c.* 15. *n.* 3.

143. Observandum denique est, quòd quamvis constitutio hujus Immunitatis propriè ad Ecclesiam spectet, eidem tamen Jus Civile semper fuerit suffragatum, unde in Codice extat titulus 12. lib. 1. *De his qui ad Ecclesiam confugiunt, vel ibi exclamant, & ne quis ab ecclesia extrahatur.* Deinde in Conc. Tolet: 12. c. 10. legitur

linus, & quidem ex ratione simili, quia excommunicatus est à communione cum fidelibus exclusus, & ob contumaciam est Ecclesiæ rebellis. Sed iterum cum communi

Dicendum II. Et Affirmandū est, ob rationes etiā contrarias, & maximè, quia Ecclesia excomunicando nō intendit eum tā graviter punire, cùm excomunicatio sit pœna medicinalis, qualis non esset exclusio fugientis. Hæc ratio me movet: non illa quam cum aliis affert Palao, nempe quòd Ecclesia in illo defendendo ostendat hoc ipso majorem pietatem, nec consideret ad illius defensionem delictum & excommunicationem commissam, sed loci sanctitatem. Hæc inquam ratio nimiùm probat, nempe ob nullum aliud delictum fore excludendum, ut consideranti patet. Est etiam sufficiens ratio negativa: quia hic effectus excommunicationis in nullo jure legitur. Neque eo confugiens affectat aliam communionem, quàm illam, quæ in necessitate gravi constituto non negatur excommunicato.

160. Dubitatur III. An si Hæreticus, non quidem ob crimen hæresis fugiens, (nam hunc non gaudere hoc privilegio contra Judicem Ecclesiasticum infrà dicetur) sed ob aliud delictum, v.g. ob homicidium, gaudeat hac immunitate. Et quidem loquendo de hæreticis toleratis, quibus accedere Ecclesias Catholicorum pro libitu licet, non videtur esse difficultas. Loquendo verò de non toleratis, valde communis & probabilis est opinio Deciani, Ambrosini, Covarruviæ & aliorum, negantium, eos gaudere hac immunitate. Quia verò argumenta, quibus hæc opinio nititur, non convincunt, ideo affirmativam tanquam probabilem admittit Suarez, & Castro Palao tanquam probabiliorem. Ratio est, quia lex privans hæreticum hoc privilegio, est intelligenda in sensu formali & reduplicativo, quà hæreticum, seu propter crimen hæresis. Itaque licèt sit exclusus quà hæreticus, non tamen ob alia delicta, sed quà homicida v.g. ergo nisi fugiat quà hæreticus, videtur asylo gaudere, saltem tamdiu, quamdiu Judex Ecclesiasticus eum non inquirit ut hæreticum. Cum his ergo AA.

161. Dicendum III. Hæreticum, si non ob hæresin, sed ab aliud crimen fugiat ad Ecclesiam, ex probali sententia defendendum esse contra Magistratum sæcularem, qui eum ob crimen hæresis capere non potest. Ratio est, quia in tali reo Hæresis non consideratur formaliter & ratione sui: ergo non magis eum impedit, quàm v.g. assassinium, si illud ante commisisset, nec tamen propterea fugeret, sed ob aliud crimen privilegiatum.

162. Dubitatur IV. De Infidelibus, quales sunt Gentiles, Judæi, Saraceni. In utramque partem, tam affirmativam, (quæ tamen est potiorum) quàm negativam, sunt AA. quos refert Palao n. 5. & 6. Alii mediâ viâ incedunt, cum quibus

163. Dicendum videtur IV. Si Infidelis confugiens ad Ecclesiam, habet pro se fundamentum & præsumptionem, quòd seriò velit fidelis fieri, eò quòd jam ante fugam, aut commissum delictum, aut conceptum Judicis timorem, aliquibus signis manifestaverit, se inclinari ad fidem amplectendam, deinde verò receptus dicat absolutè se velle fieri fidelem, gaudebit hoc privilegio. Si verò careat hujusmodi præsumptione, tunc potiùs stat contra eum præsumptio, quòd simulet se velle fieri fidelem, & ideo non gaudebit hoc privilegio. Conclusio est ex mente Suarez *n.* 10. & 11. Bonacinæ §. 3. *n.* 5. Palao, & plurium ab eo relatorum. Prima pars probatur ex ratione. Quia qui vult Ecclesiæ seriò conjungi, meretur ab Ecclesia defendi, neque ullo textu probari potest, infideles ab hoc privilegio, quod præcipuè in honorem Ecclesiæ concessum est, excludi. Secunda pars probatur ex lege *l.* 1. *C. qui ad Eccles. confug.* [Judæi qui reatu aliquo vel debitis fatigati, simulant se Christianæ legi velle conjungi, ut ad Ecclesias confugientes evadere possint crimina vel pondera debitorum, arceantur: nec antè suscipiantur, quàm debita universa reddiderint, vel fuerint innocentiâ demonstratâ purgati.] Ex qua lege sic discurritur. Leges civiles observantur, quando Canonicis non contradicunt, per vulgaria alibi tradita. Atqui in præsenti puncto Canones nihil expresse statuunt de infidelibus, ut gaudeant vel non gaudeant immunitate: ergo standum est legibus civilibus. Cùm ergo lex adducta præsumat, tales Infideles simulatè solùm agere, quasi velint converti, alioquin eos non excluderet: Canones quoque eos pro exclusis habebunt. Cæterùm, cùm lex loquatur solùm de Judæis, quos constat esse multò alieniores ab Ecclesia, quàm alios infideles, & sæpè simulando decipere, præsumptio hæc, quatenus est Juris & de Jure, fortassis ad solos Judæos pertinebit, in aliis infidelibus faciliùs probatio in contrarium admitteretur. Sed de hac præsumptione an sit Juris & de Jure, videri possunt Suarez, Bonac. Farinacius, negantes: Menochius, Sanchez & Palao affirmantes, & quidem conformiter illis quæ de Præsumpt. dicta sunt tomo præced.

164. Dubitatur V. De eo qui effractis carceribus ad Ecclesiam confugit, an gaudeat hac immunitate. Negat Tolosanus in syntagm. Juris *lib.* 33. *c.* 22. *v. Non effract.*

Dicendum tamen V. Et affirmandum est, talem gaudere; quæ sententia obtinuit hic Ingolstadii in casu occurrente, quo reus ex incuria custodum è carcere elapsus fugit ad Monasterium, & à cu-

& à custodibus insequentibus deprehensus in cœmeterio, fuit quidem reductus vi ad carcerem, sed ex mandato Judicis Ecclesiastici restitutus. Ratio est, quia vel fugiendo ex carcere utitur jure suo, vel si delinquit, delictum illud non est unum ex exceptis in Bulla Greg. XIV. Idem planè dicendum de eo, qui jam captus elabitur è manibus capientium: Item de illo, qui jam per sententiam condemnatus est: nihil enim horum adimit privilegium immunitatis.

165. Sed, quid si jurejurando se reus obligâsset, quòd dimissus è carcere vellet sponte redire: deinde verò cum perjurio fugit ad Ecclesiam. Imprimis, si impetret relaxationem juramenti, (quod facili negotio impetratum iri ait Palao) non est dubium gaudere privilegio. Cæterùm, non gaudere est ratio dubitandi, quia perjurium committit in Ecclesia: ergo jam committit delictum exceptum. Ad hoc respondet Palao, ob perjurium in Ecclesia commissum ipsum non gaudere immunitate, benè tamen gaudere ob delictum, propter quod fuerat incarceratus. Posset ergo ob perjurium extrahi, (servatis servandis) & puniri propter perjurium, sed non ob crimen, ob quod eò fugit. Verùm, quia perjurium continuatur, nisi Juramentum relaxetur, relaxatio est impetranda, alioquin non video, quomodo sit restituendus, esset enim cooperatio ad perjurium. Et hoc sensu puto loqui DD. negantes talem gaudere privilegio, si fuit justè incarceratus. Decianus, Azor, & alii.

166. Dubitatur VI. Utrum hac immunitate gaudeat servus, fugiens ob delictum commissum ad Ecclesiam cum præjudicio domini, cujus servitio se subtrahit. ℞. Affirmativè, & quidem respectu alterius Judicis quàm ipsius Domini non est dubium. Respectu Domini verò eatenus gaudet, quatenus solùm ad servitia præstanda extrahi potest, sed cum cautela quæ habetur in cap. *6. de Immun. Eccles.* ibi. [Si verò servus fuerit, qui confugerit ad Ecclesiam: postquam de impunitate sua dominus ejus clericis Juramentum præstitit, ad servitium domini sui redire compellitur etiam invitus, alioqnin à Domino poterit occupari.] Hanc constitutionem, & quòd jurata cautio sufficiat, volunt DD. solùm procedere, quando delictum est leve, & multò magis si est nullum: At verò si sit grave, exigunt satisdationē, vel si dominus hanc non possit aut nolit præstare, dicunt, esse cogendum, ut servum vendat. Verùm, cùm Pontifex sine discrimine loquatur, & ex præcedentibus illius capituli constet, quòd etiam de gravioribus delictis loquatur, dum enumerat delicta excepta, non video quo fundamento asseratur hæc limitatio, nam ubi Jura non distinguunt, nec nos distinguere debemus.

167. Dubitatur VII. An Clericus confugiens ad Ecclesiam, gaudeat hoc privilegio respectu sui Judicis Ecclesiastici. (Nam respectu Laici non indiget, cùm sit tutus privilegio fori etiam extra Ecclesiam, vel si careat privilegio fori, tunc considerabitur ut Laicus, & per fugam gaudebit immunitate respectu Judicis sæcularis.) Est autem quæstio de fuga ob delictum non exceptum. Nam quoad excepta idem de Clerico, quod de Laico dicendum.

Affirmativam sententiam cum aliis à se citatis tuetur Farinacius *q.* 28. *n.* 7. Julius Clarus §. *fin. q.* 3. *n.* 16. Citatur etiam Covarruvias *q.* 20. *n.* 16. sed ibi potiùs ex aliorum opinione loquitur, ipse verò satis dubius hæret, & aliis considerandum relinquit. Decianus etiam *q.* 26. *n.* 1. in fine cum distinctione concludit: vel Clericus venit ad Ecclesiam ex alia causa, quàm ut gauderet immunitate, & tunc non gaudebit immunitate, & poterit extrahi, aut ideo eò fugit, ut gauderet, & tunc gaudebit. Leges enim & canones concedentes hanc immunitatem, hoc præcipuè perpendunt, ne quis fide, quam in veneratione Ecclesiæ & locorū sacrorum habet, defraudetur. Verùm, hæc ratiocinatio & distinctio nihil declarat speciale in Clerico, quod non etiam procedat in laico, & ideo breviùs dixisset Decianus, se subscribere Affirmativæ. Novissimè hanc sententiam propugnat Fagnanus in cap. *inter alia.* de immun. Eccles.

Negativa sententia est communior apud Canonistas & Theologos, quos refert Palao n. 15. & plures Del Benè s. 12. n. 24. qui eandem sequitur, & ad longum probat. Cum qua

168. Dicendum VII. Probabile est, Clericos non gaudere privilegio Asyli. Probatur hæc Conclusio I. Consuetudo est optima legum interpres. atqui consuetudo habet, (ut fatentur etiam plerique ex Adversariis) ut Clerici non gaudeant: ergo &c. Nam, ut Gutierez fatetur (nec negat Decianus) passim Judices Ecclesiastici delinquentes Clericos ex Ecclesia extrahunt, & vinculis ligant sine ullo scrupulo, neque ullus est, qui ad immunitatem proclamet, & illius ratione se defendere conetur. Probatur. II. Immunitas Ecclesiæ non derogat Potestati Ecclesiæ sicut derogat potestati Laicali. Ergo non impedit illam, quominus suos subditos puniat. Probatur antecedens per instantiam. Super delicto Clerici potest ferri sententia à Judice Ecclesiastico in Ecclesia, ut cum glossâ tradit Abbas in can. *fin. ca.* 2. *q.* 2. non verò à sæculari super delicto sæcularis. Ergo quando in reverentiam Ecclesiæ restringitur potestas sæcularis, non hoc ipso est restricta potestas Ecclesiastica. Probatur III. Judex Sæcularis potest in locis sibi subjectis exercere suam Jurisdictionem.

Ergo

Ecclesiæ, ad hujus privilegii extensionem, non solùm venire interius Ecclesiæ corpus seu ambitum, verùm etiam totam Ecclesiæ fabricam, etjam Sacristiam exteriùs conjunctam, & alia illi conjuncta, ut Cœmeterium. Colligitur ex utroque Jure. Imprimis ex *lege 3. C. de his qui ad Eccles.* ubi elegans ratio redditur. [Pateant summi Dei templa timentibus, nec sola altaria & oratorium templi circumjectum, qui Ecclesias quadripartito parietum septu concludit, ad tuitionem confugientium sancimus esse proposita, sed usque ad extremas fores Ecclesiæ, quas oratum gestiens populus primas ingreditur, confugientibus atam salutis esse præcipimus, ut Inter templum, quod parietum descripsimus cinctu, & post loca publica, & jannas primas Ecclesiæ, quidquid fuerit interjacens sive in cellulis, sive in domibus, hortulis, balneis, areis, atque porticibꝰ confugas interioris templi vice tueantur. Nec in extrabeodos eos conetur quisquam sacrilegas manus immittere &c. Hanc autem spatii latitudinem ideo indulgemus, ne in ipso Dei templo, & sacrosanctis altaribus, confugientium quemquam manè vel vespere cubare vel pernoctare liceat.]

Confirmatur ex lege 43. ff. de Rei Vindic. *Quæ religiosis adhærent, Religiosa censentur.* Itaque talia denominantur religiosa à principali cui accedunt. Atqui omnis locus, qui religiosus censetur, gaudet hoc privilegio : ergo illa adjacentia & connexa etiam gaudent. Jure Canonico probatur ex *can. 20. ca. 17. q. 4.* [Si quis contumax vel superbus timorem Dei vel reverentiam sanctarum Ecclesiarum non habuerit, & fugientem servum suum, vel quem ipse persecutus fuerit, de atrio Ecclesiæ vel de porticibus quolibet modo NB. Ecclesiæ, adhærentibus, per vim abstraxerit, pro immunitate nongentos solidos Episcopo componat : & ipse publicâ pœnitentiâ justo Judicio Episcopi mulctetur.]

150. Dubitatum est I. An gauderet privilegio, qui portæ Ecclesiæ manubrium seu ansam apprehenderet, eo quòd ingredi non possit. ℞. Affirmativè. Ità Covarr: & alii, quos sequitur Suarez *c. 9. n. 8.* Ratio illius est. quia licèt talis non sit intra Ecclesiam, est tamen in illa magis quàm si esset in cœmeterio, & ordinariè talis est intra concavum ipsius parietis Ecclesiæ, adeoque non minùs quàm si esset in superiore cubiculo.

151. Dubitatum est II. An gauderet privilegio, qui supra tegulas Ecclesiæ constitutus esset. Rationem dubitandi ponit idem auctor, quia talis est potiùs in aëre, quàm intra muros Ecclesiæ. Respondet tamen affirmativè, quia favores Ecclesiæ sunt ampliandi : imò quia talis reverâ est in Ecclesia, nam ibi dicitur aliquis propriè esse, ubi pedes habet, licèt à tali corpore non circumdetur : sicut corpora Sanctorum erunt in Cœlo, quia pedibus calcabunt superficiem convexam Cœli, licèt à corpore cœlesti non circumdentur. Denique illæ tegulæ sunt etiam Religiosæ, quibus reus adhæret.

152. Dicendum III. Inspecto Jure scripto, & seclusâ consuetudine contrariâ, si Ecclesia consistat extra Muros oppidi vel Civitatis, tunc reus qui semel ab Ecclesia receptus est, potest pro naturæ necessitate procedere ab ipsa Ecclesiæ fabrica ad 40. passus, (si Ecclesia sit Cathedralis seu Major) ad 30. verò (si sit Ecclesia minor) ità ut passus habeat 5. pedes, & pes 15. (vel ut alii volunt 16.) digitos. Quæ omnia meliùs intelligentur ex ipsis Juribus. Itaque can. 6. *ca. 17. q. 4.* de passibus sic habetur. [Sicut antiquitùs à SS. Patribus statutum est, statuimus, ut Major Ecclesia per circuitum 40. passus habeat, capellæ verò, vel minores Ecclesiæ 30.] Quòd autem spatium horum passuum & privilegium illi concessum non aliter sit intelligendum, quàm de confugiente, qui jam priùs Ecclesiæ fabricam & illi connexa in præcedentibus conclusionibus enumerata attigerit, & receptus ibi fuerit, constat ex cao. 35. quem retuli §. 2. ubi etiã habetur, iotra illud spatium non gaudere domos alias seu sæcularium, seu aliorum Clericorum inibi existentes, sed requiri, ut domus sint ipsius Ecclesiæ: Item quòd solùm liceat progredi ad requisitum naturæ usum. Quòd etiam illi passus tantùm concedantur Ecclesiis extra muros existentibus, colligitur ex can. at. illis verbis. *Capellæ quæ sunt intra ambitum murorum, Castellorum, non ponuntur in hac 30. passuum observatione.* Et sanè in civitatibus communiter non habent Ecclesiæ circuitum ad Ecclesias spectantium, sed immediatè accedunt plateæ publicæ, quæ utique privilegio non gaudent.

Dixi in Conclusione. *Seclusâ consuetudine.* Nam Covarruvias & alii apud Clarum *q 30. n. 34.* testantur, hodiernis moribus hos passus non observari.

153. Dicendum IV. Immunitatis privilegio gaudent etiam Cœmeteria, dummodo sint consecrata, sive sint contigua Ecclesiæ sive non. Colligitur ex cap. fin. de Immunit. Eccles. ibi. *in ipsis Ecclesiis, vel earum cœmeteriis.* Item Hospitalia auctoritate Episcopi erecta, & cum altari ad celebrandum. Est enim locus sacer & religiosus. Et ità tenent Canonistæ apud Covarr. n. 4.

154. Dicendum V. Eodem privilegio gaudent Domus seu Conventus Religiosorum secundùm omne illud quod intra eorum septa est, ut est claustrum, dormitorium, hortus, & hujusmodi. Nam licèt non censeantur loca sa-

Ergo etiam Judex Ecclesiasticus in Ecclesia sibi subjecta, nec etir contra reverenriam Ecclesiæ, Clericum ab ea extrahi ab eo, cui Ecclesia subjecta est, sicut non est contra Reverentiam statui Clericali debitam, si Clericus puniatur à Judice Ecclesiastico cui subjectus est, quæ argumentatio & instantia est à Majore ad minus. Nam Clericus est vivum Dei templum 1. *ad Cor.* 5. ut eleganter advertit DelBene. Probatur IV. Per Extractionem ab Ecclesia tunc solùm violatur immunitas, & committitur irreverentia in Ecclesiam, quando fit invitâ Ecclesiâ seu Prælato Ecclesiæ, quæ in hoc puncto sumuntur pro eodem. Atqui quando ab ipso Prælato extrahitur Clericus, utique non fit invito Prælato. ergo &c. Declaratur. Quia Prælatus habet obligationem defendendi reum eò fugientem. Atqui non habet obligationem defendendi contra seipsum tanquam legitimum Judicem, neque potest cognitio causæ, nempe an debeatur huic reo vel non debeatur immunitas, ad alium spectare, quàm ad Judicem Ecclesiasticum. si ergo ille extrahat, nemo est, qui possit ei legitimè contradicere, vel ad alium Judicem provocare.

169. Quinta, & meo Judicio optima probatio videtur esse, quòd in Bulla Greg. XIV. reducente omnia præcedentia Jura ad unam formam, expressè sermo est de Laicis, & nullum verbum de Clericis: atqui assumptâ unâ specie ex oppositis, censetur altera exclusa. ibi. ut *Laicis ad Ecclesias locaque sacra & religiosa confugientibus.* Item: *ut Curia sæcularis ejusque Judices & Officiales ab Ecclesiis Laicum aliquem delinquentem &c.* item. *Revocamus omnia privilegia Laicis concessa extrahendi delinquentes.*

Confirmatur. Nam Ecclesia non punit reos pœnâ corporis tam severâ, sicut Judex sæcularis, unde absque Ecclesiæ irreverentia potest suos punire in Ecclesia, etiam verberibus: ergo nihil obstat, quominus ad has pœnas infligendas possit extrahere, ut in alio loco decentiùs puniantur Clerici.

170. Dices. Posset delictum esse tam atrox, ut mereretur degradationem: an & tunc carebit immunitate degradatus, ut non extrahatur, nec tradatur Judici sæculari? Bernardus Diaz docet, quòd in tali casu Judex Ecclesiasticus vel non debeat extrahere, vel si extrahat, non debeat eum tradere brachio sæculari. Verùm, Covartuvias hanc observationem improbat: quia quando delictum est tam atrox, Ecclesia non defendit Clericum, quominus à Judice Ecclesiastico degradatus tradi possit Judici sæculari. & hoc etiam approbat Suarez. n. 7. Reliquum est, ut ad contraria fundamenta respondeatur.

171. Objicit ergo Farinacius I. Canones loquuntur de privilegio Immunitatis generaliter & sine limitatione: ergo non debet ad solos laicos restringi. ℞. Bullam Greg. XIV. (quam Farinacius ipse interpretatur in appendice de immun. Eccles.) loqui solùm de Laicis, ut patet ex verbis relatis. Deinde, quando Canones loquntur generaliter, intelligendi sunt respectivè ad Judicem Laicum, ut illi non liceat extrahere nec Clericum nec Laicum. Denique etiamsi omnes locutiones essent generales, adhuc tamen Clerici non comprehenderentur, quia deberet eorum specialis mentio fieri, cùm specialis ratio subsit, cur illi debeant extrahi posse à suo Magistratu, ut probatum est: est enim regula generalis, quòd locutio generalis non comprehendat illos, qui speciali notâ digni sunt, sicut nec eos, qui ob speciales causas eâ generali dispositione eximendi sunt: item nec eos, de quibus loquens deberet specificam mentionem facere, ut seipsum vellet obligare, ut notant DD. *in cap. veniens. c. Quintavallis. de Jureiur. cap. fin. de off. vic. in.* 6. *& l. in oblig. generali. ff. de pignorib.*

172. Objicit II. Farinacius. Videtur esse major ratio, ne Clericus extrahatur, quàm Laicus: cùm Ecclesia sit propria domus Clericorum, in propria autem domo nemini capi permissum est, aut vinculis alligari. *l. plerique.* 18. *ff. de in jus vocando. l. nemo ff de R. I.* ℞. Leges adductas intelligendas esse, quòd nemo possit capi in propria domo ab eo qui non est Superior illius domûs. Nam quòd Superior id possit, est nimis apertum, & quotidie practicatum, alioquin cuivis sua domus asylum esset. Jam verò Episcopus est Superior Ecclesiæ ad quam Clericus fugit, unde argumentum potiùs retorquetur, ut benè notavit Del Bene, n. 15. Econtra quia alii Clerici non sunt Superiores Ecclesiæ, ideo de illis in can. 19. *ca.* 17. *q.* 4. sic statutum legitur. [Nullus Clericorum servum aut discipulum suum fugientem ad Ecclesiam extrahere audeat, vel flagelllare præsumat. Quod si fecerit, donec dignè pœniteat, à loco, cui honorem non dedit, segregetur. Itaque etiamsi discipulus Clericus esset, à Magistro non posset extrahi. Posset tamen illum moderatè castigare in ipsa Ecclesia, ut cum glossa notant DD.

173. Objicit Farinacius III. Privilegium immunitatis Ecclesiæ videtur concessum non personis, sed loco ipsius Ecclesiæ: Ergo comprehendit omnes personas, quæ ad dictam Ecclesiam confugiunt. ℞. Concessum esse loco Ecclesiæ in ordine ad illas extractiones, per quas inferretur Ecclesiæ irreverentia, quales sunt extractiones factæ à Laico, aut quocunque non superiore Ecclesiæ, non item quæ fiunt à Superiore, cujus est illud territorium, ubi jus dicit, & subditos punire potest: ergo si delictum tale sit, quod decenter in Ecclesia puniri non potest, potiùs

tius est ratio concedendi extractionem, quæ fit in reverentiam loci.

174. Dices. Ergo in hoc puncto Clerici sunt pejoris conditionis: quia Laici à nullo extrahi possunt. ℞. Si finis spectetur, & status Clericalis in genere, quem decet carere delictis hujusmodi, & major longè spes est ab his obtinendi emendationem, & raritatem delictorum, quàm à laicis, potiùs inde evadunt melioris conditionis, quatenus hac ratione specialem stimulum habent abstinendi ab hujusmodi delictis timore futuræ extractionis: Adde, quòd non sit mirum, eos aliquâ consideratione esse pejoris conditionis, quia si à nullo Superiore extrahi possent, essent nimis bonæ conditionis, quia haberent quasi semper in promptu asylum, cùm plerumque intra fines Ecclesiæ commorentur, prætendentes loci imunitatem, in quem se facilè reciperent commisso delicto. Et hæc dici possunt pro sententia consuetudine firmata, si quidem consuetudo viget, nec improbatur.

175. Cæterùm, referuntur aliquæ declarationes in contrarium, ad quas tamen omnes respondet Thomas del Benè, de illis non constare authenticè. Ex quibus tamen illa videtur esse majoris considerationis, quæ emanavit à sacra Congregatione Episcoporum 17. *Augusti* 1618. ubi dicitur, quòd non possint Clerici ab Ecclesia extrahi, præterquam in casibus degradatione dignis, si secùs fiat, restituantur Ecclesiæ. Et hæc Moderatio videtur satisfacere argumentis allatis; nam delicta minora possunt in ipsa Ecclesia puniri, ut non sit necesse ad extractionem venire.

176. Illud omnino certum est, quòd gaudeat hac immunitate Clericus in Minoribus existens, & nec habens Beneficium, nec in habitu & tonsura alicui Ecclesiæ deserviens, juxta Trid. *sess.* 23. *c.* 6. ità ut nec à sæculari nec Ecclesiastico Judice extrahi possit: talis enim reputatur ut Laicus, & ideo sicut laicus eo gaudet in casibus non exceptis, ità etiam talis Clericus, & econtra sicut non gaudet in casibus exceptis laicus, ità nec talis Clericus.

177. Quæritur VIII. An Immunitate hac gaudeant Religiosi respectu sui Prælati. Imprimis autem certum videtur, quòd, cùm Religiosus ratione votorum servis æquiparetur, si fugeret suum Prælatum, sicut servus suum dominum, esset extrahendus & restituendus Prælato, eo modo, quo suprà diximus servum restituendum esse domino, ex cap. *inter alia. de Immun. Eccles.* Quæstio ergo est, an in ordine ad puniendum extrahi possit ab Ecclesia. In quo puncto Auctores pro præcedente Conclusione consequenter affirmant, & quidem à fortiori, quia alioquin propter delicta in Monasterio commissa nunquam incarcerari possent, nec contra illos formari processus, cui repugnat quotidiana praxis & consuetudo à Pontificibus approbata, (inquit Del Benè) cùm quotidie summi Pontifices ex appellatione causarum ad Urbem videant Superiores Regulares contra suos subditos processum formare, & sententiam ferre de delictis intra Monasterium commissis, & tamen id non improbent, sed potiùs approbent, & confirment, & in hoc consentit etiam Diana. *p.* 1. *tr.* 1. *resol.* 25.

178. Controversum est, an Religiosus apostata v.g. vel ob aliud delictum non exceptum fugiens ad alienam Ecclesiam, inde possit à suo Superiore extrahi. Negat Bobadilla, citans Rebuffum & Decianum, Marius Ital. Farinacius, Duardus, Barbosa. Sed contrarium tenent Lerzana, Peregrinus, Curtellius, quos refert & sequitur Del Benè, quia videtur eadem debere esse ratio, sive fugiat ad alienam, sive ad propriam Ecclesiam.

§. V.

An, & in quantùm Immunitas hæc locum habeat in causis civilibus.

SUMMARIUM.

An Debitor pecuniarius gaudeat hoc privilegio, si non est solvendo, fugiens ad Ecclesiam, ne incarceretur. 179. *& seq.*
An debitor possit extrahi ad hoc ut creditori satisfaciat serviendo. 182.
An suspectus de fuga possit extrahi, ut creditor sit securus. 183.
An debitor tributorum gaudeat immunitate. 184.
An gaudeat obligatus ad ratiocinia. 185.
An gaudeat, qui sua fraudulenter decoxit, si fugiat, ut non puniatur tanquam decoctor. 186. *& seqq.*

179. QUæritur I. An debitor debito pecuniario gravatus, qui non est solvendo, fugiens ad Ecclesiam ne pro debito incarceretur, gaudeat immunitate. Negat cum aliis Curtellius *l.* 1. *q.* 32. *n.* 26. *& seqq.*

Dicendum I. Et affirmandum cum receptissima RR. sententia, quam confirmavit sacra Congregatio Episcoporum pluribus declarationibus, quas allegat Del Benè *dub.* 11. *s.* 1. Probatur. Ecclesia approbat leges Civiles, quæ Ecclesiæ Imunitati à se introductæ non præjudicant, sed potiùs augent & extendunt, ut colligitur

tur ex Conc. Trid. *sess.* 25. *c.* 20. Atqui exstat lex Civilis tribuens hanc Immunitatem debitoribus. *lex* 6. *C. de his qui ad Eccles. confug.* [Praesenti lege decernimus &c. nullos penitus, cujuscunque conditionis sint, de Sacrosanctis Ecclesiis Orthodoxae fidei expelli aut trahi vel protrahi confugas, nec pro his venerabiles Episcopos, vel Religiosos oeconomos exigi, quae ab ipsis debeantur &c.] in qua lege postmodum statuitur, quomodo contra ipsum procedendum salvâ Ecclesiae reverentiâ.

180. Objicitur. Jura Ecclesiastica tantùm concedunt Immunitatem Reis, & Delinquentibus, atqui tales non sunt nec dicuntur debitores. Ergo ad hos non debet extendi. ℞. Ex eo quòd concedatur delinquentibus, à fortiori censetur concedi non delinquentibus, praesertim cùm versemur in materia favorabili interpretationem recipiente. Sanè mihi valde placet opinio Genuensis *c.* 22. *n.* 1. *&* 9. quòd dicta Immunitas competat omnibus etiam nullo modo reis, neque debitoribus, qui ex aliquo fine ad Ecclesiam fugiunt, v.g. si quis gerens inimicitiam cum aliquo fugeret ad Ecclesiam, ut ibi lateret, & non cogeretur à Magistratu inire compositiooem cum adversario: talis non posset extrahi, & hoc colligitur ex can. *definivit* sup. relato, ubi simpliciter cavetur, ne commorantes in Ecclesia extrahi possint. Verùm quidquid sit de hoc, ad objectionem aliter responderi potest cum Suarez & aliis, etiam Debitores venire nomine Reorum, quia sunt illi quibus movetur Quaestio, & intentatur actio, & quarenus ab hoc sibi timent, impelluntur ad fugam ad Ecclesiam.

182. Quaeritur II. An debitor possit extrahi saltem in hunc finem, ut deinde laborando serviat creditori, donec debitum compensetur. Affirmat Curtellius, ex hoc fundamento: quia privilegium immunitatis non debet praejudicare tertio: ergo sicut servus in cap. cit. jubetur restitui domino, ut ei debita servitia praestet, ità & alius debitor. Nihilominus

Dicendum II. Antecedenter ad sententiam condemnatoriam ad tales labores praestandos, non potest debitor invitus extrahi, ad hunc finem, ut creditori serviat. Neque est paritas cum servo fugitivo, cujus dominium manet penes Dominum; creditor autem antecedenter ad sententiam condemnatoriam non habet ullum Jus ad talia servitia. Alia ergo Juris remedia adhibenda sunt. Citandus erit debitor, ut vel per se vel procuratorem se defendat, quo cessante mittetur creditor in bonorum possessionem, & si haec deficiant, feretur sententia condemnatoria, causâ cognitâ, & tunc poterit procedi sicut cum servo.

183. Quaeritur III. An debitor, qui fugit ad Ecclesiam, ob suspicionem fugae possit extrahi, ut creditor sit securus. Affirmant aliqui, ob paritatem sumptam à tempore ad locum. Nam talis potest etiam die festo capi, & quidem etiam à Judice alioquin incompetente. Ergo etjam poterit ab Ecclesia extrahi.

Dicendum tamen est III. Etiam talem gaudere immunitate. Nam timor & periculum delicti committendi non adimit immunitatem. Neque argumenti paritas procedit, alioquin sicut reus, quando est periculum in mora, potest puniri in die festo, ità etiam posset puniri in Ecclesia, quod falsum est. Caeterùm, integrum est creditori, adhibere, Judicis auctoritate, custodiam ne fugiat debitor.

184. Quaeritur. IV. An Debitor tributorum gaudeat hoc immunitatis privilegio. Negant non pauci apud Del Bene *f.* 5. & fundant se in Novella 17. *c.* 5. §. 1. [Publicorum verò tributorum exactiones etiam intra templa decenter fieri procurabis.] Nihilominus

Dicendum IV. Etiam hos gaudere Immunitate. Nam Canones in hac materia corrigunt Jus Civile, in quantum restringunt immunitatem, etsi canonizent, in quantùm eam extendunt. Quamvis, ut verum fatear, non videam, quomodo ex adductis verbis Novellae probetur facultas extrahendi: cùm solùm dicatur, quòd exactio tributorum possit fieri decenter in templo. Alia tamen in illo capite statuuntur in praejudicium immunitatis Ecclesiae, de quibus postea.

185. Quaeritur V. An gaudeat obligatus ad ratiocinia. Negat iterum Curtellus, fundans se *in can. uxor.* ca. 17. q. 4. Sed

Dicendum est V. Etiam hunc gaudere, quia Canones nullibi excipiunt, & etiamsi antiqui canones excepissent, Constitutio Gregoriana non excipit. Verùm, Canon adductus à Curtello non est ad rem, loquitur enim de Servo, qui jubetur etiam in cap. *inter alia.* restitui domino caventi, ut sup. relatum. Itaque Canon adductus de servo ad Ecclesiam recepto, & se jactante quòd bonam causam haberet, sic statuitur. [Egredi sub hac conditione praecipimus, ut si actus suos fideliter & rationabiliter allegaret, nihil circa eum prorsus asperum fieri, dumque pateremur. Alioquin si contra fidem & utilitatem Dominicam NB. venisse probaretur, ipse sibimet imputaret, atque domini ordinationi congruae subjaceret.]

186. Quaeritur VI. An gaudeant immunitate illi, qui sua fraudulenter decoxerunt, & ideo fugiunt ad Ecclesiam, ne possint tanquam decoctores puniri legibus in tales decoctores, & Mercatores fallitos seu Bancarotos (ut vocantur) constitutis. Communis multorum Opi-

nio est, non solùm Canonistarum, sed etiam Theologorum (inter quos est Fagundez de præceptis Ecclesiæ *præc.* 2. *lib.* 4. *c.* 4. *n.* 53. & videtur consentire (quamvis se remittat ad consuetudinem, & potiùs ex aliorum opinione loquatur) Adamus Tannerus 22. *disp.* 5. *q.* 8. *dub.* 1. *n.* 17.) tales non gaudere. Eandem sententiam secutus est Farinacius *q.* 28. *n.* 33. sed tunc nondum viderat Bullam Greg. XIV. nam eâ perpensâ postea aliter sensit, & contrarium tanqnam indubitatum asseruit in append. *n.* 64. *c.* 3. Contra hos

Dicendum est VI. Attentâ Constitutione Gregorianâ tales decoctores fraudulenti gaudent hac immunitate. Ità tenent RR. Canonistæ communissimè, & Fagnanus in cap. Inter alia n. 58. ait rem esse expeditam, quibus accedit ex Theol. Bonacina & Palao, & meritò. Nam expressè derogatur in dicta constit. omnibus privilegiis & indultis aliquando concessis extrahendi, & quidem nominatim fraudulentos decoctores, neque postea in ponendis casibus exceptis ullam ampliùs mentionem facit decoctorum.

187. Objiciunt I. Bullam Pii. V. ubi tales comparantur publicis latronibus. ℞. Bullam Greg. XIV. esse posteriorem. & præcedentia Juta ad uniformitatem reduxisse. Prætcrquam, quòd illa æquiparatio non sufficiat, ut propterea ex illa inferatur privatio immunitatis, nam regula est, quòd pœna uni certo delicto statuta, non sit extendenda ad alia similia & æquè gravia, ut patebit in progressu.

188. Objiciunt II. quasdam litteras scriptas ad Archiepiscopum Bononiensem & Nuntium Neapolitanum ex mandato Clementis VIII. quibus mandatur Superioribus Regularium, ne condemnatos, fallitos, bannitos, fures, decoctores, debitores, aliosque similes, in suis Conventibus receptent, injunctâ receptantibus pœnâ. ℞. 1. Has litteras non habere vim aut formam legis. ℞. 2. Clementem VIII. non cogitâsse cumulare aut multiplicare casus exceptos ultra Bullam Greg. XIV. sed solùm prohibere receptionem talium, adeoque jussisse ut repellantur, non tamen jussisse, ut Judicibus consignentur, ut exponit Farinac. lo. cit. Deinde Diana p. 6. tr. 1. resol, 17. refert, quòd Sacra Episcoporum Congregatio decreverit, quòd debitor fraudulentus ad Ecclesiam cum bonis confugiens, non sit ibi multo tempore tolerandus, sed ab Ecclesia expellendus, item quòd decoctus non debeat res & bona in præjudiciũ creditorũ ad Ecclesiam deferre, sed illa debeant Judici sæculari consignari, ut cognoscendo adjudicet, cui de Jure debentur. Plures declarationes, vel potiùs mandata ejusdem Congreg. de hujusmodi bonis loco non immuni consignandis, refert Del Bene dub. 11. in fine.

§. VI.

De Octo Delictis in Bulla Greg. XIV. exceptis, & à Privilegio Immunitatis exclusis.

SUMMARIUM.

ENumerantur octo genera delinquentium non gaudentium immunitate. 189.

Quis dicatur hic Latro publicus. 199. *& seqq.*

An nocturnus depopulator agrorum, ut privetur immunitate, debeat publicè deliquisse. 193.

An Diurnus depopulator immunitate privetur. 194.

Quomodo differat Grassator viarum à Latrone publico. 195.

An Grassator viarum fuerit etiam antiquo jure privatus immunitate. 196.

Quid si aggrediatur in viis privatis non frequentatis. eod.

Quis hìc dicatur propriè Mutilator. 197.

An Mutilatio & Homicidium sint tantùm exempli causâ allata in Bulla. 198.

Quæ fuerit ratio specialiter excipiendi hoc delictum. 200.

An exceptio sit solùm intelligenda pro illa Ecclesia, in qua commissum delictum. 201.

An hoc delictum debeat fuisse commissum spe immunitatis. 202. *& seq.*

An gaudeat immunitate, qui graviter, sed absque nece aut mutilatione vulnerat. 204.

An fugiens cum armis prohibitis sub pœna læsæ Majest. privetur immunitate. 206.

An jaculans ex Ecclesia & occidens existentem extrà, & econtra privetur immunitate. 207. *& seqq.*

An privetur, mandans aliquem occidi in Ecclesia cum effectu. 210.

An privetur, vi aut dolo extractum occidens, & Fugiens ad Ecclesiam. 212.

An, qui occidit in Ecclesia, & fugit ad eam ob aliud delictum, etiam ratione hujus privetur. 213.

Quis hic dicatur Homicida proditorius. 214. *& seqq.*

An privetur immunitate, qui proditoriè occidit infidelem. 217.

An privetur occidens in duello. 218.

An privetur occidens de industria, sed non per insidias. 219.

An privetur, qui ex insidiis & proditoriè vulneravit animo occidendi, sed mors non est secuta. 220.

Assas-

189. ENumerantur octo genera delinquentium, ab hoc privilegio exclusorum, illis verbis. [Si fuerint publici latrones, viarúmque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidijs aggrediuntur, vel depopulatores agrorum, quivé homicidia & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis earúmque cœmeteriis committere non verentur, aut qui proditione proximũ suum occiderint, aut Assassinii vel Hæresis, aut læsæ Majestatis rei in personam ipsius Principis, Immunitas Ecclesiastica non suffragetur.] Nunc ordine declaranda.

Latro Publicus.

190. QUÆritur. Quid requiratur, ut quis dicatur Latro publicus, ut hac immunitate privetur. ℞. I. Latro dicitur qui violenter alios deprædatur. Latro publicus verò, qui vel deprædatur palàm seu publicè, vel per insidias in via publica, vel etiam in mari aut flumine, (ut Piratæ) vel per vim publicè in domibus privatorum.

℞. II. Ut immunitate privetur, non sufficit suspicio aut dubitatio, aut etiam quæcunque fama & vulgi opinio, vel assertio illius qui petit extrahi, sed necesse est, ut sit notorium, seu notorietate Juris, seu facti, & parte citatâ sit facta informatio, & lata sententia declaratoria.

191. ℞. III. Ut privetur immunitate, requiritur, ut non semel aut bis, sed sæpius deprædaverit. Ità Farinacius, Del Bene, Palao & alii, allegantes Decianum c. 28. *n.* 2. cujus propria verba adscribam. [Neque tamen putârim, inquit, publicum latronem eum dici, qui palàm & vulgò grassatur, & deprædatur, quia imò latrones non palàm, & publicè, sed secretò & per insidias prædantur, ideo à latendo dicti: sed publicum latronem appellatum autumo, quòd in locis publicis, id est, viis publicis & itineribus deprædetur: nam viarum aliæ publicæ, aliæ privatæ: & publicæ sunt, quæ in communi & publico solo sunt; privatæ, quæ in privato, ut habetur *in l.* 2. §. 22. *ff. ne quid in loco pub. Viarum quædam publicæ sunt, quædam privatæ, quædam vicinales. Publicas vias dicimus quas Græci basilicas, id est regias, nostri pretorias, alii consulares vias appellant. Privatæ sunt, quas agrarias quidam dicunt. Vicinales sunt viæ, quæ in vicis sunt, vel quæ in vicos ducunt &c. si ex collatione privatorum reficiantur.* Atque ideo existimârim Publicum latronẽ dici, tum respectu loci publici in quo deprædatur, tum respectu frequentiæ, propter quam jam omnibus & publicè notus ac pro latrone habitus est: quòd si quis semel vel bis aliquem in via privata spoliâsset, non putarem sub nomine latronis publici comprehendi: hoc enim, quòd privetur hac immunitate, videtur inductum ob atrocitatem criminis, quo multis nocere potest, cùm vias frequentatas obsideat. quodsi obsideret vias non frequentatas, non ità atrox videretur delictum, cùm in culpa sit is, qui per insuetas vias vadit. Quòd requiratur, vias quas obsident, esse frequentatas, videtur optimè probare textus in *l.* 1. *Quando liceat unicuique sine Judice se vindicare.* ibi. *aut itinera frequentata insidiis aggressionis obsederit.* Quòd ad constituendum publicum latronem requiratur, quòd non semel tantùm aut bis, sed pluries sit solitus latrociuari, tenet Ang. dicens, quòd hoc nomen *publicus latro*, est nomen Juris non facti. &c.] Ità Decianus.

192. Ipse tamen Decianus paulò pòst agnoscit, se nimis strictè locutum esse in prioribus verbis ab initio. Extendenda, inquit, erit prædicta limitatio, ut latro publicus non sit tutus in Ecclesia, sive in viis publicis, cùm violentiâ solitus sit deprædari, sive etiam in domibus privatorum, modò id cum violentia faciat, (alioquin esset simplex furtum) quod probatur auth. *Sed novo Jure. C. de Serv. fugit.* ibi. [Qui autem violenter aggrediuntur, aut cum armis, aut sine armis, aut in domibus, aut in itineribus, aut in mari, pœnis legalibus subjiciantur.] Et ratio est, quia atrocius est, aliquem in pro-

ptia domo occidi, vel violenter iovadi & ſpoliari, quàm in via publica. Ex eadem auth. conſtat, etiam Piratas publicis latronibus adnumerandos, quoad Immunitatis ademptionem.

Nocturnus Depopulator agrorum.

193. ILle talis dicitur, qui de nocte agrorum alienorum ſegetes, vel vinearum fructus destruit, ibi ſe abſcondendo, vel aliâ viâ eos ſubripiendo vel devaſtando; vel iocendendo.

Quæritur I. An ad hoc ut talis immunitate privetur, requiratur, delictum ab ipſo publicè fieri. ℞. Negativè: ſufficit enim, quomodocunque fiat, dummodo de illo conſtet, & pluties factum ſit.

194. Quæritur II. An Diutnus depopulator etiam hac immunitate privetur. ℞. Antiquo Jure non privari, ſaltem vi hujus casûs excepti. Nam in illis Juribus ſup. relatis, expreſsè ponitur particula ſpecificans: *Nocturnus*. Verùm, attentâ Conſtitutione Gregorianâ res eſt admodum dubia. Nam in illa eſt omiſſa illa reſtrictiva vox: *Nocturnus*: ergo videtur Pontifex voluiſſe etiam diurnum comprehendere. Et ità reverà ſentiunt Farinac. 161. Ambroſinus, Scortia, Barboſa, Lezana & Bonacina. Et mihi probabilius videtur, quamvis Del bene putet non improbabiliter dici poſſe, quòd ſit ſubintelligenda, quia non videtur voluiſſe corrigere Gregorius Jus antiquum & commune. Quæ ramen ratio me parùm movet, cùm ex ipſa Bulla conſtet, quòd aliquos caſus ſuperaddiderit illis qui in Jure commoni excepti erant. Illud addit idem auctor, quòd talis excludatur in exceptione publici lattonis: ſed hoc non invenio apud alios, & reverà definitio publici latronis non comprehendit diurnum devaſtorem agrorum, quia talis devaſtatio diurna non eſt violenta, ſicut furtum diurnum non eſt hoc ipſo violentum.

Graſſator Viarum.

195. DIffert hoc crimen à Latrocinio publico quòd hoc exerceatur extra Vrbes, illud verò intra Vrbem. Eſt itaque viarum Graſſator qui in urbe per inſidias aggreditur, ut viatores ſpoliet, vulneret, vel occidat, & hanc differentiam aſſignat Thomas del Bene; nec aliam apud illos DD. invenio. Nam Farinacius n. 164. quam aſſignat, ſtatim ipſe revocat: poſtquam enim dixiſſet, Latronem publicum in eo differre à Graſſarore, quòd latro frequenter deprædetur, & non ſufficiat ſemel aut bis deprædatum eſſe, poſtea eodem numero fatetur, hoc ipſum de Graſſatore dicendum eſſe. Et ſanè hoc omnes cæteri fatentur, & per ipſum verbum *Graſſari*, indicatur.

196. Quæritur. I. An hoc delictum etiam antiquo Jure fuerit exceptum. Aſſerunt plerique, eo quòd in cap. *inter alia.* indicetur per illa verba: *Qui dum itinera frequentata, vel publicas ſtratas obſidet aggreſſionis inſidiis.* Quidquid ſit, Gregorius clariùs expreſſit, quamvis uno contextu latronibus coojunxerit, à quibus parùm abſunt, ut habetur in lege 28. §. 10. *ff. de pœnis.* [Graſſatores, qui prædæ causâ id faciunt, proximi latrooibus habentur.] Quæritur. II. An ad hoc ut non gaudeat immunitate, ſufficeret, ſi quis eſſet aggreſſor in viis privatis & non frequentatis. Affirmat Innocentius & Hoſtienſis. Verùm, inſiſtendo textui alii omnes negant, & patet ex verbis relatis. Rationem reddunt, quia pernitioſius Reipublicæ eſt, obſidere vias publicas, eaſque intutas reddere, cùm hoc ad omnes ſe extendat, non item periculum viarum privatarum.

Homicidium in Eccleſia vel Cœmeterio commiſſum.

197. CIrca hoc Delictum exceptum, & illius intuitu, multa dubia à DD. moventur, ordine expedienda.

Præmittendum eſt. Quis dicatur & verè habendus ſit Mutilator. ℞. Non ſufficere, quòd quis vulnerando aliquod membrum debilitet, ſed requiri, ut propriè abſcindat aliquod membrum corporis, cujus officio corpus juvatur, ut ſunt oculi, pedes, manus, lingua, mandibula: non item qui partem membri abſcindit, cujus uſus eſt ſolùm partialis alicujus membri, non habentis alium uſum quàm in plutibus hujusmodi partibus. Unde non ſufficeret amputâſſe digitum, vel excuſſiſſe dentem, de quo videndi ſunt DD cùm agunt de Irregularitate: Ex quibus per partium enumerationem refert Del Bene, quòd digitus, quantumvis pollex, vel index non ſit propriè membrum, ſicut nec dentes, ungues, teſticuli, barba, capilli, digitorum articuli, nates, pars carnis, copia ſanguinis vel auricula, id eſt cartilago illa extranea, quæ tuetur aurem & ornat faciem. Idem dicit de mamillis maris, cùm non habeant actum proprium & particularem, ſed potiùs videantur inſervire ad ornatum hominis: oculus autem, manus, pes, auris (*non accepta pro ſola cartilagine exteriore, alioquin ſibi cōtradiceret*) lingua, membrum virile, ſunt propriè membra, quia habent peculiares actus, diſtinctos ab ali-

ab aliis membris, de mamillis fœminarum, imò & de lingua aliqui negant esse simpliciter membrum, sed contrarium est verius.

198. Quæritur nunc I. An Homicidium & mutilatio in Ecclesia commissa, sint à Pontifice solùm exempli causâ allata, adeoque, quodcunque grave delictum in Ecclesia commissum eundem effectum habeat, ut scilicet à privilegio Immunitatis sit exceptum. Affirmat Abbas *in cap. fin. de Im. Eccl.* Clarus, Castro, Tolosanus, Navarrus, Decianus, Farinacius *de C.r-cerib. q. 27. n. 53.* (qui tamen postea correxit, quando Bullam Greg. tractavit de Immun. Eccl. n. 208.) item Suarez c. 11. n. 6. Reginaldus, Tannerus n. 16. summariè referens absque ulla probatione, & plures alii. Contra quos

Dicendum est I. Nullum aliud delictum in Ecclesia commissum, præcisè ex hoc quòd sit in Ecclesia commissum, si non est ex alioquin exceptis, privare Immunitate. Ità tenent alii RR. communiter omnes. Et quidem Barbosa in Collect. Bull. *V. Immunitas* refert, quòd S. Congregatio Immun. 18. Martii 1631. declaraverit, quòd immunitate gaudeat furans in Ecclesia. Probatur evidenter ex eo, quòd si Pontifex voluisset solùm exempli causâ enumerare homicidium & mutilationem, dedisset inexcusabiliter ansam graviter errandi Præpositis Ecclesiæ, cùm facillimè dixisset, *delinquentes graviter in Ecclesia.* Restat solùm, ut ad argumenta contraria respondeatur.

199. Fundamentum potissimum desumitur ex *cap. fin. de Immun. Ecclesi.* quod sic habet. [Nonnulli impunitatem suorum excessuum per defensionem Ecclesiæ sperantes, homicidia & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis vel earum cœmeteriis committere non verentur: qui nisi per Ecclesiam ad quam fugerint, crederent se defendi, nullatenus fuerunt commissuri. Et infrà. Cùm autem in eo, in quo delinquit, puniri quis debeat, & frustra legis auxilium invocet, qui committit in legem, mandamus, quatenus publicè nuotietis, tales non debere gaudere Imunitatis privilegio, quo faciunt se indignos.] Ex quo textu Adversarii argumentantur. Ubi est eadem ratio in lege adducta, debet esse eadem legis dispositio: sed ratio in hac lege adducta est, quòd peccetur in Ecclesia, & ideo sint favore Ecclesiæ indigni peccantes in Ecclesia. Ergo cùm hæc ratio locum habeat in omni delicto in Ecclesia commisso, debet esse eadem dispositio: unde est regula, quòd ubicunque ratio legis vel canonis est generalior dicto, seu dispositio, tunc ad latitudinem rationis extenditur ipsa dispositio. text. in *l. regula. §. fin. de Juris & facti ignorant.*

Respondent communiter, quòd in pœnalibus non sit facienda extensio ex identitate rationis secundùm opinionem magis communem. Contra hoc replicat Fagnanus (qui tamen postea nobiscum sentit) hoc non esse verum, quando agitur de puniendis delictis, tunc enim materia dicitur favorabilis, & expediens Reipublicæ: imò toties fit extensio, quoties ratio est in lege expressa, etiam in pœnalibus.

Ad argumentum adversariorum nervosè respondet idem auctor in *d. c. fin. à n. 28.* hanc & similes controversias sublatas esse per Gregorianam Constitutionem, quâ declaratur, delinquentes nunquam extrahi posse ab Ecclesia nisi in casibus ibi exceptis: & inter hos recenset committentes homicidium, & mutilationem membri in ipsa Ecclesia, & nullam reddit rationem, nec distinguit (sicut videri posset cap. fin. distinguere) an sit factum spe immunitatis necne, sed simpliciter & absolutè casum illum excipit: imò illa Constitutio prohibet fieri extensionem ad casus in ea non expressos etiam ex identitate vel majoritate rationis, ut notavit idem Auctor in c. *inter alia. n. 51.* & 55. & mirum est, hoc alios non advertisse.

200. Quodsi quæras, ex qua ratione Pontifex solùm homicidium & mutilationem in Ecclesia perpetrata exceperit, respondent DD. quia hæc frequentiùs fiunt quàm alia. Capio hanc rationem in Homicidio, non item in mutilatione, nec video cur frequentiùs fiant quàm furta, vulnerationes, & alia sacrilegia. Quare, salvo aliorum judicio pro mutilatione darem hanc rationem, quia est partialis & quidem notabilis privatio vitæ, adeoque partiale homicidium, quatenus integritatem hominis in parte aliqua principali tollit. Sed periculosum est assignare rationem, quæ non vel probet nimiùm, vel nimis parùm.

201. Quæritur II. An Exceptio solùm intelligenda sit pro illa Ecclesia, in qua commissum est delictum, adeoque si homicida inde fugeret in aliam Ecclesiam, ibi gauderet immunitate. Affirmat Sylvester *v. Immunitas §. 3.* asserens ità de consuetudine alicubi observari.

Dicendum tamen est II. Non reddi immunem etiamsi fugiat ad aliam Ecclesiam. Ità omnes DD. cæteri. Ratio est, quia illa restrictio non probatur ex ullo textu, & ulteriùs talis omnes Ecclesias læsit, quia Ecclesia est una per totum orbem. Sic etiam qui lædit unum Clericum, dicitur lædere totum Statum Clericalem.

202. Quæritur III. An ut quis ex homicidio privetur immunitate, debeat commisisse delictum spe immunitatis. Affirmat post antiquiores Gutierez, Tuschus, Azor. Citari etiã solet Farinacius, (qui tamen potiùs est dubius in appendice à o. 238. sed in quæst. 28. n. 54. expressè tenet negativam) Diana, qui allegat aliquam decisio-

decisionem, de qua tamen non constat authenticè.

Dicendum III. Attentâ constitutione Gregor. caret hac immunitate, qui occidit nihil cogitans de imunitate. Ità cæteri DD. præsermit RR. post Abbatem, Covarr. Suarez, Laym. Bonacina, alii. Probatur imprimis, quia contraria sententia non observatur in praxi, maximè etiam ex eo capite, quia, ut etiam adversarii fatentur, semper est præsumptio, saltem Juris, quòd quis fecerit spe immunitatis, nisi contrarium probet, vix autem apparet, quomodo possit probare contrarium, cùm intentio lateat. Unde non desunt, qui putent esse præsumptionem Juris & de Jure, ac proinde non admittere probationem in contrarium. Verùm, quidquid sit de hoc, in Constitut: Gregor. nullo verbulo indicatur talis restrictio, sed potiùs indicatur contrarium, nempe quòd puniatur temeritas & irreverentia, dum dicit. *Committere non verentur.*

203. Major dubitatio esse posset, attento cap. finali, h. t. sup. telato, ubi à principio cap. videtur adduci causa movens Pontificem, his verbis. [Nonnulli impunitatem suorum excessuum per defensionem Ecclesiæ obtinere sperantes, qui nisi per Ecclesiam crederent se defendi, nullatenus fuerint commissuri.] Nihilominus allegati DD. censent, nec hoc jure inspecto aliud dicendum esse. Quia postea statim affertur ratio generalis, comprehendens etiam eum, qui non occidit spe immunitatis, nempe quia peccat in Ecclesiam, & committit in legem. Addo, non esse novum, quòd lex sæpè feratur universalis, ex causa quæ non est universalis. sic alibi declaravi, ex lege irritante clandestina matrimonia universaliter, ex causa frequentium illusionum, quâ multi suas uxores clàm ductas repudiabant, quòd matrimonium non posset probari, quæ ratio non est universalis, & tamen irritatio est universalis.

P. Palao utitur probatione subtili, sed inefficaci. Dicit, quòd in sententia contraria redderetur dispositio inutilis & impossibilis. Nam qui occideret in Ecclesia, sciens se non gavisurum immunitate, si hac spe occideret, hoc ipso non posset hac spe fretus occidere, ergo jam gauderet immunitate, dum supponit se non gaudere. Hæc probatio est nulla. Nam dispositio esset utilis etiã respectu illorum, qui legem scirent, adhuc enim haberent spem, se probaturos, quòd non fecerint spe imunitatis: alioquin, si hanc spem non haberent, cur manerent in Ecclesia tanquam in asylo? Deinde haberet maximam utilitatem respectu illorum qui solùm in genere scirent, Ecclesiam esse asylum, & hoc freti occiderent.

204. Quæritur IV. An gaudeat immunitate, qui graviter, sed absque nece aut mutilatione vulnerat, cum magna sanguinis effusione? Negant Tuschus, Marins, & quidam alii. Alii restringunt ad certum casum, nempe, quo reus jam apprehensus à Ministro trahit eum post se usque intra Ecclesiam, & ibi, ut se ab illo liberet, eum graviter sauciat. Ità Gambacurta, & Curtellius.

Dicendum IV. Et Affirmandum est, omnes hujusmodi gaudere, dummodo mors nec intra nec extra Ecclesiam ex tali vulnere sequatur. Ità cæteri omnes. Addo ego, nisi fallor ex eorundem mente: quòd etiamsi mors sequeretur ex vulnere per accidens, v. g. quia ligatura neglecta est, dummodo vulnus secundùm se & ex natura sua (super quo solent Medici & Chirurgi examinari) non sit lethale: nam talis non punitur ut homicida. Idem est, si ex vulnere evenisset malum, ut brachium vel pes &c. debuerit postea amputari à chirurgo. Nam talis vulnerans non rectè diceretur mutilâsse. Conclusio probatur argumento communi, quia talis vulneratio non legitur inter crimina excepta.

205. Objicit Curtellius pro suo singulari casu. Reus tunc jam est in possessione Ministri: ergo sicuti in omnium sententia non gaudet immunitate ille, qui à ministro extra Ecclesiam captus ducitur ad carcerem per cæmeterium vel Ecclesiam, ità nec ille. ℞. Negando paritatem, quia in casu præsenti satelles non ducit illum ad Ecclesiam, sed potiùs ab ipso capto trahitur invitus & ducitur.

Dixi: dummodo mors non sequatur saltem extra Ecclesiam. Nam talis adhuc diceretur occidisse intra Ecclesiam, ubi vulnus lethale inflixit, sicut econtra ille dicitur extra Ecclesiam occidisse, adeoque gaudet immunitate, qui vulneravit lethaliter extra Ecclesiam, etiamsi vulneratus deinde se recipiens in Ecclesiam ibi moriatur.

206. Quæritur V. An fugiens ad Ecclesiam cum armis prohibitis sub capitali pœnâ & reatu læsæ Majestatis, privetur immunitate. Affirmat Covarr. & parùm abest Decianus.

Dicendum V. Et negativè respondendum, tum quia sic declaravit sacra Episc. congregatio apud Dianam, tum quia non est crimen læsæ Majestatis in Personam Principis, quod requiritur, ut infrà dicetur.

207. Quæritur VI. An existens in Ecclesia, indeque jaculans in existentem extra Ecclesiam atque occidens, privetur immunitate. Et econtra, si existens extra Ecclesiam jaculando occidat existentem intra Ecclesiam. Communior sententia tenet in utroque casu privari immunitate. In priore quidem, quia in Ecclesia est posita causa necessaria, & non ampliùs impedibilis mortis seu lethalis vulneris, quia globus ejectus revocari non potest. In secundo verò,

doverò, quia in delictis attenditur potiùs consummatio quàm inchoatio. Et hæc sententia ob graviſſimam AA. non ſolùm Juriſtarum, ſed etiam Theologorum, eſt utique ſummè probabilis extrinſecè, & ſecurè practicabilis. Nihilominus

Dico VI. Theoricè loquendo mihi probabiliorem videri ſententiam, quæ quidem in ſecundo caſu cum relata affirmativa conſentit, ſed diſſentit in primo caſu. Ità Novarius in Summa Bull. *tit. de Immun. n.* 51. Bonacina *diſp.* 3. *q.* 7. *p.* 4. *n.* 8. *de Immun.* Diana. *p.* 1. *tr.* 1. *reſol.* 9. Riccius. *p.* 5. *collect.* 1792. Peregrin. Fagund. quos refert & ſequitur Del Bene.

Probatur I. Ex fundamento quo adverſarii probant ſecundam partem. Quia in delictis potiùs attenditur conſummatio, quàm poſitio cauſæ quantumvis neceſſariæ ex natura rei. Ex quo principio docent Theologi communiter, quòd talis non incurrat cenſuram latam in occidentem in Eccleſia: ergo ob paritatem dicendum quoque eſt, quòd non privetur privilegio, quo privantur occidentes in Eccleſia.

Probatur II. Quia cùm verſemur in odioſis, attendendus eſt communis modus loquendi: atqui communis modus loquendi non eſt, quo talis dicatur occidiſſe in Eccleſia, ſed potiùs dicitur occidiſſe extra Eccleſiam, nempe in illo loco, ubi vulnus lethale inflictum eſt. Et quidem quòd talis rectè dicatur occidiſſe extra Eccleſiam v.g. in platea, ubi globo trajectus eſt, nec adverſarii poſſunt inficiari, nam ipſi dicunt in ſecundo caſu, talem occidere in Eccleſia, quia nempe ibi vulnus infligitur ab exiſtente extra Eccleſiam. Hinc

208. Confirmatur hæc probatio. Nemo ſanus ſolet dicere, quòd qui alium jaculando occidit, occiderit illum in duobus locis diſtantibus, hoc enim in communi modo loquendi ſonaret replicationem vel occidentis, vel occiſi. Atqui ſecundùm adverſarios ſemper aliquis occideret in locis diſtantibus, nempe in loco ubi ſtat explodens bombardam, & in loco ubi ſtat vulneratus. Hinc, ſi quis ſtans in Eccleſia S. Petri ejaculando vulneraret exiſtentem in Eccleſia S. Pauli, dicendus eſſet, in utraque occidiſſe Eccleſia: & per conſequens ſi diverſæ pœnæ eſſent ſtatutæ contra occidentes in illis Eccleſiis, ambas illas pœnas talis incurreret, quod eſt contra omnium ſenſum: ergo à primo ad ultimum non eſt verum, quòd occidens in priore caſu occiderit in Eccleſia, cùm etiam ſecundùm adverſarios rectè dicatur occidiſſe extra Eccleſiam.

209. Illud tamen concedendum eſt contrariæ ſententiæ, quòd in primo caſu, ob injuriam Eccleſiæ illatam per exploſionem lethiferam, poſſit explodens ab Eccleſiaſtico Judice puniri, etiamſi mors non eſſet ſecuta, ſicut poſſet ob alia delicta in Eccleſia commiſſa.

210. Quæritur VII. An privetur immunitate, qui mandat aliquem occidi in Eccleſia, cum effectu. Affirmant multi, quos ſequitur Barboſa, & Layman *c.* 3. *n.* 6. qui cum, quibusdam aliis etiam hoc extendit ad eum, qui mandatum dat intra Eccleſiam, ut quis occidatur extra Eccleſiam, quæ tamen extenſio meritò pleriſque aliis diſplicet.

Dicendum VII. Et reſpondendum Negativè, cum longè communiore ſententia. Probatur. Mandans aliquid fieri non rectè dicitur ipſe feciſſe, niſi quando hoc jura expreſsè fingunt; unde quando leges pœnales volunt etiam comprehendere mandantem, ſemper exprimunt, alioquin mandans illam pœnam non incurrit, quæ conſtituta eſt in facientem. Atqui in Conſtitutione Gregoriana nulla fit mentio mandantis. Ergo non eſt comprehenſus ſicut ipſe occiſor. Neque refert quòd ſoleat dici: quod quis per alium facit, per ſeipſum feciſſe cenſetur: Hoc enim ſolùm verum eſt in foro conſcientiæ, (in quo talis rectè dicitur homicida) & quando Jus exprimit, ac fingit. Unde nec Cenſura incurritur à Mandante aliquid fieri, cui infligitur cenſura, niſi exprimatur.

211. Objici poſſet. Mandans aliquem extrahi ab Eccleſia contra Bullam Pontificis, incurrit Excommunicationem hujus Bullæ, quamvis non fiat expreſſa mentio mandantis, ergo idem dicendum erit de mandante occiſionem in Eccleſia, ut amittat privilegium. ℞. De antecedente eſſe controverſiam infrà tangendam. Nunc tranſeat antecedens, negatur paritas, Quia excommunicatio illa fertur in omnes, qui aliquid agunt contra Immunitatem in Bulla conceſſam. Atqui talis eſt mandans: ergo ſatis exprimitur.

212. Quæritur VIII. An amittat privilegium, qui vi vel dolo aliquem extrahit, & extractum occidit extra Eccleſiam, & deinde fugit ad Eccleſiam. Affirmat Farinacius in append. *c.* 16. *n.* 232. & Azor 2. *p. lib.* 9. *q.* 9. *c.* 14. *verſu.* 15.

Dicendum VIII. Talem non amittere privilegium. Ità communiter alii. Et ſequitur ex præcedentibus à fortiori. Nam talis non dat in Eccleſia cauſam neceſſariam, ſicut, qui explodit in Eccleſia. Ergo cùm dixerimus hunc non amittere, multò minùs alter amittet. Imò plures, qui contrariū nobiſcum docent de explodente in Eccleſia, tamen tenent non idem eſſe dicendum de extrahente vi, vel dolo. Ità Palaus, n. 18.

213. Quæritur IX. Si quis commiſit aliud delictum non exceptum, deinde occidit in Eccleſia, & fugit ad eccleſiam, an amittat privilegium

vilegium etiam respectu delicti non excepti, ut etiam ratione illius extrahi possit. Distinguunt Tuschus, Decianus, & plures alii. Si talis est punitus propter commissum Homicidium in Ecclesia, tunc ajunt eum non amittere (& de hoc non est dubium) si autem nondum est punitus, tunc ajunt amittere. Nihilominus

Dicendum est IX. Probabilius talem non amittere privilegium respectu aliorum delictorum gaudentium hoc privilegio. Ità Covarruvias, aliis relatis. 2. *Var.* c. 20. n. 15. v. 24. Gutierez, Del Bene, Palaus. Probatur. Ex eo quòd homicidium in Ecclesia conjungatur cum aliis delictis, non hoc ipso habet vim auferendi privilegium aliis delictis concessum, nisi hæc vis illi aliquo Jure tribuatur: atqui nullum Jus adducitur ab adversariis: sed nec ulla ratio, quæ non sit mera petitio principii: qualis est, quòd Ecclesiæ non sit satisfactum. Nam Ecclesiæ non fit alia satisfactio, quàm ut intuitu homicidii facti extrahatur. Ergo donec ratione hujus extrahatur, potiùs Ecclesiæ favor exigit, ut intuitu alterius delicti, cui Ecclesia favet, non extrahatur. Quod si extractus sit ratione homicidii, & ratione hujus punitus, ratione alterius delicti non poterit puniri, nisi priùs Ecclesiæ restituatur; & deinde procedatur, sicut procedendum esset, si homicidium in Ecclesia non fuisset commissum.

Homicidium proditoriè factum.

214. HOmicida proditorius ille dicitur, qui occidit aliquem ex improviso, ex insidijs, aut nihil tale prudenter suspicantem, seu qui non potuit prævidere, aut rationabiliter sibi cavere à tali homicidio, eo quòd non præcesserit gravis offensa, vel non constiterit de rancore animi: v. g. qui alium à tergo aggreditur, vel socium mensæ, aut itineris, absque ulla prævia rixa, vel contentione. Exemplum habetur in S. Scriptura 3. Regum. 2. ubi legitur, quòd Sapientissimus Salomon non pepercit Joab quantumvis ad altare confugienti, propter homicidium proditorium quo occidit Abner, simulando amplexum amicum, sicut & Amasam, dum illum exosculans dicebat: *salve mi frater:* & occidit.

Quòd autem requiratur ad proditorium Homicidium, quòd occisor simulaverit se amicum, hoc est, non inimicum, & sic omnem timorem, & cautelæ studium amoverit ab occiso, ne sibi caveret, dicitur declarâsse Clemens VIII. per Breve ad Archiepiscopum Panormitanum 6. febr. 1597.

215. Hinc infertur, quòd, etsi privetur immunitate is, qui præcedente hujusmodi fubdolâ simulatione sibi fecit occasionem occidendi veneno, vel etiam dormientem, si tamen nulla hujusmodi simulatio præcessit, & inimicus nactus occasionem veneno occidat, aut dormientem aggrediatur, non privabitur immunitate. Et ità fertur declarâsse S. Congregatio Episc. 2. Aug. 1619. & consentiunt Juristæ cum Bartolo, ajente, Proditorem esse eum, qui amicum occidit, quod tamen semper intelligendum est, saltem negativè, h. e. non inimicum, quia non est necesse, ut profiteatur amicitiam philosophicè sumptam, cujus effectus est communicatio omnium bonorum: hoc enim non requiri mihi certum est, etsi alii non advertant. & sic fortè conciliari possunt DD. Multò minùs privatur immunitate mater occidens fœtum, vel infantem, quia tunc nulla simulatio præcessit, cùm dolus non fiat circa carentem usu rationis.

216. Quæritur I. An dicatur proditorius homicida, qui aliquem occidit post factam promissionem de non occidendo, seu illa fuerit formalis, seu virtualis. v. g. quia fuit reverà reconciliatus inimicus, sed postea redeunte rancore occidit, non manifestando rancorem. Negant aliqui, quos sequitur Diana *p.* 4. *tr.* 1. *res.* 35. Mihi tamen videtur cum aliis affirmandum, saltem si alter non potuit ullo modo rationabiliter suspicari, hujusmodi rancorem rediturum. Nam hoc casu in effectu evadit promissio & reconciliatio dolosa, per quam omnem sollicitudinem ab altero abstersam videt.

217. Quæritur II. An privetur immunitate, qui proditoriè occidit infidelem. Negant Ambrosinus, Diana, Bonacina. Rectiùs tamen alii affirmant, quia non excipitur tale homicidium: nam Infidelis etiam est noster proximus, quem jubemur diligere, & non perdere: esto non communicet in fide aut Sacramentis. Alioquin etiam hæretici tandem excipiendi essent, quia etiam nobiscum in fide non consentiunt.

218. Quæritur III. An privetur immunitate, qui occidit in Duello. Affirmat cum quibusdam aliis Barbosa in Jure Eccles. *lib.* 2. *c.* 3. *n.* 101. quod planè mirum est: quia nimis clarum est, quòd talis non occidat proditoriè & per insidias, hoc est incautum. Ratio etiam levis est. Ex eo enim quòd talis ob duellum excommunicetur, & privetur sepulturâ, non licet inferre, privari immunitate, ut in pluribus aliis omnibus fatendum est.

219. Quæritur IV. An privetur occidens de industria, sed non per insidias. Multi affirmant, quos refert Del Bene: fundantur in Jure Antiquo, c. 1. *de homicidio*, quod tamen capitulum si rectè ponderetur, potiùs contrarium probat:

probat: requirit enim copulativè: *per industriam, & per insidias.* Quasi diceret: *per industriam insidiosam.* Et quamvis sufficeret dictum esse: *per insidias*: tamen clatitatis gratiâ, etiam additur: *per industriam.* Verùm, quidquid sit de Jure antiquo, rectè monet Tuschus & alii, standum esse Constitutioni Gregorianæ, quæ proditionem expressè requirit, quæque, nemine dissentiente, sine insidiis non fit. Et ita in facti contingentia fertur judicatum esse in supremo Consilio Castellæ.

220. Quæritur V. An privetur immunitate, qui ex insidiis & proditoriè vulneravit, animo occidendi, sed mors non est secuta. Affirmant (quod miror) valde multi, hoc unico fundamento nixi, quòd in veteri lege Exodi 21. legatur: *Qui percusserit hominem, volens occidere, morte moriatur. Qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus ejus, habebit locum ad quem fugere possit: si autem per industriam, &c. ab altari est evellendus.* Negandum est cum cæteris, quia illæ leges Ceremoniales non ampliùs urgent, (quidquid sit de intellectu illius loci) sed Constitutione Greg. requiritur actualis occisio. Adhuc magis miror, quòd Cattellinus & quidam alii ausi sint privare immunitate eum, qui viro nobili alapam infligit, vel fustigat, eo quòd magis doleat viro nobili talis injuria, quàm ipsa mors. Sed hæc sunt explodenda potiùs quàm refutanda.

Assassinium.

221. DE Assassinis scribunt Historici & Interpretes in *cap. 1. de Homicid. in 6.* fuisse Infideles in Regno Syriæ; qui fas esse putârunt, quoscunque Regis sui inimicos, ipso jubente, interficere. Hodie, & ad materiam præsentem, per translationem vocabuli illi dicuntur Assassini, qui (sive sint fideles sive infideles) hominem Christianum seu baptizatum per insidias occidunt, pretio ad hoc conducti, & in Italia vocari solent: *Bravi.* Et hos privari Immunitate Ecclesiæ constat ex verbis Constitutionis Gregor. De his tamen plura dubia moventur.

222. Quæritur I. An res promissa debeat esse notabilis quantitatis seu pretii. Affirmant Farinacius, Diana, Ambrosinus & alii. Negant alii. Videntur posse conciliari. Si enim promissa res fuit reverà motivum principaliter inducens ad occidendum, tunc qualiscunque etiam exigui valoris fuerit, sufficit, ut privetur occidens immunitate. Ratio est, quia parvitas pretii non minuit, sed potiùs auget delictum, quia arguit majorem malitiam & inhumanitatem in occidente, ut lumine naturæ notum est: sicut in simili de Simonia docetur. Si verò non fuit Motivum principale, eo quòd etiam absque eo ex alio motivo constituerit occidere, tunc sive fuerit pretium magnum sive parvum, non constituet assassinum, adeoque nec privabitur immunitate. Itaque cùm pretium exiguum præsumatur plerumque non fuisse principale motivum, & econtra magnum præsumatur fuisse, ideo secundùm has præsumptiones videntur Auctores sententiæ negativæ intelligendi, alioquin absque fundamento loquuntur.

223. Quæritur II. An necesse sit, actu exhibitam esse rem promissam. Affirmant non pauci, qui tamen loquuntur, quando promissio fuit valde generalis. Absolutè tamen ne. Si Promissio etiam generalis fuit pretio æstimabilis, v.g. si quis promitteret scribere hæredem, quia spem æstimabilem generavit, sufficere ad privationem immunitatis. Ratio est, quia jam invenitur tota malitia, quam Ecclesia execratur, & punire intendit privatione immunitatis. Imò major est malitia, quàm si actu consecutus esset rem certam.

224. Hinc infero I. Cum communi contra quosdam, quòd sufficeret promissio dandi v.g. filiam in uxorem. Nam talis promissio est æstimabilis, quatenus inducit obligationem adhibendi omnem conatum & diligentiam persuadendi filiæ conjugium, esto non possit illam cogere.

Infertur II. Non esse Assassinum, qui spe aliquid etsi non promissum consequendi alium occidit. Non probo cum aliis, quòd in tali casu non intervenerit obligatio. Nam etiam quando promissio præcedit, reverâ nulla intervenit obligatio, quia non valet contractus. Ratio ergo est, quia ad Assassinium requiritur, ut mandatus ita promittat, ut licèt non inducat actualem obligationem in mandatario, imò nec in se, attamen inducit in se obligationem conditionatam, nempe si alter occidat, tenebitur solvere promissum: & hac obligatione movetur assassinus ad occidendum.

225. Quæritur III. An privetur immunitate, qui conductus occidit infidelem. Affirmat Decianus, Bonacina, & quidam alii. Sed Negativa sententia auctoritate prævaluit, & fundatur in *cap. 1. de Homic. in 6.* ubi expressè dicitur: *si quis occiderit fidelem.* Unde licèt Constitutio Greg. hoc non expresserit, censetur tamen assassinum accepisse in sensu illius capituli. Et quidem Corneus asserit, ex hoc capite evasisse quendam Prælatum, qui fuerat accusatus de Assassinatus crimine, sed non fuit in libello & processu deductum, quòd fuerit Christianus. Cæterùm, in nostris partibus ubi Infideles non reperiuntur, (nisi fortè alicubi Judæi) semper præsumptio

sumptio esset, occisum fuisse Christianum, nisi contrarium probaretur.

226. Quæritur IV. An privetur, qui pecuniâ conductus occidit suum inimicum, qui fuerit simul inimicus mandantis. ℟. Ex communi DD: negativè. quia, ut ex suprà dictis constat, non occidit incautum, hoc est, qui non potuisset sibi à suo inimico (si quidem scivit esse inimicum, aut scire potuit) cavere. Hinc idem dicendum, si occideret præsente mandante inimico, etiamsi non esset inimicus occidentis, dummodo occisus potuerit illius præsentiæ habere aliquam notitiam.

227. Quæritur V. An privetur occidens aliquem, cùm fuerit solùm conductus ad vulnerandum. Non movent hoc dubium AA. sed solùm quærunt, an privetur, qui solùm vulnerat ex mandato, de quo certum est, quòd non, quia talis non venit nomine Assassini. ℟. Ad dubium negativè. quia occisio non provenit ex mandato, & intentione mandantis: nisi mandatum esset vulnus, quod sine propinquo periculo necis infligi non potest, tunc enim in consequentiam videtur mandare, quidquid secutum sit ex tali vulnere.

228. Quæritur VI. An sint rei assassinii, adeoque privati immunitate, Mandantes, etiamsi mors non sequatur. ℟. Affirmativè c. 1. *de homicid. in 6.* [Statuimus, ut quicunque Princeps, Prælatus, seu quævis alia Ecclesiastica seu sæcularis persona, quempiam Christianorum per prædictos assassinos interfici fecerit, vel etiam mandaverit, quanquam mors ex hoc forsitan non sequatur.]

229. Quæritur VII. An & recipientes, defendentes, occultantes. ℟. De his subjungitur in eod. capitulo. *aut eos receptaverit, vel defenderit, seu occultaverit.* Requirunt tamen DD. quòd per receptationem, defensionem, vel occultationem debeat verè esse causa necis. Unde si post transactam necem reciperentur &c. non venirent nomine Reorum Assassinii. Colligitur responsio hujus & præcedentis quæstionis ex pœnis, quæ infliguntur in d. cap. [*Excommunicationis, & depositionis à dignitate, honore, ordine, officio & beneficio incurrat sententiam ipso facto.* Quæ pœnæ non infliguntur nisi Assassinii reis.

Hæresis.

230. Dubitatum est, an non solùm ille privetur Immunitate, qui manifestè hæresis reus est, sed etiam ille, qui ex circumstantiis urgentibus talis præsumitur, aut suspectus est. Ratio dubitandi est, tum quia in Constit. Gregor. requiritur, ut sit hæresis reus. Tum quia in aliis delictis non sufficit esse suspectum. Ob quæ fundamenta Gambacurta negativam tenet. Nihilominus communis est DD. Theorica, si non scripta Jure, saltem consuetudine firmata, talem non gaudere immunitate: imò posse à Judice sæculari extrahi, non quidem ad hunc finem, ut ab ipso judicetur & de causa cognoscatur, (cùm hæresis non sit mixti, sed solius Ecclesiastici fori) sed ut eum tradat Judici Ecclesiastico judicandum.

Hinc inferunt, eum qui hæretico favores & auxilia specialia exhibendo se suspectum facit, non quidem amittere immunitatem ratione auxiliorum aut favoris præstiti, sed ratione suspicionis de hæresi.

Crimen læsæ Majestatis humanæ in ipsam Principis Personam.

231. Quæritur I. Quandonam censeatur delictum commissum in ipsam Principis Personam, prout requirit Constitutio Gregoriana. Ad hoc valde specificanter respondet Del Bene, id fieri, exercendo actionem aliquam positivam in damnum & offensam Principis, v.g. occidendo, vulnerando, percutiendo, conjurando, machinando, hostiliter insequando personam Principis, revelando hostibus secretum Principis, ut ab illis capiatur. adde etiam, calumniando Principem, prout faciunt hæretici in Imperio, vocando Imperatorem Idololatram, quod egregius Canonista publicè exprobravit Superintendenti Ratisbonensi. Idem dicitur de consulentibus, auxiliantibus, vel favorem præstantibus. Secùs dicendum de illo, qui ex postfacto ratum habet, quod ab alio actum est contra Principem, (dummodo hæc ratihabitio non de novo lædat Principem,) & qui se merè negativè habet, v.g. non impediendo actionem, cùm posset, non revelando, quod scit perpetrandum, nam isti non influunt positivè: quare etsi committant forsè crimen læsæ Majestatis, & ideo sint obnoxii aliis pœnis huic crimini constitutis, immunitate tamen probabiliter non privarentur, quamvis non minùs probabilis sit opinio Farinacii, & Marii Ital. talem carere immunitate.

232. Quæritur II. An, & qualiter debeat offendens esse subditus Principis offensi. ℟. Non sufficere, quòd sit subditus ratione delicti in territorio commissi, sed quòd sit subditus vel ratione originis, vel ratione domicilii. Quinam autem censeantur Principes Majestatem habentes, hoc est nullum Superiorem agnoscentes,

tes, videndum est apud Scriptores Juris publici. Responsio probatur ex *Clement. Pastoralis. de appell.* ubi declarat Pontifex, Regem Siciliæ non commisisse crimen læsæ Majestatis in Imperatorem etiam ex eo capite, quòd nec originem traxerit, nec stabile domicilium habuerit in Imperio.

Quod diximus, non sufficere, esse subditum ratione delicti in territorio commissi, est contra Curtellium, quia hoc fundamento nititur. In Criminalibus fortius & potentius est forum delicti, quàm originis aut domicilii; unde suprà egimus, de remittendo reo ad Judicem fori delicti. Respondetur, per delictum fieri subditum, sed non supponi subditum antecedenter. Unde licèt machinator extraneus si in territorio Principis machinetur, fiat ratione delicti subditus, & ideo possit puniri propter tale delictum, non tamen commisit crimen læsæ Majestatis, ad hoc enim requireretur, ut antecedenter ad delictum & machinationem fuisset subditus. Hinc fortè Curtellio concedi posset, quòd si quis jam antecedenter per aliud delictum subditus effectus esset, deinde lædendo Principem esset reus Majestatis læsæ. Sed nec hoc ego affirmaverim: nam crimen læsæ Majest. videtur inde denominari, quòd subditus agat specialiter contra reverentiam suo Principi debitam: hoc autem debitum videtur fundari in origine & domicilio, nec contrahi per delictum: certè talem obligationem specialis reverentiæ habendæ non agnoscunt forenses, quando delinquunt.

233. Quæritur III. Quale esset crimen læsæ Majestatis, si quis Consiliarium Principis, vel Magistratum Supremi Principis lateri assistentem occideret. Communior est sententia, non esse commissum in Personam Principis, adeoque non privare immunitate: sicut in omnium sententia non esset occisio uxoris, filii, fratris. Non est tamen improbabilis opinio Curtelli & Gambacurtæ, affirmantium tale esse crimen læsæ Majestatis in Personam Principis. Probatur à paritate; nam communis Doctrina est, quòd qui occideret Cardinalem, committeret crimen læsæ Majestatis in Personâ Pontificis, quia Cardinalis facit unum corpus seu Consistorium cum Pontifice: ergo idem dici potest de tribunali Summi Principis sæcularis, cum quo, & non solus Rempublicam gubernat.

234. Hi ipsi AA. contra communiorem docent, quòd esset crimen commissum in Personam Principis, qui offendit Statuas Principis in odium & despectum Principis, item qui falsam pecuniam, vel contra edictum Principis cudit, bonam tondet; item tractat de alio Principe substituendo viventi: item qui se Principem vult facere; item qui spoliat nuntios Principis, ut arcana inde intelligat, & similia, quæ tamen alii dicunt non esse delicta in Personam Principis, sed in Statum Principis. Ità nuper judicatum est, eum qui fugit ad Monasterium ob deprehensam spoliationem armamentarii sibi commissi, non commisisse crimen læsæ Majestatis in Personam Principis, etiamsi illam spoliationem direxisset eò, ut munitio cederet hosti, quamvis reverà ille reus hoc non intenderit, sed solùm furatus est, ut lautiùs vivere posset. Et hæc circa delicta specificè excepta in Constitutione Gregoriana. Nunc videndum est, an possit fieri extensio ad alia quædam delicta ob suam atrocitatem.

§. VII.

De quibusdam aliis Causis Criminalibus controversis, an privent Immunitate.

SUMMARIUM.

An immunitate priventur Raptores Virginum. 235.
An Sodomita. 236.
An furantes in Ecclesia. 237.

235. Quòd præter relata & declarata crimina nullum aliud privet immunitate, constat ex verbis Bullæ, præsertim dum utitur particulâ exclusivâ *Duntaxat*. Quare, nisi Consuetudo tacitè à Prælatis Ecclesiæ approbata aliud in uno vel altero delicto habeat, non licet extendere ad alia crimina quantumvis enormia, ut satis constat ex dictis. Quia tamen varii DD. sibi potestatem sumpserunt variè extendendi, casus illi, & delicta in specie referenda sunt.


Primò, dubitârunt aliqui de Virginum Raptoribus; propter Novell. 17. ubi negatur talibus immunitas. R. Illam Novellam quoad hoc habendam pro correctâ à Jure Canonico, & quia nimiùm probat, pariter enim negat Homicidis & adulteris. Quin Virginum raptoribus asylum conceditur *in can. 3. ca. 36. q. 1.* [De Raptoribus autem id constituendum esse censuimus, ut si ad Ecclesiam Raptor cum rapta confugerit &c. Raptor mortis vel pœnarum impunitate concessâ &c.] Quòd autem Suarez dicit, Raptorem esse publicum latronem, patet falsum esse ex illis, quæ ad publicum latronem requiri suprà diximus.

236. Secundò, dubitârunt aliqui de Sodomita. Sed non privari patet, quia nullibi excipitur: nec licet argumentari in præsenti materia à minùs gravi ad magis grave, quia obstat in Constitut: particula exclusiva. Sicut in simili docent Juristæ, quòd non valeat exhæredatio nisi in casibus in Jure recensitis, etiamsi alia in se gravior subesset.

Advertunt tamen DD. cum Farinacio, quòd ob atrocitatem delicti in hoc & similibus facilè obtineatur à Pontifice potestas extrahendi.

237. Tertiò, dubitatum est, de furante in Ecclesia, quem privari docuerunt aliqui. Sed communis est negativa, ut jam suprà dictum est, quia solum homicidium & mutilatio in Ecclesia excipiuntur, non item alia sacrilegia. Unde, quando v.g. Minister Ecclesiæ furem in Ecclesia deprehendit, & de hoc monet Magistratum sæcularem, constituuntur apparitores, vel satellites, qui ad confinia Ecclesiæ præstolantur furis egressum. Prælati verò possunt dare facultatem, ut rebus furto ablatis spolietur intra Ecclesiam. Quòd verò talis fur gaudeat immunitate, declaravit S. Congregatio (apud Barbosam & Dianam) 18. Martii 1632.

Ex his, quæ exempli causâ retulimus, apparet, quid respondendum sit ad aliorum delictorum reos, de quibus aliqui DD. dixerunt, eos privari immunitate, falso semper principio supposito, quòd liceat argumentari à paritate gravitatis, vel ex aliis ratiocinationibus procedentes, quibus omnibus non attentis, firmiter insistendum est Constitutioni Gregorianæ, nec neganda immunitas illis, qui ibi non excipiuntur. Hujusmodi sunt Simoniaci, Perjuri, falsi testes, Incendiarii, Banniti, cudentes falsam monetam, extrahentes ex Ecclesia reos qui gaudent immunitate, occidentes Clericum, infringentes portas Ecclesiæ, & similes, de quibus, aliis relatis, videri potest Del Benè, semper repetens rationem eandem, sæpius inculcatam.



§. VIII.

De Effectibus Immunitatis.

SUMMARIUM.

238. Quæritur I. Si reus egrediatur ex Ecclesia necessitate corporis exonerandi adactus, an capi possit extra Ecclesiam. ℞. Negativè, quia moraliter non censetur locum immunem deseruisse, utpote necessitatem passus, & hac cessante statim reversurus.

239. Quæritur II. An capi posset à Judice, si alius reum extraxisset violenter. Affirmat Suarez. *c.* 13. *n.* 17. *in fine*, sed cum distinctione. Si Judex misit alterum, qui tanquam privatus amicus falsus illum decipetet, vel inimicus vim inferret, Judex non posset illum capere, quia actio principaliter est Judicis, & ideo ipse tenetur reum Ecclesiæ restituere. Si verò ipse nihil cogitando de priori injuria reum invenit extra Ecclesiam, potest *sine dubio* eum capere, & contra illum procedere, quia extra locum sacrum illum invenit, & ibi incipit exercere Jurisdictionem

nem suam, & ideo non violat immunitatem, neque ipse tenetur hominem restituere Ecclesiæ: alter verò qui extraxit, tenetur restituere: quod si jam non potest, est per accidens. Ità Suarez non improbabiliter, sed non *sine dubio*, ut ipse loquitur. Nam probabiliùs negatur universim, quòd possit capi sic ab alio extractus, ut docent Valentia, Bonacina, Palao, Del Bene. Ratio est, quia Jura concedunt reo hoc privilegium, ut eo invitus privari non possit ab ullo. Hoc autem fieret, si ab alio violenter extractum Judex capere posset. Neque erat necesse, ut exprimeretur in specie, *si etiam ab alio extrahatur*. Nam hoc non facilè contingit, ut ab alio, quàm à Judice vel Ministris extrahatur: satis erat, quòd hoc ipso, quòd Ecclesia velit eum tueri contra Judicem, qui, secluso privilegio, haberet Jus extrahendi, velit multò magis reum tueri contra quemcunque alium, ne ullius violentiâ possit privari immunitate legitimè acquisitâ.

240. Quæritur III. An capi possit, qui blandiriis, seclusâ tamen promissione Judicis de impunitate, adductus est, ut egrederetur. Negant aliqui, quos refert & sequitur Diana *p. 1. tr. 1. resol. 26.* Sed hi AA. videntur solùm loqui de dolo injusto, qui violentiæ & metui cōparatur. Probabilior tamen est aliorum sententia, quòd eductus blanditiis, & verbis etiam dolosis, v.g. mendacibus, quòd nemo sit foris, & facilè possit effugere &c. possit egressus capi à Judice, nisi Judex illius doli auctor fuisset.

Probatur. Quia Jura semper expresè loquuntur de violentia. *Non est violenter extrahendus. Reluctantem, reclamantémque violenter abstraherent. Per vim abstraxerit.* & can. *definivit. ca. 17. q. 4.* ibi. *Nullus audeat confugientes ad Ecclesiam vel residentes inde vi abstrahere, vel quodcunque nocibilitatis, vel damni &c. inferre.* Et ità sunt etiam in proprio sensu intelligenda verba Constit. Gregor. *Ne confugas in Ecclesia existentes Judex ejusque Ministri capere, extrahere, vel incarcerare possint.* Extractio enim est violenta.

241. Confirmatur. Quia Ecclesia non vult quidem ejicere vel dimittere invitum, sed tamen etiam non vult retinere invitum: atqui blandis vel dolosis verbis deceptus ut exeat, absolutè loquendo non est invitus, sed simpliciter volens, unde & matrimonium dolo obtentum non est nullum, sicut est nullum, quod vi aut metu cadente in virum constantem extorquetur. Discriminis rationem declaravi in tract. 8. n. 111. de Contractibus Metu & dolo initis, quia contra metum non potest quis ità se defendere, sicut potest cautè agendo dolum declinare. Unde etiam si quis exiret ex Ecclesia, metu quodam non ab alio incusso, sed ex propria apprehensione concepto inductus, adeoque à seipso deceptus, amitteret privilegium, ut expresè habetur in *can. 36. ca. 17. q. 4.* ibi. *& ipse reus de Ecclesia actus timore discesserit, ab Ecclesia Clericis non quaratur.* Facit huc etiam quod legitur *in. cap. 6. de his quæ vi metúsque ca. fiunt.* ibi. [Nec obstante dolo, pro quo se proponebant fuisse seductos: cùm talis dolus non tam ad circumventionem prædictorum Cisterciens: quàm ad fatuitatem eorum debeat retorqueri.] Nempe quòd non circumspectiùs egerint.

242. Dixi in Conclusione. *Nisi Judex doli auctor fuisset.* Nam tunc ex Justitia tenetur restituere in illum statum, à quo illum per injuriam dejecit. Quamvis credam, quòd Ecclesia in tali casu reum non repeteret, utpote qui non invitus (ut dictum est) Ecclesiam deseruit. Aliud dicendum, si Judex impunitatem promisisset: tunc enim, quia Ecclesia cum hac obligatione, & sub hac conditione dimisit; haberet jus eum repetendi, si Judex nollet stare promissis, quia privilegii cessio ex defectu conditionis esset nulla.

243. Quæritur IV. An possit Prælatus Ecclesiæ invitum reum consignare Judici sæculari. ℞. 1. In Criminibus exceptis, utique hoc potest. Quia tunc Reus nullâ gaudet immunitate. Quomodo autem id fieri debeat, infrà dicetur. ℞. 2. In criminibus non exceptis jure antiquo & communi poterat id fieri observatis illis quæ habentur in can. 36. ca. 17. q. 4. ibi. *Reos abstrahere non liceat, sed neque alteri consignare, nisi ad Evangelia datis sacramentis de morte, debilitate, & omni pœnarum genere sint securi.* ℞. 3. Probabilius nec sic licere jure novo Const. Greg. Ità cum Farinac. Del Bene & Palao. Ratio est, quia in illa Constit. solùm in criminibus exceptis conceditur facultas consignandi: ergo negatur in criminibus non exceptis, dum dicitur, aliter actum esse irritum & inane.

244. Quæritur V. An saltem possit reus in Ecclesia vinculis alligari, vel aliâ viâ arctiùs custodiri à Judice sæculari, donec ab Ordinario examinetur causa, an Reus gaudeat immunitate: & hoc in eum finem, ne fortè elabatur. Affirmat Clarus §. *fin. q. 30.* Farinacius *de Carcerib. q. 28. n. 10.* Negandum tamen omnino est, quia hoc repugnat Juribus, nam in cit. can. 35. expresè dicitur: ne ipsis aliqua vis aut nocibilitas damnumvé inferatur, quin possint per 30. passus ab Ecclesia exire.

245. Objiciunt. Dum causa examinatur, dubiū est, ad cujus Jurisdictionem spectet Reus: Ergo nisi custodiatur reus, periculum imminet Judici sæculari, ne per fugam ipsi subtrahatur reus: Ergo habet jus servandi suam Jurisdictionem indemnem, per injectionem vinculorum. ℞. Negando ultimam consequentiam: quia resistit illi aliud Jus, nempe quòd nemo possit exer-

cere Jurisdictionem contentioſam in alieno territorio, quale eſt locus Sacer reſpectu Judicis ſæcularis. Aliter ergo ſibi conſulere poteſt, apponendo cuſtodiam extra locum ſacrum, quod ei licet. Neque per hoc obſidet Eccleſiam, ſed ſuo territorio invigilat: neque intendit manſionem rei intra Eccleſiam (cùm mallet eum egredi) ſed caſu quo egrederetur, vult exercere jurisdictionem in ſuo territorio.

246. Urgeri poſſet ex quibusdam verbis Conſtit. Greg. [Quodque delinquentes laici prædicti, poſtquam, ut præfertur, ab Eccleſiis locisque extracti, & capti fuerint, ad Carceres Curiæ Eccleſiaſticæ reponi, & inibi ſub tuto & firmo carcere, ac opportunâ cuſtodiâ datâ illis, ſi opus fuerit, per curiam ſæcularem detineri, neque inde extrahi &c.] ℞. Eſſe ibi ſermonem de extractione ob crimen exceptum; quo caſu Reus eſt cuſtodiendus in Carcere Eccleſiaſtico, dum cauſa examinatur: hoc inquam caſu, ſi Carcer Eccleſiaſticus non eſſet ſatis tutus & firmus, poſſet apponi cuſtodia per Judicem ſæcularem. Et ità declaravit S. Congregatio *die* 30. *ſept.* 1616. nempe, quòd delinquentes, qui ab Eccleſiis, aliisque locis immunibus extrahuntur, debeant, dum articulus, an immunitate Eccleſiaſticâ gaudeant, diſcutitur, per Eccleſiaſticos miniſtros, ſub cuſtodia juxta Conſt. Greg. retineri.

247. Quæritur VI. A quo alendus ſit reus dum exiſtit in aſylo. ℞. Si habet bona propria, ex illis alendus eſt, nec poteſt Judex ſæcularis prohibere, quominus ea quæ ſunt ad vitam neceſſaria, ad eum deferantur. Ut habetur. *l.* 6. *C. de his qui ad Eccleſ.* ubi cavetur, *ne illi aliquid vel victualium rerum, vel veſtis denegetur aut requies.* Alioquin poſſet per indirectum cogi ad exeundum, vel fame moriendum. Quodſi nec habet in bonis, nec amicos, qui ipſi ſubminiſtrent, Eccleſia, quæ ejus tutelam ſuſcepit, ſupplere debet, cum onere refuſionis faciendæ, niſi gratis dare velit, vel nulla ſpes ſit refuſionis faciendæ. Poterit tamen cogi ad ſerviendum & laborandum in commodum Eccleſiæ, in compenſationem expenſarum.

248. Quæritur VII. An poſſit, & ad qualem pœnam condemnari exiſtens intra Eccleſiam dum ibi eſt. Dico, *dum ibi eſt.* Nam ſi egrederetur, & juſtè caperetur, poſſet judicari & condemnari perinde acſi nunquam ad Eccleſiam confugiſſet, ut habet vera ſententia contra quosdam apud Del Benè *dub.* 31. *n.* 13. volentes, quòd poſtquam ſemel fugit ad Eccleſiam, acquiſiverit talem immunitatem, ut etiamſi poſtea egrederetur, nunquam ampliùs poſſet ullâ aliâ pœnâ, quàm pecuniariâ puniri. Quæ ſententia nullo fundamento nititur, nec in praxi obſervatur. Nunc ad Quæſitum. ℞. Inſpecto Jure comuni non poteſt ferri ſententia capitalis, vel damnari reus ad pœnam aliquam corporalem, ſed ſolùm ad pœnam pecuniariam, adeo ut poſt latam ſententiam, quâ in bonis temporalibus ſeu fortunæ (ut vocant Theologi) hoc eſt, quæ dicuntur eſſe in patrimonio, condemnatus eſt, poſſit ſecurè egredi, nec poteſt ampliùs de patrato crimine judicari, aut aliter condemnari, vel ab aliquo accuſari. Ità ſunt intelligenda ſecundùm Interpretes, illa verba cap. *inter alia. Non eſt ab Eccleſia violenter abſtrahendus, nec inde damnari debet ad mortem vel ad pœnam.* Subintellige: *corporalem*, vel illi æquivalentem, ut eſſet pœna exilii, perpetui carceris, ad triremes, ad ſervitutem, quidquid dixerit Gambacurta. Quòd autem poſſit pœnâ pecuniariâ puniri, colligitur ex verbis capituli ſequentibus. *Super hoc tamen, quod iniquè fecit, aliàs legitimè puniendus.* Unde aliqui DD. non malè inferunt, quòd ſi reus nihil bonorum haberet, in quo puniretur, eſſet aliquâ pœnâ corporali, ſed non adeo gravi puniendus, quæ ſubſtitueretur loco pecuniariæ, juxta vulgaria. *Qui non habet in ære, luat in corpore.*

249. Cæterùm, ut teſtatur Clarus & Farinacius, quos ſequitur Del Bene, & Palaus n. 11. conſuetudine receptum eſt, quòd cùm Reus ad Eccleſiam confugit in caſibus non exceptis, Judex ſæcularis eum inquirat, & citari faciat, & ſi non compareat, tanquam in abſentem, condignæ juxta delicti qualitatem pœnæ, etiam capitalis, proferat ſententiam: quam tamen executioni non mandat, nec mandare poteſt dum exiſtit reus in aſylo; ſi tamen inde ſponte egrederetur, & extra apprehenderetur, ſententia lata mandaretur executioni, alioquin illa ſententia eſſet de vento. Narrat Farinacius in *Append. de Immun. n.* 306. quòd dum quidam, qui ad Eccleſiam confugerat, ab Epiſcopo extractus, ad effectum cognoſcendi, an deberet gaudere immunitate Eccleſiæ, Judexque laicus civitatis illius non probaret carceres Epiſcopi tanquam malè tutos, fuit iſte extractus civitatis Gubernatori conſignatus, qui dum nomine Epiſcopi ipſum in propugnaculo retineret, donec articulus diſputaretur, an immunitati locus eſſet nec ne, inde poſt aliquas dies aufugit, & iterum â Curia ſæculari captus ultimo ſupplicio affectus eſt. Julius Clarus §. *fin. q.* 30. n. 23. ſic ſcribit. Sivè licitè ab eccleſia extractus fuerit, ſive ipſe ſponte exiverit, & deinde captus fuerit, ſemper vidi eum puniri perinde acſi nunquam ad Eccleſiam confugiſſet.

Scio tamen Proſpeto Fagnano valde improbari conſuetudinem Judicum, qui ferunt ſententiam capitalem vel corporis afflictivam in reos in eccleſia adhuc morantes: aitque Judices hoc facere in perniciem animarum ſuarum. Quid autem hac ſuâ cenſurâ hactenus effecerit in illis partibus, præſertim in Regno Galliæ, mihi non conſtat.

250. Quæ-

250. Quæritur VII. An, & quibus modis possit resisti tum ab Ecclesia, tum ab ipso reo Judici vnlenti injustè extrahere. ℞. Modus Ordinarius quo solet Ecclesia resistere, est per Censuras Ecclesiasticas: quòd si hic modus non est sufficiens, aut hîc & nunc idoneus, potest resistere claudendo portas, & aliis modis competentibus, & convenientibus statui Ecclesiastico, qualis non est usus armorum: nisi necesse esset implorare brachium sæculare. Ipse verò reus potest resistere (si sæcularis sit) omnibus modis non excedentibus moderamen inculpatæ tutelæ, adeoque, si necesse fit, etiam armis vim vi repellere, & Jus suæ securitatis tueri potest.

251. Quæritur VIII. An injustè extractus possit ab extrahente retineri saltè ob alia delicta. ℞. Negativè, ne quidem, etiamsi velit præstare juramentum, vel etiam cautionem de non puniendo corporaliter. Ratio est, quia Ecclesia est spoliata. ergo est ante omnia restituenda. Unde consequens est, quòd licèt reus posset cedere jure suo, non tamen Jure Ecclesiæ, quæ etiam spolita est. Imò procederet, etiamsi reus sponte fateretur, se commisisse crimen exceptum, semper enim verum est, Ecclesiam esse injustè spoliatam, cui non potest confessio rei obesse, nam licèt contra delinquentem sit sufficiens probatio, non tamen contra tertium, ut constat ex alibi dictis. Ratio ulterior est, quia talis confessio non esset Judicialis, quia Judex sæcularis non est competens Judex in hoc articulo, an delictum sit exceptum, necne.

252. Dubitatum tamen est, an Restitutio debeat fieri eidē loco, unde injustè extractus est, an sufficiat restitui alteri Ecclesiæ vel Episcopo. ℞. Si alia Ecclesia velit eum recipere, & reus consentiat, poterit alteri restitutio fieri, quia injuria uni Ecclesiæ facta est cōmunis omnibus. Si tamen reus non consentiret, eo quòd non videatur locus æquè tutus ac ille, ex quo est extractus, debet restitui eidem loco, quia ad hoc habet jus.

253. Hac occasione movetur subtile dubium, an pari modo esset Judici sæculari restituendus reus, si per alium violenter eriperetur è carcere, vel è manibus apparitorum à quibus jam captus detinetur, si talis ereptus fugeret ad Ecclesiam. Ratio affirmandi fuit Novarii: quia etiam hîc habet locum regula, quòd spoliatus sit ante omnia restituendus: atqui Magistratus sæcularis est injustè spoliatus, ut ponimus. Ergo debet illi reus restitui, nec gaudebit privilegio immunitatis.

Contrarium tamen omnino dicendum est, & testatur Gutierez ità fuisse judicatum in Hispania. Ratio est, quia hæc exceptio non legitur in Jure Canonico, ubi casus enumerantur, in quibus reus caret privilegio. Unde suprà dictum, quòd ipse reus si jam captus traheret secum lictorem ad Ecclesiam, gauderet privilegio: & si ipse carcerem perfringeret, & fugeret ad Ecclesiam. Privilegium enim est amplè interpretandum.

Ad fundamentum Novarii varias responsiones excogitārunt aliqui, negando paritatem, sed disparitas quam assignant, videtur nimiùm probare. Del Bene n. 55. ait, disparitatem esse, quia in casu Ecclesiæ ipse Judex sæcularis eam spoliavit, extrahendo ab ipsa, vel retinendo extractum ab ipsa reum violenter: at verò in altero casu non spoliavit Ecclesia Curiam sæcularem. Sed, ut dixi hæc disparitas nimiùm probat, nempe quòd etiam Curia sæcularis non deberet restituere eum, qui absque suo jussu ab alio extractus est: sed posset eum retinere, sicut Ecclesia potest retinere eum, qui Judici per alium ereptus est. Itaque non est alia disparitas quærenda, quàm quæ desumitur ex privilegio ab Ecclesia concesso fugientibus ad se, quorum miseretur. Qui verò ex Ecclesia extrahitur, non fugit ad Curiam sæcularem intuitu alicujus privilegii; sed invitus ab illa rapitur, nec Curia habet tale privilegium adversùs Ecclesiam, imò hoc illi prohibetur, dum dicitur in Const. Greg. quòd illi non liceat *extrahere*, *capere*, *vel incarcerare*. quæ verba ne sint superflua, debent prohibere non solùm extractionem, sed etiam capturam illius rei qui ab alio extrahitur, ut consideranti manifestum est.

254. Quæritur IX. An acta Judicis injustè extrahentis, quæ extractionem subsequuntur, v.g. examinatio, testium receptio &c. sint ipso Jure nulla, vel opus sit appellatione. Aliqui, taciti nomine relati à Suarez, putant acta valere, & per consequens opus esse appellatione. Contrarium expressè statuitur in Const. Greg. ibi. [Nec non irritum decernimus, & inane, si secùs super his per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.] Ratio est, quia Judex per extractionem nullum Jus in reum acquisivit, sed potiùs Jus rei violavit, & obligationem contraxit eum restituendi. Et licèt ratione delicti reus forum sortitus sit, illud tamen per fugam ad Ecclesiam est suspensum usque in eventum, quo Judex reum legitimè detinuerit.

255. Obiter hîc adverto, difficilem videri posse doctrinam quam tradit S. Th. 2. 2. *q. 99. a. 2. ad 3.* ubi videtur dicere, quòd Judex injustè extrahens reum ab Ecclesia, solùm committat peccatum contra Religionem, & non contra Justitiam. Verùm ad hoc commodè respondet Del Bene, primariò committi peccatum sacrilegij, consecutivè tamen etiam peccatum injustitiæ contra reum: addo ego, imò etiam contra Ecclesiam, quatenus eam

eam spoliar. Unde si ex tali extractione damnum aliquod, sive reo, sive Ecclesiæ illatum aut consecutum esset, teneretur Judex illud ex justitia, & ex secunda radice restitutionis, (quæ est *injusta læsio*,) resarcire, ut tradunt Suarez, Bona: Laym. alii, qui tamen fatentur probabilem esse sententiam contrariam, & sic excusari posse illos Judices, qui ob damna secuta nullam faciunt restitutionem.

§. *IX.*

De Pœnis extrahentium injustè.

SVMMARIVM.

AN, ut extrahens incurrat Excommunicationem, opus sit sententiâ Judicis. 256.
Extrahens incurrit Jure Canonico etiam pœnam pecuniariam. 257.
Jure Civili incurrit pœnam capitalem. 258.
Incurrunt has pœnas mandans & exequens per solam attentationem propinquam. 259.
Item Judex mandans occidi in Ecclesia. 260.
Item extrahens in casibus quidem exceptis, sed non observatis observandis. 261.
An à dicta Excommunicatione possit absolvere Ordinarius. 262. *& seq.*

256. DIcendum I. Jure Canonico infligitur pœna excommunicationis, per textus mox citandos. Sed dubium est, an illa incurratur ipso facto, vel opus sit sententiâ Judicis. Ratio dubitandi est, quia antiquo Jure requirebatur Judicis sententia. *can. 6. ca. 17. q. 4.* ibi. [Qui autem confinia earum confringere tentaverit, aut personam hominis, vel bona ejus inde subtraxerit, quousque emendet, & quod rapuerit reddat, excommunicetur.] Et can. 35. ibi. [Si quis autem hoc decretum tentaverit violare, & Ecclesiasticæ excommunicationi subjaceat, & severitatis regiæ feriatur sententiâ.] Atqui Constitutio Gregor. nô aliter videtur hanc pœnam statuere, quàm secundùm antiquos canones, dum ait: eum ipso facto censuras & pœnas easdem incurrere, quæ contra libertatis, juris & immunitatis Ecclesiasticæ violatores per sacros Canones, Conciliorumque generalium, & nostrorum prædecessorum constitutiones sunt promulgatæ. Probabilius tamen est, ipso facto incurri, non exspectatâ sententiâ condemnatoriâ: quia alioquin ineptè & perperam ac frustra posita essent illa verba: *Ipso facto.* Accedit, quòd Clemens VIII. & Paulus V. & S. Congregatio ità declaraverint, apud Farin. n. 313. & seqq. & Bonac.

257. Dicendum II. Eodem Jure Canonico incurrit pœnam pecuniariam *cap. 10. ca. 17. q. 4.* ibi. *pro immunitate nongentos solidos Episcopo componat.* Et quamvis hæc pœna ante Constitut. Greg. fuisset antiquata, per hanc tamen est renovata. Quamvis verum sit, eam posse Judicem moderari, consideratâ delicti & delinquentis conditione.

258. Dicendum III. Jure Civili incurrit pœnam capitalem. *l. 6. C. De his qui ad Eccles.* ibi. [His qui hoc moliri, aut facere, aut nudâ saltem cogitatione atque tractatu (*ità est legendum, & non: contractu; ut legunt recentiora exemplaria*) ausi fuerint tentare, capitali, & ultimi supplicii animadversione plectendis.] Et lege 2. ead. statuitur, quòd hoc sit puniendum, ut crimen læsæ Majestatis. Verùm, hæc pœna ideo non est in usu, quia hoc sacrilegium non Jure Civili, sed Canonico judicandum & puniendum est. Jus Canonicum autem non punit pœnâ capitali.

259. Dicendum IV. Has pœnas incurrunt tum mandans tum exequens, etiam solâ attentatione propinquâ, etiam effectu non secuto. v.g. si datum est mandatum, & acceptatum, si manus portis admota, cum conatu aperiendi. Ratio. Quia in Bulla Greg. dicitur, has pœnas incurrere, qui contra ejus tenorem attentare præsumpserint. Quod totum verificatur in casibus positis. Neque novum est in Jure, puniri quandoque solùm conatum, ut videre est apud Menochium *de Arbitr. casu 350. n. 68.* Et patebit ex dicendis tractatu sequenti. Solus tamen tractatus præcedens, non interveniente mandato, non sufficeret, quia esset attentatio valde remota.

260. Dicendum. V. Si Judex, omissâ extractione, curaret reum in Ecclesia occidi, easdem pœnas incurreret: & ità in facti contingentia observatum esse testatur Paulus Syvillante apud Del Bene. Probatur. Reus ideo prohibetur sub his pœnis extrahi, quia gaudet immunitate: atqui non gauderet immunitate & securitate, si impune ibi occidi posset: ergo Ecclesia volens per pœnas arcere capturam & extractionem, multò magis voluit arcere occisionem, ergo licèt expressis verbis hoc non dicatur, mens tamen Ecclesiæ est, adeoque in legem Ecclesiæ peccaret talis judex, quia contra mentem legis ageret. Unde meritò reprehenditur Henriquez, qui in summa *lib. 4. c. 17. n. 4.* in fine dixit, non violaturum Ecclesiam Judicem, qui extra Ecclesiam existens, Reipublicæ perturbatorem in Ecclesia existentem, quem capere non potest, emisso jaculo occideret. Itaque lex canonica puniens extrahan-

trahentes, meritò extenditur ad occideotes in ecclesia, tum per regulam generalem, quòd extensio liceat, quando alioquin lex redderetur elusoria. v. g. lex prohibens testamentum facere Vsurarium, extenditur ad Codicillos, & omnem ultimam voluntatem; tum quia est lata in favorem animarum & Ecclesiæ: ob quam causam excommunicatio lata *in cap. conquesti. de sent. excom.* contra infringentes & spoliantes ecclesiam, extenditur ad combutentes.

261. Dicendum VI. Easdem pœnas incurrit Judex extrahens in casibus quidem exceptis, sed non observatis observandis ex Bulla, nempe sine expressa licentia Episcopi vel ejus Officialis, & cum interventu Personæ Ecclesiasticæ ab eo auctoritatem habentis &c. item si extractio fiat cum scandalo & tumultu devitabili, ut patet ex verbis Bullæ. Item si extractum collocet io carceribus Curiæ sæcularis absque licentia Episcopi. Ratio omnium est, quia agitur contra aut præter constituta in Bulla.

§. X.

De potestate absolvendi ab Excommunicatione dicta.

262. Summo Pontifici esse hanc excommunicationem reservatam, speciosis argumentis probat Farinacius in append. c. 20. n. 315. quem sequuntur Filliucius, Diana, Barbosa, & plures alii, & meo Judicio probabiliùs, ut dicam.

Probabilis tamen est Opinio, posse ab ea absolvere Ordinatium, & quemvis alium Sacerdotem ab eo ad hoc deputatum. Ità pluribus relatis Del Bene *dub.* 38. *sect.* 1. & Palaus *punc.* 12. *n.* 7. Probatur respondendo ad auctoritates quibus Adversarii putant esse reservaram.

263. Objiciunt I. Extravagantem Pauli II. de pœnit. & remiss. c. 3. ubi inter casus Sedi Apostolicæ reservatos ponitur læsio Libertatis Ecclesiasticæ. ℞. Sub termino *Libertatis* strictè solùm venire libertatem Personarum Ecclesiasticarum, noo locorum, quibus aptatur terminus, *Immunitas.* quia loca non sunt apta subjecta denominationis *Libertatis.* licèt econtra Personæ Ecclesiasticæ etiam denominentur *Immunes.* adeoque Libertas semper est Immunitas, sed non econtra.

Objiciunt II. In Decreto Clementis VIII. (quod postea ionovatum cum moderamine est a Paulo V.) prohibetur quibuscunque Confessariis, oe absolvaot à Casibus Bullæ Cœnæ, sive Claris, sive Dubiis, tam Juris quàm facti. item ab iis quos sibi specialiter reservant Episcopi. item à sex aliis, inter quos ponitur violatio immunitatis in terminis Constitutionis Greg. XIV. ℞. Illud Decretum spectare solùm Confessarios, qui volebant virtute suorum privilegiorum posse se absolvere à dictis casibus. Ac proinde non est extendendum ad Ordinarios, quod vel inde constat, quia Ordinarius, potest absolvere ab Excommunicatione Canonis, quæ tamen etiam ibi excipitur, item à casibus dubiis in Bulla Cœnæ.

264. Objiciunt III. In Constitutione Gregor. infliguntur censuræ latæ contra violatores immunitatis Ecclesiasticæ: atqui hujusmodi censura est lata in Bulla Cœnæ, quæ est reservata. ergo &c. ℞. Concessâ Majore, & transmissâ Minore, (nam solùm ibi excommunicantur Violatores libertatis) negatur consequentia. Nam licèt renoventur illæ pœnæ, non tamen renovatur earum reservatio, quia hujus nulla fit mentio.

Et ità quidem respondent AA. citati, satis, nisi fallor, quæsitè: unde si apicibus Juris inhærendum est, videtur prævalere prior opinio, maximè si verum est, quod asserit Farinacius, Maranta, Diana, & alii, ità fuisse Romæ declaratum; & quia hanc sententiam, teste Del Bene, sequitur stylus Pœnitentiariæ & Curiæ Romanæ, & ità etiam fertur respondisse S. Congreg. Vicario Generali Capuæ. 16. Junii 1632.

§. XI.

De Potestate & obligatione tradendi reum Judici sæculari.

SVMMARIVM.

Reus non est tradendus Judici sæculari, donec Episcopo constet de crimine excepto. 266.
Quid de consuetudine. 267.
Quid si Episcopus irrationabiliter repugnet. eod.
An ad concludendum de crimine excepto requirantur probationes concludentes. 268.
Si Episcopus erravit, quid agendum errore detecto. 269.
An Judex sæcularis possit à sententia Episcopi appellare. 270.
An Judex in cognitione causæ debeat citare Fiscalem & Reum. 271.
An testes in processu informativo examinati, sint postea citato Fiscali & reo reproducendi. 272.

H An in

265. EX suprà dictis, quæ hìc repetenda non sunt, constat, quòd in casibus non exceptis non liceat Prælato tradere reum invitum Judici sæculari, etiamsi iste vellet Juramentum præstare impunitatis quoad pœnas corporales.

Deinde constat, & per se clarum est, quòd in casibus exceptis, & postquam constat, commissum esse delictum exceptum, possit reus etjam invitus tradi Judici sæculari. Et quamvis antiquo Jure debuerit promitti impunitas à pœna corporali, inspectâ tamen Const. Greg. & receptâ consuetudine, potest tradi puniendus pro meritis delicti. Ratio est, quia non gaudet talis reus immunitate.

266. Cæterùm, Prælato Ecclesiastico ubi Const: Greg. recepta est, benè observandum est, quòd non solùm non teneatur, sed nec possit tradere reum, antequam ipsi Episcopo constet, quòd delictum sit exceptum, quod commissum est: & hujus puncti cognitio spectat ad ipsum Episcopum, quam cognitionem instituet, dum reus detinetur in Carcere Ecclesiastico. [Quodque delinquentes (*inquit Constitutio*) Laici prædicti, postquam ut præfertur, ab Ecclesiis, locisque sacris extracti & capti fuerint, ad carceres Curiæ Ecclesiasticæ reponi, & ibi sub tuto & firmo carcere, ac opportunâ custodiâ, datâ illis, si opus fuerit, per curiam sæcularem, detineri, nec tradi possint, nisi cognito priùs per Episcopum, seu ab ejus deputato, an ipsi verè crimina superiùs expressa commiserint: tuncque demum de mandato Episcopi per Judicem Ecclesiasticum Curiæ Sæculari, quacunque appellatione postpositâ, consignentur.]

267. Dixi. *Ubi Bulla Greg. recepta est.* Nam ubi recepta non est, ajunt plures DD. consuetudinem esse, ut Sæcularis Judex, in casibus clarè exceptis, non requisito consensu Episcopi, extrahat è loco sacro reum. Ità docent Abbas, Covarr. Clarus, Suarez, Fagundez, Farinacius & alii plures, nec sine ratione, quia constat, hujusmodi reis fieri sæpissimè occasionem elabendi penitus, ut ampliùs comprehendi non possint intra territorium in quo deliquerunt. Accedit, quòd Ecclesiæ non est potestas defendendi reum, nisi in quantum is gaudet immunitate, vel quamdiu dubium est, an gaudeat: ergo si constat morali evidentiâ, eum non gaudere, potest consuetudine induci, ut non sit necessaria sollennis forma cognitionis.

Sed, quidsi Episcopus aut ejus Officialis irrationabiliter repugnent, ne reus è loco sacro extrahatur, & in carcere Ecclesiastico custodiatur? Tunc Constit: Greg. permittit Judici sæculari, ut reum, minore, quo id fieri potest scandalo, & tumultu, pro reverentia Ecclesiæ ab Ecclesia possit extrahere, & sic extractum ad Carceres Curiæ Ecclesiasticæ deferre: nisi consuetudo esset contraria.

§. XII.

De modo cognoscendi, an delictum sit exceptum.

268. QUæritur I. An ad concludendum, quòd delictum sit exceptum, requirantur probationes concludentes, vel sufficiat, habere indicia & conjecturas, vel præsumptiones probabiles. Hoc posterius placuit Senatui Lusitano, Gratiano, & quibusdam aliis. Contrarium tamen, & quòd requirantur probationes concludentes, & certæ, summariè tamen expediendæ, declaravit S. Congregatio, & tradunt communiter DD. Probatur I. Reus est in possessione immunitatis, sicut & Ecclesia: atqui à possessione non est quis dejiciendus per meras conjecturas, sed per probationes plenas: ergo &c. Probatur II. In Constit. Greg. expressè requiritur, ut cognitum sit, an *verè* commissum sit crimen exceptum. Quâ particulâ videtur innui, quòd non sufficiat, si cognitum sit, quòd *probabiliter* commissum sit: quisquis enim tantùm probabiliter aliquid cognoscit, non rectè dicit, rem *verè* ità se habere. Accedit declaratio Congreg. Episcop. die 27. Julii 1618. quòd ad delinquentem extrahendum à loco immuni, & consignandum Curiæ sæculari, non sufficiat sententia contumacialis, (cùm hæc non probet delictum) sed requiratur plenior probatio.

Objicitur. In Bulla Greg. committitur arbitrio & Judicio Episcopi, an reus commiserit crimen exceptum: ergo sufficit, si probabiliter arbitretur, esse commissum. ℟. Negando conseq. Nam requiritur Judicium tale, quo verè constet, ut jam dictum est.

269. Quæritur II. Si Episcopus in ferenda sententia erravit: quid agendum errore detecto? ℟. Si pronuntiavit erroneè, esse commissum delictum exceptum, & reus fuit traditus sæculari Curiæ, est restituendus loco sacro. Si erravit pronuntiando delictum non esse exceptum,

ptum, est reus tradendus Curiæ sæculari, si quidem adhuc detinetur ab Ecclesia.

270. Quæritur III. Si Judex sæcularis arbitratur se gravari per sententiam, eò quòd malè judicatum sit, esse crimen non exceptum, an possit appellare. Affirmativè respondet Farinacius, Guazzinus, Bonacina, Del Bene, alij. Alij negant ex hoc fundamento, quia in Const. Greg non permittitur reus appellare si judicatum est, crimen esse exceptum: ergo ut servetur Judicij æqualitas, nec Judex sæcularis seu Fiscus debet posse appellare si judicatum est, crimen esse non exceptum. Hos Authores videtur Del Bene conciliare, admittendo paritatem hoc sensu, quòd Constitutio Greg reijciendo appellationem, non procedat quando est satis sufficiens, & rationabile fundamentum appellandi, & sic nec Reo, nec fisco tollat appellationem, quando notoriè, vel satis fundatè de injustitia sententiæ constat, quod etiam docet Scaccia *de appellat. lib. 3. c. 2. q. 16. limit. 1. n. 84.* Vide etiam quæ dixi to. præced. ubi explicui, quid opetentur verba: *Appellatione remotâ.*

271. Quæritur IV. An Judex in cognitione hujus causæ debeat citare Fiscalem Ecclesiæ & Reum. ℞. Affirmativè. Et quidem Fiscalis ideo citandus est, quia ad ipsum spectat defendere Ecclesiam. Reus etiam ideo citandus est, quia directè agitur de præjudicio illius. adeo, ut si sponte compareret, peteretque audiri, de jure audiendus esset.

272. Quæritur V. An testes in processu informativo examinati, postea sint, citato & audito Fiscali & reo, reproducendi seu repetendi. Negat Guazzinus: sed alij affirmant rectiùs: quia hujusmodi repetitio multùm prodesse potest tum Ecclesiæ tum Reo, si fortè dictis aliquid addere velint.

Quæritur VI. An in hac cognitione requiratur exhibitio libelli. ℞. Negativè, sicut nec requiritur litis contestatio, quia nullus intervenit accusator, & non est opus processu ordinario, sed sufficit Summarius. Dilationes tamen concedere tenetur Judex, nam hoc est Juris naturæ.

273. Quæritur VII. Ad quem Judicem spectet cognitio, si captus à Satellitibus affirmet, se captum fuisse in loco sacro, illi autem negent. ℞. Si res dubia est, spectat cognitio ad Judicem Ecclesiasticum, propter connexionem cum quæstione principali: Quamvis ad hanc cognitionem non sit necessaria evidentia, sed sufficiat probabilis conjectura, qualis esset, si omnes apparitores, vel alij homines testentur, captum esse in tali loco, de quo constat, non esse sacrum.

§. XIII.

An fugiens ad locum Sacrum possit à ministris, vel Religiosis illius loci repelli, & non admitti, vel aliquando receptus expelli.

274. Dicendum I. Non licet confugientem repellere aut excludere, sed recipiendus est. *Can. 9. ca. 17. q. 4.* ibi. *Sed Rectores Ecclesiarum pacem & vitam, ac membra ejus obtinere studeant.* quæ quidem verba possent accipi de consilio. Ratio ergo pro conclusione est: quia hoc ipso quòd concedatur immunitas, conceditur Jus eò confugiendi, & immunitatem obtinendi. Sicut non licet impedire eum, qui in extrema necessitate constitutus vult ex alieno accipere sibi necessarium, quia tunc bona sunt communia: ità & concessâ immunitate locus est reo communis.

Dicendum II. Imò concedendus est illi alius locus ad ea peragenda, quæ in Ecclesia decenter peragi non possunt: & ob hanc causam concessum est spatium extra Ecclesiam, ut jam suprà dictum.

275. Dicendum III. Si reus non servaret decorum, & in Ecclesia vellet cibum sumere, &c. monendus est à Clericis, ut se conferat ad loca circumjacentia immunia, & si nollet parere, etiam vi adigi posset. *l. 3. §. 2. C. de his qui ad Eccles. confug.* [Proinde, qui sine armis ad Sanctissimum Dei templum, aut ad Sacrosanctum altare confugiunt, somnum intra templum, sive ipsum altare, vel omnino cibum capere absque aliqua eorum injuria, ab ipsis Clericis arceantur, designantibus spatia, quæ in Ecclesiasticis septis eorum tuitioni sufficiant, ac docentibus, capitalem pœnam esse propositam, si qui eos conentur invadere. quibus si perfuga non adnuit neque consentit, præferenda humanitati religio est, & à divinis ad loca quæ diximus turbanda temeritas.] Et ità fertur declaratum à S. Congregatione. Et hæc de Immunitate confugientium ad Ecclesiam.





R. P. CHRISTOPHORI
HAUNOLDI
E SOCIETATE JESU

CONTROVERSIARUM
DE
JUDICIIS
ET
PROCESSU
IN CAUSIS CRIMINALIBUS

TRACTATUS II.
DE
DELICTIS ET POENIS CORRESPONDENTIBUS.

CAPUT I.
DE DELICTIS IN GENERE.

CON-

CONTROVERSIA I.

De Divisione Delictorum in Publica & Privata.

SVMMARIVM.

1. DElictorum alia esse privata, alia publica, constat ex tit. de Privatis delictis, qui est primus libri 47. ff. juncto titulo de Publicis Jud. tum Inst *lib. 4. tit.* 18. tum Digest. r. *lib.* 48. Ex quibus

Dicendum est I. Delicta Publica differunt principaliter à Privatis, quòd in crimine publico plerumque unusquisque de populo admittitur ad accusandum, in privato verò non nisi ille cujus aliquo modo privatum suum interesse vertitur, sive civiliter, sive criminaliter agatur, cujusmodi sunt: crimen injuriarum, damni arborum furtim cæsarum, bonorum raptorum, expilatæ hæreditatis, termini moti: & ejusmodi alia. Ità colligitur ex §. 1. *Inst. de Public. Judiciis.* [Publica autem delicta sunt, quòd cuivis ex populo executio eorum plerumque datur.]

In quo textu per part. *Plerumque*, innuitur, exceptionem recipere allatam differentiam, adeoque illam non esse differentiam essentialem, hæc enim nullam admittit exceptionem. Imprimis ergo excipitur Adulterium, quod esse crimen publicum omnes fatentur, nam in lege 1. *ff. de publ. Iud.* expressè inter illa numeratur. Et tamen illius accusatio non permittitur nisi certis personis propinquis, ut alibi dictum, & infrà dicetur. Deinde excipitur *Falsum* in supposito partu. *l.* 30. §. 1. *ff. ad leg. Corn. de falsis.* [De partu supposito soli accusant parentes, aut hi ad quos ea res pertineat, non quilibet ex populo, ut publicam accusationem intendant.] Deinde plura hominum genera sunt, quæ ad accusandum non admittuntur in ullo delicto publico, ut pupilli, mulieres, milites, infames, Magistratus, servi, falsi testimonii rei, corrupti ad accusandum vel non accusandum. Ulteriùs in actionibus popularibus cuivis conceditur accusatio & delatio, & tamen non sunt Judicia publica, ut patet ex toto tit. de popularib. act. Item actio de suspectis tutoribus removendis cuivis è populo conceditur, nec tamen delictum est publicum. Ex his patet, non rectè definiri crimen aut Judicium publicum, quòd cuivis de populo liceat accusare. Itaque

2. Dicendum II. Denominatio Delicti & Judicii publici, desumitur universaliter à lege vel consuetudine enumerante delictum inter publica, in ordine ad alios effectus Juridicos, de quibus dicetur Conclus. 3. Colligitur ex *l.* 1. *ff. de Iud. pub.* [Non omnia Judicia, in quibus crimen vertitur, publica sunt, sed NB. ea tantùm, quæ ex legibus judiciorum publicorum veniunt, ut: Julia Majestatis, de adulteriis, Corn. de sicariis & veneficiis, Pompeja Parricidii, Jul. pecularûs, Corn. de testamentis. Jul. de vi privata. Jul. de vi publica. Jul. ambitûs (*cui simonia Ecclesiasticorum respondet in gl. Gotifr*) Jul. repetundarum, Julia de annona.] Sed præter hæc alia esse patebit ex progressu. Hinc autem

3. Infertur I. Has denominationes: *esse delictum publicum aut privatum:* esse mutabiles in delictis: quia posset lex ex delicto, quod modò numeratur inter publica, facere privatum, & econtra. Et sanè Farinacius q. 18. n. 17. tradit, has denominationes regulari à loci consuetudine, quæ, non obstante Juris dispositione, potest facere delictum de publico privatum & econtra, quod etiam observavit Clarus, referens Milleum dicentem, quòd hodie titulus de privatis delictis non sit in usu. quod confirmat Farinacius hac ratione, quia hodie de consuetudine Judex in omnibus delictis ex officio procedit, quod proprium est delictorum publicorum. Et Maranta testatur, quòd in Regno Neapolitano non admittatur aliquis ad accusandum, nisi suam vel suorum injuriam prosequatur, & quoad hunc effectum omnia delicta possent dici privata: Sed hoc Marantæ dictum videtur intelligendum de delictis, quibus persona privata offenditur: nec enim potest intelligi de crimine læsæ Majestatis divinæ, v.g. per Blasphemiam, alioquin hoc delictum evaderet inaccusabile, quod non est dicendum: nisi fortè quis dicere velit, quòd sicut offensa Principis terreni, ità & Dei sit

offen-

offensa omnium subditorum, & per consequens ab omnibus accusari possit.

4. Infertur II. Quid dicendum sit ad illam Quæstionem vulgatem, an Jure Canonico omnia delicta sint Publica. Negat Treutlerus, & plures alii, quos refert Harprecht in pr. *tit. Inst. de Publ. Iud. n.* 22. eo quòd in pluribus Canonibus, quos ibi refert, agnoscatur discrimen inter Delicta publica, & privata. Verùm, in his textibus aliud non habetur, quàm quòd certæ personæ non permittantur accusare in delictis, quæ Jure civili publica dicuntur.

Affirmativa sententia est communis Canonistarum, & tradit Clarus, Decianus, Farinacius, alii post gloss. & hoc pendet ex consuetudine, quòd Jure Canonico in quovis delicto procedatur ex officio, admittatur quivis ad accusandum. Quando ergo constat de effectibus, erit meta lis inutilis de nomine, an delictum debeat vocari Publicum, an Privatum, Unde Decianus *c.* 4. *n. fin.* ità concludit. Hodie tamen per Statuta & consuetudines civitatum, adeo immutata sunt omnia circa publica & privata delicta, ut nullum inter ea videatur relictum discrimen. Quidquid autem sit de hoc, & quia Jure Civili divisio hæc sustinetur, videndum est de effectibus Judiciorum publicorum.

5. Dicendum III. Judicia publica & privata diversos habent Effectus, & ex illis pendet utilitas scientiæ, an hoc vel illud delictum sit publicum, an privatum, & legis vel consuetudinis vis, quâ constituit delictum publicum vel privatum.

Primus effectus (de quo jam dictum) est, quòd in publicis Judiciis regulariter quilibet potest accusare, nisi specialiter lege aut consuetudine prohibeatur. Per hoc tamen non licet inferre, quòd hic effectus judiciis privatis nunquam possit convenire, satis est quòd regulariter non conveniat, nisi speciali lege concedatur, cujus instantias jam suprà attuli, & aliam instantiam affert Præpositus, & Baldus, quòd si quis fecerit injuriam sacerdoti, quilibet de populo accusare possit. Sed hoc alii negant, quia lex non exstat.

6. Secundus effectus adducitur ex Baldo *in l.* 4. *ff. ad L. Aquil.* in publicis licet unicuique repertum in flagranti crimine capere, & jus publicum tueri, ut Judici puniendum offerat, quod in privatis regulariter non conceditur.

Tertius effectus. Si accusator à publico judicio instituto desistat ab accusatione, incidit in S. C. Turpilianum, & punitur pœnâ tergiversatoribus statutâ, nempe quinque libris auri. Secùs accusator in delicto privato, *l.* 7. §. 1. *ff. ad S. C. Turpill.* [Si quis Stellionatûs objecerit, vel expilatæ hæreditatis crimen, & destitit, pœnam S. C. Turpillani non subibit, nec si furti, vel injuriarum, sed officio Judicis (*pœnâ extraordinariâ*) culpa ejus coercebitur.]

7. Quartus effectus. In publicis Judiciis procurator regulariter non potest intercedere, ut dicetur: cùm tamen in privatis admittatur.

Quintus. Publica Judicia regulariter spectant ad Merum Imperium, non privata.

Sextus. In publico Judicio non licet ante ceptam litem transigere, (benè tamen in privato.) In illis capitalibus, quæ pœnam sanguinis non ingerunt, ut dixi in tract. de Transact. ex *l.* 18. *C. de Transact.*

8. Septimus. In publicis Judiciis accusator non tenetur edere instrumenta, & alia sicut in privatis. *l.* 2. §. 2. *ff. de Iure Fisci.* [DD. Fratres rescripserunt, toties edenda esse instrumenta, quoties de jure capiendi, vel de jure dominii, vel de aliqua causa simili re nummaria quæritur, non si de capitali causa agatur.] Ubi nota, in exemplaribus recentibus omissam turpiter esse vocem: *capitali.*

9. Octavus effectus habetur in lege 20. *ff. de accusat*: [Ex Judiciorum publicorum admissis non aliàs transeunt adversùs hæredes pœnæ bonorum ademptionis, quàm si lis contestata, & condemnatio fuerit secuta: excepto repetundarum & majestatis judicio, quæ etiam mortuis reis, cum quibus nihil actum est, adhuc exerceri placuit, ut bona eorum fisco vindicentur &c. Ex cæteris verò delictis pœna incipere ab hærede ità demum potest, si vivo reo accusatio mota est, licèt non fuit condemnatio secuta.]

Nonus habetur in *l.* 3. *C. Qui accusare non poss.* [Qui crimen publicum instituere properant, non aliter ad hoc admittantur, nisi priùs inscriptionum pagina præcesserit, & fidejussor de exercenda lite adhibitus fuerit &c.]

10. Decimus. Causæ publicorum Judiciorum non possunt delegari. *l.* 1. *ff. de Officio ejus cui.* &c. ibi. [Et ideo videntur errare Magistratus, qui cùm publici Judicii habeant exercitionem, lege vel S. Cto delegatam, veluti Leg. aq. de adulteriis, &c. Jurisdictionem suam mandant.] Sed hic effectus hodie nullus est, postquam ex consuetudine merum Imperium competit jure Magistratûs, pro quo etiam exstat constitutio in at. 1. & 2. Ordin. Crimin. Caroli V. & videri potest apud Casp. Manzium in Comment. in Carolin.

Undecimus. Publica Judicia regulariter infamant condemnatum, *l.* 7. *ff. de Publ. Iud.* [Infamem non ex omni crimine sententia facit, sed ex eo, quòd Judicii publici causam habuit: itaque ex eo crimine, quod judicii publici non fuit, damnatum, infamia non sequetur: nisi id crimen

crimen ex ea actione fuit, quæ etiam in privato Judicio infamiam condemnato importat: veluti furti, vi bonorum raptorum, injuriarum.]

12. Duodecimus. In publicis Judiciis nemo invitus cogitur testimonium dicere contra agnatos, affines, & quosdam alios, qui recensentur in *lege* 4. *ff. de testibus*, quam textuli præced. To. *cap. de Testibus.*

Addi potest Decimus tertius, quòd ex consuetudine Germaniæ approbata, in publicis sen criminalibus causis Appellatio non admittatur. *Ord. Cam. Imper. p.* 2. *c.* 28. de hoc dicetur in fine hujus tomi.

An autem verum sit, id quod asserit Decianus, plerosque hos effectus ab usu recessisse, alii noverint: & si illud verum est, modica erit utilitas in discernendis delictis publicis à privatis.

13. Judicia publica subdividuntur in Capitalia, & non Capitalia, de quibus est *lex* 2. *ff. de Pub. Jud.* [Publicorum Judiciorum quædam Capitalia sunt, quædam non capitalia. Capitalia sunt, ex quibus pœna mors aut exilium est, hoc est, aquæ & ignis interdictio: per has enim pœnas eximitur caput de civitate: nam cætera non exilia, sed relegationes propriè dicuntur, tunc enim civitas retinetur. Non capitalia sunt, ex quibus pecuniaria, aut in corpus aliqua coërcitio pœna est.] Ex qua lege probavi *tr.* 1. *Contr.* 2. membri abscissionem non esse pœnam capitalem. Nunc verò

14. Controversia est, si statuto aliquo vel lege mentio fiat pœnæ capitalis pro aliquo delicto infligendæ, & non exprimitur magis specificè, an satisfiat statuto per pœnam deportationis & exilii: quandoquidem in adducta lege & hæc sit pœna capitalis, quia per illam caput adimitur ex civitate. Negârunt aliqui, volentes tale statutum esse intelligendum de pœna physicè capitali, hoc est, veram vitam auferente.

Tenenda tamen communissima sententia DD. quòd tali statuto satisfieret per pœnam deportationis & exilii. Probatur. Quia leges pœnales in dubio sunt accipiendæ & intelligendæ de pœna mitiore, si verba legis per illam verificantur, *l.* 42. *ff. de pœnis. Interpretatione legum pœnæ molliendæ sunt potiùs quàm exasperandæ.* quæ lex est canonizata in can. 18. *dist.* 1. *de pœnit.* & huc facit reg. *Juris.* 155. §. 2. *In pœnalibus causis benigniùs interpretandum est.*

15. Objiciunt I. *Pr. legis* 5. *ff. de pœnis.* Verùm, illa lex potiùs nostram & communem sententiam probat, nam expressè satis loquitur de fœmina mortua solùm civiliter, & sic habet. [*Sed si alia lege* (*quàm illis quæ enumerabantur in lege* 3. *præcedente.*) capitis punita sit (*uxor*) quæ lex dotem non publicat; quia priùs serva pœnæ efficitur: verum est dotem mariti lucro cedere, quasi mortua sit.] Ecce! quòd sit sermo de morte civili, quæ quasi mors dicitur.

16. Objiciunt II. Varios textus ex titulo ff. de re militari, in quibus nemo dubitat per pœnam capitis ultimum supplicium intelligi. ℞. Meritò ità intelligi, quia est sermo de disciplina militari, quæ non servatur per deportationem, sed per ultimum supplicium.

Objiciunt III. *Legem fin. ff. de rer. divis.* quam etiam omnes intelligunt de ultimi supplicii pœna. ℞. Ex ultimis verbis legis colligi, quòd ità sit intelligenda. [Si quis violaverit muros capite punitur &c. nam Romuli frater Remus occisus NB. traditur ob id, quòd murum transcendere voluerit.]

Ad hunc vel similem modum plures aliæ leges intelligendæ sunt loqui de ultimo supplicio, quando loquuntur de pœna capitis, vel quia aliæ leges clarè statuunt illi delicto ultimum supplicium, vel quia ipsæ leges opponunt pœnam capitis ultimo supplicio.

CONTROVERSIA II.

De Divisione Delictorum in Ordinaria & Extraordinaria.

SUMMARIUM.

Quænam Delicta communiter dicantur ordinaria vel extraordinaria. 17.
Aliorum DD. declaratio. eod.
Melior declaratio Deciani. 18.

17. Ordinaria delicta communiter dicuntur illa, quæ à lege certam & determinatam habent pœnam statutam. Extraordinaria verò, quæ non habent certam & determinatam pœnam, sed modò una, modò alia extra ordinem Judicis arbitrio, juxta delictorum variationes, imponitur.

Verùm, quia etiam illa delicta, quibus certa pœna statuta est, quandoque extra ordinem puniuntur, ideo aliqui aliter explicant hanc divisionem, nempe, ut illa sint Ordinaria delicta, quæ certum nomen in Jure habent, extraordinaria verò quæ certum nomen non habeut; quam explicationem non improbat Farinac. *q.* 18. *n.* 21.

18. Mi-

18. Mihi placent, quæ de hac Divisione tradit Decianus *lib. 5. c. 2.* ubi cùm mirâ eruditione declarâsset originem hujus divisionis, ex diverso modo procedendi in delictis, ità ut Ordinaria crimina dicerentur, quæ præscripto Judiciorum ordine servato in judicium deducerentur: item & quæ præscriptas à lege pœnas haberet; Extraordinaria econtra, in quibus prosequendis nullus judiciorum ordo servabatur, vel nullâ certâ, & legitimâ pœnâ, sed duntaxat arbitrariâ coercebantur: quia verò scrupulosa illa antiquorum forma procedendi in usu esse desiit, tandem circa præsentem divisionem sic concludit: Ea dici ordinaria crimina, quæ certum habent criminis titulum, certâ lege, & certâ pœnâ comprehensa, quæ & legitima appellantur: arg. *leg 3. §. 2. ff. stellionatus.* [Pœna autem stellionatûs nulla legitima est, cùm nec legitimum crimen sit: solent autem ex hoc extra ordinem plecti.] Extraordinaria verò ex adverso dicentur, quæ nullum habent titulum, aut certum nomen, nullámque pœnam certâ lege præscriptam.

CONTROVERSIA III.

De Divisione in Crimen Leve, atrox, atrocius, atrocissimum.

SUMMARIUM.

Delictum alio gravius reputatur ex eo, quòd sit mali exempli. 20.
Referuntur alia capita ex quibus crescit gravitas. eod.
Quænam delicta dicantur enormia & atrocia seu gravia Jure Canonico. 21.
Quænam talia reputentur Jure Civili. 22.
Qualia reputentur delicta commissa sine dolo. 23.
Qualia reputentur commissa cum dolo & appensatè, 24.
Quænam quantitas damni reputetur gravis, ut inde delictum dicatur grave. 24. & *seqq.*

19. DE Divisione in Crimen Leve & Grave seu Atrox, præ cæteris distinctè agit Farinacius *q. 18. a. n. 61.* ponens novē conclusiones, ex quibus facilè erit judicare de comparativo, & superlativo, pro quibus nō habentur speciales regulæ, sed Judicis arbitrio relinquitur ex circumstantiis judicandum, ex delicti qualitatibus & circumstantiis, juxta facti & personarū conditionē, offensæ & offendentis, armorum, partis corporis læsæ, causæ, loci, temporis, eventûs &c. ut colligitur ex lege 16. rota *ff. de pœnis.* ubi per exempla declarantur hujusmodi circumstantiæ. Hinc

20. Infertur I. Gravius delictum reputandum esse ex eo, quòd sit mali exempli, utpote Reipublicæ perniciosius aliis, cujus aptissimum exemplum habetur in *l. 3. §. 2. ff. ad l. Cornel. de sicar.* ibi. [Sed ex SCto relegari jussa est ea, quæ non quidem malo animo, sed malo exemplo medicamentum ad conceptionem dedit, ex quo ea quæ acceptar, decesserit.] Simile exemplum habetur in *l. 3. § 5. ff. de pœnis.* [Qui abortionis vel amatorium poculum dant, etsi dolo non faciant, tamen quia mali exempli res est, humiliores in metallum, honestiores in insulam amissâ parte bonorum relegantur: quodsi eo homo perierit, summo supplicio afficiuntur.]

Infertur II. Gravius delictum esse, occidere proditoriè, quàm apertè aggrediendo, quia à proditore non possumus ità cavere, sicut à palàm aggrediente, & ideo, ut præced. tract. vidimus, proditoriè occidenti denegatur privilegium asyli.

Infertur III. Delictum noctu vel clàm commissum, regulariter esse gravius reputandum, ob majorem animi deliberationem, quod tamen non procedit in illis, quæ ob verecundiam fiunt noctu. Et sic de aliis.

21. Dicendum nunc I. Jure Canonico illa delicta dicuntur enormia & atrocia seu gravia, (in ordine ad forum externum) cum quibus etiam post peractam pœnitentiam aliquid remanet de pœna, impediens Ordinum executionem, vel beneficii retentionem: ut homicidium, hæresis simonia, duellum, mutilatio, magna sanguinis effusio &c. Et universim, ob quæ infamia incurritur, item delicta carnis: nam de his exstant varii canones graviter punientes, qui suo loco adducentur.

22. Dicendum II. De Jure Civili, quandò pro delicto imponitur pœna levis, v.g. exigua pœna pecuniaria, vel aliqua brevis incarceratio, vel similis, tunc delictum reputatur leve, (in foro externo, nā in interno potest esse, imò communiter est grave, hoc est mortale) Si verò imponitur pœna, quæ gravior reputatur, quàm si imponeretur pœna ultra tertiam partem honorū homini diviti, delictum reputatur grave & atrox. Si verò imponatur pœna mortis civilis, reputatur atrocius. Si mortis naturalis, gravissimum, seu atrocissimum, secundùm aliquos, quos refert Farin. n. 88. Sed magis placet quod tradit Clarus, nempe atrocissima illa solùm reputari, pro quibus imponitur mors qualificata, v.g. ut in frusta scindatur, rotæ inseratur, trahatur ad equi caudam, combu-

ratur &c. Hujusmodi sunt Hæresis, Læsæ Majestatis, Parricidii, Latrocinii, Assasinii, Sodomiæ, Incendiarii, Falsæ monetæ &c. Hinc licèt furto sit constitutum suspendium, non tamen est crimen atrocissimum. Ex qua regula, quæ est à posteriori & ab effectu desumpta, apparet, plerumque in Judicis arbitrio repositum esse judicium de gradu atrocitatis, quando lex non taxat pœnam qualificatam.

23. Dicendum III. Delicta, quæ non sunt commissa dolosè, sed ex quadam temeritate, etsi culpabili, reputantur Juridicè inter Delicta non atrocia, sed levia. Colligitur ex *lege* 18. *C. Qui accusare non poss.* [Si sororem tuam leviorum commissorum ream facis, accusationem non prohiberis exercere in Judicio præsidiali: quo temerè commissa congruâ ultione plectantur.] Ex qua lege colliges utilitatem discernendi levia ab atrocibus, nempe si quæ personæ prohibentur accusare in atrocibus, possunt accusare in levibus: ergo interest scire, quænam reputentur atrocia, quæ levia.

24. Dicendum IV. Delicta commissa cum dolo & appensatè, si grave damnum & præjudicium inferant proximo, vel Reipublicæ, reputantur atrocia. Unde inferunt DD. quòd etiam furtum in re gravi reputetur atrox. Ubi tamen desidero in DD. explicationem *Rei gravis*. & adverto, non posse hoc loco per damnum grave intelligi illam Summam, quæ secundùm Theologos sufficit ad peccatum mortale: alioquin diceretur atrox delictum, si quis Regi auferret duos aureos, imò in probabili sententia, medium florenum, quod tamen sine risu non diceretur.

25. Censeo itaque hanc quantitatem esse explicandam cum proportione ad regulam generalem Moralitatis, quam tractavi in opere theologico lib. 2. & dicendum, illud esse delictum atrox seu grave ratione damni, cui est à Jure constituta pœna, quam paulò antè dixi respondere delictis atrocibus conclus. 2. illa autem damnificatio meretur tantam pœnam, cui si tanta pœna non statueretur, sed alia mitior, homines in tali Republica non sufficienter absterrerentur à multiplicatione hujusmodi damnorum, ex qua ingens detrimentum redundaret in Rempublicam: v.g. si furtis toties multiplicatis, vel in tali quantitate, non statueretur suspendium, abundaret Respublica furibus, & inde nascetur ingens confusio, diffidentia &c. & quia aliquæ Nationes sunt à natura magis proclives ad hujusmodi delicta damnificantia, ideo ibidem minor quantitas merebitur pœnam capitalem, alibi, ubi non est par inclinatio, major taxanda erit. Sic videmus, in disciplina militari pro leviori furto suspendium inferri, quia alioquin ob nimiam audaciam militum ingens damnum incurreret Respublica &c.

26. Quod dictum est damno in bonis fortunæ, seu pecuniariis, cum proportione applicandum est damnis in bonis famæ, vel honoris, item in bonis corporis. Declaratur in exemplo. Romæ, teste Farinacio n. 98. solent Gubernatores in Principio sui officii inter alia bannimenta illud potissimùm promulgare, quòd illi, qui alteri grave & deturpans vulnus in facie inferunt, pœnâ triremium (quæ adnumeratur pœnis capitalibus) damnentur: quod si per alios fecerint, ultimi supplicii.

Nec obstat, quòd, per vulgaria, cicatricum nulla sit æstimatio, quia hoc verum est de æstimatione pecuniaria, non autem de æstimatione pœnali. Advertunt autem DD. quòd si cicatrix non deturpet, vel possit pileo tegi, non ità facilè puniatur tam graviter: & quia non ità æstimatur deturpatio in facie virili, sicut in puellis innuptis, ideo in his est gravius delictum, & severiùs puniendum, si dolo seu pensatè infligatur.

CONTROVERSIA IV.

De Devisione Delicti in Notorium & Occultum.

SUMMARIUM.

Quænam Delicta dicantur Notoria. 27.
Declaratur Notorietas Juris & Facti. 28.
Quis numerus testium requiratur, ut delictum censeatur Notorium notorietate facti. 29.
An debeat etiam esse notoria qualitas constituens gravitatem delicti. 30.
Farinacius sibi ipsi contrarius. 31.
In Delictis notoriis Judex nulli Juris ordini adstringitur. 32.
An requiratur Citatio. 33.
An sententia ferenda sit in scripto. 34.
Ipsa tamen Notorietas debet priùs Judici esse probata. 35.
An sit admittenda appellatio. 36.
An admittenda Recusatio Judicis tanquam suspecti. 37.

27. Utilitas hujus Divisionis in eo versatur, quòd aliter procedatur in Notoriis quàm in occultis.

Notoria Delicta illa dicuntur, quæ nullâ tergiversatione celari, hoc est, in dubium vocari possunt, nempe quia facta sunt coram majori parte populi. Occulta delicta dicuntur, quorum probatio à communiter contingentibus difficulter haberi potest, ut sunt: Dolus, fraus, Simulatio, falsitas, suppositio partûs, incendium, adulterium, Simonia, Sodomia, furtum, tractatus de nece, conspiratio, Venenatio, delicta nocturna, & similia, quæ ex natura rei & per se loquendo non fiunt nisi in occulto: quamvis & alia, quæ ex natura rei solent fieri palàm, quandoque per accidens fiant in occulto.

28. Porrò, Notoria sunt vel Notorietate Juris, vel Notorietate facti. Priora sunt, quorum Notorietas à Jure vel Judicio sumitur. Posteriora sunt, quæ in oculis hominum ità sunt gesta, ut nulla tergiversatione celari possint, cujusmodi erat delictum illius, qui Novercam suam in uxorem duxit, & ideo ab Apostolo Paulo absens judicatus est, de quo in *can.* 17. *ca.* 2. *q.* 1. *dicitur*: [Omnes enim crimen ejus sciebant, & non arguebant. Publicè enim Novercam suam loco uxoris habebat: in qua re neque testibus opus erat, neque tergiversatione aliquâ poterat tegi crimen.]

De Delictis notoriis notorietate Juris seu Judicii, non est opus multa dicere. Hujusmodi sunt, quæ vel constant ex actis non impugnabilibus, vel ex propria Judiciali confessione, vel per Judicis sententiam latam in plenario Judicio, & quæ transiit in judicatum. Plura dicenda restant de Notoriis notorietate facti.

29. Dicendum I. Cùm admodum varient DD. in assignando numero hominum, qui debeant vel possint testari de delicto per sensus percepto, ut delictum fiat Judici Notorium, nec proinde possit certa regula assignari, eo quòd populus aliquando sit admodum amplus, aliquando rarior, & minore numero constans, ideo arbitrio & conscientiæ prudentis Judicis relinquendum est, ut judicet, an delictum sit notorium, attentis circumstantiis loci, numeri personarum intervenientium, earumque conditione & qualitate. Ità ex communi tradit Farin. *q.* 21. *n.* 48. & colligitur ex *cap.* 6. *de homicidio.* [Sanè cùm vir discretus existas, pleniùs nôsti, quòd in excessibus singulorum non solùm quantitas & qualitas delicti, sed ætas, scientia, sexus atque conditio in delinquentibus sint attendenda: & non solùm secundùm prædicta, sed secundùm locum & tempus quo delictum committitur, debet unicuique pœnitentia indici.] Non est autem major ratio quare horum consideratio & ponderatio debeat Judicis arbitrio committi, & non etiam ponderatio Notorietatis in facto consistentis.

30. Dicendum II. Ut Delictum sit Notorium, non est satis, quòd substantia actûs sit notoria, v.g. quòd Petrus occiderit Paulum, sed etiam qualitas constituens gravitatem delicti debet esse notoria, v.g. quòd non sit factum ad defensionem, & cum moderamine inculpatæ tutelæ. Ratio est, quia alioquin in ratione delicti jam potest habere locum expurgatio & tergiversatio. Ergo in ratione delicti non est notorium, esto sit notorium quoad homicidium.

31. Contra hanc conclusionem, quam Farinac: ponit n. 49. pugnat ipse Far. n. 51. & revocat conclusionem, asserens, adhuc fore notorium, etiamsi qualitates excusantes non sint notoriæ. Verùm, in toto illo numero Farinacius contraria loquitur, vel certè (ut clariùs loquar) facit hypothesin impossibilem, dum perpetuò supponit posse Delictum principale in ratione delicti esse notorium, quin sit notoria negatio qualitatum excusantium: quæ est hypothesis manifestè impossibilis: ad quam probandam ineptè adducit cap. 3. de testibus cogendis, ubi non est sermo de eo, qui fatetur factum homicidium, & adducit causas excusantes delictũ, sed de eo, qui ipsum factum negat. [Si factum est notorium, non eget testium depositionibus declarari, cùm talia probationem vel ordinem judiciarium non requirant. Verùm, si non est notorium, & is qui convenitur factum negaverit.] Ergo si factum non negaret, sed excusaret delictum, non esset notorium in ratione delicti: nam id quod negari potest in Judicio, nondum est notorium.

Dixi à principio controversiæ, quæstionem de Notorio habere suam utilitatem in modo procedendi, ideo

32. Dicendum III. In Delictis notoriis Judex potest ex officio, nemine accusante procedere, & ideo nulli Juris ordini adstringitur, nullus requiritur libellus, nulla litis contestatio, &c. Patet ex cap. jam allato, & ex pluribus aliis. *can.* 14. *ca.* 2. *q.* 1. in fine, & diverso charactere legitur. *cæterum, quæ manifesta sunt, Judiciarium ordinem non requirunt. Unde Ambrosius. Manifestà accusatione non indigent.* & can. 16. [Quæ Lotharius Rex facit, accusatore non indigent. Manifesta quippe sunt opera carnis.]

33. Dicendum IV. Quando Delictum est ità notorium, ut evidens sit, nullam posse reo competere excusationem seu defensionem, quâ saltem delicti gravitas aliqualiter extenuetur, tunc ne quidem citatione opus est ad ferendam sententiam. Quia verò raro contingit, ut nullum possit esse dubium, quòd nulla conveniat defensio, ideo regulariter & per se loquendo semper requiritur citatio, excepto casu, quo periculum esset in mora proveniente ex citatione. v.g.

ne, v.g. periculum fugæ. Deducitur conclusio ex variis Juribus quæ adducit Ant. Gomez *c.* 1. *de delict. n.* 43. quæ non refero, cùm constet Conclusio ex dictis to. 1. cap. de citat. & quoad secundam partem est extra controversiam: cùm Jure naturæ debeat cuivis patere via defensionis, & nemo inauditus condemnari, cùm nec Deus Adamum inauditum condemnaverit. In peccato Sodomitarum voluit Deus ocularem inspectionem præmittere.

34. Dicendum V. In Notoriis non est necesse, ut sententia feratur in scripto, vel cum aliis Juris solennitatibus, v.g. à Judice sedente &c. & ità intelligendus est Innocentius, quando dicit, in delicto Notorio non esse necessariam sententiam. Colligunt DD. ex Nov. 8. c. 9. ibi. *& causam ex non scripto examinare.* & sequitur ex præcedentibus, & relatis Juribus, universim non requirentibus solennitates.

35. Dicendum VI. Antequam Judex super delicto Notorio procedat non servato Juris ordine, debet priùs ipsa delicti Notorietas illi esse probata saltem per idoneos testes. Ratio est, quia Judici debet esse probatum, quidquid ipsi non est antè notum: ergo si notorietas delicti non est nota, hæc ipsa erit probanda, & super ea sufficiens informatio capienda, nec sufficeret extrajudicialis informatio, sed judicialis requiritur, ut tradit Clarus *q.* 9. *n.* 5. *in fine*; quod tamen Anton. Gomez. *n.* 43. & alii negant, & ideo consuetudo est attendenda.

36. Dicendum VII. In Notoriis non admittitur appellatio, sed eâ non attentâ Judex potest ad sententiæ executionem procedere, dummodo à Judice *ad quem* necdum sit facta inhibitio: nam hac interpositâ notificandum est Judici *ad quem*, quòd casus sit inappellabilis, & hoc per regulam generalem, quòd pendente inhibitione non possit procedi ad executionem. Conclusio verò colligitur ex *cap.* 5. §. *fin. de appellat.* [Præterea si raptor sit, vel violentus detentor alienæ rei, qui appellat, hujusmodi appellatio facta in Judicio apud Ecclesiasticas personas solet audiri, nisi fortè manifestus raptor vel fornicator existat.]

37. Dicendum VIII. In Notoriis non admittitur recusatio Judicis tanquam suspecti. Colligitur ex *cap.* 24. *de appell.* ibi. [Judex tamen à quo appellatur (quia illi omnino suspectus est) eum non debet ad respondendum super aliis compellere, nisi pro crimine adeo gravi & manifesto, quo ipso actu meritò sit condemnandus.] Ratio est, quia Exceptio suspecti solùm est utilis, quando procedendum est Juris ordine servato: atqui in Notoriis res aliter se habet, ut suprà dictum. ergo &c. Intelligenda tamen est conclusio, quando pœna est à lege determinata. Nam in omnibus, quæ Judicis arbitrio committuntur, potest Judex esse rationabiliter suspectus, ne quodam inordinato affectu determinet iniquum, & ideo in tali casu recusari potest, observatis observandis, de quibus actum suo loco.

De his, quæ in summam brevem contraximus, qui plura, fortè non sine fastidio, legere cupit, adeat Farinacium, & Mascardum.

CONTROVERSIA V.

Quomodo intelligenda sit Regula: Pœna (seu Delictum) suum tenet Auctorem.

SUMMARIUM.

Refertur Regula & ejus fundamentum. 38.
An in confiscatione bonorum filii veniat etiam peculium profectitium. 39.
An adventitia in quibus pater habet Usumfructum. 40.
Notabile Corollarium. 41.
An idem dicendum de Bonis adventitijs, in quibus Pater non habet Usum fructum. 42.
An censeatur etiam confiscata legitima, vivente Patre. 43.
Bonis patris confiscatis an profectitium etiam confisce-tur. 44.
An censeatur confiscatus Ususfructus in bonis adventitiis filii. 45.
Quandoquidem legitima in bonis patris non confiscatur, à quo tempore computanda sit, & debeatur. 46.
Quid si bona Matris ob ejusdem delictum confiscentur. eod.
An Dominus seu Paterfamilias teneatur pro delicto sui famuli. 47.
An & quomodo possit Communitas puniri pro delicto privatorum aut Gubernatoris. 48.
Quid requiratur, ut censeatur Universitas deliquisse. 49.
An statutum fieri posset, ut v.g. pro delicto filii etiam pater, & econtra, puniretur. 50.

38. Regula hæc babetur in *lege* 22. *C. de Pœnis.* [Sancimus, ibi esse pœnam, ubi & noxia est. Propinquos, notos, familiares, procul à calumnia submovebimus, quos reos sceleris Societas non facit. Nec enim affinitas vel amicitia nefarium crimen admittunt. Peccata igitur suos teneant auctores, nec ulteriùs progrediatur

diatur metus, quàm reperiatur delictum.] Fundatur in SS. Litteris. Ezech. 18. *Ne fontium scelera onerosa in fontibus fiant. Anima, quæ peccaverit ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii, justitia justi super eum erit, & impietas impii super eum.* Levit. 14. *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus: sed unusquique in peccato suo morietur.* & alibi passim. Verùm, quia, ut dicitur, nulla regula sine exceptione, videndum est, an & hîc exceptiones admittendæ sint. Itaque

39. Quæritur I. An in confiscatione omnium bonorum filii, veniant etiam bona contenta in peculio profectitio, saltem si pater liberam illius administrationem concessit. Ratio dubitandi est, quia ratione speiiam numerantur inter quatuor genera bonorum filii fam. Respondendum tamen est negativè cum omnibus DD. Ratio est, quia in rei veritate non sunt bona filii, quandoquidem tam quoad proprietatem, quàm quoad usumfructum spectant ad patrem.

40. Quæritur II. Idipsum de Bonis adventitiis in quibus pater habet usumfructum. de quibus non pauci affirmant, inter quos refertur Bartolus & Baldus, & Salycetus in *l. 1. in fine C. de bonis quæ lib.* & Sylvester, in sua summa malè asserens esse communem. Communior enim & verior negat. Ratio principalis est, quia filius non habet potestatem alienandi illa bona, in quibus pater habet Usumfructum, nec per contractum, nec per ultimam voluntatem. Ergo nec per delictum: Nam hæc est propriè dicta alienatio, & non merè talis alienatio, quæ unicè fit per legem, qualis est præscriptio, quæ etiam in illis bonis fieri potest, sed est alienatio radicaliter voluntaria, quatenus est voluntarium delictum, & per consequens implicitè est voluntaria pœna statuta delicto: nam qui vult antecedens, vult etiam implicitè consequens, hoc est, omne connexum cum antecedente. Quòd autem bona prohibita alienari non veniant in confiscationem bonorum, apertè probatur ex lege 12. *ff. de fideicommissar. libertatib.* [Imperator Antoninus, cùm Firmitos Titiano tragædos tres legâsset, & adjecisset: *quos tibi commendo ne cui alii serviant:* publicatis bonis Titiani, rescripsit, debere eos publicè manumitti.]

41. Ex hac doctrina notabile corollarium infertur, nempe, quòd si filius bona adventitia ab alio possessa propriâ auctoritate invaderet, & possessori eriperet, non incideret in pœnam legis: *si quis in tantam. C. unde vi.* Nempe, ut amitteret eorum proprietatem, quam tamen amitteret, si illa bona posset per delictum alienare.

42. Quæritur jam III. An idem dicendum de Bonis adventitiis, in quibus pater non habet Usumfructum. In hoc DD. multùm variant, & multi æquè probabiliter volunt ea confiscati. Priorum fundamentum potissimum est, quia si pater non habet Usumfructum, cessant rationes, ob quas bona adventitia non possunt confiscari. Posteriores verò fundant se in eo, quòd communis sit sententia, ne quidem bona castrensia & quasi castrensia filiorum fam. nunquam confiscari, nisi ob crimen læsæ Majestatis: ergo multò minùs bona adventitia. Quæ argumentatio si bona est, destruit penè statum quæstionis, quia filius nulla alia bona habet. Ergo omnis confiscatio, excepto crimine læsæ Majestatis, esset inefficax. Prætetea non puto esse bonam consequentiam: bona Castrensia non confiscantur: Ergo nec adventitia. Probant quidem consequentiam ex eo, quòd in illis habeat plenam potestatem disponendi, & etiam de illis testandi: ergo si illa non potest alienare per confiscationem, seu per delictum, multò minùs adventitia poterit, de quibus non potest testari: & hoc est statutum in favorem personarum conjunctarum. Verùm, iterum negarem consequentiam. Nam Imperatores illam potestatem disponendi de Castrensibus fecerunt in favorem militiæ: quare poterant etiam hunc eundem favorem facere, ut non confiscarentur, aliis bonis confiscatis. Supposito ergo, quòd bona filii familias confiscarentur, ad minimùm hæc se extendet ad bona adventitia, in quibus pater non habet Usumfructum. An autem Castrensia & quasi, hodie sint ità privilegiata, alii noverint, ego non credo.

43. Quæritur IV. An confiscatis bonis filii, censeatur confiscata legitima filio debita post mortem patris, si pater adhuc vivat. Ratio dubitandi est, quia licèt regula sit, quòd vivente patre legitima non debeatur, videtur tamen in tali casu posse cogi pater ad assignandam in vita legitimam sicut potest cogi ad assignandam filiæ pro dote, imò etiam filio incarcerato, si aliunde non habet, quo se liberet à carcere. Nihilominus ℞. Negativè, per legem 7. *ff. de bonis damnatorum.* [Cùm ratio naturalis quasi lex quædam tacita liberis parentum hæreditatem addiceret, velut ad debitam successionem eos vocando, propter quod & in jure civili *suorum* hæredum nomen eis inditum est, ac ne judicio quidem parentis, nisi meritis de causis summoveri ab ea successione possunt, æquissimum existimatum est, eo quoque casu, quo propter pœnam parentis aufert bona damnatio, rationem haberi liberorum, ne alieno admisso graviorem pœnam luerent, quos nullâ contingeret culpâ interdum in summam egestatem devolvi. Quod enim aliqua moderatione definiri placuit, ut qui ad universitatem venturi erant jure successionis, ex ea por-

et portiones concessas haberent.] Ad rationem dubitandi negatur patitas, quia in casibus allatis cogitur pater in bonum filii & filiæ, quibus legitima debita applicatur, de quo non possunt conqueri cæteri hæredes: sicut conqueri posseot, si fisco applicaretur, antequam esset debita, io suum præjudicium.

44. Quæritur V. Si bona patris confiscentur, an peculium profectitium filio concessum etiam confiscetur. Ratio dubitandi est, quia ut paulò antè dixi, delinquente filio ideo non confiscatur, quia pleno jure est patris. Ergo ob banc causam confiscabitur, confiscatis bonis patris. Aliqui distinguunt inter delicta: si enim tale sit, ut propterea dissolvatur patria potestas, ut si pœna sit capitalis, tunc ajunt confiscari, qnia desinit babere rationem peculii: secùs, si non aufetatur patria potestas. Et pro hac distinctione facit notabilis textus io lege 1. §. 4. *ff. Quando de peculio actio annalis est*: ibi. [Sed & si morte patris vel deportatione sui juris fuerit effectus filius, de peculio iotra annum hæres patris, vel fiscus tenebuntur.] Quo tamen non obstante commuoior est sententia, iodistinctè peculium profectitium noo confiscari, ob textum expressum in lege 3. §. 4. *in fine ff. de Minorib.* ibi. [Licèt aliquo casu ad filium peculium spectet: ut puta, si patris ejus bona à fisco propter debitum occupata sunt: nam peculium ei ex constitutione Claudii separatur.] Ad textum contrarinm videtur respondeti posse, eum loqui disjunctivè, & quasi conditiooatè, oempe in casu quo ad fiscum perveniat, vel ob crimen læsæ Majestatis, vel quia delioquenti non fuit filius bæres.

45. Quæritur VI. An confiscatis omnibus bonis patris, censeatur etiam confiscatus Ususfructus quem habet io bonis adventitiis filii. Ratio dubitandi est, quia Ususfructus non est transmissibilis ad hæredes: ergo nec ad fiscum qui reputatur hæres. Placet in boc puncto distinctio Farinacii n. 33. Si enim pater patitur capitis diminutionem seu maximam seu mediam, quâ dissolviiur patria potestas, tunc non confiscatur usufructus, qnia consolidatur cum proprietate. Secùs, confiscatur qooad commoditatem ad tempus vitæ patris, quia commoditas Ususfructûs est alienabilis, ut dixi agens de Usufructu. Unde puto idem posse dici ad præcedens quæsitum de peculio profectitio, ut ejus commoditas ad fiscum pertineat tempore viiæ naturalis patris.

46. Quæritur VII. Quandoquidem ut dictum est quæs. 4. legitima io bonis patris non confiscatur, à quo tempore computanda sit, & debeatur. ℞. A tempore seu die coodemnatioois, non exspectatâ morte naturali, quia buic æquiparatur mors civilis. Circa computationem autem legitimæ in tali casu illud est singulare, & contra Jus commune, quòd legitima quæ ex bonis publicatis detrahitur, si pater babet unum vel duos filios, oon erit solùm triens (ut esset de Jure commuoi,) sed dimidia pars totius hæreditatis. l. 10. C. de boo. proscript. ibi. *dimidiâ parte ærario vindicatâ, alia eis reservetur.* Si verò pater babet tres vel plures filios, tunc oon est tractandum de quota hæreditatis, nec de legitima, quia tota Hæreditas & omoia bona paterna ex dispositiooe Adriani filiis reservantur. l. cit. §. 3. [Si plures filios (*id est saltem tres*) damnatus habeat, feruntur exempla, per quæ pluribus liberis omnia bona damnati concessa sunt. Sed & D. Adrianus in bac sententia rescripsit &c.] Verùm, ut monet Clarus, in hoc variant locorum consuetudines, quæ proiode sunt observandæ.

Dixi, legitimam in bonis Patris ooo confiscari: aliud est, quando Matris bona ob matris delictum confiscantur, tunc enim oihil relinquitur liberis. *l. 6. C. de bonis proscript.* [De boois matris deportatæ filiis nibil deberi, Juris absolutissimi est.] Rationem verò discriminis non invenio, nisi fortè sit, quòd Matet non habet Usumfructum in boois adveotitiis, oec filios in patria potestate.

47. Quæritur VIII. Ao Dominus seu Paterfamilias teneatur pro delicto sui famuli. ℞. Cum distinctione. Si deliquit io officio sibi à domino commisso, tenetur, nec liberatur, exhibendo famulum, si famulus solvendo ooo est, secùs non tenetur. Utrumque probavi *to. 1. de Jure privat.* ageos de oblig. quæ ex delicto vel quasi nascuntur. Ex quibus constat, Dominum solùm teoeri civiliter pro interesse partis læsæ, noo item criminaliter, nisi vel domious suam auctoritatem delicto accommodâsset, vel possit præsumi suisse gnarus malæ indolis & improbitatis servorum, tunc enim etiam ipse dominus criminaliter puniri posset, mitiùs tamen quàm ipse famulus, si noo fuit auctor delinqueoti: quia noo tenetur tunc de dolo, sed de culpa.

48. Quæritur IX. An & quomodo Communitas vel Civitas possit puniri pro delicto commisso à privatis civibus, vel à Gubernatoribus illius. ℞. Cùm absurdum esset, punire pœnâ corporali singulos cives etiam innocentes, ideo quando ipsa Communitas ratione talium delictorum aliquo modo culpabilis est, vel quia delictum est à Gubernatoribus commissum, vel quia se habet instar maodantis aut conniventis, erit punieoda pœnâ pecuniariâ. Io atrocissimis verò criminibus, ut læsæ Majestatis punitur quandoque civitas demolitione, quandoque pœnis & Censuris Ecclesiasticis, vel alio modo, quo modo Bonifacius Pontifex ob quo-

rundam Templariorum delictum totum Collegium destruxit. Quandoque sumpto de rebellionis auctoribus supplicio, insuper, memoriâ eorum damnatâ, ædificia solo æquantur, insignia gentilitia à tota familia tolluntur. Aliquando Universitas in terrorem & exemplum magnis indictionibus, & variis tributorum generibus gravatur, quæ tamen per æs & libram, hoc est pro viribus patrimonii, & non in capita sunt imponenda, ut tradit Gail. *lib. 2. de Pace publ. c. 9. n. 36.* apud quem, sicut & Farinacium, plura de his videri possunt, cujusmodi pœnarum exempla hoc tempore non desunt.

49. Observant tamen benè DD. ad hoc ut Universitas aliqua dicatur deliquisse, debere præcedere convocationem consilii, & deliberationem, & congregationem, alioquin dicuntur singulares personæ deliquisse: adeo ut Gail n. 9. dicat, non sufficere, si tota civium multitudo, etiam explicato & levato vexillo vim publicam inferret, aut homicidium committeret, nisi convocationis solennitas v. g. per pulsum campanæ, tubæ &c. præcesserit, & unanimi consensu atque in forma Universitatis arma sumpserint: aliàs non ut Universitas, sed ut singuli fecisse dicuntur, & singuli ut seditiosi puniendi sunt, nisi delictum haberet tractum successivum. Videatur Gail, l. cit. Sed adhuc distinctiùs Farinacius scribit hoc ferè modo. Aut sumus in delicto successivo, ex quo pervenit ad Universitatem aliqua utilitas seu commodum, & tunc sine dubio Universitas tenetur, etiamsi non præcesserit consilii convocatio, congregatio & deliberatio: imò etiamsi delictum esset momentaneum, adhuc universitas teneretur ex tacita ratificatione commodi & utilitatis receptæ. Si autem sumus in delicto successivo, & per plures dies continuato, in quo ad universitatem nullum pervenit commodum, tunc verius est, etiam in isto casu universitatem teneri, si illi valens obviare non obviat, vel aliquod signum displicentiæ non faciat, unde tacitè videatur tale delictum ratificâsse, & omittendo punire deliquisse, & hoc non habet difficultatem, quia idem dicendum esset in delicto momentaneo, si delinquentes non puniendo censeretur ratificare delictum. In specie Rebellionis, crederem, inquit Auctor, quòd si cives alicujus civitatis fecerunt contra summPrincipem unico impetu, unâ die vel unicâ nocte aliquos actus rebellionis, & postea sedatus sit rumor, nec pluribus & continuatis diebus successerint rebellionis actus, tunc benè crederem universitatem non teneri, nisi præcesserint consilii convocatio, congregatio & deliberatio. Ità ille.

50. Quæ verò hactenus dicta sunt, procedunt de Jure communi. Unde non negatur, quin posset fieri rationabile statutum, quo ex certis causis, v. g. ut hoc ipso singuli magis abstereantur à delictis, si sciant propter se alios etiam innocentes, & sibi charos puniendos esse, statueretur, ut v. g. pater puniatur pro delicto filii, & econtra; item ut puniatur integra villa pro delicto unius ex illa &c. Ad quod probandum adducit Farinacius (qui hoc latissimè discutit) duas Bullas Pontif. quibus cavetur, quòd omnes Barones, domicelli & Universitates castrorum eorundem terras, villas, oppida & territoria quæcunque à Latronibus, sicariis, furibus, & aliis delinquentibus custodire secura & libera facere, dictosque sicarios, bannitos & delinquentes inibi commorantes seu transeuntes capere &c. & Curiæ consignare teneantur: quodsi impune evaserint, communitates ad damna resarcienda teneantur, & insuper tantundem Cameræ Apostolicæ persolvendum sint astricti. Sed de his videatur citatus Auctor, qui benè monet, attentè ponderanda esse verba hujusmodi Statutorum, ne contra intentionem statuentium extendantur.

CONTROVERSIA VI.

Quanto tempore Delicta præscribantur regulariter, ne ampliùs accusari aut puniri possint.

SVMMARIVM.

Quanto tempore regulariter delicta præscribantur. 51.
An contra sic præscribentem possit fieri Inquisitio. 52.
An tali præscriptione præjudicetur Actionibus civilibus. 53.
An delicta sic præscripta possint in vim exceptionis objici. 54.
Præscriptâ actione civili, præscripta est etiam criminalis ex eodem delicto descendens. 55.
An præscriptio delictorum currat à die delicti commissi etiam in occultis. 56.

51. Dicendum est I. Et pro regula generali statuendum, quòd si post commissum delictum, sive id sit publicum sive privatum, sive atrox, sive levo, nisi specialiter excipiatur, lege vel statuto, (quas exceptiones referam sequenti controversia) elapsi sint 20. anni, nec unquam fuerit

fuerit contra reum mota querela, fit præscripta accusatio, ut ampliùs molestari & accusari non possit cum effectu, quia accusatori potest opponi Exceptio præscriptionis quocunque tempore, etiam post latam sententiam ad impediendam illius executionem. Sumpta est hæc Regula ex lege 11. *C. ad l. Corn. de falsis.* [Querela falsi temporalibus præscriptionibus non excluditur nisi viginti annorum exceptione, sicuti cætera quoque ferè crimina.]

52. Dicendum II. Non solùm talis non potest ampliùs accusari, sed nec ex officio Judicis inquiri cum effectu ad puniendum, si constet de lapsu temporis. Ità DD. communiter omnes, per regulam, quòd omnes Exceptiones, quæ possunt opponi contra accusationem in genere, possint etiam opponi contra Inquisitionem. Ratio est, quia Inquisitio substituitur in defectum accusationis: Ergo quando non est ampliùs locus accusationi, neque erit inquisitioni. Huc applicant aliqui illud vulgare, quòd non debeat obtineri posse per indirectum, quod directè obtineri non permittitur.

53. Dicendum III. Hac tamen viginti Annorum præscriptione non præjudicatur actionibus civilibus, quæ competebant fortè ex tali delicto personis privatis. Ratio est, quia, ut dixi *tom. 1. de Jure priv. cap. de Præscript*: hujusmodi actiones durant 30. annis.

Controversia est, an si Reus non opponat hanc exceptionem, fortè quia ignorat eam sibi competere, nec alius de populo (nam à quovis opponi posse tradit, cum alijs Guazzinus) an tunc sententia sit executioni mandanda, tanquam valida, etiamsi fortè judici constet: quòd reus posset opponere exceptionem, & sic vim sententiæ enervare. Affirmant non pauci apud Guaz. n. 13.

Verior tamen mihi videtur sententia contraria, quam tenet Baldus, Felinus, Decianus, & Guaz. nempe quòd sententia sit ipso jure nulla, adeóque Judex ex officio deberet defendere reum, & ipsius jus præscriptione acquisitum ei manifestare, si illud sciat ante sententiam, & si post latam sententiam, deberet ejus nullitatem declarare. Ratio est, quia præscriptio tollit omne jus contrarium ipso facto, & perinde est, acsi debitum solutum esset: & hæc est utique benignior sententia favens reo, cui non debet nocere subtilitas illa juris, quòd sæpè valeat sententia, nisi exceptio opponatur. Deinde alibi probatum est to. præced. quòd licet Judex non possit supplere, quæ sunt facti, possit tamen & ex officio debeat supplere, quæ sunt Juris, & à reo ignorantur.

54. Dicendum IV. Quamvis delicta modo dicto præscribantur spacio 20. annorum, ut accusari aut inquiri non possint, non tamen ità præscribuntur, quin possint delinquenti post 20. annos in vim Exceptionis opponi, v.g. ut non admittatur ad testimonium dicendum &c. Regula enim generalis est, quòd quæ sunt temporalia ad agendum, perpetua sunt ad excipiendum, ut dictum suo loco. Non puto tamen quòd infamia, quam reus ex delicto contraxerat, opponi posset, quia, ut DD. tradunt, infamia etiam spatio 20. annorum per præscriptionem abolita est.

55. Dicendum V. Illa delicta quæ pariunt simul actionem criminalem & civilem, v.g. actio de dolo, quandoquidem actio Civilis breviore tempore præscribitur, ideo etiam actio criminalis eodem breviore tempore præscribitur. Hinc quia actio de dolo civilis biennio tollitur, etiam actio criminalis tolletur. Ratio est, quia actio criminalis faciliùs præscribitur quàm civilis, ut patet ex dictis de præscriptione 30. annorum.

56. Controversia est, an hæc præscriptio currat à die delicti commissi etiam in delictis occultis, quæ non potuerunt venire in notitiam Curiæ. Non pauci rigidiores negant, voluntque incipere primùm currere à die habitæ notitiæ, saltem quòd delictum sit commissum, esto ignoretur à quo sit commissum. Contraria sententia benignior & verior est, etiam tunc currere à die commissi criminis, & afferunt exemplum illius, qui tempore Pauli V. interfecerat Gallum in quodam nemore, & nunquam ad notitiam curiæ pervenit, illud delictum fuisse commissum, donec reus ipse post 24. annos Pontifici id manifestavit, & fuit à molestatione absolutus. Ratio est, quia est regula generalis, quòd præscriptio currat etiam contra ignorantem, nec ullum Jus facit in præsenti materia distinctionem vel exceptionem.



CON-

CONTROVERSIA VII.

De Præſcriptione quorundam Delictorum ſpeciali.

SUMMARIUM.

QUo tempore præſcribatur adulterium mariti & cætera delicta leg. Jul. 57.
Quo tempore præſcribatur adulterium uxoris. 58.
Quidſi adulterium habeat aliam ſpeciem adjunctam. 59.
Semper poteſt opponi per viam exceptionis. 60.
Non obſtante præſcriptione poteſt peti divortium. eod.
Injuriarum Actio duplex eſt, Civilis, & Prætoria. 61.
Prior eſt perpetua, poſterior annum durat. 62.
Utrum annus actionis Prætoriæ incipiat currere à die commiſſæ injuriæ. 63.
An Injuria ſcripto vel picturâ illata præſcribatur anno utili. 64.
Quo tempore præſcribatur crimen Apoſtaſiæ. 65.
Quo tempore præſcribatur crimen Peculatûs. 66.
An præſcribatur crimen Partûs ſuppoſiti. 67.
Item crimen Parricidij. 68.
Crimen Læſæ Majeſt. tam divinæ quàm humanæ, hæreſis, Aſſaſſinij, falſæ monetæ, Simoniæ, aborcûs, Concuſſionis, nullo tempore præſcribuntur. 69.
An ad interrumpendam præſcriptionem requiratur citatio. 70.
Quomodo ex diuturnitate temporis minuatur pœna. 71.

§. I.

Adulterium, Stuprum, Lenocinium.

57. DIcendum I. Adulterium à marito commiſſum (idem eſt de cæteris delictis, quæ in Lege Jul. de adult. ponuntur, & mox referentur,) præſcribitur quinque annis continuis à die ultimi adulterii commiſſi: ut maritus ampliùs accuſari non poſſit, ſi quidem adulterium non habet conjunctam aliam ſpeciem, ut inceſtum, vel violentiam. Probatio mox ſequetur.

58. Dicendum II. Adulterium ab Uxore commiſſum præſcribitur ſex menſibus utilibus, ut nec adulter nec adultera accuſari poſſit, quodſi hi ſex utiles menſes excedant quinquennium, etiam elapſo quinquennio eſſet præſcriptum. Continentur hæ duæ Concluſiones ſeqq. Juribus. *l. 29. §. 5. 6. 7. ff. ad l. Jul. de adult.* [Sex menſium hæc ſit ſeparatio, ut in nupta quidē ex die divortii ſex menſes computentur, in vidua verò ex die commiſſi criminis. Præterea ſi ex die divortii ſexaginta dies ſint, ex die verò commiſſi criminis quinquennium præteriit, debuit dici nec mulierem poſſe accuſari, ut quòd dantur ſex menſes utiles, ſic ſit accipiendum, ne crimen quinquennio continuo ſopitum excitetur. Hoc quinquennium obſervari legiſlator voluit, ſi reo vel reæ ſtuprum, adulterium, vel lenocinium objiciatur: quid ergo ſi aliud crimen ſit, quod objicitur, quod ex lege Julia deſcendit? ut ſunt, qui domum ſuam ſtupri causâ præbuerunt, & alii ſimiles? & melius eſt dicere, omnibus admiſſis ex lege Julia venientibus quinquennium eſſe præſtitutum. Quinquennium autem ex eo die accipiendum eſt, ex quo quid admiſſum eſt, & ad eum diem quo quis poſtulatus poſtulatàve eſt, & non ad eum diem quo judicium de adulteriis exercetur.] Et *l. 5. C. eod.* cum lege ſequenti, quâ declarantur, quomodo ſex menſes competant. [Adulter poſt quinquennium quàm commiſſum adulterium dicitur (quod continuum numeratur) accuſari non poteſt. Jure Mariti adulterii accuſare volenti ſexaginta dies utiles computantur, quibus in publico ejus facultas fuerit, apud quem reus vel rea poſtulari poteſt. Et cùm præterierint iſti dies utiles, maritus quoque Jure extranei (*per reliquos quatuor menſes utiles*) agere poteſt.]

59. Dixi in concluſione. Niſi habeat aliam ſpeciem adjunctam, quæ in lege Julia non comprehenditur. Nam ſi talem haberet adjunctam, v.g. inceſtum, ſodomiam, ſacrilegium &c. tunc ratione hujus requireretur præſcriptio 20. annorum, intra quos accuſari poſſet ut inceſtuoſus &c. Item ſi vis & violentia interveniſſet, nullo tempore præſcriberetur, ut habetur §. fin. l. cit. [Eum autem qui per vim ſtuprum intulit vel mari vel fœminæ, ſine præfinitione hujus temporis accuſari poſſe dubium non eſt: cùm eum publicam vim committere nulla dubitatio eſt.]

60. Cæterùm, ut etiam præced. Controv. dictum eſt, adulterium ſemper opponi poteſt per viam exceptionis, v.g. ſi mulier, vel ejus hæredes dotem poſt plurimos annos peterent, exceptione adulterii commiſſi repellerentur.

Prædictæ concluſiones procedunt quoad pœnam temporalem ſeu legalem, non autem quoad divortium petendum, quæ eſt pœna ſpiritualis, & ideo poſſet pars innocens etiam poſt præſcriptionem dictam petere divortium, ſi fortè primùm reſciret adulterium commiſſum eſſe

aut

ante tot annos, ut post glossam *in cap. admonere. ca. 33. q. 2.* norant DD.

§. II.

Crimen Injuriarum.

61. Actio Injuriarum duplex est, alia Civilis, descendens ex lege Cornelia, quando quis dicit se pulsatum, vel verberatum, vel in domum suam introitum esse: alia Prætoria, quæ ob alias injurias competit, de quibus dixi *to. 1. de Jure privat. tract.* 2. Quod attinet priorem, Antonius Gomez *var. resol. de injuriis c. 6. n. 15. dubium.* tenet eam durare solùm per annum.

62. Communior tamen est sententia, eam non minùs esse perpetuam, quàm sint aliæ actiones civiles, hoc est, ut non nisi 30. annorum spatio extinguatur.

Quod verò attinet actionem Prætoriam, eam aboleri anni spatio habetur ex lege 5. *C. de injuriis*, ubi expressè sermo est, de injuria verbali, ut proinde non rectè à Gomez extendatur hæc lex ad injuriam realem. [Si non convitii consilio te aliquid injuriosum dixisse probare potes, fides veri à calumnia te defendit. Si autem in rixam inconsulto calore prolapsus, homicidii convitium objecisti, & ex eo die annus excessit, cùm injuriatum actio annuo tempore præscripta sit, ob injuriæ admissum convenitî non potes.]

63. Controversum est, an hic annus incipiat currere à die commissæ injuriæ, adeoque etiam ignoranti currat. Affirmat Rota Romana *tit. de Injuriis decis.* 240. & Julius Clarus. Negativa est communior, quam etiam sequitur Fachin: *lib. 9. c.* 8. & Gail *lib. 2. ob.* 105. Hi volunt annum esse utilem, & incipere à die scientiæ factæ injuriæ. Colligitur hæc sententia ex lege 14. §. 1. *& seq. ff. quod metûs ca.* ibi. [Post annum verò in simplum actionem pollicetur, sed non semper, sed causâ cognitâ. In causæ autem cognitione versatur, ut si alia actio non sit, tunc hæc detur: & sanè per metum facta injuria anno & quidem utili exolevérit.] Et regulariter actiones annuæ à Prætore datæ anno utili gaudent. Porrò annus utilis est, quo experiundi potestas datur: atqui ignorans sibi competere actionem, non censetur habere potestatem experiundi, ut per se patet, & in Jure sæpius expressum est.

64. Controversum etiam est, an Injuria scripto illata vel picturâ, vel libello famoso, præscribatur anno utili, vel potiùs sit perpetua. Perpetuam esse tenet Zasius & Gail, ex eo fundamento, quia censetur injuria realis, nam scriptura, seu littera scripta manet. Verior est sententia Fachinei, anno utili præscribi. Negatur ergo, esse injuriam realem, sed esse verbalem æquivalenter, quod benè probatur ex lege 15. §. *ait prætor* 25. *ff. de injuriis.* [Ait Prætor, *ne quid infamandi causâ fiat; si quis adversùs ea fecerit, prout quaque res erit, animadvertam.* Hoc edictum supervacuum esse Labeo ait, quippe cùm ex generali injuriarum agere possimus &c. Generaliter vetuit Prætor quid ad infamiam alicujus fieri: proinde quodcunque quis fecerit NB. vel dixerit, ut alium infamet, erit actio injuriarum. Hæc autem ferè sunt, quæ ad infamiam alicujus fiunt, ut puta ad invidiam alicujus veste lugubri utitur, aut squalidâ, aut si barbam demittat, vel capillos submittat, aut si carmen conscribat, vel proponat, vel cantet aliquod, quod pudorem alicujus lædat.] Unde rectè infert Fach. nullam esse causam, ut in re dubia & odiosa actionem hujusmodi perpetuam faciamus. Quod si Statutum haberet contrarium, utique non esset irrationabile, ad absterrendos homines, qui alicubi nimis proni sunt ad faciendos libellos famosos.

§. III.

Crimen Apostasiæ.

65. Hujus criminis accusatio (si communem DD. opinionem spectemus) præscribitur spatio quinquennii vivente Apostatâ, post mortem durat perpetuò, in sententia probabili; etsi contrarium teneat Bartolus. *in l. 2. C. de Apostatis.* ibi. *Intra juge quinquennium, quod de inofficiosis actionibus constitutum est, proprias exigat actiones.* quæ tamen lex loquitur de Actione, quâ quis impugnat testamentum Apostatæ. Cæterùm, in lege 4. videtur mihi accusatio perpetua concedi. [Apostatarum sacrilegum nomen singulorum vox continuâ accusatione incesset, & nullis finita temporibus hujusmodi criminis arceatur indago.] quæ verba satis clara videntur: & tamen hæc lex à DD. allegatur pro præscriptione quinquennii, cùm nec syllaba sit de quinquennio. Adverte, eum qui in Apostasia perseverat, nunquam præscribere, quia continuatur delictum.

§. IV.

Crimen Peculatûs.

66. De hoc est clara *lex 7. ff. ad leg. Jul. pecul. Peculatûs crimen ante quinquennium admis-*

K sum

sum objici non oportet. Est autem crimen peculatûs furtum pecuniæ publicæ vel fiscalis, vel sacræ. Quodsi hoc furtum haberet conjunctum sacrilegium, non præscriberetur nisi spatio 20. annorum, prout in simili suprà dictum de Adulterio habente conjunctum aliud crimen.

§. V.

Crimen suppositi partûs.

67. IN hoc crimine nunquam admittitur præscriptio. *l.* 19. §. 1. *ff. ad leg. Cornel. de falsis.* [Accusatio suppositi partûs nullâ temporis præscriptione depellitur, nec interest, decesserit necne ea quæ partum subdidisse contenditur.] Quæ lex summâ ratione nititur, non solùm favore prolis legitimæ, si quæ fortè adsit, ne minuatur ejus patrimonium & legitima, verùm etiam & longè maximè favore familiæ: quandocunque enim constiterit, eum non esse de familia, nulla præscriptio faciet, ut sit de familia, vel pro tali habendus sit, cùm apertè de falsitate constet.

§. VI.

Crimen Parricidii.

68. NEque hoc crimen, ob suam atrocitatem, nullo tempore præscribitur, quò minùs accusari possit. *l. fin. ad l. Pompejam de parricid. Eorum qui parricidii pœnâ teneri possunt, semper accusatio permittitur.* & lege 1. enumerantur, qui hac pœnâ tenentur: nempe, qui parentem, liberos, cognatum, conjugem, affinem, sponsum, sponsam, sponsi, sponsævé cognatum, patronum, patronam, occidit: vel cujus dolo, vel ope id factum est, & qui venenum emit, ut patenti daret, etsi non potuerit dare.

§. VII.

De aliis Criminibus non præscribibilibus.

69. CRimen Læsæ Majestatis, tam divinæ per Blasphemiam, quàm humanæ, item hæresis, Assassinii, falsæ monetæ, Simoniæ, abortûs, concussionis, nullo tempore præscribi posse tradunt DD. communiter, quamvis expressis Juribus non probent. Inter hæc numerat Guazzinus n. 83. Apostasiam, cùm tamen priùs duobus in locis dixisset, præscribi quinquennio; ego verò suprà notavi, & adduxi textum, quo perpetuitas probatur.

§. VIII.

Quomodo hæc Præscriptio interrumpatur.

70. MUltorum est sententia, quos refert & sequitur Farinacius *q.* 10. *n.* 18. præscriptionem hanc interrumpi, si accusator querelam, seu libellum accusationis porrexisset, vel fiscus, & eo instante Judex ex officio inquisitionem formâsset: etiamsi citatio non intervenisset: unde ut præscriberetur, tempus constitutum inciperet currere à die interruptæ præscriptionis, quæ de novo inchoanda est, secundùm regulas traditas in materia de Præscriptione, & ejus interruptione.

Alii tamen præsertim RR. quos sequitur Guazzinus, requirunt citationem, & quidem, ut fuerit relata per nuntium in actis, & legitimè executioni mandata. Verùm, pro neutra sententia invenio Jus speciale, quare verius est, insistendum in hoc generali regulæ de interruptione Præscriptionis in civilibus: de qua actum loco citato.

§. IX.

An, & quanta temporis diuturnitas non complens præscriptionem, saltem minuat pœnam.

71. IN hoc puncto adeo variè loquuntur DD. ut nil firmum asseri facilè possit, qui tamen in hoc conveniunt, quòd in delictis, quæ diximus nullo unquam tempore præscribi, pœna quoque non minuatur ob quamcunque diuturnitatem. De aliis ergo loquendo exstat *lex* 25. *ff. de pœnis.* quæ dicit pœnam esse minuendam. [Si diutino tempore aliquis in reatu fuerit, aliquatenus pœna ejus sublevanda erit: sic enim constitutum est, non eo modo puniendos eos, qui longo tempore in reatu agunt, quàm eos qui in recenti sententiam recipiunt.]

Hanc legem antiquiores intellexerunt, quasi diuturnitas temporis simpliciter mereatur minui pœnam, etiamsi delinquens nunquam accusatus aut aliquo modo vexatus fuerit: sed in rei

triveritate non est iste sensus legis: & alius indicatur per illa verba; *in Reatu fuerit*. Reatus apud antiquos fuit status reorum, quorum causa agitabatur, donec vel absolverentur, vel condemnarentur; qui eo tempore debebant incedere capillis submissis, quos non licebat antè tondere, quàm omnium sententiis absolverentur, squalore & illuvie confecti, promissâ barbâ, habitu sordido, pannoso, &, ut Budæus air, misericordiæ aucupatore.

72. Cæterùm, si quis post delictum momentaneum se emendavit longo tempore, de quo Judex arbitrabitur, v. g. per octo vel decem annos, non est ioconveniens pœnam minui, & quæ fortè alioquin fuisset corporalis, eam in pecuniariam commutari. Quod quidem in delictis levioribus practicari, nunquam autem in gravioribus, testatur Julius Clarus, *q. 60. n. 32.* nisi fortè ad obtinendam faciliùs gratiam à Principe, præsertim si reus non fuit contumax. Quare in hac re nihil pro certa regula statui potest, sed attentâ æquitate Judex arbitrabitur, an reus ob temporis diuturnitatem sit commiseratione dignus. Deinde etiam est attendenda Curiarum praxis, quæ ob diuturnitatem solet commutare ultimum supplicium in pœnam triremium, fustigationis, juxta qualitatem delicti & conditionem personarum, & de tali praxi testatur Farinacius. Sanè ob diuturnitatem carceris pœnalis, vel etiam per modum custodiæ adhibiti, posse pœnam minui, usus habet, cùm reverâ sit pars pœnæ.

CONTROVERSIA VIII.

Quanto tempore pereat instantia Causæ Criminalis.

SUMMARIUM.

De Consuetudine non solet certus terminus observari, ob causarum multitudinem. De jure communi requiritur biennium. 73.

An ità perimatur instantia, ut nec de novo possit accusari. 74.

An post lapsum biennij possit accusator restitui, si Judici datum est plenum arbitrium. 75.

An mortuo accusatore non possit accusatio ab alio continuari. 76.

An procedat peremptio, si Reus judicialiter crimen confiteatur. 77.

An procedat, quando causa agitatur in consistorio Principis. eod.

Si judici assignetur brevior terminus, à quo tempore incipiat currere. 78.

An valeat prorogatio impetrata, sed repræsentata post lapsum termini. eod.

Si judex desinat esse judex prope finē biennij, quomodo currat tempus successori. 79.

73. Quamvis hodie in multis Dicasteriis & Curiis sicut in Civilibus ità & in Criminalibus causis, ob causarum Multitudinem nullus certus terminus observari commodè possit, quid tamen Jure communi statutum, & illius vigore, cessante causarum multitudine, observandum sit, exponemus.

Dicendum est, de Jure communi, sicut in Civilibus perimitur instantia triennio, (loquendo de foro civili, nam in foro Ecclesiastico non habet terminum) ità, tam de Jure Canonico quàm civili instantia in causis criminalibus perimitur biennio, computato à die litis contestationis, vel inceptæ Inquisitionis. *l. 13. C. de Jud. princip.* [Properandum nobis visum est, ne lites fiant peoè immortales, & vitæ hominum modum excedant: cùm criminales quidem causas jam nostra lex (*mox referenda*) biennio concluserit.] *l. fin. C. ut intra certum tempus crimin. quæst. terminetur.* [Criminales causas omnino intra duos annos à contestatione litis numerandos finiri censemus: nec ullâ aliâ occasione ad ampliora produci tempora: sed post biennii excessum minimè ulteriùs lite durante, accusatum absolvi: scientibus Judicibus eorúmque officiis, quòd si litigatoribus admonentibus ipsi litis introductionem vel examinationem distulerint, pœnâ vicenarum librarum auri feriantur.] Quæ lex non est correcta Jure Canonico.

74. Quæritur I. An elapso biennio ità pereat instantia, ut non solùm reus sit absolvendus ab instantia, sed neque ampliùs de novò possit accusatio iostitui. ℟. Si culpâ accusatoris lapsum est biennium, non admittitur ampliùs ad accusandum de novo: benè tamen si per negligentiam Judicis, & reus est ab instantia absolutus. Unde monentur Accusatores, ut sæpiùs & instanter multiplicent protestationes, ne currat instantia.

75. Quæritur II. Si Judici datum est plenum arbitrium, an vi hujus arbitrii possit post lapsum biennium accusatorem restituere, ut possit in accusando pergere. ℟. Negativè, solùm enim censetur illi concessum, quòd durante biennio possit tempus prorogare: quæ duo esse diversa alibi declaratum est.

76. Quæritur III. An morte accusatoris pereat instantia, ità ut per alium continuari non possit. ℟. Si delictum tale sit, super quo Judex non possit ex officio procedere, sed solùm

per viam accusationis, tunc petit instantia, sicut per lapsum biennii; quia judicium est fundatum super persona accusatoris. Si verò delictum ejusmodi sit, (qualia hodie in pletisque tribunalibus omnia sunt) ut super eo inquiri à Judice possit, etiam nemine accusante, tunc morte accusatoris instantia non perit, quin Judex possit ex officio per inquisitionem pergere, quia tunc judicium etiam in persona Judicis fundatum est.

77. Quæritur IV. Si reus judicialiter confiteatur crimen, an nihilominus sit locus peremptioni instantiæ. ℞. Negativè, Nam per confessionem judicialem fit crimen notorium, in notoriis autem non observantur solennitates.

Quæritur V. An instantia perimatur etiam quando causa agitatur in Consistorio Principis. ℞. Negativè. Et ità dicitur practicari in Camera Imperiali, idem est in illis causis, quæ quidem cognoscuntur ab inferioribus Judicibus, sed sunt ad Principem referendæ.

78. Quæritur VI. Si Princeps vel Statutum assignet Judici breviorem terminum, à quo die incipiat tempus præscriptum currere. ℞. Si à Statuto: tunc à die litis contestatæ, sicut de jure communi dictum. Si verò à Principe, tunc incipit Judici currere à die præsentati rescripti, & non à die quo datum est.

Quæritur VII. Si durante tempore præfixo petatur & impetretur à Principe prorogatio, sed præsentetur rescriptum post lapsum temporis, an nihilominus prorogatio valeat. ℞. Affirmativè, quia hæc videtur esse Principis intentio, & quia beneficia Principum, quando nemini præjudicant, recipiunt amplam interpretationem.

79. Quæritur VIII. Si Judex moriatur vel mutetur prope finem biennii, quomodo currat tempus successori. ℞. Concedi illi integrum novum annum, ut colligitur ex lege 13. §. 7. *post medium. C. de Judiciis*, quamvis textus loquatur de causis civilibus, & de triennio. [Sin autem in medio triennii, vel morte Judicis, vel aliâ irrecusabili occasione judicium fuerit mutatum, si quidem ex triennio annale tempus, vel ampliùs residet, in quo alius Judex ei causæ imponitur, intra reliquum tempus causa finiatur. Sin autem minus quàm annale sit, tunc omne quod deest, repleatur, ut non in minore quàm perfecti anni tempore litem possit subrogatus Judex tam discutere quàm terminare.]

De hac materia plura dixi to. præced. quæ etiam causis criminalibus communia sunt, & ideo non repetenda.



CONTROVERSIA IX.

An crimen semel definitivè judicatum, possit denuo in Judicium adduci.

SUMMARIUM.

Semel definitivè absolutus non potest regulariter super eodem crimine molestari. 81.
Aliquando tamen admittitur alius accusator super eodem crimine, si ignarus prioris accusationis prosequatur suam su rumque injuriam. 81.
Quid si fuit absolutus solùm ob defectum probationis. n. 82. & seq.
Post absolutionem ab observatione Judicij, potest eadem criminis causa denuo tractari. 84.
Quid si delictum fuit punitum in foro Ecclesiastico pœnâ improportionatâ. 85.

80. Dicendum I. Qui semel est judicialiter absolutus à crimine tanquam innocens, sive hoc factum sit in judicio criminali sive civili, hoc est, quando in causa criminali solùm civiliter actum est, & sententia transiit in rem judicatam, non potest ab eodem (& regulariter nec ab alio) denuò super ejusmodi crimine molestari aut accusari, sed exceptione rei judicatæ semper tutus erit, & hoc tam de jure Canonico (quod immeritò aliqui negârunt) quàm de Jure civili. *cap. 6. de accusat.* [De his criminibus, de quibus absolutus est accusatus, non potest accusatio replicari.] Ex Jure Civili textum mox afferam.

81. Dicendum II. Aliquando tamen admittitur alius accusator super eodem crimine, si ignarus prioris accusationis suam vel suorum injuriam prosequatur. *l. 7. §. 2. ff. de accus.* ubi etiam præcedens conclusio habetur. [Iisdem criminibus, quibus quis liberatus est, non debet Præses pati eundem accusari. Sed hoc utrum ab eodem, an nec ab alio accusari possit, videndum est. Et putem, quoniam res inter alios judicatæ alii non præjudicant, si is qui nunc (*id est postea*) accusator existit, suum dolorem persequatur, doceatque, ignorâsse se accusationem ab alio institutam, magna ex causa admitti eum ad accusationem debere.]

Ex quo textu liquet, ad hoc ut secundus accusator admittatur, duo requiri: imprimis ignorantiam prioris accusationis: quæ quidem nisi in contrarium essent argumenta vel præsumptio, sufficienter probaretur Juramento accusatoris, et in simi-

in simili alibi dictum est. Secundò, requiritur magna causa. Et ideo cùm semel hic casus de facto contigisset, (inquit Clarus *n.* 4. *q.* 57.) ego dicebam, non esse audiendos hujusmodi de novo accusare volentes, nisi in criminibus magnis & atrocibus, & nisi præstitâ fidejussione de omnibus impensis & damnis, in casu quo delictum non probaretur, quia non videbatur posse dici subesse magna causa, ubi non esset etiam gravis qualitas ipsius criminis.

Multò faciliùs admitteretur Secundus accusator, si constaret, priorem accusatorem prævaricatum esse, & collusisse, ut reus absolveretur, fortè pecuniâ corruptum: nam ob bonum publicum, cujus interest delicta non manere impunita, non debet dolus obesse.

82. Controversia non levis est. An, quando reus fuit absolutus non ob probatam innocentiam, sed ob defectum probationum delicti, an inquam, tunc possit denuò accusari. Et quidem si sententia lata esset cum clausula: donec meliùs probetur: vel: rebus sic stantibus: ex hic & nunc apparentibus, &c. tunc omnes admittunt, posse denuò accusari, imò & inquiri, ex nova causa inquirendi emergente. Nam hæ clausulæ indicant intentionem Judicis absolventis restrictam, & conditionatam, adeoque in effectu faciunt sententiam interlocutoriam, ut possit post se aliam sententiam exspectare. Verùm seclusis clausulis

Affirmativam sententiam tenet Romanus, & in terminis ac indubitatè Julius Clarus n. 2. his verbis. Sed si est absolutus eò quia probatum non fuisset, tunc utique posset iterum accusari. Unde miror, quod Guazzinus Clarum citet pro sententia negativa.

83. Dicendum III. Cum communi sententia, neque tunc posse reum ampliùs accusari. Ratio est, quia imprimis Jura non distinguunt. Deinde fundamentum adversariorum falsum est, quasi talis absolutio sit solùm absolutio ab observatione Judicii, prout est v.g. quando accusator non est legitimus, vel contumax &c. Reverâ enim absolutio rei ob defectum probationis delicti, est definitiva, absoluta, & parit exceptionem rei judicatæ, & jura detestantur resuscitationem judiciorum.

Unde reprehenduntur illi Judices, qui, delicto non probato, sed nec probatâ innocentiâ, absolvunt reum ab observatione judicii, in hunc finem, ut possit iterum accusari, quasi hoc modo consulant Reipublicæ: sed hoc fieri contra leges & justitiam asserit Fachineus *lib.* 9. *c.* 16. post Ant. Gomez & alios. Nam regula juris habet, actore non probante, reum esse absolvendum: & hæc absolutio est sententia definitiva, quæ prætextu probationum postea repertarum inverti non debet: habet enim accusator appellationis remedium, quo si non utatur, sed acquiescat, sibi imputet. Quia tamen praxis multarum Curiarum habet hunc modum absolvendi ab observatione judicii, ideo secundùm illam

84. Dicendum IV. Post absolutionem ab observatione Judicii, potest eadem criminis causa denuo tractari. Ratio, quia talis sententia solùm profertur in vim interlocutoriæ.

Dicendum V. Si reus fuit solùm absolutus in Judicio Inquisitionis, poterit iterum super eodem delicto impeti Judicio Accusationis, nisi crimen tale esset, ut etiam in Judicio inquisitionis pro eo imponatur pœna ordinaria, tunc enim non posset de novo accusari, sed solùm quando imponeretur pœna levior. Ità cum communi tradit Covarr. var. cap. 10. n. 5.

85. Dicendum VI. Si delictum mixti fori fuit punitum in foro Ecclesiastico, pœnâ tamen non adæquante gravitatem delicti, poterit nihilominus adhuc puniri pœnâ proportionatâ delicto. Ità communiter omnes DD. & conclusionem jam suprà probavi ex *cap.* 5. *de pœnis in* 6. prope finem. ibi. [Per hoc quoque sæcularibus potestatibus non adimimus facultatem utendi legibus contra tales, quas adversùs sacrilegos catholici Principes ediderunt.]

CONTROVERSIA X.

Quænam repetitio delicti, vel delictorum in uno actu cumulatio multiplicet pœnam.

SUMMARIUM.

Concursus plurium delictorum non facit, ut ullius delicti impunitas detur. 86.

Ut vulneratio & occisio sint duo delicta, debent fieri ex intervallo. 87.

Plures percussiones quando faciant unicum delictum. eod.

Quid si simul vel ex iteratione actûs diversa crimina oriantur. eod.

Iteratio criminis continuata, graviùs punienda, licèt sit unicum delictum. 88.

Quid si crimen iteretur post punitionem primi actûs. 89.

Intellectus Glossæ in legem Vulgaris. ff. de furtis. 90.

 86. De

86. De hoc puncto exstat lex 2. ff. de privatis delictis, quæ sic habet. [Nunquam plura delicta concurrentia faciunt, ut ullius impunitas detur. Neque enim delictum ob aliud delictū minuit pœnam. Qui igitur hominē subripuit, & occidit, quia subripuit, furti, quia occidit, Aquiliâ tenetur, neque altera harum actionum alteram consumit. Idem dicendum, si rapuit & occidit, nam & vi bonorum raptorum, & Aquiliâ tenebitur.] Et lex 32. §. 1. *ff. ad L. Aquil.* [Si idem eundem servum vulneraverit, postea deinde etiam occiderit: tenebitur & de vulnerato, & de occiso: duo enim sunt delicta, aliter atque si quis uno impetu pluribus vulneribus aliquem occiderit, tunc enim unica erit actio de occiso.] Ex quibus juribus

87. Colligitur I. Ad hoc ut vulneratio & occisio censeantur duo delicta in Jure, necessarium esse, ut fiant ex intervallo.

Colligitur II. Plures percussiones uno impetu seu unâ rixâ illatas, etiamsi percussus mortem non obierit, unicum delictum esse censendum, non plura, ut contra Bartolum notat Covarr.

Colligitur III. Quoties vel simul, vel ex iteratione criminis, sive statim sive ex intervallo, distincta & diversa crimina oriuntur, non ut unicum, sed ut plura crimina punienda esse; etiamsi repetitio fiat ad eundem effectum, quod etiam est contra Bart.

Colligitur IV. Si ejusdem actûs & criminis eodem impetu & continuatione iteratio fiat, unicum tantùm crimen censendum esse.

88. Colligitur IV. Contra eundem Bart. si ejusdem criminis eodem impetu & continuatione iteratio fiat, v.g. percussionum, vulnerationum, unicum tantùm crimen censendum esse ad publicam vindictam, quamvis graviùs puniendum, etiamsi reus non intendisset occisionem secutam; quia JCtus non facit vim in intentione occisionis. Sic percutiens Clericum quinquies vel sæpiùs uno impetu, non nisi unâ canonicâ pœnâ afficitur, & unâ sententiâ excommunicationis ferìtur. Sic si Statutum statueret suspendium in furem reum trium furtorum, non comprehenderet illum, qui uno impetu & eâdem occasione tribus attrectationibus tribus diversis dominis tres diversas res auferret: quia mens statuti esset punire consuetudinem furandi, quæ in tali casu non appareret, ut cum aliis tradit Covarr. lo. cit.

89. Colligitur V. Si ante punitionem primi actûs ex intervallo actus iteretur circa eandem personam, unâ quidem pœnâ sed auctiore puniendum reum, & sic quoad publicam vindictam fore unum crimen. Exemplum. Si quis in eadem lite ex intervallo sæpius producat testes corruptos, ad finem victoriæ. Secùs si post punitionem primi actûs, iterum produceret falsos testes. Quod autem dicit Covarruvias, etiam unicâ pœnâ puniendum, qui sæpius ex intervallo produceret falsos testes contra eundem quidem, sed ad diversum effectum, mihi dubium est, & magis propendeo in sententiam Bartoli, volentis pœnam esse multiplicandam.

90. Dubium est, quomodo sit intelligenda glossa in legem *vulgaris. ff. de furtis.* quæ licèt dixerit in specie, cùm quis alienam uxorem plurics cognoverit continuatione quadam, plura quidem videri adulteria, asserit tamen unicâ tantùm pœnâ illam continuationem puniendam. Bartolus docet, hoc ideo à glossa dictum esse, quòd adulterium non possit pluries puniri, cùm puniatur pœnâ mortis. Verùm, hoc acutè rejicit Covarruv. Nam quando condita est illa lex, nondum erat statuta pœna mortis in adulterum. ergo non potuit hæc esse mens glossæ. Communissima ergo sententia, teste eodem Covarr. tenet, tunc illa plura adulteria propter continuationem unicâ pœnâ, etiamsi hæc pecuniaria esset, punienda esse, quamvis cum aliquo augmento.

De Cumulatione pœnarum ob cumulationem delictorum, iterum agam prope finem hujus tomi.



CA-

CAPUT II.

DE DELICTORUM SPECIEBUS, EORUMQUE POENIS,

Ordine Alphabetico discussis.

Quæ alii DD. crimina in specie cum suis pœnis sine ordine tractant, placuit ordine Alphabetico tractare, nam omnis alius ordo est difficilis & dubius, v.g. Si quis vellet secundùm gradum atrocitatis aut gravitatis procedere, vel secundùm majorem aut minorem eorundem similitudinem, prout aliqui minùs feliciter attentârunt.

Abigeatus.

SUMMARIUM.

Abigei quinam in Jure dicantur. 91.
Quænam pœna Abigeorum. 92.
Qui è stabulo abigunt pecus domitum, pleniùs coercentur. eod.
Qui animalia domestica minora, arbitrariè puniuntur. eod.
Abigeatus per se non est publici Judicii. 93.
Pœna receptatorum abigeorum. eod.

91. DE Abigeis exstat titulus ff. 14. libri 47. & in Codie 37. lib. 9.

Abigei dicuntur in Jure, qui pecora ex pascuis vel armentis subtrahunt, vel ex stabulis, & sic deprædandi & abigendi quodammodo artem profitentur. Unde, qui ovem errantem vel equum in solitudine hærentem abducit, animo retinendi, etsi fur sit, abigeus tamen necdum est, ut habetur totidem propè verbis *l.* 1. §. 1. *ff. h. tit.* Quoad numerum verò sic statuitur l. 3. [Oves pro numero abactorum aut furem aut abigeum faciunt: quidam decem oves gregem putaverunt: porcos etiam quinque vel quatuor abactos, equum, bovem vel unum abigeatûs crimen facere.] & §. 2. *Qui sæpiùs abegerunt, licèt semper unum vel alterum pecus surripuerint, tamen abigei sunt.* nempe quia tales censentur professionem hujus artis facere.

92. De pœna abigeorum sic statuitur *l.* 1. *ff. h. t.* [De abigeis puniendis ità D. Hadr. consilio Beticæ rescripsit. Abigei cùm durissimè puniuntur, ad gladium damnari solent. puniuntur autem durissimè non ubique, sed ubi frequentiùs est id genus maleficii. alioquin & in opus, & nonnunquam temporarium dantur.] Ratio est, quia frequentia delicti debet emendari medio magis absterrente.

Cujacius, more suo, hìc singularem intellectum illius verbi *ad gladium* comminiscitur, quasi non sit intelligenda decapitatio, sed Ludus gladiatorius; sed non est audiendus.

Qui è stabulo abigunt domitum pecus, pleniùs coercentur, ut habetur *in l.* 3. §. 1. *ff. h. t.* ubi nota, textum aliter legi ab Ant. Perez. qui sic scribit. *Leniùs etiam coercentur, qui è stabulo abigunt.* prout ex græca versione reponit Cujacius. Sed rectiùs retinent alii lectionem. *pleniùs.* nam qui à stabulo abigunt pecus, atrociùs delinquunt, quàm si è sylva abigant, cùm habeat adjunctam violentam irruptionem, magisque noxium domino.

Qui animalia minora domestica & cicura abigunt, arbitrariè puniuntur, ut anseres, anates, gallinas &c. ut tradit Damhouderus. sed in hoc consuetudo attendenda; qualis est in Belgio, teste

teste Petez, ubi abigei suspendio puniuntur: & hoc fortè ideo, quia cum armis aggrediuntur delictum, quæ ratio insinuatur in lege 2. *ff. h. t.*

93. Crimen hoc per se non esse publici Judicii, habetur in lege 2. & ratio redditur, quia furtum potiùs est. Si actio civiliter intenretur, non est opus inscriptione, & abactor punitur pro delicti qualitate, vel in duplum, vel in quadruplum: si verò extra ordinem accusatur, observanda sunt, quæ in extraordinariis Judiciis circa privata delicta debent observari de Jure, vel consuetudine, vel peculiari statuto.

Receptores abigeorum, quâ pœnâ plecti debeant, ità cavetur, ut extra terram Italiæ decem annis relegentur *l. 3. §. 3. ff. h. t.*

Abortio, seu Abortûs procuratio, vel Sterilitatis.

SVMMARIVM.

Abigens dolo fœtum animatum, homicidii reus est ex L. Corn. 94.

Quod tempus observandum, ut judicetur fœtus animatus. eod.

Abigens fœtum inanimatum, punitur pœnâ extraordinariâ. 95.

Debet certò constare, Medicorum judicio, de dolo. 96.

De hoc delicto aliqui tractant, cùm agunt de Parricidis, aliqui, cùm agunt de Infanticidio. Placet hæc omnia suo Alphabeti ordine tractare.

94. Distinguendum est inter fœtum animatum, & necdum animatum. Et

Dicendum I. Qui partum animatum dolo abigit, sive sit ipsa mater, sive alius quicunque, pœnâ legis Corneliæ tanquam homicida tenetur, ut habet valde communis sententia, quam ex Theologis etiam tradit P. Molina *tr. 3. d. 27. n. 2*, (qui pulchrè advertit, quòd tale homicidium respectu infantis sit proditorium: & ut tale puniendum esset, sed ad hoc non attenditur. Deinde si à matre causatur, erit parricidium,) contra non paucos, qui referuntur à Berlichio *concl. 8.* Probatur maximè ex Ord. Carol. a. 133. ubi statuitur: si quis dolo malo gravidæ mulieris fœtum animatum quocunque modo abigat, mortis pœnâ puniendus est, mas quidem gladio, fæmina verò aquâ. Idem statuitur de eo, qui vitum ineptum hymenæo reddiderit, sterilemque fæminam effecerit: quod fit aut per fascinationem, vel sortilegium, quando in viris & mulieribus generandi vim impedit, vel efficitur, ne mulier concipere possit, vel gravida patere, vel lac nutricis deficeat, aut alia similia maleficia in corpore per cibum aut potum, vel extra corpus conficit. Quæ ordinatio quoad primam partem est conformis Juri communi. *l. 38. §. 5. ff. de pœnis.* [Qui abortionis aut amatorium poculum dant &c. quod si eo mulier aut homo perierit, summo supplicio afficiuntur.] Atqui fœtus animatus jam est homo. *l. 39. ff. eod.* ibi. *quod ab hæredibus secundis acceptâ pecuniâ partum sibi medicamentis ipsa abegisset, rei capitalis esse damnatam.* Quoad secundam partem est conformis Juri Canonico *cap. 5. de homicidio.* [Si aliquis causâ explendæ libidinis, vel odii meditatione homini aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non possit generare, aut concipere, vel nasci soboles, ut homicida teneatur.] Omitto referre alios textus, qui omnes recipere ntaliam interpretationem.

Portò, quia magna est inter Medicos variatio circa tempus quo fœtus censeatur jam animatus, videtur illud tempus observandum, de quo apud omnes certum est: & ob hanc, nisi fallor, causam in Jure Saxonico statutum est, ad hoc ut pœna capitalis locum habeat, debere dimidium tempus uterum gerentium elapsum esse. Deinde in dubio præsumitur fœtus inanimatus ex communiore sententia, quam aliis relatis tradit Berlichius n. 23.

95. Dicendum II. Si abigatur fœtus necdum animatus, extraordinariâ pœnâ punitur abigens. Et Ordinatione Carolinâ arbitrio Judicis, adhibito consilio peritorum, permittitur. Hujusmodi pœna potest esse relegatio, vel exilium. Et aliqui textus Juris communis accipiendi sunt de fœtu inanimato, quando solam extraordinariam pœnam infligunt.

96. Prædictæ conclusiones intelligendæ sunt, quando certò constat, Medicorum judicio, abortum processisse unicè ex causa dolo data. Nam in dubio mitior esset pœna infligenda, ob delicti quoad effectum incertitudinem. Adhuc mitiùs puniendus esset solus conatus effectu non secuto, quæ omnia deducuntur ex regulis generalibus, quæ in progressu sæpius inculcabuntur.



Adul-

Adulterium.

SVMMARIVM.

DE hoc exstat titulus ff. 5. lib. 48. & in Cod. 9. lib. 9. & in Decretalib. 16. lib. 5. De quo egi in to. 1. de Jure privat. *tract.* 2. *à n.* 699. occasione restitutionis faciendæ ob prolem ex adulterio susceptam: ubi obiter plures quæstiones expedivi, quæ ibi videri possunt. Nunc autem aliqua addenda, prætermissis illis, quæ loco citato sufficienter exposita sunt, quò lectorem remitto.

97. Quæritur I. Quâ pœnâ afficiatur Adulter & Adultera. Et quidem in lege antiqua fuisse pœnam lapidationis, constat ex pluribus S. Scripturæ locis. Sed in nova lege aliæ pœnæ sunt substitutæ. Et quidem Jure Canonico, si maritus uxorem recipere nolit, in monasterio collocatur. c. 19. *de conversione conjugatorum.* [Mulieres verò quæ relicto maritali thoro lapsu carnis ceciderunt, si mariti earum à te diligenter commoniti, eas ad frugem melioris vitæ conversas noluerint recipere propter Deum, in claustris cum religiosis mulieribus studeas collocare, ut perpetuam pœnitentiam ibi agant.] Simile quid constitutum est circa Clericum in *can.* 10. *dist.* 81. [Si quis Clericus adulterâsse aut confessus, aut convictus fuerit, depositus ab officio, communione concessâ, in monasterio toto vitæ suæ tempore detrudatur.] Pœna etiam divortii locum habet, si innocens nolit cum delinquente cohabitare, quod illi Jure conceditur. *cap.* 4. *de divort.* ibi. [Respondemus, quòd si notorium est, mulierem ipsam adulterium commisisse, ad eam recipiendam præfatus vir cogi non debet, nisi constaret, ipsum cum alia adulterium commisisse.]

98. Quæ Jure Civili olim pœna fuerit, non est operæ pretium curiosiùs investigare, cùm sæpius variatum sit, & nec Interpretes conveniant, & in Imperio habeamus Ordinationem Criminalem Caroli V. a. 120. statuentem pœnam Capitalem, conformiter Sanctioni Constantini & Justiniani, nisi quòd sustulerit discrimen inter adulterum & adulteram, cùm Justinianus cum adultera mitiùs egerit, contentus si virgis cæsa in Monasterium detruderetur. Quæ verò specialiter Jure Bavarico sunt circa adulteria constituta, retuli loco citato n. 705. ubi, si lubet, videri possunt. Quibus nunc addo Authenticam C. h. t. quæ sic habet. [Si quis ei, quem suspectum habet de sua uxore, ter in scriptis denuntiaverit sub præsentia trium testium fidedignorum; & post invenerit eum convenientem uxori suæ in domo sua vel uxoris, vel adulteri, vel in popinis, aut in suburbanis, sine periculo eum perimat. Si alibi inveniat, tribus testibus convocatis tradat eum Judici, qui nullâ aliâ ratione quæsitâ habet puniendi licentiam: &c.]

99. Quæritur II. Quomodo defendi possint leges Civiles, pronuntiantes, posse impunè à marito occidi adulterum cum sua uxore deprehensum, si sit persona vilis & infamis, & posse à patre occidi adulterum cum filia sua nupta &c. si tamen utrumque occidat in continenti. & similes aliæ. Quam quæstionem ad longum dispu-

disputavi loco cit. à n. 713. quæ hîc non vacat repetere.

100. Quæritur III. Quanto tempore hoc delictum præscribatur, ut ampliùs accusari non possit. Hoc expedivi cap. præced. *controv. 7.*

101. Quæritur IV. An Jure Civili & communi censeatur adulterium, si conjugatus peccet cum soluta. Censeo hanc quæstionem hodie inutilem esse, postquam & huic actui pœna constituta est, (de qua videri potest Carpzovius t. 2. q. 53. à n. 53. ubi vult, non obstante Carolinâ, talem adulterum non pœnâ gladii sed virgarum puniendum, fœminam autem pœnâ arbitrariâ.) quidquid sit de modo loquendi, nam in foro Canonico & conscientiæ est reverâ adulterium, *c. nemo. ca. 32. q. 4.* [Nemo blandiatur sibi de legibus hominum. Omne stuprum adulterium est, nec viro licet, quod mulieri non licet. Eadem à viro quæ ab uxore debetur castimonia. Quidquid in ea, quæ non sit legitima uxor, commissum fuerit, adulterii crimine damnatur.] In Jure civili *l. 225. ff. de V. S.* adulter ille solus habetur, qui alienam matremfamilias corrupit. Ratio etiam speciosa hujus rigidioris acceptionis desumitur ex seminis sanguinisque confusione, & inde consequente prolis incertitudine: ob quam causam major desiderabatur in uxore castitas; & vir uxoris adulterium coërcebat, uxor verò ne quidem de violato suo matrimonio queri poterat, ut habetur disertè *lege 1. C. ad L. Jul. de adult.*

102. Quæritur V. An tanquam adulter puniendus veniat, qui corrumpit Sponsam alienam, & an Sponsa possit accusari de adulterio. Distinguendum est inter Sponsam de præsenti, cujus matrimonium est ratum, sed non consummatum; & inter Sponsam de futuro; hoc est, quæ vi sponsaliorum obligata est contrahere cum sponso matrimonium. De priore non debet esse controversia, quia reverâ jam est uxor, & ideo violat thorum mariti, qui talem violat, & illa non servat fidem conjugalem.

De Sponsa de futuro non defuerunt, qui putaverint cum tali etiam adulterii crimen committi, & ut tale puniendum esse. Ità Farinacius *p. 4. tit. 16. q. 141. n. 52. v. sed etiam.* Berlichius *n. 144.* Sed omnino negandum est. quia non est talis copula alieni thori violatio, quæ est definitio adulterii, tradita à Gelasio Papa, & D. Thomâ *2. 2. q. 154. ar. 8. in C.* Accedit Jus Civile l. 6. ff. h. t. ibi. *Sed propriè adulterium in nuptam committitur.*

103. Objiciunt I. Ex lege 13. ff. h. t. ubi Impp. rescripserunt, *etiam in Sponsam hoc idem vindicandum, quia nec matrimonium qualecunque, nec NB. spem matrimonii violare permittitur.* ℞. In hac lege plùs non dici, quàm quòd tale delictum possit vindicari à sponso, ob atrocem injuriam quam patitur, sed non dicitur, esse puniendum tanquam adulterium, sed tanquam stuprum, ut manifestè colligitur ex §. 8. ejusdem legis. [Si minor duodecim annis in domum deducta adulterium commiserit, mox apud eum ætatem excesserit, cœperitque esse uxor, non poterit Jure viri accusari ex eo adulterio, quod ante ætatem nupta commisit, sed quasi sponsa poterit accusari.] Berlichius tamen putat esse severiùs quàm stuprum, leniùs tamen quàm adulterium puniendum.

104. Objiciunt II. Ex lege 7. C. h. t. [Propter violatam virginem adultam, qui postea maritus esse cœpit, accusator justus non est, & ideo Jure mariti crimen exercere non potest, nisi puella violata Sponsa ejus fuerit.] ℞. Hanc legem vel loqui de sponsa de præsenti; vel si loquitur de sponsa de futuro, (quòd probabilius est) tunc quidem agere potest, non Jure mariti, quia maritus non fuit tempore delicti, sed Jure sponsi, quod in lege subintelligitur: quæ responsio confirmatur ex lege 11. §. 7. *ff. h. t.* ubi dicitur: [Novam rem instruere accusatorem, qui adulterii crimen desiderat objicere propter hoc tantùm, quòd priori sibi desponsata puella à patre alii in matrimonium fuerit tradita.]

105. Quæritur VI. Quis possit accusare adulterium. ℞. Antiquo Jure omnibus præferebatur maritus, & secundo loco pater adulteræ, deinde alii propinqui, illis cessantibus, denique etiam extranei. Et hoc sensu erat hoc Judicium & delictum publicum. Jure Codicis facta est restrictio ad certas personas, & sic quoad hunc effectum desiit esse publicum, quamvis quoad alios effectus, quos suprà enumeravimus agentes de divisione delictorum in Publica & Privata, adhuc censeatur esse Judicium publicum, ut etiam ibidem dixi. & quidem maritus per se loquendo præfertur cæteris. ità quidem, ut si Jure mariti agat, gaudeat certis prærogativis, quæ habentur in lege 30. *C. h. t.* [Quamvis adulterii crimen inter publica referatur, quorum delatio in commune omnibus sine aliqua legis interpretatione conceditur; tamen ne volentibus temerè liceat fœdare connubia, proximis, necessariisque personis solummodo placet deferri copiam accusandi: hoc est, patri, fratri, nec non patruo & avunculo, quos verus dolor ad accusationem impellit. Sed etiam his personis legem imponimus, ut crimen abolitione, (si voluerint) compescant. Imprimis maritum genialis thori vindicem esse oportet, cui quidem ex suspicione ream conjugem facere licet: vel eam, si tantùm suspicatur, penes se retinere non prohibetur: nec inscriptionis vinculo contineri, cùm Jure mariti accusaret, veteres retro Principes annuerunt. Extraneos autem procul arceri ab

accu-

accuſatione cenſemus.] De ſexaginta diebus utilibus datis marito ad accuſandum Jure mariti, ſuprà dictum eſt *de præſcript. delictorum.*

Dices. Si maritus poteſt accuſare ex mera ſuſpicione , datur illi anſa calumniandi in magnum uxoris & aliorum præjudicium. ℞. Non quamcunque levem & temerariam ſuſpicionem ſufficere , ſed fundatam in ſignis rarò fallentibus, alioquin pœnam temerè accuſantis non evitaret , quia calumniator eſſet. *l. 14. §. fin. ff. h. t. Jure mariti qui accuſant , calumniæ periculum non evitant.* & *l. 30. Pater ſine periculo calumniæ non poteſt agere.*

106. Quæritur VII. An Uxor poſſit accuſare adulterium mariti. ℞. Negativè de Jure communi. *l. 1. C. h. t.* [Publico Judicio non habere mulieres adulterii accuſationem , quamvis de matrimonio ſuo violato queri velint , lex Julia declarat : quæ cùm maſculis Jure mariti accuſandi facultatem detuliſſet, non idem fœminis privilegium detulit.] Dixi *Jure communi.* Nam per Ord. Crim. Carol. hoc etiam mulieri conceditur. Poteſt etiam agere ad thori ſeparationem, dotis ſuæ reſtitutionem , & lucrum contradotis , ut alibi declaratum eſt , & dicetur ſtatim quæſito 9.

107. Quæritur VIII. An æqualis ordo ſervãdus ſit in accusãdis reis adulterii, hoc eſt, adulteri, & adulteræ, quandoquidẽ Jus civile non permittit utrumq; ſimul ab eodẽ accuſari. *l. 8. C. h. t.* [Reos adulterij duos ſimul marem & fœminam ex eadem cauſa fieri, lex Julia de pudicitia vetat : ſed ordine peragi utroſque licet.] ℞. Primo loco eſſe accuſandum adulterum , à cujus victoria pendet abſolutio mulieris , non tamen ab illius condemnatione pendet condemnatio mulieris. Nam viro abſoluto mulier ampliùs accuſari non poteſt ; illo tamen condemnato , non hoc ipſo mulier eſt condemnata , ſed ſe defendere poteſt. Primum habetur in lege 2. *pr. ff. h. t.* [Ex lege Julia ſervatur, ut cui neceſſe eſt ab adultero incipere , quia mulier ante denuntiationem nupſit , non aliàs ad mulierem poſſit pervenire , niſi reum peregerit.] Utrumque habetur *l. 17. §. 6. ff. h. t.* ibi. [Exſpectabit itaque mulier ſententiam de adultero latam. Si abſolutus fuerit , mulier per eum vincet , nec ultrà accuſari poteſt. Si condemnatus fuerit , mulier non eſt condemnata , ſed aget cauſam ſuam , fortaſſis & obtinere , vel gratiâ , vel juſtitiâ , vel legis auxilio poſſit. Quid enim ſi adulter inimicitiis oppreſſus eſt, vel falſis argumentis, teſtibusque ſubornatis &c.]

His tamen addenda eſt exceptio , quæ habetur *lege 15. §. 8. ff. h. t.* [Si in viduitate mulier perſeverat , in accuſatoris eſt arbitrio , à quo velit incipere , utrum ab adultero, an ab adultera.]

108. Quæritur IX. Quænam bona lucretur maritus per uxoris adulterium , & econtra. ℞. Lucrari dotem , & contradotem , ſed non alia bona , v. g. paraphernalia , etiamſi horum adminiſtratio penes maritum eſſet De hac pœna , & ejus extenſione ſic ſtatuitur *Nov. 117. c. 8. §. 2.* ibi. [Si hujusmodi accuſatio vera eſſe oſtenditur , tunc habere virum ſuper antenuptias donationem etiam dotem : & ad hoc ſi filios non habeat , tantum accipere ex alia uxoris ſubſtantia , quantum dotis tertia pars eſſe cognoſcitur, (*& hanc poterit accipere ex paraphernalibus*) ut ejus proprietati & dos , & à nobis definita pœna applicetur Si enim filios habuerit ex eodem matrimonio , jubemus etiam dotem (ſecundùm quod de hoc cenſent leges) aliamque mulieris ſubſtantiam filiis conſervari : & ita adulterum legitimè convictum unà cum uxore puniri : & ſi quidem habeat uxorem adulter, (*ubi cave errorem in recentibus exemplaribus , quæ habent adulteram :*) accipere eam & dotem propriam , & propter nuptias donationem : & ſi filios habeat, ſolo uſu mulier fruatur , donationis proprietate ſecundùm leges filiis ſervandâ : aliam verò mariti ſubſtantiam ejus filiis ex noſtra largitate donamus. Filiis autem non exiſtentibus, antenuptialis quidem donationis proprietatem mulieri competere ſancimus , aliam verò mariti ſubſtantiam omnem fiſco ſecundùm antiquas applicamus leges]

109. Quæritur X. An Vidua perdat dotem propter ſtuprum in viduitate commiſſum. Affirmant plurimi , volentes eam cedere hæredibus defuncti mariti , ſed rectiùs æquè multi & comuniter negant. AA. in utramque partem refert Cævallus *quæſt.* 708. Colligitur ex Nov. 9. in fine . ubi propter ſtuprum intra ánnum luctûs commiſſum, mulier privatur antenuptiali donatione , & lucro , quod erat habitura ex bonis viri : ergo aliud dicendum de dote , quæ eſt proprium mulieris patrimonium. Adhuc meliùs probatur ex eo , quòd hujusmodi fornicatio non ſit ex parte mulieris viduæ adulterium. Atqui amiſſio dotis eſt pœna adulterii : ergo &c. Et ſanè nemo , quòd ſciam , dixit , viduum amiſſurum donationem propter nuptias per fornicationem in viduitate commiſſam. atqui debent pari lege teneri vir & uxor , viduus & vidua. ergo &c.

110. Quæritur XI. De qua dote intelligenda ſint , quæ dicta ſunt de amiſſione dotis per adulterium. ℞. Eſſe intelligenda de dote adventitia, quæ propria eſt mulieris , non de profectitia , quæ diſſoluto matrimonio ad patrem rediret , vel ad extraneum , qui ità ſtipulatus eſſet. Neque enim delictum filiæ debet nocere patri, ut conſtat ex ſuprà dictis in Contr. 5.

111. Quæritur XII. An , ſi Maritus non accuſavit uxorem adulteram jure mariti , eo de-

functo possint accusare hæredes. ℞. Posse quidem hæredes accusare jure extranei, sed non jure mariti, & ad lucrandam dotem: quod est communiter receptum, si maritus scivit adulterium commissum, & non est conquestus. Quodsi ignoravit, tunc equidem multorum est sententia, posse hæredes accusare & ad lucrandam dotem agere. Ità post alios Covarr. relatus à Carpzovio *pract. Crim. p.* 2. *q.* 65. *n.* 4. Alii tamen probabiliùs etiam hoc negant, quos refert & sequitur Berlichius n. 13. Ratio est, quia hæc actio est ad vindictam injuriæ: atqui actio injuriarum nec activè nec passivè transit in hæredes, etiamsi mortuus ignoraverit, ut alibi dictum est.

Quæritur XIII. An maritus lucretur dotem, si & ipse adulterium commisit, quod ab uxore non est remissum. ℞. Si illud commisit, antequam dos sibi addicta est, delictum delicto compensatur. Quodsi post addictam sibi dotem commisit adulterium, non reviviscit ex parte uxoris actio ad dotem semel amissam.

112. Quæritur XIV. An maritus lucretur dotem, si uxor consentiente marito tacitè vel expressè, adulterium commisit. ℞. Negativè, quia facit se delicti participem. Unde mihi probabilis redditur illa sententia Theologorum contra P. Mart. Esparzam, & quosdã alios, quòd in potestate mariti sit cedere jure suo, ità ut per adulterium illi injuria non fiat. Sanè adversarii hactenus non ostenderunt aliquem alium effectum, quem generat marito lex (ut ipsi putant) Divina, reddens mariti voluntatem inefficacem ad cedendum jure suo, sicut lex Civilis reddit inefficacem voluntatem minoris ad alienanda bona sua sine curatoris aut tutoris auctoritate. Confirmatur etiam ex eo, quòd apud omnes DD. indubitatum sit, posse conjugem innocentem reo injuriam condonare, & jus eam vindicandi penitus remittere, quod tamen non posset pupillus aut minor: Ergo etiam antecedenter posset cedere jure suo; ergo non est bona paritas desumpta ex pupillis aut minorennibus.

113. Quæritur XV. An lucretur dotem maritus, etiamsi post commissum adulterium exegerit debitum conjugale, habitâ jam adulterii notitiâ. ℞. Negativè, nam per talem cohabitationem censetur remisisse delictum & reconciliatus esse. Quodsi postmodum denuo adulteraretur mulier, non posset accusare de priore adulterio jam remisso, sed de secundo.

Quæritur XVI. An factâ separatione quoad thorum, teneatur maritus nihilominus alere uxorem. ℞. Affirmativè ex communi DD. teste Julio Claro n. 17. Ratio est, quia per divortium non desinit esse uxor. Quod tamen intelligendum puto, si fructus dotis sint sufficientes ad alendam adulteram: Sed quia hæc aliò spectant, non immoror; videatur post alios Berlichius, copiosè agens de amissione dotis per adulterium. Redeamus nunc ad ea quæ propria sunt hujus loci.

114. Quæritur XVII. An committatur adulterium accusabile, cum muliere maritata quidem, sed se passim prostituente. Multi negant. Rectiùs alii affirmant, per legem 13. §. 2. *ff. ad Leg. Jul. de adult.* [Sed & in ea uxore potest maritus adulterium vindicare, quæ vulgaris fuerit: quamvis si vidua esset, impunè in ea stuprum committeretur.] Huic textui contrarius videtur textus in lege 22. *C. eod. tit.* [Si ea, quæ stupro tibi cognita est, & passim venalem formam exhibuit, ac prostitutam meretricio more vulgò se præbuit, adulterii crimen in ea cessat.]

Mirum est, quàm varias conciliationes excogitaverint interpretes, quas refert, & meritò rejicit Carpzovius, quia non solùm sunt divinatoriæ, sed ipsis textuum verbis repugnantes: imò aliquæ vel ex eo sunt explosione dignæ, quòd supponant, per adulterium primum ità dissolvi vinculum matrimonii, ut non ampliùs sit uxor adultera; quo nihil potest dici indoctius. Sed nec Carpzovii conciliatio melior est, dum ait, legem ex Codice allatam dum dicit, adulterii crimen cessare, esse intelligendam, *adulterii pœnam cessare*. Verùm, hoc ipsum est in quo hæc lex videtur contraria alteri legi ex ff. adductæ, ubi dicitur, quòd maritus possit tale adulterium vindicare.

115. Ego prorsus censeo, legem Codicis habere hunc intellectum, (quem quidem non vidi ab aliis agnitum) quòd cum publicè prostituta peccans ideò excusetur à crimine adulterii, quòd præsumatur ignotâsse, esse conjugatam, sed potiùs judicâsse esse solutam meretricem. Nisi hoc dicamus, non possunt, meo judicio, illi textus ne quidem divinando conciliari.

Quod autem Carpzovius propugnat, talem adulterum esse mitiùs puniendum, & non communi pœnâ adulterii, mihi non probatur, quia jura hoc non probant, nec Ord. Crim. Carolina hoc habet, neque ulla ratio hoc convincit. Nam licèt graviùs peccet, qui alterius uxorem seducit, ex hoc tamen non infertur, talem non esse puniendum pœnâ ordinariâ, alioquin neque ille erit puniendus ordinariâ pœnâ, qui ad committendum adulterium ab alterius uxore sollicitatus fuit, sicut Josephus; nam tale peccatum etiam est theologicè non ità grave, sicut illius, qui aliam sollicitat, ob conjunctum scandalum.

Illud faciliùs concesserim, adulterii pœnam posse mitigari in illo conjuge, qui ab altero desertus fragilitate lapsus est: non tamen hoc puto extendendum cum Carpzovio ad complicem, qui

qui cum tali adulterium commisit, hujus enim malitia non minuitur ex eo capite, quòd illa cum qua peccavit, deserta sit à marito, vel econtra.

116. Quæritur XVIII. An ille puniendus sit aut puniri possit pœnâ capitis & ultimi supplicii, qui adulterium judicialiter confessus est, correa autem persona seu complex id negat, vel fugâ se subducit, ut ejus confessio obtineri non possit. In hac Quæstione,

Si apicibus Juris insistere velimus, est satis clarus textus in lege 17. §. 6. ff. h. t. quem suprà retuli, ubi expressè dicitur, quòd adultero condemnato, non hoc ipso mulier sit condemnata aut convicta. Ergo supponitur, posse adulterum condemnari, etiam dum deficit confessio complicis. Ad hunc textum respondet Carpzovius, ità quidem rem se habere jure Digestorum, sed hoc mirum non esse, quia tunc adulteria non solebant, ex Imperatorum conniventia, plecti ultimo supplicio.

117. Si verò DD. opinionem consulam, video receptum esse, & in praxi observari contrarium, ut mitiori pœnâ puniatur talis confessus, nisi accedant indicia convincentia, v. g. si maritus longiore tempore abfuerit, quàm ut ab eo uterum uxor gerere possit, vel si constet de ejus insufficientibus viribus & valetudine &c. Quin etiam si alia essent argumenta, non quidem ità evidenter convincentia, moraliter tamen certa, tunc si illis accedat confessio unius, posse contra talem procedi ad ordinariam pœnam, DD. non diffitentur, per regulam, quam tradit Nicolaus Everhardus *in topic. n.* 8. Quòd in criminibus occultis, de quibus liquidò constare non potest, ut sunt furtum, & adulterium, conspiratio, &c. quæ occultè fieri consueverunt, sufficiant indicia & præsumptiones, propter probationis difficultatem, non solùm ut ad torturam perveniatur, verùm etiam ad ipsam condemnationem. Quæ sententia mihi verissima videtur, si complex se dolo subtraxit, nec citatus compareat, & ideo meritò pro confesso habetur, adeoque jam virtualiter & juris fictione habetur utriusque complicis confessio: ergo verè confessus poterit ordinariâ pœnâ puniri.

118. Hujusmodi autem indicia recensentur, 1. Si mas aliquis solus cum uxore aliena sola secreto & abdito in loco inventus sit. *c.* 12. *de præsumpt.* ibi. *viderunt multis locis secretis & latebris ad hoc commodis.* 2. si cum ea repertus fuit in cubilo clauso, ad coitum dispositus, muliere recusante aperire ostium. 3. si quis interdiu noctuque domum uxoris alienæ speciosæ frequentare solitus, & in ipsam domum ab ea clàm admissus fuerit. 4. si in ejusdem domo occultatus fuerit inventus. 5. si cum illa visus sit per nemora, & vias occultas spatiari, ipsam deosculari, lascivis amplexibus circumplicare. c. 13. de præsumpt. ibi. *eos insimul viderant per plana & nemora, vias, invia, pluries convagantes.* Hæc & similia, etsi, seclusâ confessione unius, solùm sufficerent ad torturam, accedente tamen confessione, volunt communiùs DD. (quidquid Carpzovio placeat praxis Wittebergensium & Lipsiensium) sufficere, ut ad pœnam ordinariam procedi possit. Et sanè ipse Carpzovius fatetur, *q.* 60. *n.* 39. quòd, quando confessio facta est in tortura, adeoque vestita est indiciis sufficientibus ad torturam, possit procedi ad pœnam ultimi supplicii, unde non video, cur hoc negetur, si reus ad declinandam fortè torturam, aut aliàs ad tranquillandam conscientiam crimen fateatur. Cùm spontanea confessio longè plus fidei mereatur, quàm violenter extorta.

119. Quæritur XIX. Si fortè Judex mitigat pœnam uni complici ex speciali causa ipsum concernente, v. g. quia ejus uxor perpetuò ægrotat, nec potest, aut non vult reddere debitum, vel quia semiebrius fecit, aut ex simili causa, quæ minuit gravitatem delicti, dicente S. Aug. *ca.* 27. q. 2. *Si tu abstines sine uxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam, & peccatum illius tuæ imputabitur abstinentiæ.* An inquam hoc ipso etiam complici nullam cæteroquin habente causam excusantem, censeatur remissa pœna ordinaria. Affirmat Carpzov. q. 61. n. 27. ex eo, quòd in *l.* 17. §. 6. sæpè citato dicatur, absoluto adultero etiam fœminam absolvi. Verùm, inde non valet argumentatio ad quæstionem præsentem, ubi non absolvitur tanquam innocens, sed ex speciali causa mitigatur illi pœna. Alioquin sequeretur, quòd, si illi mitigaretur ex eo, quòd ab altera parte fuerit vehementer concitatus, v g. per poculum amatorium, etiam mitiganda esset pœna sollicitanti, quod mihi absurdissimum videtur, nam ex delicto lucrum reportaret.

120. Quæritur XX. An intuitu Dignitatis & Nobilitatis mitiganda sit pœna, ubi non est pœna ordinaria statuta pro Nobilibus in specie, prout Statuta Bavarica constituunt. Affirmat Bartolus, Alciatus, Tiraquellus, apud Carpz. *q.* 61. *n.* 1. Rectiùs tamen alii negant. Nam ubi Jura non distinguunt, nec nos distinguere debemus. Et, nisi fallor, Nobiles deberent potiùs graviori pœnâ absterreri ab adulterio, quàm plebeji, cùm apud illos non solùm sit magis indecens, sed etiam majus periculum. Quamvis non putem, esse pœnam materialiter augendam. Sufficit enim quòd in effectu augeatur formaliter & moraliter, etiam dùm ordinariâ pœnâ plectuntur. Nam omnis pœna (Exceptâ pecuniariâ) est gravior in nobili quàm in ignobili, quia durius accidit nobili incarcerari, quàm ignobili, & sic de aliis.

 121. Ob-

121. Objici solet illud Brocardicum, & vulgare, quòd Nobiles, divites, & digniores mitiùs puniendi sint, quàm ignobiles, pauperes, & vilioris conditionis homines. pro quo adducunt textū ex lege 4. §. 1. *ff. de incendio, ruina &c.* ubi hujusmodi discrimina assignantur. [liberos quidem fustibus cæsos triennium relegabis, aut si sordidiores erunt, in opus publicum ejusdem temporis dabis: servos flagellis cæsos in metallum damnabis: liberos fustibus, servas flagellis cæsas dimittere poteris, & omnino ut in cæteris, ità hujusmodi causis ex personarum conditione & rerum qualitate diligenter sunt æstimandæ, ne quid aut durius, aut remissius constituatur, quàm causa postulabit.] Respondent communiter DD. illud axioma esse intelligendum, quando delicto non est constituta pœna ordinaria à lege, sed arbitrio Judicis relinquitur. Quæ responsio confirmatur ex dictis: nam licèt hoc modo sit materialis pœnæ diversitas, formaliter tamen & moraliter est æquivalens. nam fustigatio (ut insistam legis adductæ exemplo) utique tam est ignominiosa homini libero, quàm servo est flagellatio, & religatio nobili quàm ignobili damnatio ad viles labores, & sic de alijs. Deinde addi potest, hoc esse intelligendum in illis delictis, quæ non fiunt faciliùs & frequentiùs à nobilibus quàm ignobilibus, & ubi non est necesse, magis absterreri nobiles quàm ignobiles, item quando delictum non est in nobilibus tam periculosum & pernitiosum Reipublicæ, si mitiùs puniatur, quàm esset in plebejis. v g. delictum in jaculatione ferarum in sylvis Principum, ubi est graviter prohibita: nam nobiles non tam lucri quàm oblectationis gratiâ facere solent, econtra plebeji lucrandi gratiâ, & ideo non solùm graviùs nocent directè, sed etiam indirectè, negligendo functiones domi obeundas in bonum Reipublicæ, & ad quas sunt ex sua conditione destinati, qui debent ab hujusmodi periculosa & otiosa occupatione magis absterreri.

122. Quæritur XXI. Quomodo Clerici in foro Ecclesiastico sint puniendi pro adulterio commisso. ℞. Si Clericus crimen neget, defertur illi purgatio canonica: (si sit famâ vel indicijs gravatus) & si se purgare non potest, suspenditur ab ordinum exercitio. *cap.* 5. *de adult.* ibi. [Prædicto autem Sacerdoti &c. purgationem indicas, quem, si purgare se poterit, in officio suo ministrare permittas: alioquin ab officio suo ipsum suspendere non postponas.] De convicto autem vel confesso, exstat can. 10. dist. 81. [Si quis Clericus adulterâsse aut confessus aut convictus fuerit, depositus ab officio, communione concessâ, in monasterio toto vitæ suæ tempore detrudatur.] & can: seq. [Romanus Clericus crimine adulterij, quod admisisse perhibetur, à Clericatûs ordine depositus in monasterio hic in urbe Romana ad agendam pœnitentiam ex nostra jussione detrusus est.] In terris Acatholicorum, eorum Pastores (ut vocant) pœnâ gladij puniuntur, & meritò, quia Clerici non sunt adeóque pœnæ Depositionis incapaces, Laico Magistratui, utpote puri laici, sicut alij subjecti. Casum & Judicium Scabinorum de hujusmodi Pastore 69. annorum, Laudat Carpzovius. *q.* 61. *n.* 24. & laude dignum est. Sicut & illud quo dictårunt pœnam gladij adultero 87. annorum, qui ancillam suam impregnavit, ut ibid. refertur n. 47. unde colligo, puniri etiam ordinariâ pœnâ adulterium commissum à marito cum soluta, quod tamen Carpzovius superiùs negaverat esse adulterium.

123. Quæritur XXII. An minoribus pubertatem adeptis, possit ob adulterium infligi pœna ordinaria. Negant aliqui, volentes esse commiseratione dignos. Sed, meo judicio, hæc non esset commiseratio, sed conniventia reprehensibilis, nisi aliquæ circumstantiæ interveniant, veluti, si à mulieribus vehementer ad flagitium essent sollicitati, & fortè etiam aliquo timore adacti. & tunc res arbitrio Judicis ponderanda relinquitur. quod etiam est conforme Ordinationi Carolinæ, ubi art. 179. hoc Judici permittitur, adhibito peritorum prudentum consilio, prout monentur Judices in fine illius Ordinationis.

124. Quæritur XXIII. An ob multiplicatum adulterium, sive cum eadem, sive cum diversa persona, debeat exasperari pœna ultimi supplicij, quæ cum multiplicari non possit, exasperari tamen potest, ut fit in atrocissimis delictis, quando rei super imponuntur trahæ, ut sic ad supplicij locum trahantur, item quando candenti forcipe ustulantur brachia, amputantur priùs manus &c. ℞. Ex communi DD. hoc in adulterio multiplicato non reperiri statutum. Si tamen pœna pecuniaria est statuta, non dubito, quin illa augeri possit. Quod si unum adulterium jam punitum est pœnâ mitiore, & talis redeat, secundùm statuta Bavarica pœna exasperatur, donec ad ultimum supplicium perveniatur, prout retuli loco suprà citato. Videantur etiam quæ suprà dixi de multiplicatione delictorum momentaneorum ad multiplicandam vel augendam pœnam, & iterum seq. tractatu prope finem, de cumulatione pœnarum. Quod autem hîc dicit Carpzovius Adulterium numerari inter delicta successiva, etiam cum diversis personis iteratum, mihi non probatur.



Assa-

Assassinium.

SUMMARIUM.

125. Quid sit Delictum Assassinij, & de ejus Ecclesiastica pœna privationis asyli, seu immunitatis fugientium ad locum sacrum, explicui tract. præcedente. Nunc de alijs ad hoc delictum spectantibus agendum est.

Quæritur ergo I. An, & ex quo capite Assassinium sit gravius homicidio simplici ex ira vel odio facto. ℞. Esse gravius ex eo capite, quòd sit magis voluntarium quàm illud, quod fit ex prædominante odio & impetu vindictæ. Declaratur ex illis quæ tradidi in opere Theologico lib. 2. agens de Voluntario: ubi tradunt Theologi, quòd metus mali imminentis reddat actionem involuntariam secundùm quid, cùm econtra actio ex concupiscentia, seu lucro, potiùs augeat voluntarium. Jam verò, qui occidit ex odio, id facit ad leniendum dolorem animi, & avertendum à se aliquod malum; at verò qui occidit ob acceptam pecuniam, vel spe illius accipiendæ à mandante & promittente, operatur ex amore lucri. Quòd autem gravius etiam civiliter reputetur, occidere amore lucri quàm ex odio, colligunt Legistæ ex lege 39. ubi talis casus habetur de muliere occidente partum. [Cicero in oratione pro Clu. au. scripsit, Milesiam quandam mulierem cùm esset in Asia, quòd ab hæredibus secundis acceptâ pecuniâ partum medicamentis sibi ipsa abegisset, rei capitalis esse damnatam. Sed & si quæ visceribus suis post divortium, quòd prægnans fuit, vim intulerit, ne jam inimico marito filium procrearet, ut temporali exilio coërceatur, ab optimis Imperatoribus nostris rescriptum est.]

Dices. Ratio allata non procedit in mandante (Assassinatore vocari solito) qui ex odio mandat, & tamen punitur ut Assassinus. ℞. Ideo puniri, quia facit se Assassinii participem, & si non essent mandantes, non essent mandatarii, adeoque nec Assassinii propriè dicti.

126. Quæritur II. Quâ pœnâ hi Assassinatores aut Assassini afficiantur. ℞. In Jure Canonico c. 1. *de Homic. in 6.* de Assassinatore sic statuitur §. 3. *in Conc. Lugdun. sub Innoc. IV.* quo tempore maximè grassabantur Assassini gentiles. [Sacri approbatione Concilii statuimus, ut quicunque Princeps, Prælatus, seu quævis alia Ecclesiastica sæcularisve persona, quempiam Christianorum per prædictos Assassinos interfici fecerit, vel etiam mandârit (quanquam mors ex hoc forsan non sequatur) aut eos receptaverit, vel defenderit, seu occultaverit, excommunicationis, & depositionis à dignitate, honore, ordine, officio & beneficio incurrat sententias ipso facto: & illâ liberè alii per illos (ad quos eorum collatio pertinet) conferantur: Sit etiam cum suis bonis omnibus tanquam Christianæ Religionis æmulus, à toto Christiano populo perpetuò diffidatus (*hoc est, ut impunè occidi possit à quovis*) & postquâ probabilibus constiterit argumentis, aliquem scelus tam execrabile comisisse, nullatenus alia excommunicationis, vel depositionis, seu diffidationis adversùs eum sententia requiratur.] Neque refert, quòd textus loquatur de illis, qui gentilium operâ occidunt, nam per Christianum occidere est adhuc execrabilius, & adhuc militat ratio allata illis verbis. *tamquam Christianæ religionis æmulus.*

127. In Jure Cæsareo nulla exstat specialis pœna in Assassinos aut Assassinatores constituta, ne quidem in Ordinatione Criminali Carolina. Unde, teste Carpzovio pro more cujusvis Regionis ea multùm variatur. Alicubi enim ad locum supplicii pertrahuntur per caudam equi, si exilioris conditionis homo per assassinium peremptus est; honestiore occiso, vel Reipublicæ utili personâ, Rotâ tunduntur: aliquando præmittitur insuper ustulatio, si fortè vis publica concurrebat: aliquando in frusta reus scinditur, postquam furcâ suspensus, vel alio supplicio peremptus est: alicubi, ut in Saxonia, Assassinator gladio plexus rotæ in altum erectæ infigitur: ipse verò executor, seu assassinus rotæ supplicio afficitur, prout ex Const. Carol. lattones.

128. Quæritur III. An, & qualis conatus sufficiat ad pœnam assassinii, esto mors non sit secuta. Et quidem Jure Canonico pœna statuta assassinatori locum habet, quando solum mandatum datum est, nullo alio conatu requisito, quod tamen DD. restringunt ad mandantem infideli, ex illorum hominum corpore, qui originaliter assassini dicti fuerunt. Quoad ultimum supplicium verò in hodiernis assassinis & assassinatoribus DD. non satis conveniunt. Aliqui enim putant, sufficere in assassino actum aliquem remotum, v. g. si accinctus exspectet in loco occidendum. Sed benignior est sententia aliorum, qui volunt, pœnam ordinariam tunc imponi posse, quando deventum est ad actum & conatum proximum, per assultum; pro qua sententia

tentia citat Carpzovius Julium Clarum *in §. fin. q. 91. n. 2. in fine.* Sed certè Clarus habet aliam, & mitissimam opinionem, nempe, quòd nisi lex aut statutum specialiter mandet puniri conatum pœnâ ordinariâ, non sit reus puniendus, nisi effectu secuto. Verba illius sunt. [Regulariter autem non debet Judex conatum impunitum relinquere, sed semper aliquam pœnam extra ordinem infligere. Et nota, quòd in illis casibus, in quibus ille, qui devenit ad actum proximum, non potest puniri pœnâ ordinariâ: debet tamen acriùs puniri pro motu Judicis quàm ille, qui devenit ad actum remotum. Et ità tenet consuetudo.] Et hæc sententia fuit nuper observata Abenspergæ in Bavaria, ubi post incussum terrorem de pœna gladii, virgarum pœnâ & aurium abscissione, punitus est Assassinus, quia mors non fuit ad percussionem secuta, prout jam secutam esse ipse assassinus putabat.

129. Cæterùm, communior est sententia, conatum & actum proximum in Assassinatore posse puniri pœnâ ordinariâ, & hoc propter atrocitatem hujus delicti, ut aliis relatis tradit Decianus *lib 9. c. 30. n. 13.* qui addit, hoc totum residere in arbitrio Judicis, quia poterit conatum punire & morte, & mitiore pœnâ, si voluerit. De mandatario verò subjungit, esse puniendum pœnâ ordinariâ, ob actum proximum consummationi, qui debet continere aliquem insultum & offensam, & per consequens, secundùm hunc Auctorem non sufficeret, si assassinus in loco destinato stetisset cum sclopeto, exspectans transitum occidendi, qui tamen casu non transiit, quod videtur probabile, etsi contrarium teneat Baldus, nec improbet Carpzovius.

Bestialitas. vide, Sodomia.

Bigamia.

SUMMARIUM.

130. Delictum Bigamiæ consistit in eo, quòd vir aut uxor vivente conjuge alteri se matrimonio jungere conatur, & quantùm in se est alium conjugem superinducit in lege Evangelica, sive priorem à se removeat, sive non: nam Polygamia in nova lege locum non habet, ut ex divina dispensatione licuit antiquis PP. ob generis humani propagandi necessitatem, definiente Conc. Tridentino sess. 24. can. 2. *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nullâ divinâ lege esse prohibitum, anathema sit.* Extat autem præceptum Christi Matth. 19. v. 9. & *Marci.* 10. *n.* 11. Et hoc delictum gravius esse adulterio, observat Ordinatio Crim. Caroli V. a. 121. & ratio est, quia talis quantùm in se est, vult perdurare in adulterio, & affectum conjugalem vel omnino à priore avertere, & jus in corpus suum alteri tradere, vel certè dividere in plures, & unius jus diminuere.

131. Quæritur. I. Quâ pœnâ sit afficiendus Bigamus, vel Bigama. *R.* In Ordinat. Criminali Caroli V. a. 121. statuitur esse pœnâ capitali afficiendum. Circa quam ordinationem dubitârunt aliqui, an satisfieret huic Ordinationi per deportationem: nam suprà diximus, hanc quoque esse pœnam capitalem, & ibidem diximus, quòd statuto requirenti pœnam capitalem in genere, satisfieret per deportationem. Nihilominus communiter Interpretes censent, & ità observatur, intelligi pœnam gladii, quia æquiparatur, imò præfertur hoc delictum adulterio. Deinde constat hoc ex solo contextu: nam postquam Imperator dixisset, leges Cæsareas quidem huic delicto non imposuisse pœnam mortis, subjungit deinde: nos tamen volumus, ut qui hoc crimen dolosè sciens volens illi causam dando perfecerit, non minùs quàm adulteri capitali pœnâ puniri debeant. Cùm ergo adulterium velit puniri pœnâ mortis, idem utique vult de bigamia. Et hanc Ordinationem sequitur etiam Jus Bavaricum. In eadem Ordinatione ponderandum est illud verbum: *Perfecerit*, quod aliqui voluerunt intelligendum, de conjunctione factâ in facie Ecclesiæ, cum benedictione. Verùm, communiter alii intelligunt de carnali consummatione, quæ nisi intercesserit, nondum censetur perfectum delictum bigamiæ.

132. Quænam autem pœna sit constituta in Jure Civili, mirè variant DD. ob varios textus non satis expressos. Verior est opinio, quam tuetur Carpzovius, esse puniendum eodem modo quo adulterium. Adeoque bigamus esset puniendus pœnâ mortis, bigama verò fustigan-

fliganda & in monasterium detrudenda: quæ sententia fundatur in Novella 117. c. 11. *v. si autem præter hanc.* ibi. *Et ipsa, & qui ducit eam uxorem, velut adulteri puniantur.* Et in Auth. *Hodie. C. de repud.* ibi. *Si verò præter hæc nupserit, tam ipsa, quàm qui eam duxerit, velut adulteri puniantur.* Quibus Juribus correctum est, quòd habetur *l. 18. C. ad L. Jul. de adult.* ubi sola pœna stupri imponitur bigamis, hoc est, publicatio dimidiæ partis bonorum in personis honestis, in vilioribus verò castigatio corporis cum relegatione.

133. Ex relatis verbis Ordinationis Criminalis etiam colligitur, pœnam adulterii cessare, quando quis vel quæ superinduxit conjugem ignorans priorem vivere: & quidem si esset ignorantia inculpabilis, fundata in argumentis sufficienter probantibus mortem prioris conjugis, tunc nullam utique pœnam mereretur. Si verò ignorantia esset affectata, vel supina, vel si adessent argumenta suadentia & fundantia præsumptionem scientiæ, quæ non eliderentur, puniendus quidem esset, sed mitiore pœnâ: nam Ordinario requirit dolum & scientiam, & in casu occurrente se consuluisse asserit Berlichius n. 5 t. ut talis puniretur pœnâ carceris vel temporalis relegationis, ob negligentiam commissam in Inquirendo conjuge. Quomodo autem ignorantia probanda sit, alibi dictum est, & deficientibus aliis probationibus poterit Juramentum deferri.

134. Quanta autem certitudo requiratur, ut admittatur novum Matrimonium, non est hujus loci. tractant de eo Theologi in tract. de Matrimonio, Sanch. *l. 2. disp. 46. n. 5.* ubi refert quosdam DD. facientes discrimen inter facultatem contrahendi propriâ auctoritate, & inter facultatem præbendam à Judice. Ad priorem putant sufficere verisimilitudinem & probabilitatem prudentem, etsi non omnino certam. pro quo adducunt can: *cum per bellicam. 34. q. 2.* ibi. *Nec tamen culpabilis judicetur, qui personam ejus mariti, qui jam non esse existimatur, assumpsit. & cap. quoniam. §. porro. ut lite non contest.* ibi. *Si autem de carnali conjugio sit agendum, tamdiu alteruter conjugum exspectetur, donec de ipsius obitu verisimiliter præsumatur.* Ut autem Judex possit concedere facultatem, requirunt moralem certitudinem. & hoc probant ex cap. *In præsentia. de sponsalibus.* ibi. [Nec permittas eos auctoritate Ecclesiæ contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum.]

Verùm, sine distinctione respondendum est, & ex hoc ipso textu clarè constat, eandem certitudinem requiri, ut propriâ auctoritate possit novum matrimonium contrahi: nam ibidem expressè dicitur: *Non possunt tales ad aliorum consortium convolare.* quæ verba connectenda sunt cum sequentibus: *donec certum nuntium accipiant.* Deinde in *cap. 2. de secundis nuptiis*, ità habetur. [Ut nullus ammodo ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quòd ab hac vita migraverit conjux ejus.] Ratio hujus reddi potest. Nam, sicut Theologi docent, quòd nemo possit uti occultâ compensatione pro debito incerto, quantumvis probabili, quia probabilitas non sufficit ad spoliandum alterum suâ possessione, & Jure quæsito, ità nec sufficiet, ut conjux privetur Jure quæsito in corpore conjugis, donec constet, illud Jus esse extinctum. Unde ad capitula in contrarium allata respondendum est, ea loqui non de quacunque existimatione & verisimilitudine formidolosa, seu formidinem opposiți admittente, sed de morali certa, & prudentem formidinem excludente. Et hæc est communis Theologorum interpretatio.

135. Hujusmodi moralem certitudinem potest facere etiam unicus testis omni exceptione major, si juvetur aliis adminiculis quæ fidem ejus augeant, ut moraliter certum reputetur, eum de veritate testari: præsertim si major certitudo haberi non potest, ut est casus in cit. cap. ubi sermo est de maritis, qui causâ captivitatis vel peregrinationis septennio aberant, de quorum vita vel morte non poterant aliter certificari, & tunc dicitur sufficere certus nuntius, id est fide dignus, ut interpretatur Gutierez *de Matr. c. 51. n. 2.* & cum eo Palao.

Pari modo, si fama aliis adminiculis juvetur, & de ea duo testes fide digni testentur, etiam sufficiet: v. g. si fama sit, occubuisse in bello, vel in loco valde distanti, & fortè fuerit senex, vel æger: si non rediit, cùm se rediturum significavit & promisit, ut tradit glossa *in c. quoniam frequenter. v. præsumatur. ut lite non con.* sed de hoc videri possunt plura apud Mascardum, & Prosp. Farinac. *p. 4. pr. q. 140. tit. 16.* Covarr. *de Sponsal: p. 2. c. 7. §. 3.*

136. Quæritur II. Quâ pœnâ afficiendus sit ille, qui cum bigama, vel econtra illa quæ cum bigamo contrahit, quando talis non est bigamus, quia nullam aliam habet conjugem, sed contrahit cum habente conjugem. ℞. Talem non esse puniendum, ut bigamum, nisi statutum vel lex etiam vellet ità puniri, sed esse puniendum, ut adulterum vel adulteram: adeoque ubi solet adulterium mitiùs quàm pœnâ mortis puniri, hac moderatione etiam talis gaudebit.

137. Quæritur III. Quid sentiendum de legibus civilibus statuentibus certum tempus, v. g. quadriennium, quinquennium, decennium, quo si exspectaverit mulier, nec maritus redierit, possit nubere. ℞. Eas esse abrogatas per

per *Nov.* 117. c. 11. & Auth. Hodie *C. de repudiis.* ubi sancitur, ut mulier virum suum tamdiu quamdiu ille vixerit, exspectet, nec aliter aut antè nubere possit, etiamsi nec litteras nec responsum ab eo acceperit, non obstante quacunque longâ absentiâ. Si verò eum mortuum esse audiverit, debet vel per se, vel per suos parentes, vel per alios, Ducem belli, vel militiæ chartularios accedere, & ab eis juratum testimonium de morte viri afferre.

Porrò, forma probandi mortem mariti præscripta in dicta Novella c. 11. *& Auth. cit.* est per Jus Canonicum correcta, quo potest mariti mors etiam aliis modis quàm per Ducem belli, chartularios, Juramento exacto, probari, ut paulò antè dictum est.

138. Quæritur IV. An tanquam Bigamus puniendus sit, qui duas duxit, sed priorem non cognovit carnaliter, posteriorem verò cognovit. Berlichius, n. 56. & Carpzovius n. 21. volunt esse puniendum pœnâ stupri. per *legem* 18. *C. ad L. Jul. de adult.* ubi dicitur. [Veruntamen, ei qui te, ficto cælibatu, cùm aliam matrem familias in provincia reliquisset, sollicitavit ad nuptias, etiam crimen stupri, à quo tu remota es, quòd uxorem te esse credebas, ab accusatore legitimo solenniter infertur.] Ego tamen censeo, talem reverà bigamum esse, & adulterum: nam reverà superinduxit alteram uxorem, & fictum matrimonium perfecit. Neque multùm laborandum est in explicanda hac lege, quando res ipsa clara est. Nihilominus brevis & facilis responsio est, quòd lex Julia de Adulteriis verbo *stupri*, indifferenter utatur etiam pro adulterio, ut habetur lege 101. ff. de V. S. & in *lege* 6. §. 1. *ff. eod.* expressè dicitur: *Lex stuprum & adulterium promiscuè & abusivè appellat.* Itaque in adducta lege sumitur in hac generali significatione, neque tamen negatur, illius casûs delictum non esse puniendum pœnâ bigamiæ, vel adulterii, ut consideranti facilè patet.



Blasphemia.

SUMMARIUM.

139 Blasphemia est Crimen Læsæ Majestatis divinæ, opponiturque contrariè Laudi divinæ. Unde sicut Laus divina non fit propriè nisi vel mentis affectu, vel ore, vel Scripturâ formali vel æquivalenti, (qualis est pictura) ità & Blasphemia, quæ proinde in puro facto non consistit, unde qui crucifixum conspueret, absque verbis, sicut Judæi Christum, non esset propriè blasphemus, sed sacrilegii reus.

Definitur Blasphemia ex S. Augustino *lib.* 2. *de Moribus. Manich. c.* 11. Malum verbum de Deo dictum: seu ut alii: Dictum contumeliosum in Majestatem divinam. In præsenti solùm de Blasphemia externa agendum est, quæ sola ad externa Judicia pertinet.

140. Quæritur I. An de essentia Blasphemiæ sit, ut verba prolata contineant formalem falsitatem. ℞. Non esse necesse, ut formaliter falsa sint, hoc est directè difformia objecto. Nam, ut Theologi advertunt, committitur blasphemia irreverenter nominando membra Christi, in quibus verbis non apparet formalis falsitas: item si quis verbis declaret desiderium suum, quo malum vel imperfectionem aliquam Deo desiderat, v. g. dicendo: utinam Deus esset injustus: utinam nihil sciret de peccatis hominum: nam hujusmodi verbis convenit tota definitio blasphemiæ, cùm sint contumeliosum dictum in divinam Majestatem, non minùs quàm si quis diceret: *utinam Cæsar in nihilum re-*

dijerte-

digeretur. esset utique contumeliosus in Cæsarem: esto formaliter nihil falsi dixisset. Nihilominus etiam hujusmodi verbis in aliquo sensu potest dici inesse falsitas, quatenus apud audientes censetur loquens velle indirectè affirmare, Deum, vel Christi membra esse contemptibilia, & à loquente pro talibus haberi, adeoque jam videntur mentalem blasphemiam & falsitatem significare. & fortè non plùs vult S. Thomas, 2.2. q. 13. a. 1. in C. & ad 1. & 3.

141. Quæritur II. An Blasphemia committi possit in Sanctos. ℞. Quando de Sanctis aliquid contumeliosum dicitur cum respectu ad Deum, & quatenus sunt amici & electi Dei, est propriè dicta Blasphemia, quia est ipsius Dei inhonoratio, sicut in Consiliarios Principis quà tales potest committi Crimen læsæ Majestatis. Quodsi verò aliquis dehonestatet Sanctum specificativè sumptum secundùm aliquas suas excellentias & perfectiones alias, absque respectu & Ordine ad Deum, & per inhonorationem oppositam cultui Duliæ præcisè, esset Blasphemia impropriè dicta, ut aliis relatis declarat Palao tract. 17. d. 2. p. 2. §. 1. n. 4. & §. 2. n. 4. Videatur de his Suarez to. 1. de relig. tr. 3. l. 1. c. 5. n. 6. & c. 6. in fine.

142. Quæritur III. Quomodo differant Blasphemia Hæreticalis & non Hæreticalis. ℞. Hæreticalem esse, quæ expressè hæresin continet: nempe quâ Deo tribuitur, quod ejus Bonitati & Majestati repugnat, vel negat perfectionem, quæ Deo competit, vel tribuit creaturæ, quæ soli Deo propria est. Hæc ergo blasphemia semper profertur assertivè: neque tamen est necesse, eam proferri animo hæretico, ut dicatur blasphemia hæreticalis, quamvis in foro externo præsumatur tali animo prolata, nisi ex circumstantiis aliud colligi possit, quia v.g. ex animi perturbatione protulit, quod Judicis arbitrio committendum monet Farinacius l. b. 1. q. 20. n. 38.

143. Hinc constat, quænam sit blasphemia non hæreticalis, nempe quæ nihil fidei contrarium formaliter & directè significat, v.g. imprecatio mali, irreverens nominatio in contemptum divinæ Majestatis. Unde inferunt DD. non fore blasphemiam hæreticalem, imò nullam, si quis dicat v.g. *Tam verum hoc est, quàm verè existit Deus in Cælo*: si non proferatur animo æquiparandi omnimodè certitudinem unam cum altera, quasi affirmando, unam alterâ non esse majorem, aut dignam firmiore assensu, sed solùm ad aliquam similitudinem tribuendam, prout communiter solet ab hominibus non malæ mentis proferri, dum dicunt: *Quàm verè Deus vivit.* Aliud enim teipsâ non intendunt dicere, quàm rem sibi esse certam instar metaphysicæ evidentiæ, & se experiri necessitatem omnimodam ad asserendum, sicut ad asserendam vitam Dei.

144. Quæritur IV. An audientes blasphemiam habeant ex jure positivo aliquam obligationem corrigendi blasphemum, etiam absque spe emendationis: item obligationem denuntiandi. Dixi: *ex jure positivo.* Nam esse obligationem Charitatis naturalem corrigendi correctione fraternâ, si sit spes emendationis, est certum. Ad Quæsitum respondendo sciendum est, in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 9. sic statutum esse. *Quicunque blasphemantem audierint, eum acriter verbis objurgare teneantur, si citra periculum suum id fieri posse contingat.* Quibus verbis videtur amplius quid, quàm mera fraterna & suavis correctio præcipi in reparationem læsi divini honoris, etiam absente spe emendationis. P. Castro Palao §. 4. n. 3. ait, dubium esse, an sit lata nova lex ultra legem naturalem. Posito autem quòd sit lata, censet, absente spe emendationis, decretum hoc consuetudine abrogatum esse, nec audientes adstringi nisi lege charitatis, & cum spe fructûs, quod etiam docent Azor, Sanch Bonacina apud eundem.

145. In eodem Concilio & decreto mandatur audientibus, ut intra triduum blasphemantem denuntient, alioquin pœnis blasphemorum subdendos. Fatentur tamen DD. præmittendam esse correctionem fraternam, quâ si emendetur blasphemus, non erit opus denuntiatione, si enim finis emendationis obtineri potest suaviore & extrajudiciali remedio, non licet ad duriora procedere, quia emendandus est proximus cum minori quâ fieri potest, offensa & detrimento. Quodsi blasphemia est hæreticalis, denuntiatio facienda est Inquisitoribus hæreticæ pravitatis: si non est hæreticalis, tunc si blasphemus est laicus sæcularis, delictum est mixti fori, & potest denuntiari vel Episcopo vel Magistratui sæculari, cum jure præventionis.

146. Quæritur V. Quæ pœna sit in blasphemos Jure Canonico statuta. ℞. Eas varias esse; sed Suarez. l. 1. c. 7. n. 3. ait, illas non esse usu receptas: quod tamen an sit universim verum, alii sciverint: si ergo pœna hæc Judicis Ecclesiastici arbitrio relicta sit, pro ejus informatione expedit nôsse, quid olim statutum fuerit, ut inde cognoscere possit, quo rigore possit procedere.

Pius I. Ut refertur in *can. si quis per capillum. 22. q. 1.* sancivit, ut blasphemans in Ecclesiastico ordine constitutus deponatur: laicus anathematizetur. Hanc pœnam mitigavit postea Greg. IX. in *cap. 2. de Maledicu.* Decernens, ut si blasphemans à Judice Ecclesiastico deprehenditur, pluribus diebus Dominicis sine vestibus debeat poni ante januam Ecclesiarum, cum

corrigia ligata ad gulam (quod intelligendum de laico sæculari) dum Missa cantatur, & imponatur jejunium septem dierum in pane & aqua: si autem à Sæculari Judice: debeat condemnari in 40. solidis, si quidem sit dives, secùs juxta blasphemantis facultates.

147. In Concilio Later. sub Leone X. Anno 1514. in hæc ferè verba disponitur: ut quicunque Deo palàm, seu publicè maledixerit, contumelioſusque ac obscænis verbis Dominum nostrum Jesum Christum, vel Gloriosam Virginem Mariam ejus genitricem expresse blasphemaverit, si munus publicum jurisdictionemque gesserit, perdat emolumenta trium mensium dicti officii pro prima & secunda vice: si tertiò deliquerit, eo ipso privatus existat. Si Clericus fuerit, eo ipso quòd de delicto convictus fuerit, etiam beneficiorum, quæcunque habuerit, fructibus unius anni mulctetur, & hoc pro prima vice. Pro secunda verò, si unicum habuerit beneficium, eo privetur. Si autem plura, quod Ordinarius maluerit, id amittere cogatur. Pro tertia verò vice dignitatibus ac beneficiis omnibus, quæcunque habuerit, eo ipso privatus existat, & ad ea ulteriùs retinenda inhabilis reddatur. Laicus autem blasphemus si Nobilis fuerit, pro prima vice mulctetur pœnâ 25. Ducatorum: pro secunda vice mulctetur in duplum: pro tertia vice Nobilitatem perdat. Si verò ignobilis & plebejus fuerit, in carcerem detrudatur pro prima & secunda vice: pro tertia autem vice mittâ infami ante fores Ecclesiæ per integrum diem mitratus stare cogatur. Si verò ultra tertiam vicem pluries blasphemaverit, ad perpetuos carceres vel ad triremes damnetur, Judicis arbitrio. Qui verò Sanctos reliquos blasphemaverit, arbitrio Judicis, rationem personarum habitura, mitiùs aliquantò puniatur.

148. Hanc Leonis Constitutionem Pius V. Anno 1566. non solùm confirmavit, sed insuper addidit, ut Laicus pro blasphemia in Deum, Jesum Christum, ac ejus Sanctissimam Virginem Matrem commissa, pro prima vice pœnâ 25. Ducatorum, pro secunda pœnâ 50. pro tertia pœnâ 100. Ducatorum, juncto exilio & infamiâ puniatur. Si verò is solvendo non sit, & Plebejus fuerit, pro prima vice manibus post terga ligatis ante fores Ecclesiæ per diem integrum constituatur, pro secunda fustigetur, pro tertia, linguâ perforatâ ad triremes transmittatur: Clericus autem pro prima vice fructibus unius anni, pro secunda beneficiis ipsis privetur, pro tertia deponatur, & in exilium mittatur. Si verò beneficium non habeat, pro prima vice pœnâ pecuniariâ vel corporali puniatur, pro secunda carceribus mancipetur, pro tertia verbaliter degradetur, & ad triremes mittatur. Pro blasphemia verò in Sanctos pro qualitate blasphemiæ & personæ, arbitrio Judicis puniatur.

149. Quæritur VI. An ad evitandas pœnas blasphemiæ sufficiat, si in continenti, verbo vel facto revocetur, v.g. tundendo pectus, ingemiscendo, clementiam Dei implorando &c. ℞. Affirmativè: nam ex hujusmodi signis benè colligitur, ex motu indeliberato animi, & linguæ lubricitate sermonem blasphemum profectum esse.

150. Quæritur VII. Quæ pœnæ Jure Civili & Cæsareo sint in blasphemos constitutæ. ℞. In hoc puncto multùm fuisse variatum. Novellâ 77. c. 1. §. *præcipimus.* ultimo supplicio puniuntur. quæ tamen pœna postmodum moribus abrogata est, & in Regno Neapolitano, Hispania, Gallia, Italia, arbitraria evasit, & teste Zasio pœna capitis de consuetudine non infligitur, nisi blasphemia esset magna & enormis, quæ ex deliberato, maligno, & doloso proposito, & ore exectabili ad pernitiosum exemplum proferatur. cujus enormitatis horrendas blasphemias pœnâ capitis in Saxonia punitas refert Carpzovius à n 18 quas nec tefette sustineo. Audiamus Julium Clarum, quid de hac consuetudine sentiat sic inquit. [Sed hæc est pessima consuetudo (*id est, non puniendi pœnâ capitis*) & judicio meo gravitet peccant Principes Christiani, & eorum Magistratus, qui hoc crimen severissimè non puniunt. Et in hoc Respublica Christiana magnâ indiget reformatione] sed in Imperio jam est facta reformatio, ut mox videbimus.

Itaque post varios Imperij Recessus circa hanc materiam, denique illis vel reformatis vel abrogatis, quoad hoc punctum, in Recessu August. de anno 1548. ità constitutum est. [Si quis cujuscunque conditionis aut dignitatis vel status, deinceps Deo attribuerit, quod ipsius divinæ Majestati aut Omnipotentiæ non conveniat, vel verbis id quod Deo convenit, abnegare velit, v. g. quasi Deus aliquid non posset, aut non esset justus, vel similia verba contumeliosa, & temeraria blasphema immediatè in vel contra Deum, ejusdem Sanctissimam humanitatem, aut divina Sacramenta protulerit, is vel pœnâ mortis, vel amputatione membrorum, prout consideratâ qualitate personæ & blasphemiæ, & Jurium constitutionibus conveniet, puniendus erit. Si blasphemiæ commissæ duæ aut plures personæ interfuerunt, quælibet illarum teneatur delictum Magistratui illius loci ad minimum intra proximos sequentes octo dies denuntiare, & simul indicare, quis alius interfuerit, & blasphemiam audiverit: hos, si non ipsi blasphemiam indicaverint, Magistratus ad se clàm vocabit, & singulos seorsim alijs absentibus examinabit, an blasphemiâ audiverint, & secundùm omnes circumstantias

stantias rei veritatem investigabit &c. Deinde subjungitur, illos, qui non manifestant, esse pœnæ arbitrariæ subjectos: quibus tamen injungitur, ut antequam denuntient, blasphemum amicè dehortentur, & rogent ut abstineat, ne sit necessitas eum Magistratui denuntiandi.

151. Et hæc quidem statuta sunt circa blasphemias immediatè in Deum. Postea subjungitur de Blasphemia in Sanctissimam Dei Matrē & alios Sanctos, quā Constitutionē audet carpere Carpzovius, n. 72. dicens *quòd ex mente Pontificiorū Sanctis cultus & honor Divinus debeatur.* quod est mendacium tam palmarium, ut Carpzovium illius meritò pudere debeat, sicut &, quòd Imperatorem suum (quem ipsemet paulò antè pijssimum vocaverat) audeat indirectè arguere Idololatriæ, quin & Blasphemum vocare num. 73. dum ipse omnes Pontificios Blasphemos vocat ob cultum Sanctorum. Audiamus Constitutionem.

152. Si quis Matrem ChristiSalvatoris nostri vel Sanctos Dei temerè NB. blasphemaverit, primā vice amicè moneatur ut abstineat, quodsi non fecerit, absque mora indicetur, ut suprà dictum, & reus in corpore vel bonis pro conditione personæ & blasphemiæ à competente Magistratu puniatur, & consideratis circumstantijs &c. pœna augeatur vel minuatur.] Et hæc retuli in supplementum eorum, quæ Carpzovius, alijque ejusdem cum ipso fidei, depravārunt, inter quos est Berlichius, qui n. 34. satis ineptè negat, in Sanctos committi blasphemiam, *quoniam*, inquit, *per hoc blasphemiam committeremus si honorem Deo debitum ei adimeremus, & alijs Sanctis tribueremus.* quasi verò aliquis esset in mundo, qui cultum soli Deo debitum Sanctis tribueret. Et subjungit n. 35. [Unde patet, quòd multò minùs blasphemia committatur, si quis imagines, statuas, & alia simulachra Sanctorum lædat, percutiat, & omnino templis ejiciat, propterea quòd ejusmodi simulachra in peccatum & Scandalum populi à Pontificibus contra Dei præceptum (*scilicet*) sint excogitata.] Hæc ille Hæreticus hæreticè. Sutor ultra crepidam. Saniore judicio subjicit sequentia. Benè tamen, inquit, fateor, si quis contumeliosum quoddam in Sanctam Mariam, vel alios Sanctos proferat, per quod eorum memoria obscuretur, auctoritas labefactetur, & scandalum oriatur, quòd is meritò extra ordinem arbitrio judicis puniri possit. *Eleganter Prosper Farin. tr. crim. q* 20. *n.* 27.] nisi convitium tale sit, per quod enormiter Dei Majestas lædatur, puta, si quis Sanctam Virginem ejus Matrem proclamet meretricem, hoc enim & simili casu, cum Majestas & persona Christi admodum horrendè offendatur, & is per indirectum pro spurio proclametur, meritò is pœnā ordinatiā in blasphemos sancitā puniri debet. Idem statuo, si quis per beatissimæ Virginis Mariæ membra pudibunda, puta anum, podicem, mamillas, & similia jurat.] Hæc ille.

153. Jure Bavarico Ord. Pol. lib. 5. a. 1. pro Nobilibus statuitur pœna pecuniaria arbitraria, pauperibus applicanda, pro plebeiis aliæ pœnæ ibidem, pro diversitate delicti, sunt constitutæ. Scio tamen, hîc Ingolstadij blasph... ...m capite plexum esse ob enormem blasphemiam ...is malitiam, dum cymbalum pulsantem in secimus per Sacramenta continenter blasphemavit, & Deum injustum esse dixit. Cæterùm, pœna hujus delicti 20. sept. anno. 1635. per singulare Decretum seu Novellam Constitutionem aliquantò acriùs reperita est, ut refert Kraisser, quam Constitutionem non habeo ad manus.

154. Concludamus ergo, omnes illos blasphemos esse, & quidem immediatè in Deum, qui negant, Sanctis, Dei amicis, illum cultum deberi, quem sciunt, aut scire deberent, à Deo per universum terrarum orbem infinitis, & quotidianis miraculis approbari, adeo claris, ut ea nemo, nisi ipso Dæmone inverecundior negare possit; quia hoc ipso dicunt, Deum in approbando errare, quæ utique est blasphemia.

Calumnia.

SVMMARIVM.

Calumnia Juridicè sumpta quando committatur. 155.

Pœna Calumniantium est arbitraria. eod.

155. Calumnia Juridicè committitur, quando aliquis alium malitiosè & scienter in Judicio accusat & defert de rebus falsis: item quando quis in Judicio conatur sustinere tanquam verum, & æquum, quod scit, aut scire deberet esse falsum & iniquum, & ideo solet à litigantibus exigi Juramentum calumniæ, de quo ex professo actum est tomo præcedente. Item quando quis dissimulat, subticet, & non vult proferre in Judicio crimen, quod punitioni subjectum est. *l.* 1. §. 13. *ff. ad S. C. Turpill.* [Incidit in hoc senatûs consulto & qui accusatorem submittit, aut instigat, aut qui mandat alicui, & instruit eum ad accusationem capitalem, dando probationes, allegando accusationes: & meritò. Nam deficiendo crimine quod movet, & eximendo se periculo calumniæ vel desertionis, meritò calumniantis & desistentis pœnæ subdici

 (pœna

(*pœnæ subjici*) debuit, nisi subornatus accusator probaverit crimen quod intendere suscepit.]

Pœna calumniatum est arbitraria, pro discretione Judicis, attentâ qualitate personarum, & enormitate vel levitate calumniæ, & damni, ac motivi quo quis inductus est ad calumniandum.

Concubinatus. Vide. *Fornicatio.*

Concussio. Corruptio.

SVMMARIVM.

Concussionis crimen quando committatur à Judice. 156.
Pœna ejusdem est arbitraria. 157.
Quomodo Concussio differat à Corruptione. 158.

156. Concussionis crimen committitur, quando sub prætextu & titulo officii & dignitatis, cum aliquo de justitia ferenda aut non ferenda, aut malè ferenda componitur, & cum eo fœdus aliquod pecuniarium hac de causa initur. Itaque hoc crimen directè ad Judicem spectat, qui dicitur tali sollicitatione ad corruptionem sui partem litigantē concutere, minis aut persuasionibus inducendo, ut ab ea munus aliquod extorqueat, in hunc finem, ut in favorem ipsius aut citiùs, aut tardiùs, aut omnino non, aut aliter quàm merita causæ requirunt, judicet. Idem crimen cōmittunt alii Officiales, qui habent commissionem aut executionem sibi demandatam, & paciscuntur cum parte, ut accepto certo pretio in executione parcant. Item alii, de quibus Jura jam referenda.

157. Pœna hujus delicti est arbitraria, secundùm Judicis prudentiam, pro modo delicti. *l. 1. ff. de Concussione.* [Si simulato Præsidis jussu concussio intervenit, ablatum hujusmodi terrore restitui Præses provinciæ jubet, & delictum coercet.] l. 2. eod. [Concussionis judicium publicum non est, sed si ideo pecuniam quis accepit, quòd crimen minatus sit, potest judicium publicum esse, ex senatusconsultis, quibus pœnâ legis Corneliæ teneri jubentur, qui in accusationem innocentium coierint, quive ob accusandum vel non accusandum, denuntiandum vel non denuntiandum testimonium, pecuniam acceperint.] Unde habetur, quòd tales puniri possint ut falsarii & calumniatores. Huc maximè facit *auth. C. de Pœna Judic. qui malè.* [Novo jure, qui dicit, se dedisse aliquid, vel promisisse, & personam declaraverit, & hoc probaverit, veniam meretur. Sed qui accepit, vel promissionem suscepit, si causa pecuniaria sit, dati triplum, promissi duplum, à comite privatarum rerum exigatur, dignitate, seu cingulo amisso. Si verò criminalis causa fuerit, confiscatis omnibus bonis in exilium mittatur. &c.] Et l. 2. eod. [De eo qui pretio depravatus aut gratiâ perperam judicaverit, ei vindicta, quem læserit, non solùm æstimationis dispendii, sed etiam litis discriminis præbeatur.]

His consonat Jus Canonicum *c. 1. de sent. & re jud. in 6.* ibi. [Si quis autē Judex Ecclesiasticus, ordinarius, aut etiā delegatus famæ suæ prodigus, & proprij persecutor honoris, contra conscientiā, & contra Justitiam in gravamen partis alterius in judicio quidquā fecerit per gratiā, vel per sordes; ab executione officii per annum noverit se suspēsum, ad æstimationem litis parti quam læserit, nihilominus condemnandus &c.]

158. Concussio & Corruptio differunt in eo, quòd Concussio habeat originem à Judice, ut jam explicatum est, Corruptio verò ab eo qui sponte ad corrumpendum munera offert, & ideo concussio est gravius delictum, sed tamen etiam corruptio graviter punitur in eo qui se corrumpi permittit, ut patet ex juribus jam relatis, & insuper ex toto titulo *C. de Leg. Jul. Repetund.* Sed quia de his plura dixi tomo præced. tr. 2. de Oblig. Judicum, ideo hic plura non addo, præsertim cùm hodiernis moribus hæ pœnæ non sint in usu, quamvis proh! dolor, in usu sit Corruptio, ut etiam conquerітur de suis temporibus Damhouderus, non malè huc trahens versiculum: *Dat veniam corvis: vexat censura columbas.*

Diffidatio.

SVMMARIVM.

Quid sit Diffidatio, juridicè loquendo. 159.
Quomodo differat à Violatione Pacis publicæ. eod.
An is qui diffidatur, possit esse persona singularis & privata. 160.
Quid sit Scopelismus. 161.
Non omnis diffidatio est injusta & prohibita. 162.
Si diffidator est subjectus Imperio, debet habere facultatem ab Imperatore. 163.
An incurratur hoc crimen per Diffidationem conditionatam. 164.
An, qui solùm minatur certum genus damni. 165.
An diffidatio sit species violatæ pacis publicæ. 166.
Quæ pœna sit Diffidatoribus constituta. 168.
An eas incurrat, qui diffidationem statim revocat. 169.

Quæ

Quæ pœna eosdem teneat ut violatores Pacis publicæ. 170.
An hæc pœna transeat ad heredes, reo ante litem contestatam mortuo. 171.
Quando hæ pœnæ recipiant moderationem. 172.
Quomodo puniendi, qui solùm verbis minacibus usi sunt. 173.

159. DIffidare Juristis est: Inimicitias denuntiare, bellum indicere, hostem declarare. Is qui denuntiat, Diffidator, cui denuntiatur, diffidatus dicitur. Hinc Diffidatio definitur denuntiatio animi hostilis, quâ quis alicui significat, se eum armis, igne, spoliis, rapinis persecuturum. Et quia aliqui putabant, factâ tali denuntiatione postmodum sibi licitum esse exequi diffidationem, ideo Carolus IV. in aurea Bulla c. 17. sic statuit: [eos, qui de cætero aliquos intempestivè diffidant, declaramus, damna quæcunque per incendia, spolia, vel rapinas diffidatis ipsis inferre non posse, & factas vel faciendas diffidationes imposterum non valere, nec licere prætextu diffidationis, cujuslibet quempiam invadi per incendia, spolia, vel rapinas.]

Differt ergo Diffidatio à Violatione Pacis publicæ, quia hæc fit præsenti & flagrante armatâ vi, & est potiùs executio diffidationis, quamvis etiam nullâ præcedente diffidatione fiat.

160. Quæritur, an is qui diffidatur, possit esse persona aliqua singularis & privata. Negat VVesenbecius & Berlichius concl. 22. Affirmat Bocerus. Negantium fundamentum est, quòd Diffidatio debeat differre à Minis seu Minitationibus: non videtur autem esse alia differentia, quàm quòd diffidentur communitates, minitationes autem fiant privatis. Verùm, affirmantes aliud discrimen invenerunt, idque colligunt ex Bullæ aureæ verbis, quòd diffidatio sit minitatio armorum, ignis, spoliorum, rapinarum, minitatio autem aliorum damnorum, vel incommodorum. sed hæc est lis de nomine, & absque utilitate.

161. Diffidationi non absimilis est Scopelismus, de quo est *lex 9. ff. de extraord. criminib.* [Sunt quædam quæ more provinciarum coercitionem solent admittere, ut puta, in provincia Arabiæ Scopelismum, id est lapidum positionem crimen appellant: cujus rei admissum tale est: plerique inimicorum solent prædium inimici scopelizare, id est, lapides ponere, indicio futuros, quòd si quis eum agrum coluisset, malo letho periturus esset, insidiis eorum qui scopulos posuissent: quæ res tantum timorem habet, ut nemo ad eum agrum accedere audeat, crudelitatem timens eorum, qui scopelismum fecerunt: hanc rem Præsides exequi solent graviter, usque ad pœnam capitis, quia & ipsa res mortem comminatur.]

162. Non omnis Diffidatio est prohibita, seu injusta. Aliquando enim & frequentissimè fit lege permittente: nempe quando subest justa causa bellum gerendi, justa quoque est Diffidatio, adeo ut ipsi illationi belli sit necessariò præmittenda, ut tradunt communiter DD. & ratio est, quia indictio belli ad hoc tendit & servit, ut si adversarius suæ causæ diffidat, possit tractare cum diffidatore de pacis conditionibus: quod tamen intelligo, nisi quis adeo graviter & injustè læsus esset ab altero, ut si diffidatio actualem aggressionem præcederet, nulla spes esset, recuperandi damni. Unde & Jura permittunt injustè spoliato propriâ auctoritate, & in continenti aggredi spoliatorem, & possessionem recuperare, ut diximus agentes de Possessione recuperanda.

163. Ut autem bellum sit justum, & per consequens licita Diffidatio, requiritur insuper, ut, si diffidator est subjectus Imperio, habeat facultatem ab Imperatore, alioquin incidet in crimen læsæ Majest. *l. 3. ff. ad L. Jul. Majest.* ibi. *Eàdem lege tenetur, qui injussu Principis bellum gesserit.* Sed subintelligendo exceptiones quæ habentur in Ord. Crim. Carol: a. 129. nempe si quis suo suorumque hosti bellum seu diffidationem inferat, aut aliam justam diffidationis causam habeat, eo quòd vis vi repellenda sit. Quas tamen restrictiones non de personis privatis, sed de publicis, puta Principibus, & aliis quibus merum Imperium, & alia regalia competunt, accipiendas esse monet Berlichius n. 25. Verùm, in præsenti non est agendum de Diffidationibus justis, sed de injustis. De quibus

164. Dubitatum est, an ad hoc ut Diffidator incurrat pœnas Diffidatoribus statutas, & postea referendas, debeat Diffidatio esse facta absoluta, vel an etiam sufficiat, factam esse conditionatè: v. g. nisi Diffidatus hoc vel illud præstiterit. Negârunt sufficere conditionatè factam aliqui apud Berlich. concl. 22. n. 22. quia conditio suspendit actum, & nihil in esse ponit. Sed Scabini Saxonici pronuntiârunt contrarium, & meritò, nam plerumque solent fieri sub hujusmodi conditionibus, & ideo de his quoque sunt intelligendæ constitutiones. Præterea, conditio adjecta non est in potestate diffidantis, sed conjicitur in potestatem diffidati: ergo quantùm est ex parte diffidantis, jam est absoluta. Uno verbo, eadem mala imminent Reipublicæ ex tali licentia diffidandi, quæ imminent, si nulla conditio apponatur. Porrò, conditio adjecta suspendit quidem actualem hostilitatem, sed non suspendit minas, seu ipsam diffidationem: atqui

atqui sunt diversæ pœnæ impositæ diffidationi, & ipsi actuali hostilitati, rapinæ, incendiis &c.

165. Quæritur nunc I. An reus diffidationis habendus sit, qui præcisè alteri certum genus damni minatur, v.g. dicendo, aut scribendo, quòd velit illum globo trajicere. Vel: quòd velit illi rubrum gallum (idest ignem) in domo collocare. Respondent DD. Negativè. Quia Diffidatio debet generaliter mala quæcunque hostilia minari, alioquin habenda sunt illa dicta pro minis, & non pro diffidatione, nec ut talis punienda.

166. Quæritur II. Utrum Diffidatio sit species violatæ pacis publicæ. ℞. Ex communi DD. Affirmativè. Nam pax publica violatur per arma bellica; atqui qui Diffidando alteri bellum minatur, licèt actu non inferat arma, turbat tamen pacem per denuntiationem armorum & belli, & per præparationem eorum, quæ ad invadendum sunt utilia. Ergo saltem talis diffidatio rectè censetur violatio publicæ pacis.

Confirmatur à Boceto. Quia Constitutiones Imperii de Pace publica sunt etiam nominatim conceptæ de Diffidationibus: ergo supponunt, quòd per Diffidationes pax publica turbetur & violetur, & diffidatores pro talibus violatoribus habendi sint.

167. Solùm objici posset, quòd ad Violationem Pacis publicæ videantur constitutiones requirere vim armatam. Atqui Diffidatio non est vis armata, sed solùm minitatio vis armatæ. Ad hoc tamen respondetur, intentionem illarum Constitutionum esse, abstertere à terrore illo subditorum, qui per vim armatam actualem infertur: cùm ergo per diffidationem sæpè non minor terror & sollicitudo incutiatur, ex intentione Constitutionum per vim armatam etiam Diffidatio comprehenditur, ob rationes allatas, & ità ferè respondet Gilbusius n. 7. in fine.

168. Quæritur III. Quæ pœna sit Diffidatoribus injustis constituta. ℞. In Ordinatione Criminali Carolina est ultimum supplicium. a. 129. his verbis. *Quicunque alium contra* jus & æquitatem protervè diffidaverit, gladio puniatur.

Hæc pœna postmodum in Constit. Ratisbonæ Anno 1594. promulgata, extensa est ad illos, qui litteras diffidationum scribunt vel concipiunt: ibi. qui litteris diffidatoriis scribendis operam suam præstant, non minùs quàm ipse diffidator secundùm Juris Ordinationem irremissibiliter puniantur. Excipiendi tamen sunt, quos ætatis imprudentia excusat. Extenditur insuper eadem pœna ad Complices, receptatores, & adhærentes. *Recess. Imper. Augustæ* 1555.

169. Quæritur IV. Si quis litteras diffidatorias expedivit, imò fortè jam januæ affixit, sed pœnitentiâ ductus easdem revocat, an nihilominus ordinariâ pœnâ plectendus sit. Idem quæritur de eo, qui signa diffidatoria, qualia solent alicubi esse scopæ, titiones, appenderit, sed pœnitentiâ ductus ea repetiit. In hoc puncto variant DD. & aliqui volunt inter utrùmque casum discrimen facere. Verùm, si eorum mens spectetur, non dissentiunt, & hac ratione conciliari possunt. Vel ex tali affixione aut destinatione nata & inducta jam est turbatio in diffidato, vel vicinia, vel non. Si primum, jam delictum est consumatum in ea ratione, qua differt à delicto actualis hostilitatis, incendii v.g. ac proinde per pœnitentiam non potest fieri infectum. Secùs, si nulla adhuc turbatio causata est, ob rationem contrariam, & hoc solùm probant argumenta Berlichii.

170. Quæritur V. Quænam pœnæ possint imponi Diffidatoribus, quatenus sunt Rei fractæ pacis publicæ, ut suprà dictum. Ad hoc respondet Bocerus c. 6. n. 17. in Judicio Cameræ Imperialis vel Cæsareæ Majestatis decerni Imperii Bannum, item pœnam pecuniariâ ducentarû Marcarum puri auri, ac privilegiorum amissionê, quia hæ pœnæ constitutæ sunt in pacis publicæ fractores. Existimant aliqui cum Andrea Gail *lib. 1. de pace pub. c.* 20. *n.* 17. & 19. Pœnam pecuniariam esse postmodum auctam, ut hodie sit duorum millium marcarum auri puri, per recess. Imper. 1548. Verùm, Bocerus observat, illam constitutionem non loqui de pœna frangentium pacem publicam, sed de pœna Statuum Imperii, qui se in conservanda pace publica negligentes exhibent. Porrò, pœna illa pecuniaria cedit partim Fisco, partim actori seu parti læsæ, ut habet Gail *lib. 1. c. 15. n. 23.*

171. Circa hanc pœnam pecuniariam quæsitum est, an illa transeat ad hæredes rei, etiamsi reus ante litem contestatam mortuus sit. Pro affirmativa citat Bocerus Andream Gail. *l. 1. de pace publ. c.* 20. *n.* 20 (volebat citare n. 17.) Verùm, Gail non satis clarè dicit; si mortuus sit ante litem contestatam: sed: *lite pendente.* quod intelligi potest, post litem contestatam. Ex rationibus tamen ab eo allatis videtur fuisse in affirmativa sententia: nempe quia pœna quoque hæredem afficit, quando ipso Jure est imposita: & quia tunc non agitur ad impositionem pœnæ, sed ad pœnam à Jure impositam exigendam, & ideo meritò ad hæredem transit, etsi nihil ad eum pervenerit, prout etiam tanquam communem regulam tradit Ferdinand. Vasq. *l. 3. qq. illust. c. 96. n. 22.*

Nega-

Negativam defendit Bocerus, ex eo quòd Imperialis processus nihil agat de pœna pecuniaria, sed tantùm de damni & expensarum restitutione, ad quam utique renetur hæres, non solùm ex Juris civilis dispositione, sed etiam Jure naturali, ut alibi ostensum est. Deinde adducit Juris Regulam, quòd ex maleficiis pœnales actiones in hæredem rei non competant. Ad Jura à Gailio adducta respondet, ea loqui de legis pœna quæ non personam delinquentis, sed ejus bona afficit: proinde meritò ad hæredes in bona defuncti rei succedentes transit, sicut ad quemvis alium possessorem. Verùm sit ità: adhuc tamen urget ratio Gailii, quia pœna ipso Jure illata statim debetur, saltem ante sententiam condemnatoriam, & nullâ factâ litis contestatione: ergo cùm nec Bocerus neget n. 28. pœnam 200. Marcarum ipso Jure imponi, non video, cur non transeat ad hæredes. Æquivocat etiam Bocerus dum respondet, omnem criminis pœnam authoritate legis & ipso Jure imponi, & tamen non transire ad hæredem. Nam hoc solùm sensu imponi solent pœnæ ipso Jure, hoc est legis authoritate, quatenus lex mandat Judicibus, ut eam imponant per sententiam condemnatoriam: aliquando tamen velut ipso facto incurri.

171. Advertendum tandem circa has pœnas Diffidationis est, eas quandoque moderamen accipere, & converti in mitiorem & extraordinariam, v. g. ob accusati nobilitatem, artis insignis & excellentis peritiam, multitudinem reorum, meritorum probationem, provocationem adversarii, lapsum temporis à delicto commisso, ebrietatem, ætatem, anteactæ vitæ probitatem, ob officia gesta, de quibus Gail *lib. 2. de pace pub. c. 9. n. 14.*

173. Quæritur VI. Quâ pœnâ afficiantur qui non strictè diffidârunt alium, sed solùm verbis minacibus usi sunt, v. g. incendium, aut mortem minati sunt. ℞. Eos detrudendos esse in carcerem, donec idoneè fidejubeant, se velle ab omni damnificatione abstinere, & Juris remediis uti, ac Judicio acquiescere; Quodsi tamen minitator à domo sua profugisset, & ad alia loca suspecta se contulisset, pœnâ gladii puniri posset, ut ex Recessibus Imperii Aug. 1515. & Ord. Crim. a. 128. deducitur, dum ibi dicitur, quòd cum demum minitatores pœnâ gladii puniantur, si etiam à domicilio suo profugiant, & ad alia loca suspecta se conferant. Berlich. n. 21.



Falsum.

SUMMARIUM.

174. Falsi crimen in genere committere dicitur, qui rem aliquam externo quodam & apparente fuco adulterat, & ad deceptionem corrumpit. quod in lege 23. *ff. ad L. Corn. de falsis.* per exempla declaratur. [Quid sit falsum quæritur, & videtur id esse, si quis alienum chirographum imitatur, aut libellum vel rationes intercidat, vel describat: non qui aliàs in computatione vel in ratione mentiuntur.] Et quia de hoc crimine exstat allegatus titulus, hinc DD. in genere dicunt, illud esse Crimen Falsi, quod lege Corneliâ *de falsis* coërcetur: idque definit Carpzovius, *Dolosam veritatis immutationem in alterius præjudicium factam*: & ad hoc tria requiri ait. Primum est, Dolus. l. 27. C. eod. *ibi. cùm non nisi dolo malo falsum committentes crimini subjugentur.* Nec sufficit dolus præsumptus, sed requiritur probatus: potiùs enim errore præsumitur factum, quàm animo decipiendi: ut præsumit Imperator in *l. 5. C. de his qui sibi adscribunt in testamento. ibi. Pœna legis Corneliæ tibi remittitur, in quam credo te magis errore quàm malitiâ incidisse.*

175. Secundò, requiritur Veritatis immutatio. Unde apparet, quare in Lege 23. paulò antè relata, dicatur, crimen falsi committi ab eo, qui faciendo rationem & computationem, ratio-

nem ipsam mutat, non tamen illum, qui asserit, tantam esse summam in computo, v.g. 100. fl. cùm tamen sit minor, vel major summa; talis quidem dolum committit, quia mentitur, sed veritatem non immutat, quia mendacium ejus deprehendi potest calculando. Aliud exemplum, quo dolus non constituit crimen falsi, est, si quis dolo malo testatur aliquid, quod ipse per errorem putat falsum, cùm tamen sit verum. Nam talis veritatem non immutat in effectu, sed solùm affectu: & ideo non dicitur testari *falsum*, sed *falsò*.

176. Tertiò requiritur, ut per hujusmodi veritatis immutationem tertio damnum inferatur. Quare solus conatus nocendi non sufficeret ad pœnam ordinariam, benè tamen, ut mitiùs & extra ordinem punitetur, ut censet Carpzovius, per regulam generalem, quòd conatus in delictis mitiore pœnâ puniatur: quod tamen intelligendum est, nisi ob atrocitatem criminis lex expressè statueret, ut etiam conatus pœnâ ordinariâ puniatur.

177. Quæsitum est, an Crimen falsi solùm in illis casibus committatur puniendum ex lege Cornelia, qui expressè in lege notantur. Affirmare videtur Farinac. *De falsit. & simul. q. 150. n. 7.* dicens: Falsum strictè sumptum dicitur illud tantùm, quod incidit in aliquod caput legis Corneliæ de falsis. Quicunque tamen sensus sit horum verborum, respondetur negativè. Nam ut benè observat Carpzovius, si hoc verum esset, deberet hoc in ipsa lege exprimi, ut ad nullum casum extendatur, nisi in lege notatum. Sufficit ergo, intervenire tria requisita enumerata. Et casus qui in titulis ad L. Corn. de falsis ponuntur, exempli loco referuntur, ut ad eorum resolutionem alii non expressi resolvi possint.

178. Quæritur I. Quænam sit pœna Falsariorum. ℞. In Ordin. Criminali Carolina relinquitur arbitrio Judicis & prudentum, consulendorum, pro diversitate & gravitate delicti, *ar. 112. Deinde ar. 113.* fit aliqualis specificatio, sed non ultimata: dum dicitur Falsarius relegandus, vel virgis cædendus seu fustigandus, vel alia simili pœnâ afficiendus pro qualitate delicti. sicut & a. 115. Sed neque in Jure communi aliqua uniformis pœna præscribitur. Nam licèt *l. 1. §. fin.* dicatur: *Pœna falsi vel quasi falsi deportatio est, & omnium bonorum publicatio, & si servus eorum quid admiserit, ultimo supplicio affici jubetur.* Deportatio tamen hodie non est in usu, sed in ejus locum successit Bannum vel Relegatio. Deinde pœna publicationis bonorum correcta est *in Auth. bona. C. de bonis proscript.* Potest tamen hoc extendi quandoque ad manûs amputationem Jure Novellarum, & quandoque etiam ad ultimum supplicium. *l. 21. C. h. t.* ibi. *supplicio capitali si id exigat magnitudo commissi, vel deportatione ei imminente.*

179. Quæritur II. An, & quomodo possit committi falsum in Persona. ℞. Posse committi, quando in præjudicium tertii fingitur aliqua esse persona, quæ non est. v.g. quando mater aut obstetrix supponit falsum partum in præjudicium legitimi hæredis; & hujus delicti pœna est capitalis, saltem Deportatio, vel aliquibus locis fustigatio. *l. 1. C. h. t.* [Si partûs subjecti crimen diversæ parti objicitis, causa capitalis in tempus pubertatis pueri differri non debuit.] atqui, ut suprà diximus, deportatio est etiam pœna capitalis. ergo per hanc huic legi satisfiet. Item si quis fingit personam alicujus facientis testamentum, qualem casum refert ex Julio Claro in tract. de Testamentis. Item si quis nomen suum mutat in præjudicium tertii, v. g. assumit nomen sui fratris natu majoris, ut legatum consequatur. vel dicit se esse alium, cui similis est in forma, & qui fortè jam est defunctus, & sic facit se hæredem, exclusis aliis legitimis hæredibus. Item si quis falsos titulos aut alicujus nobilis familiæ insignia assumit, vel absolutè cùm sit homo plebejus, fingit se Comitem (ptout hìc Ingolstadii quidam filius Camiueutæ se inter Illustres diu Comitem gessit, donec superveniens pater larvam detraxit.) De his est *lex 13. ff. h. t. Falsi nominis vel cognominis adseveratio pœnâ falsi coercetur. & l. 27. §. fin. eod. Qui se pro milite gessit, vel insignibus illicitis usus est, vel falso diplomate vias commeavit, pro admissi qualitate gravissimè puniendus est.* & ideo in lege un. *C. de mutatione nominis*, dicitur, licitum esse mutare nomen, si nulli inde præjudicium futurum est. Item qui se fingit Doctorem, & creat deinde alios, vel exercet alios actus Doctorales in præjudicium aliorum, v.g. qui se fingit Comitem Palatinum, & creat Notarios, legitimat Spurios, adeoque cum præjudicio tertii: (nam absque hoc est mendacium purum.) Huc etiam pertinet, quando quis semel baptizatus iterum se baptizari facit, ad lucrandum honorarium à Patrinis dari solitum: hujusmodi Virgis cedi & perpetuò relegari potest.

180. Quæritur III. An & qualis Falsitas committatur Verbis. ℞. Quando falsum dicitur cum læsione injusta proximi, v.g. falsum testimonium dicendo, vel nolendo dicere verum testimonium, quando de jure deberet dici, ex quo damnum grave proximus patitur, aut periculum patiendi creatur, quibus adnumerantur Advocati, quando se corrumpi permittunt, *l. 1. juncto §. 1. ff. h. t.* Pœna legis Corneliæ irrogatur ei, qui falsas testificationes faciendas, testimoniave falsa inspicienda dolo malo conjecerit.

Item

item ob instruendam advocationem testimoniave pecuniam acceperit, pactusvé fuerit, societatem coierit, ad obligationem innocentium, ex Senatus consulto coërcetur.] Et lege 20. eod. [Falsi pœnâ coërcentur, & qui ad litem instruendam advocatione, testibus, pecuniam acceperunt, obligationem, pactionem fecerunt, societatem inierunt, ut aliquid eorum fieret, caverunt.] Neque requiritur ut effectus intentus, hoc est, alterius damnum actu sequatur. Hoc enim lex non requirit. Quodsi ex falso testimonio aliquis ad mortem damnaretur, tunc falsarius ut proditor & homicida puniretur, ut asserit Carpzovius n. 46. (& habetur expressè in *l. 1. §. 1. ff. ad L. Corn:* de sicariis. ibi. *quive falsum testimonium dolo malo dixerit, quo quis publico judicio rei capitalis damnaretur.*) Qui etiam advertit, quòd in adductis Juribus per Advocatos intelliganiur Procuratores, seu Prævaricatores, qui dolo malo proditâ causâ clientum suorum, sive civilis, sive capitalis fuerit, adversam partem adjuvant, proprias probationes dissimulant, causam adversariis donant, falsas exceptiones, probationes &c admittunt, & sic se vinci patiuntur, cùm ipsi vincere possent. De his eorūq; pœna exstat a. 115. Ordin. Crimin. Carolinæ, statuens, ut Clientibus jactutam omnem, quam passi sunt, & omne comodum, quantum eorum interierit, resarcire teneantur, (ad quod etiam jure naturæ tenentur) ac insuper perinde ut falsi testes, arbitrariè, fustigatione, carcere, numellis, aut relegatione plectantur.

181. Dubitatum est I. An Testis dicens veritatem, & ad eam dicendam pecuniâ conductus ex pacto, incidat in pœnam falsi. Quòd talis in rei veritate non committat crimen falsi, videtur evidens ex definitione illius, quia nullam veritatem immutat. Nihilominus tamen talem incidere in pœnam falsi, statuunt Interpretes communi calculo, quia etiam talis delinquit, præsertim si perjurium in judicio commisit, quia juravit, se non ob acceptam pecuniam testimonium dicturum. Accedit Ord. Carolina a. 64. dicens: [Conducti-testes mercede rejiciantur, nec admittantur; sed puniantur.] Mitiùs tamen quàm falsum dicentes, aut veritatem tacentes. Præterea meritò punitur malitia, quâ se ostendit non dicturum veritatem, nisi acceptâ mercede: ergò jam habet paratum animum ad veritatem immutandam suo silentio. Et hoc etiam videtur sibi velle textus *l. 1. §. 2. ff. h. t.* [Sed & si quis ob renunciandum remittendumve testimonium, dicendum NB. vel non dicendum, pecuniam acceperit, pœnâ legis Corneliæ afficitur.] Itaque licèt talis non sit in rei veritate falsarius, non est tamen novum in jure, ut diversa delicta puniantur pari pœnâ. Sic etiam ille testis qui pecuniâ corruptus non accedit ad Judicium, propriè veritatem non immutat dictis, & tamen pœnâ falsi coërcetur, ut patet ex textu jam allato.

182. Dubitatum est II. An aliquâ pœnâ plectendus sit ille, qui cùm extrajudicialiter aliquid dixisset, postmodum in Judicio contrarium cum veritate attestatus est. ℞. Communiter non quidem esse puniendum pœnâ legis Corneliæ, sed tamen tanquam mendacem esse puniendum mitiore pœnâ: saltem (ut ego arbitror esse limitandum) si ex illo mendacio aliquod incommodum parti creatum est, & hoc ille potuit prævidere: secùs enim non puto esse puniendum, quia jura non puniunt mendacia officiosa non damnosa. Idem dicerem de eo, qui in judicio mentiretur aliquid extra capitula & articulos de quibus interrogatur, dummodo talia sint, quæ sive vera sive falsa sint, nemini nocent.

183. Ex dictis proportionaliter idem dicendum de Judice malitiosè falsam sententiam ferente; non minùs enim quàm corrumpens pœnâ legis Corn. tenetur, *l. 1. §. 2.* ibi. *Et qui judicem corruperit, corrumpendumvè curaverit. Sed & Judex constitutiones Principum neglexerit, punitur.* Simili modo Notarius puniendus esset, & de facto Scabini Lipsienses pœnam temporalis relegationis dictârunt Notario, qui consensum, super hypotheca judiciali datum, dolosè ac in fraudem creditoris ex archivo Judiciali surripuerat, & amoverat. Quomodo autem & quando Judex ex lege Juliâ *repetundarum* coërceri possit; & quæ munera illi liceat accipere, dictum est tit. præcedente.

184. Quæritur IV. An, & quomodo scripturâ possit committi crimen falsi, ad incidendum, in pœnam legis Corneliæ. ℞. De hoc exstate varias leges, imprimis *§. 7. Inst. de publ. Jud.* [Item lex Cornelia, quæ etiam testamentaria vocatur, pœnam irrogat ei, qui testamentum, vel aliud instrumentum falsum scripserit, signaverit, recitaverit, subjecerit, vel signum adulterinum fecerit, sculpserit, expresserit, sciens, dolo malo. Ejusque legis pœna in servos ultimum supplicium est, in liberos verò Deportatio.] Deinde *lex 16. ff. ad L. Corn. de fals.* [Instrumentorum subreptorum crimen non esse publici Judicii, nisi testamentum alicujus subreptum arguatur. Paulus respondit, legis Corneliæ pœnâ omnes teneri, qui etiam extra testamenta cætera falsa signâssent. Sed & cæteros, qui in rationibus, tabulis, litteris publicis, aliavé aliqua re sine consignatione falsum fecerunt, vel ut verum non appareat, quid celaverunt, subripuerunt, subjecerunt, resignârunt, eâdem pœna affici solere, dubium non esse.] Subintellige, si sequa-

sequatur damnum alterius. & l. 23. *Si quis alienum chirographum imitetur.* l. 25. eod. [Qui nomine Prætoris litteras falsas reddidisse, edictúmque falsum proposuisse dicetur, ex causa, actione in factum pœnali tenetur, quanquam lege Corneliâ reus sit.] Et a. 112. Ord. Crim. Carol. idem statuitur. Ex quibus Juribus inferunt DD. crimen falsi committi, falsa componendo, dictando, in mundum redigendo: item Instrumenta, Registra, Rationes, Acta, Libellos, Contestationes, Cautiones, Chirographa, Epistolas, scienter & dolo malo in fraudem alterius lædendo, corrumpendo, mutando, adjiciendo, demendo, radendo, delendo, abolendo, falsè subscribendo, falsa sigilla appendendo, aliorum chirographa imitando, nomine Magistratûs falsas litteras aut rescripta proponendo, annulum adulterinum suspendendo, etiamsi non ipse sed alius utatur. Denique qui litteras alienas resignant, falsi pœnâ tenentur, *lege. 1. §. 5. eod. Is qui aperuerit vivi testamentum, legis Corneliæ pœnâ tenetur.* Unde à Scabinis aperientes litteras alicujus Principis, fustigatione, aliquando pœnâ 100. Thalerorum puniti sunt.

Huc etiam pertinent Mendici illi, qui expositis mendacibus litteris corrogant stipem, quasi incendio aliovè infortunio gravia damna passi sint, qui pœnâ fustigationis aut perpetuæ relegationis puniendi sunt, nullâ habitâ ratione, quantùm emendicaverint, modò aliquid notabile lucrati sint. Illi verò qui vulnera & morbos fingunt, rectiùs inter Stelliones ac Impostores numerantur, vel cum Damhaudero inter fures, sed impropriè.

185. Quæritur 5. An, & quomodo committatur crimen falsi abusu. R. Illos dici abusu committere crimen falsi, qui falsitatem committunt fallacibus mensuris, ponderibus, bilancibus, stateris, speciebus per admixtas merces corruptis, qui puniuntur duplo, & insuper Relegatione. *l. 32. §. 1. ff. h. t.* Si venditor mensuras publicè probatas, vini, frumenti, vel cujuslibet rei, aut emptor corruperit, dolovè malo fraudem fecerit, quanti ea res est, ejus dupli condemnatur: decretoque Divi Hadriani præceptum est, in insulam eos relegari, qui pondera aut mensuras falsâssent.] Verùm, inspectâ Ord. Crim. Caroli V. & consuetudine Germaniæ, pœna horum est arbitraria: nempe vel relegatio vel fustigatio, vel similis, secundùm qualitatem delicti. Et quamvis Carolina ar. 113. videatur collectivè requirere, ut corruperint mensuram, & ijs abutantur, reverà tamen sufficit, alterutrius esse aliquem reum, ut pro indubitato supponit Carpzovius.

186. Ad hanc classem falsariorum reducit Harpprecht n. 32. & seqq. eum, qui sciens & dolo malo falsis testimonijs, vel falsis ab alio fabricatis instrumentis utitur. Hoc tamen interest inter componentem falsum instrumentum, & inter utentem: quòd ille in ordinariam legis Corn. pœnam incidat, hic verò extra ordinem mitiore pœnâ coërceatur.

187. Aliud discrimen inter illos notatu dignum est, quòd is qui falsum instrumentum dolo malo fabricavit, falsi pœnam non evitet, quantumvis eo instrumento usus non fuerit, & quantumvis promittat se deinceps usurum non esse: contra verò ille, qui instrumentum falsum ab alio factum produxit, eoque uti cœpit, à falsi pœna liberetur, si pœnitentiâ ductus abusu ejus instrumenti desistat, eique planè renunciet, per legem expressam 8. *C hoc tit.* [Si falsos Codicillos, ab his contra quos supplicas, factos esse contendis, non ideo accusationem evadere possunt, quòd se illis negent uti: nam illis prodest instrumenti usu abstinere, qui non ipsi falsi machinatores esse dicuntur, & quos periculo solus usus adstrinxerit. Qui autem compositis per scelus codicillis in severitatem legis Corneliæ inciderunt, non possunt defensiones ejus, recusando crimen, evitare.]

188. Dubitatum est, quid præsumendum sit de utente instrumento falso, sed ab eo non confecto, an inquam præsumenda sit scientia falsitatis, adeoque dolus, vel potiùs an præsumenda sit ignorantia. Aliqui absolutè & indistinctè affirmant esse præsumendam scientiam & dolum. Ità Ruinus *cons. 86. lib. 4.* fortè quia ità expediebat ipsius Clienti quem illo consilio defendit. Respondendum est cum distinctione inter factum proprium & alienum. Si super facto proprio quis usurpet falsum instrumentum, vel aliam probationem falsam, præsumitur dolus, quia quisque præsumitur factum suum non ignorare. Quando verò quis usurpat super facto alieno, quod potest inculpabiliter ignorare, præsumitur etiam falsitatis ignorantia, donec scientia probetur.

Objicit Ruinus. Actor præsumitur accedere ad Judicium paratus & instructus: ergo etiam præsumitur scire factum alienum. Respondet Harpprecht, hanc præsumptionem non procedere, si præsumptio ad delictum inducendum tendat. Verùm, hæc est petitio principii. Aliter respondeo, Actorem satis paratum accedere, si habeat magnam probabilitatem, licèt fallibilem de facto alieno, nec requiri evidentiam, qualem quis habet de facto proprio.

De Falso quod committitur in corruptione Monetæ, vide infrà, verbo. *Moneta falsa.*

Fa-

Famosus Libellus seu Pasquillus.

SUMMARIUM.

DE hoc egi tomo I. de Jure privatorum. *tract.* 2. *contr.* 8. §. 6. quibus, si aliquid addendum occurreret, hîc addemus. Ibi ergo dixi. 1. Quid veniat nomine libelli famosi. 2. An puniendus pœnâ ordinariâ, qui famosum libellum nec composuit, nec publicavit, sed descripsit. 3. An ut auctor puniendus sit, qui famosum libellum, ab alio compositum sed non publicatum, aliis ostendit. 4. Quæ sit pœna componentium libellum famosum, per Ordin. Carolinam. à. 34. & Jure Bavarico. Hæc ibi videnda. Nunc addo sequentia.

189. Carpzovius definit libellum famosum hoc modo. Est compositio in scriptis facta ejus, quod auctor probare non vult, ad infamiam alicujus in publico loco, occulto nomine affixa. Vulgò appellatur Pasquillus, à Pasquillo Sartore Romano, qui aliorum vitia liberè vellicare solitus erat, qui cùm moreretur prope tabernam in urbe Roma, statua ejus marmorea, gladiatorio habitu erigebatur, quæ populari joco Pasquillus vocari consuevit, ad iodicandum quòd ibi Pasquillus Dicacitatis Magister habitaverit. Huic statuæ solent de nocte scripta injuriosa & maledica affigi, & inde Pasquilli nomen vendicant. *Theatr. vita hum: vol.* 21. *lib.* 3. *V. Pasquillus.*

190. In variis Imperii Recessibus, quos refert Carpzovius *q.* 98. *n.* 11. Typographi, Sculptores, & Pictores, libros famosos Sculpturas & picturas, in religionis alicujus, vel etiam privati hominis detestationem & infamiam, typis imprimere, facere, & divulgare in Imperio Romano Germanico prohibentur, contravenientes confiscatione libellorum, & amissione potestatis excudendi libros, aliâque pœnâ arbitrariâ puniuntur, vel certè puniri deberent.

191. Occasione tamen Recessûs Imperii Francofurt. de anno 1577. nascitur dubium, an hodie liberetur à pœna Pasquillantium, qui suum nomen adscribit libello famoso, ibi enim dicitur: *sive auctor nomen suum apposuerit, sive non,* ergo non liberabitur, quod tamen est contra Definitionem relatam ex Carpzovio. & ità sentiunt plures AA. relati ab Harpprecht.

Verùm, contrarium videtur haberi in Ord. Criminali Carol. a. 110. ibi *Et se secundùm legum Ordinationes suo proprio nomine & cognomine non subscripserit.* Ad recessum allegatum respondet Carpzovius, ibi non solùm de famosis libellis propriè talibus, sed etiam de omnibus aliis injuriis & contumeliis scriptis agi, dum dicitur: *vel aliis modis, quomodocunque scriptum nominetur,* & de his dicitur, nihil interesse, *sive nomen suum apposuerit sive non.* Item Harpp. & Gilhusius n. 2. non improbabiliter interpretantur Carolinam, eam loqui de illa subscriptione, quæ fit secundùm ordinem Juris in Judicio ab accusatore, qui crimen aliquod adversùs alterum intentat: adeoque dicitur: qui crimen falsum & famosum scriptis alteri impingit, pœnâ capitali plectendum esse, nisi crimen illud libello judicialiter porrecto, accusatoris nomine in Judicium deducat, & secundùm ordinem Juris se subscribat. Itaque neuter adductus textus satis convincit, Communiter tamen famosus libellus non habet subscriptum nomen, & ideo quæstio hæc non habet magnam utilitatem.

192. Quæritur I. An ad incurrendam pœnam pasquillantis, necesse sit, ut id quod in libello famoso scriptum est, falsum sit. R. Affirmativè, ità tamen, ut si verum sit, arbitrariâ pœnâ puniendus sit infamator, si crimen non judicialiter exposuit, & manifestavit boni publici causâ. Colligitur ex *ar.* 110. *Ordin. Crim. Carolinæ.* ibi. Et quamvis infamatio imputati criminis veritate nitatur, nihilominus publicator criminis arbitrio Judicis & secundùm Jura puniendus est.

193. Quæritur II. An illi, qui per famosum libellum læsus est, competat alia actio præterquam actio famosi libelli, ad pœnam talionis. R. Competere illi actionem injuriarum ad recantatiooem & pœnam injuriarum arbitrariam, & potest eligere quam voluerit. *l.* 5. §. 9. *ff. de Injuriis & famosis libellis.* [Si quis librum ad infamiam alicujus pertinentem scripserit, composuerit, ediderit, dolové malo fecerit, quo quid eorum fieret, etiamsi alterius nomine ediderit, vel sine nomine, uti de ea re agere liceret, & si condemnatus sit, qui id fecit, intestabilis ex lege esse jubetur.]

194. Quæritur III. Quomodo differant

Scriptum injuriosum ; & libellus famosus. ℞. Differre tanquam genus & speciem. Nam omnis libellus famosus est scriptura injuriosa, sed non econtra. Hujusmodi enim, ut jam suprà dixi, est injuriosum scriptum ; & non libellus famosus, quando nomen subscriptum est: Deinde, etiamsi nomen non sit subscriptum, non erit tamen libellus famosus, si non imputetur alicui aliquod delictum ab eo commissum, sed objiciatur aliquis defectus naturalis, v.g. vocando spurium, cæcum, claudum, delirum, stuporem, asinum &c. quæ non sunt crimina.

195. Quæritur IV. An actio famosi libelli solùm duret per annum, sicut actio injuriarum verbalium. Negat Zasius, & Gail *lib. 1. obs.* 104. Magis mihi placet affirmativa sententia, quam aliis relatis tenet Fachineus *lib. 9. c. 9.* Ratio est, quia injuria scripta est virtualiter verbalis.

Objiciunt. Scriptura est perpetua & semper manet, & consequenter est realis, adeoque etiam actio erit perpetua. Negatur antecedens, nam hujusmodi scripturas jubet lex corrumpi & comburi. Sed de hoc memini me jam suprà monuisse, Constitutiones Principum jubentes, ut hujusmodi actiones sint perpetuæ, esse laudabiles, etiam consentiente Fachineo ; quia nimia hominum proclivitas ad injuriandum, meretur, & requirit, ut hujusmodi severitate coërceatur, & fræno cohibeatur.

196. Quæritur V. An pictura infamans, hoc est ad infamandum aliquem facta, libelli famosi nomine veniat. ℞. Affirmativè, & colligitur ex *l. 5. §. pen. ff. h. t.* Ibi. *Aliudvè quid sine scriptura in notam aliquorum produxerit.* Et habetur etiam in Recessu Imp. Aug. 1530. & 1548. & aliis apud Harppecht. n. 152. ubi etiam idem dicitur de sculptili aut fusorio opere in alicujus infamiam confecto, aut in publicum prolato. Quod tamen, juxta paulò antè dicta intelligendum est, si per talem picturam aut statuam exprimatur aliquod delictum ; nec enim sufficeret si aliquod vitium corporis, aut alicujus nationis exprimeretur.

197. Quæritur VI. An delictum famosi libelli sit Publicum, an Privatum. ℞. Cum Harppecht n. 211. esse privatum. Ratio est, tum quia ut superiùs diximus, illa sola sunt Delicta publica, quæ in Jure expresse Publicis annumerantur. Atqui hoc delictum potiùs privatis annumeratur, tum in §. 1. *J. de Injuriis*, tum in Digestis, ubi titulus est: *de Injuriis & famosis libellis.* Tum denique in Codice titulus de famosis libellis statim subjungitur titulo *de Injuriis.* Verum tamen est, quòd reus possit à quovis de populo accusari: Hanc tamen non esse regulam publicorum Judiciorum, suprà ostendi per alias instantias, quibus & hæc accedit.

Fornicatio, seu Scortatio & Concubinatus.

SVMMARIVM.

Quomodo hoc loco Fornicatio *sumatur.*
Quo jure sit prohibita simplex fornicatio. 199.
An Clericus fornicarius sit deponendus, vel solùm suspendendus ab exercitio. 200.
Quinam dicatur Concubinarius. 201.
Quænam conditiones requirantur. 202. *& seqq.*
Quibus pœnis afficiatur. 203. *& seqq. ubi referuntur Decreta Trid. Concilii.*

198. Fornicationis nomen aliquando sumitur generaliter pro omni damnato coitu. damnato, inquam, non solùm jure civili (quo jure strictiùs sumitur, ut dixi agens de Illegitimis) sed saltem jure canonico. Cujus species nimis inordinatè & diffusè refert Julius Clarus ; meliùs Farinacius *q. 137. n. 3.* Fornicationem simplicem, Concubinatum, Stuprum, Adulterium, Sodomiam, Incestum, Sacrilegium, & Raptum. Verùm hoc loco strictiùs sumitur.

Fornicationis nomen censetur derivatum à fornicibus in quibus se prostituebant meretrices, hoc est, locis obscuris, & inde dicebantur *fornicari.*

Fornicatio ergo simplex est concubitus soluti cũ soluta, & ut distinguatur à Stupro, debet femina nõ fuisse virgo, ut habetur sub canone *1. ca. 36. q. 1.* ibi. *specialiter intelligitur in usu viduarum, vel meretricum, vel concubinarum.* Item ut alias species, ut incestum & sacrilegium, excludat, debet abesse vinculum consanguinitatis, affinitatis, Ordinis, Voti.

199. Quæritur I. Quo jure sit prohibita simplex Fornicatio. ℞. 1. Jure Civili communi nulla pœna illi delicto constituta est, ut tradunt unanimi consensu Interpretes. Jure Bavarico est constituta pœna arbitraria. *L. R. Tit. 9. ar. 19.* qui sic habet. [Quamvis sæpè contingat, ut personæ solutæ suâ amborum petulantiâ & libidine, absque vi vel subdolâ seductione fornicentur, nolumus tamen hujusmodi libidinem, præsertim quòd ruri inter rusticanam plebem valde invalescat, impunitam relinquere, sed Magistratibus jubemus, ut exemplariter puniatur : & quamvis hujusmodi actus sæpè fiant præcedente promissione matrimonii, nihilominus non debet penitus manere impunitus.]

℞. II. Jure Canonico Fornicatio quidem sæpiùs

sæpiùs tanquam illicita prohibetur, sed circa laicos non reperitur pœna aliqua constituta, quamvis cum Claro dicendum sit, esse pœnam arbitrariam.

200. Quoad Clericos in Sacris constitutos, & qui hoc ipso habent annexum votum Castitatis, quamvis non pauci Canonistæ doceant, talem ob fornicationem esse deponendum, hoc tamen nullo Jure probant. Nam quod adducunt *cap. 9. de ætate & qual. & ord. præfic.* solùm dicit, eum qui non vixerit castè, non esse promovendum ad Episcopatum. Quare communissima est sententia, fornicarium Clericum solùm suspendi ab exercitio Ordinum, nisi esset enormis fornicatio, ut limitat Julius Clarus, vel si esset incorrigibilis, ut alii limitant, quibus tamen videtur adversari *cap. 6. de cohabit. Cler. & Mulier.* [Si autem Clerici tuæ Jurisdictionis (sive in Sacris ordinibus sive in inferioribus constituti) fornicarias detinent: nisi eas ad secundam vel tertiam admonitionem à se dimiserint, easdem de cætero contempturi, liceat tibi eos Ecclesiis, vel earum portionibus, appellatione postpositâ, spoliare, officio illis nihilominus interdicto.] Ex quo textu colligit Abbas, quòd incorrigibilis possit solùm beneficio privari. Verùm, in his attendenda sunt specialia Decreta diæcesana, quia ex Jure communi vix aliquid certi haberi potest, quandoquidem Canonistæ adeo diversimodè statuunt, quisque pro suo Zelo vel arbitrio, potiùs assignantes, quid statuendum esset, quàm quid statutum sit, ut videre licet apud Farinacium, qui nec ipse aliquid certi concludit, sed contentus est varias opiniones Auctorum retulisse. Fagnanus etiam dicit *in cap. non debet de consang. & affin.*, olim quidem ob simplicem fornicationem de rigore depositum fuisse non tantùm Clericum, sed etiam Episcopum; sed hodie ob simplicem fornicationem non fieri depositionem (ob capit. citatum & relatum) nisi sit notoria vel scandalosa, aut diu continuata: pro quo citat cap. 9. *de Excessibus Prælat.* Sed in hoc capitulo non dicitur esse deponendus, sed suspendendus ibi. *prædictũ clericũ ab officio & beneficio suspenderenon postponas.* Et hæc de Simplici fornicatione.

201. Quod ad Concubinatum attinet, strictè concubinarij dicuntur illi, qui solutam retinent, & cum ea habent consuetudinem carnalem, eodem affectu ac modo, acsi sua esset uxor. Ita Farinac. *q. 138. n. 2.* ubi examinat plurima requisita ad Concubinatum strictè dictum, ad hunc effectum, ut filii inde nati dicantur naturales, & per subsequens matrimonium legitimentur, suoque patri in certis unciis à Jure statutis succedere possint, & talis concubina de Jure civili impunè retineri possit. Verùm, videamus, an eæ conditiones rectè requirantur.

202. Prima conditio. Ut simul cohabitent diutinè, & sint commensales. arg. l. 144. ibi. *quæ cùm uxor non esset, cum aliquo tamen vivebat: quam nunc vero nomine amicam, paulò honestiore concubinam appellari.*

Secunda. Ut simul carnaliter commisceantur ex consuetudine: nam unus vel alter concubitus non argueret concubinam.

Tertia. De Jure civili requiritur, ut eam in domo retineat, ad hoc ut per subsequens matrimonium filii legitimentur: hoc tamen Jure Canonico non requiritur. Unde Clericus dicitur Concubinarius, quando in aliena domo fæminam habet, cui solet commisceri, & in vicinia sit diffamatus, quod est conforme Concilio Tridentino *sess. 25. c. 14. de reform.* ibi. [Prohibet sancta Synodus quibuscunque Clericis, ne concubinas aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo, vel extra detinere, aut cum illis ullam consuetudinem habere audeant, alioquin pœnis à SS. Canonibus vel Statutis Ecclesiarum impositis puniantur.] Hinc etiam Jure Canonico legitimantur filii ex muliere extra domum retentâ, ut alibi dictum, & huc non pertinet.

203. Quarta. Ut inter tales posset esse matrimonium, alioquin vel erit adulterium, vel incestus, vel sacrilegium, vel ex alio impedimento dirimente ad aliud genus delicti spectabit. Sed si hæc conditio requireretur, Clerici non possent habere concubinas, quando sunt in Sacris constituti, quod est falsum.

Quinta, ut non sit virgo. Verùm, nec hæc Conditio utiliter ponitur. Nam prima defloratio utique non est concubinatus, sed stuprum, deinde per consuetudinem cum cæteris requisitis evadit concubina.

204. Sexta, ut mulier retineatur loco uxoris, animo illam ducendi, si inde prolem habeat, & sic in concubinatu debet esse studium quærendæ posteritatis, non autem adimplendæ libidinis. Sed hæc conditio nullum locum habet in Clerico, nec Jure Canonico requiritur.

Septima, ut diligatur à viro & honoretur sicut uxor, nec ab uxore aliter differat, quàm in dignitate. Verùm, hoc est confundere concubinam cum vera uxore, quæ potest esse (ubi valent matrimonia clandestina) etiamsi non ducatur cum solennitate. Similiter impertinentes sunt reliquæ conditiones à Farinacio positæ, ut, quòd sit unica, & indubitatus affectus, ut sit publicè agnita à propinquis & vicinis, ut gerat habitum concubinæ, ut vir sit persona nobilis, aut magnus, mulier inferioris conditionis. Hæc inquam hodie non attenduntur.

205. Restat videndum, qualiter in Clericis & in laicis concubinatus puniatur. Et quidem

dem in Conc. Trid. loco citato quoad Clericos sic subjungitur. [Quodsi à Superioribus moniti, ab iis se non abstinuerint, tertiâ parte fructuum, obventionum ac proventuum beneficiorum suorum quorumcunque, & pensionum ipso facto sint privati, quæ fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio loco arbitrio Episcopi applicetur. Sin verò in delicto eodem, cum eadem vel alia fœmina perseverantes, secundæ monitioni adhuc non paruerint, non tantùm fructus omnes, ac proventus suorum beneficiorum, & pensiones eo ipso amittant, qui prædictis locis applicentur, sed etiam à beneficiorum ipsorum administratione, quoad ordinarius, etiam ut sedis Apostolicæ delegatus arbitrabitur, suspendantur, & si ità suspensi nihilominus eas non expellant, aut cum ijs etiam versentur, tunc beneficijs, portionibus ac officijs & pensionibus quibuscunque Ecclesiasticis perpetuò priventur, atque inhabiles ac indigni quibuscunque honoribus, dignitatibus, beneficijs ac officijs imposterum reddantur, donec post manifestam vitæ emendationem ab eorum Superioribus cum ijs ex causa visum fuerit dispensandum. Sed si eas semel dimiserint, intermissum consortium repetere, aut alias hujusmodi scandalosas mulieres sibi adjungere ausi fuerint, præter prædictas pœnas excommunicationis gladio plectantur. Nec quævis appellatio aut exemptio prædictam executionem impediat aut suspendat, supradictorumque omnium cognitio non ad Archidiaconos, nec Decanos, aut alios inferiores, sed ad Episcopos ipsos pertineat, qui sine strepitu & figura Judicii, & solâ facti veritate inspectâ procedere possint. Clerici verò beneficia Ecclesiastica aut pensiones non habentes, juxta delicti & contumaciæ perseverantiam & qualitatem, ab ipso Episcopo carceris pœnâ, suspensione ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisve modis, juxta sacros Canones puniantur. Episcopi quoque, quod absit, si ab hujusmodi crimine non abstinuerint, & à Synodo provinciali admoniti se non emendaverint, ipso facto sint suspensi, & si perseverent, etiam ad Sanctissimum Romanum Pontificem ab eadem Synodo deferantur, qui pro qualitate culpæ etiam per privationem, si opus erit, in eos animadvertat.] Ità Tridentinum.

206. Circa hoc decretum advertunt Declarationes, quòd pœna ibi relata, verbo: *quodsi à superioribus*: non habeat locum in Clericis, si primò deliquerint, etiamsi dicta generalia Ordinarii præcesserint, sed incurratur, ubi Clericus secundò deliquit. Pro primo puniri debet aliis pœnis à Canonibus, vel Statutis Ecclesiarum impositis. (Hujusmodi est in *c. 3. de cohab. cleric.* suspensio à divinis, & interdictum) & demum si monitus fuerit, & quidem speciali monitione, secundò delinquat, privatus tertiâ parte fructuum, non tamen distributionibus quotidianis, quas ratione Canonicatûs vel dignitatis, divinis interessendo percipit, præter fructus præbendæ distinctæ. Eadem pœna censetur repetita in ver. *Si verò in delicto eodem &c.* Sin autem secundæ monitioni nō paruerit, suspendendus est ab administratione beneficiorum, & cùm non possit interesse choro, amittit etiam distributiones quotidianas. Si Clerici sunt Notorii concubinarii, etiam hodie ipso jure sunt à divinis suspensi, sicut antiquo jure. Et hæc quidem statuta sunt contra Concubinarios Clericos.

207. De Concubinariis Laicis idem Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 8. *de reform. matr.* sic statuit. [Grave peccatum homines solutos concubinas habere. Gravissimum verò, & in hujus magni Sacramenti singularem contemptum admissum, uxoratos quoque in hoc damnationis statu vivere, ac audere eas quandoque domi etiam cum uxoribus alere & retinere. Quare ut huic tanto malo sancta Synodus opportunis remediis provideat, statuit, hujusmodi concubinarios, tam solutos quàm uxoratos, cujuscunque statûs, dignitatis, & conditionis existant, si, postquam ab Ordinario, etiam ex officio, ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non ejecerint, séque ab earum consuetudine non sejunxerint, excommunicatione feriendos esse, à qua non absolvantur, donec reipsâ admonitioni factæ paruerint. Quodsi in concubinatu per annum, censuris neglectis, permanserint, contra eos ab Ordinario severè pro qualitate criminis procedatur. Mulieres sive conjugatæ sive solutæ, quæ cum adulteris seu concubinariis publicè vivunt, si ter admonitæ non paruerint, ab ordinariis locorum, nullo etiam requirente, ex officio graviter pro modo culpæ puniantur, & extra oppidum vel diœcesin, si id eisdem ordinariis videbitur, invocato, si opus fuerit, brachio sæculari; ejiciantur: aliis pœnis contra adulteros & concubinarios inflictis, in suo robore permanentibus.] Ubi Declarationes advertunt, per hoc Decretum non tolli alias pœnas à Jure communi vel Statutis synodalibus contra concubinarios inflictas, neque alium modum procedendi contra illos. Si tamen Ordinarius vellet illos excommunicare, forma hic præscripta observanda esset. Ibidem laudatur Archiepiscopus Mediolanensis, quòd adulterum condemnaverit ad Scuta 50. omissis præviis monitionibus, & ità censuit S. Congregatio 3. Nov. 1585. Deinde, per easdem declarationes, non tolluntur in hoc Decreto Privilegia Religionum, habilitandi illegitimos ad dignitates.



Fur-

Furtum.

SVMMARIVM.

PLures QQ. alibi tractata indicantur. 208.

Quænam in ordinatione Criminali Carolina sint circa fures constituta. 210.

Quid nomine Floreni intelligatur in Carolina, taxante 5. fl. pro suspendio. 211.

An sicut opulentia furtum passi mitigat, ità indigentia exasperet pœnam. 212.

An pluralitas furtorum requirat diversum tempus & locum. 213.

An punitus jam sufficienter ob priora furta , addito deinde alio, puniendus sit ob furta multiplicata. 214.

Quidsi priora furta fuissent commissa in loco , ubi Carolina non observatur. 215.

Quidsi priora furta non essent juridicè , sed tantùm philosophicè & theologicè furta. 216.

Si plures simul furati sint , quomodo puniendi. 217. *& seq.*

Quidsi res inter eos divisa non adæquat respectu singulorum summam suspendio dignam. 219.

A quonam judicandum , an summa ascendat ad pœnam ordinariam. 220.

Qualis effractio requiratur ad suspendii pœnam , summâ inferiore. 221.

Quidsi effractio non fuerit seditiosa , sed manibus facta. 222.

In dubio relinquitur arbitrio Judicis. 223.

Varia corollaria circa effractionem non seditiosam. 224.

Quomodo puniendus fur , quando res absque domini damno & furis lucro ad dominum redit. 226.

Quidsi res furtiva jam est vendita , & ab emptore ablata restituitur domino. 228.

Quidsi domino loco pecuniæ ablatæ restituatur res per eam empta. eod.

Quidsi cum furto fuit conjuncta effractio , sed nullum damnum secutum. 229.

Quidsi fur ante comprehensionem satisfecit domino. 230.

Quidsi ob impotentiam solam partem restituat. 231.

Satisfactione datâ quomodo fur puniendus. 232.

Fure suspenso, an hæres possit conveniri Condictione furtivâ. 233.

Quomodo puniendi Impuberes pubertati proximi. 234. *& seq.*

An idem de Minorenne dicendum. 236.

Fundamentum affirmantium. 238.

Fundamentum Negantium. 239.

An conjunctio Maritalis aut sanguinis excuset à pœna suspendij. 240.

An idem de alijs domesticis dicendum. 241.

An Nobilitatis intuitu in aliam pœnam commutetur suspendium. 242.

Quomodo fœminæ loco suspendij puniendæ. eod.

An aliquando mitigetur pœna , ratione rerum furto sublatarum, ut arborum. 243.

Quænam aliæ actiones præter actionem furti competant Jure Civili. 344.

Quâ pœnâ afficiantur qui opem vel consilium præstant. 244.

Quâ pœnâ illi qui ante furtum opem præstant. 245. *& seq.*

Exempla propinquæ & sufficientis cooperationis. 247.

Exempla remotæ cooperationis. 248.

Quomodo puniendus , qui in ipso actu opem dolosam confert. 249.

Quomodo puniendus , qui post factum furtum opem præstat. 250.

Exempla hujus cooperationis. 251.

An excipiantur uxor & consanguinei. eod.

Quomodo puniendus participando approbans furtum. 252.

Quomodo Receptores furis & rerum furtivarum puniendi. 253.

Quomodo puniendi, qui scienter & dolosè res furtivas emunt. 254.

An in Emptore præsumatur scientia , an ignorantia. 255.

Quidsi Emptor rem alienavit , an teneatur ad æstimationem. 256.

Quomodo puniendum attentatum furti. 257.

An fur deprehensus in alio territorio possit ibi suspendi. 258.

An rem furto ablatam liceat per publicos ministros perquirere in aliena domo. 259.

An Magistratus possit res furtivas apud furem vel alium repertas sibi attribuere jure fisci. 260.

An dominus restitutâ sibi re furtivâ teneatur ad refusionem expensarum in capturam &c. 261.

Quid jure Bavarico. eod.

208. DE Furto egi *tomo I. de Jure privatorum tract. 2. contr. 1.* ubi ad longum declaravi definitionem Justinianeam furti , & ostendi , non ex quocunque furto dari actionem furti , nec econtra omnem eum furem esse , contra quem datur actio furti. Deinde expedivi varia quæsita. 1. An quando Creditori Debitor furatur pignus , cadat pignus in causam furtivam. 2. Utrum , si fur , antequam à Judice condemnetur ad pœnam dupli vel quadrupli , rem ablatam ultrò restituat , liberetur à pœna. 3. An in eo qui rem alienam surripit , animus furandi præsumatur. 4. An furtum committat , qui moroso debitori aufert , quantùm sibi debetur. 5. An rem inventam detinens , si Dominum sciat,

vel non debito modo investiget, sit civiliter pro fure habendus. 6. An detur actio furti contra eum, qui aliquid aufert animo furandi, quia putat dominum esse invitum, cùm tamen in veritate non sit invitus, sed habeat rem pro derelicta. 7. Quare leges mitiùs puniant Rapinam, quàm furtum simplex. 8. An ille præsumatur fur, in cujus domo res furtiva reperitur. 9. Quid Juris, quoad actionem furti, si plures simul furtum fecerint, an singuli quoad pœnam conveniri possint, ità ut uno solvente, non propterea cæteri liberentur. 10. An in hac materia impuberes perinde, ut alii obligentur, & conveniri possint. 11. Si res vendita, sed necdum tradita, (periculum verò sit penes emptorem) furto auferatur, cuinam competat actio, venditori an emptori. 12. Ususfructu in re mobili constituto; si ea auferatur, cuinam competat actio. Denique specialia Juris Bavarici retuli. Deinde Contr. 3. tractavi, quando sine vitio furti sit licita occulta compensatio, & Contr. 4. Quænam necessitas auferendi alienum excuset à vitio furti, & plures alias QQ. ad forum conscientiæ, & obligationem restituendi spectantes, passim in illo tractatu expedivi. Quæ verò ad Judicia Criminalia spectant, huc reservavi.

209. Omissis Juribus communibus, quæ ferè ubique locorum consuetudine immutata sunt, referam summatim ea, quæ Caroli V. Ordinatio Criminalis ordinatissimè per plures articulos constituit circa pœnas furum. Itaque Carolina Ordinatio art: 157. agit de furto non manifesto, & hæc habet.

210. Si quis primum furtum commisit infra quinque florenos, nec priùs quàm ad locum destinatum pervenit, inclamatus aut deprehensus est, nec furtum conscensione aut effractione commissum est, & res furto ablata minùs valet quàm quinque florenos, censetur furtum nec manifestum, & levissimum: & si tale furtum postea innotescit, & fur unà cum vel sine furto comprehenditur, Judex illum coget læso restituere furtum in duplo. Quodsi non possit hanc pœnam pecuniariam solvere, carcere aliquandiu puniatur, &c. quæ referre nimis longum esset. Art: 158. agit de eodem primo furto, cum quo fur inclamatus vel diffamatus, aut deprehensus est antequam ad locum pervenit, quo eo die cum re furtiva manere destinaverat, quo fur ità gravatur, ut pro numellis publicè exponi, virgis cædi, & relegari possit: imprimis etiam furtum aut æstimationem, si sit solvendo, restituere debeat. Deinde ponitur quædam limitatio in persona valde honesta, à qua emendatio sperari possit, quæ consentiente Superiore Magistratu potest in quadruplũ condemnari. Art. 159. agit de furto cum effractura & ascensu in domum alterius, & talis fur gravatur, ut vir laqueo, fæmina submersione puniantur: aut aliàs ex more cujusque regionis, & pro personarum qualitate extraordinariâ pœnâ, ut oculorum effossione, auria, manûsve amputatione, coërceantur. ar. 160. agitur de primo furto quinque florenorum (seu solidorum, vel excedente, & (absentibus circumstantiis effractionis, ascensûs, vis) jubetur, ut consideretur quantitas furti, & an fuerit inclamatus, aut deprehensus: item status & conditio personæ furis, & damnum læsi, & secundùm hæc pœna corporis aut mortis dictanda, consultis desuper Juris peritis. Quodsi verò intervenisset vis, ascensus, effractio, hoc ipso pœnam mortis promeritus est. art. 161. agitur de secundo furto, seu iterato, tunc, quamvis utrumque furtum quinque florenos seu solidos non excedat, nihilominus numellis exhibebitur, & deinde relegatus territorium ejurabit: neque juvabit furem, quòd cum furto non fuerit inclamatus aut deprehensus. a. 162. Qui tria furta commisit, is fur famosus vocatur, & latroni æquiparatur, & propterea vir reste, mulier aquâ, vel aliàs ex consuetudine loci morte puniri potest. a. 163. Si cum furto alia etiam delicta seu circumstantiæ aggravantes concurrant, graviùs puniendus est, proportionaliter ad gravitatẽ circũstantiæ principalis aggravantis. a. 164. agitur de furibus impuberibus. Si impubes pubertati proximus, & doli capax deliquerit nõ in omittendo, sed furtũ vel aliud crimen committendo, puniendus quidem est, sed mitiùs ex arbitrio Judicis, ob ætatem imperfectam. a. 165. agitur de furto expilatæ hæreditatis, facto ab eo, qui est proximus hæres, in quo vult servandum Jus commune (& dicemus infrà suo loco) & sufficere officium Judicis mercenarium, ad instantiam actoris. a. 166. agitur de furto ex necessitate famis commisso. Si quia cibaria, aut similia comestibilia & potabilia in rerum omnium penuria, famisque necessitate furatus sit, consulendi sunt desuper Jurisperiti, (*quin & Theologi, qui de hoc puncto ex professo tractant, ostendentes, quòd in tali casu res fiant communes respectivè & fiant occupantis, si non excedant media ordinaria*) &, si dimittatur impunitus, ad nihil illi tenetur accusator. à. 167. Qui noctu alterius glandem, segetes, fructúsve pendentes aufert, pœnâ furti ordinariâ tenetur. item qui id cum magno damno facit interdiu. a. 168. Qui ligna cæsa & secta clàm avehit, pro qualitate furti puniendus. Arbores clàm succidens ex consuetudine locorum punietur. Graviùs punietur, qui id fecerit diebus insuetis, ut feriatis. a. 169. Qui è stagno, vivario, vel arca piscatia pisces furatur, punitur ut fur arbitrariè. qui ex flumine ad privatum pertinente, punitur pro ratione piscandi, & damni illati, in corpore, vel pecuniæ mulctâ.

Quæ

Quæ de furto Sacrilego ibi sequuntur, infrà dicentur. *v. sacrilegium.*

211. Quæritur nunc I. Quid per Florenum intelligatur, ut pro furto 5. florenorum possit quis suspendio puniri per se loquendo. Variè enim sumuntur floreni in Germania. Alii enim sunt, qui minutæ monetæ numero constant quindecim baccis, vel 20. grossis, & hi sunt floreni vulgares, vocarique solent Rhenenses, quia aurei Rhenani primitùs æstimabantur hoc pretio. Alii sunt Aurei Rhenenses, unâ simplici monetâ ex auro vel argento constantes, & valorem 75. crucigerorum habentes. Alii sunt Ungarici floreni, Ducati dicti, qui publicâ Imperii lege æstimantur centum & quatuor crucigeris, ut tradit hic Carpzovius n. 25. qui ad Quæsitum respondet ex praxi, in pœna suspendii infligenda attendi quinque florenos Ungaricos in illo valore, quem habent tunc quando committitur furtum, quæ est benignior sententia, & consequenter si considerentur in dicto valore, materia suspendio digna essent, octo floreni moderni & vulgares, cum quadraginta crucigeris. Sed adhuc mitior esset (Si quidem recepta esset) sententia, quæ per florenum intelligeret Ducatum hodie valentem tres Rhenenses & vulgares florenos.

212. Quæritur II. An sicut, attentâ opulentiâ illius cui fit furtum, jubetur mitiùs puniri fur, ità etiam sit duriùs puniendus, attentâ indigentiâ illius cui furtum fit. Ad hoc quæsitum respondet aliis relatis Berlichius *n. 45. & seq.* ex hoc capite posse etiam ob furtum in se parvum suspendi furem, cujus rei duo affert exempla. Primum, si quis homini inopi furetur porcellum. Secundum, si quis Doctori Codicem, in quo multùm vigilavit, & plura addidit, aufertur. Conatur hanc suam severam sententiam eruere ex verbis Carolinæ Constitutionis, ubi art. 160. dicitur esse considerandum, quàm damnosum sit furtum.

Nihilominus dicendum est, hanc sententiam esse nimis rigidam, & ideo verius esse, quòd pœna suspendii non sit vigore Constitutionis infligenda, nisi ob ablationem summæ memoratæ. Neque hoc intendunt illa verba Constitutionis, ut etiam advertit Carpzovius, sed hoc solùm intendunt, ut illa consideratio damni servire possit ad pœnam mitigandam, si illi cui furtum factum est, ob opulentiam non censeatur illatum grave damnum, quale sunt quinque solidi spectatâ communi hominum sorte.

Neque in ratione furti ad rem facit, quòd per accidens annexum sit grave damnum furto levi, alioquin posset quis suspendi ob aciculam ablatam sutori summè illius indigenti, quod potest per accidens esse gravissimum peccatum. Verùm, hoc damnum est furto extrinsecum & per accidens, & perinde sequeretur, si quis Codicem Doctori occultaret, absque animo furandi: tunc enim puniendus esset ex alio capite, ob damnum injuriâ datum, & actione in factum conveniri posset, sed non ut fur, quia nihil furatus esset.

213. Quæritur III. Quid requiratur ad hoc, ut quis dicatur non unum, sed duo vel plura furta fecisse, & ob hoc possit v.g. numellis includi, vel relegari, cùm non posset, cæteris paribus, ob unum furtum. Quæritur inquam, an copulativè requiratur, ut furta fiant diversis moraliter temporibus, & locis, vel alterutrum horum sufficiat. ℞. Sufficere alterutrum, ut tradit cum aliis Berlichius. Absurdum enim esset reputari pro uno furto, quidquid aliquis ex eadem domo subriperet temporibus diversis, vel econtra, quidquid aliquis eodem tempore, v.g. intra unam noctem ex diversis domibus furaretur. Quanta autem debeat esse diversitas temporis vel loci, quia non sufficit mera physica diversitas, (non enim censerentur duo furta, si quis ingressus domum acciperet prope januam v.g. pileum, & in mensa cubiculi thoracem, deinde in scamno caligas) arbitrio Judicis æstimandum est, & moraliter pensandum ex communiter contingentibus, & ex diversis industriis, aggressionibus, deliberationibus, rerum furto ablatarum connexione &c. Et quando est dubium, potiùs in benigniorem partem flectendum judicium, ut potiùs reus absolvatur, quàm fortè innocens condemnetur.

214. Quæritur IV. Si quis pro priore vel duobus prioribus furtis fuisset jam proportionatâ pœnâ punitus, vel à Principe per gratiam absolutus, vel delictum præscriptione abolitum, si deinde in tertio furto comprehendatur, & vel fateatur, vel convincatur de duobus etiam furtis, an sit puniendus illâ pœnâ severiore, v.g. laqueo, quæ statuta est in furem iteratum vel famosum. Negârunt aliqui cum Baldo, qui conf. 348. fortè in favorem sui clientis, negavit. Sed rectiùs alii affirmant cum Julio Claro *n. 11. & 13.* & Berlich. *n. 109. & 110.* Rationem reddit Julius Clarus, quia, inquit, illa duo furta non computantur ad ea puniendum, sed ad aggravandum tertium furtum. Verùm, hoc ipsum restat explicandum, cur, postquam abolita sunt, aggravent tertium, cùm considerari debeant, quasi nunquam fuissent. Respondeo itaque, illa non considerari ut augentia quantitatem rerum furto ablatarum, sed ut arguentia consuetudinem furandi: sicut dicunt Theologi, peccata semel à Deo dimissa, non reviviscere quidem per subsequens peccatum, sed tamen arguere in subsequen-

sequente peccato majorem ingratitudinem, & ideo etiam hoc peccatum censeri gravius.

215. Sed quidsi priora duo furta essent commissa in territorio, ubi furta non solent puniri, vel valde leniter, & tertium in loco, ubi viget Constitutio Caroli V. Affirmat idem Julius Clarus, adhuc esse puniendum tanquam famosum furem, sed cum hac limitatione: dummodo fur sit subditus ratione originis vel domicilii illius Judicis, in cujus territorio tertium furtum commisit. cujus limitationis nullum video fundamentum, nam quòd sit vel non sit subditus ratione originis vel domicilii, nihil facit ad denominationem famosi furis, aut ad consuetudinem furandi minuendam: Et ideo Berlichius dicit, in usu hoc non servari. Possettamen ex eo capite nonnihil excusari, quòd fortè ideo multiplicaverit furta, quia judicavit ea non curari, non furaturus, si contrarium scivisset. Verùm, adhuc urget ratio, quòd ad infligendam pœnam delicto proportionatam, non requiratur in delinquente notitia legis de infligenda pœna, sed sufficiat agnoscere gravitatem intrinsecam delicti, alioquin multi Gentiles non agnoscentes pœnam Inferni, non possent eâ puniri propter sua enormia peccata.

216. Sed ponamus priora duo furta non esse propriè seu juridicè furta, tertium verò esse juridicè furtum, v.g. primum sit amotio rerum facta ab uxore, secundum sit expilatio hæreditatis, tertium sit propriè dictum furtum, an propter hoc poterit suspendi, si cætera sint paria. Negant Bartolus & Cæpolla. Affirmat Baldus, & aliis relatis videtur affirmare Berlichius, quamvis nihil absolutè resolvat, nec rationem aliquam afferat. Affirmandum tamen videtur ob hanc rationem; quia lex puniens tertium furtum non attendit illam Juris reverentiam, ob quam illa non vult vocare furtum, vel ob aliam causam, v.g. quòd res non habeat possessorem, sed attendit malitiam repetitam in contrectandis rebus alienis animo lucrandi, quæ in illis actibus non minor est, quàm in furtis juridicè talibus.

217. Quæritur V. Si plures simul furati sint, quomodo sint puniendi. ℞. Si agatur civiliter, ad pœnam pecuniariam læso applicandam, v.g. duplum aut quadruplum, dixi loco suprà cit: n. 279. omnes in solidum teneri, adeo, ut etiamsi unus solidum solverit, alii non liberentur, quominus etiam solidam pœnam solvere teneantur, per jura ibi adducta. Quibus nunc addo, quòd si unus non fuerit solvendo, reliqui, qui solvendo sunt, pro eo solvere debeant, quod intelligo de illa parte, quæ non ut pœna, sed ut simplum ablatum solvenda est, neque enim plùs probatur ex *lege 55. ff. de Administrat. tutorum.* nisi fortè ob cooperationem puniantur etiam hac ratione, ut unusquisque teneatur in delictum alterius etiam quoad pœnam, in quo nihil certi habeo quod dicam.

218. Loquendo nunc de pœna in Judicio Criminali decernenda, nempe suspendio, tunc ex communi DD. si ad unumquemque eorum tanta summa rei furtivæ pervenit, quæ secundùm se sufficit ad suspendium, nempe si adæquat quinque solidos, vel excedat, (ponamus hanc esse quantitatem sufficientem) tunc, inquit Berlichius n. 116. dubium non est, quin omnes suspendantur, ut quotidiana experientia testatur, per textum in lege 7. §. *fin. & lege seq. ff. de Jurisdict.* ibi. [Si uterque dolo malo fecerit, ambo tenebuntur, nam & si plures fecerint, vel corruperint, vel mandaverint, omnes tenebuntur, adeo quidem, ut non sufficiat, unum eorum pœnam luere.] Ratio etiam est manifesta, quia ex eo quòd unusquisque reliquis cooperatus est, ut omnes & singuli consequuntur summam furto dignam, utique non relevantur ab ea pœna quam subire deberent, si seorsim furati essent suam portionem, sed potiùs culpa ratione assistentiæ & cooperationis aggravatur.

219. Sed, quidsi furtum quidem ab omnibus simul patratum in se adæquet furtum suspendio dignum, si ab uno factum esset, à pluribus autem ità factum est, ut res inter eos divisa respectu singulorum non attingat summam suspendio dignam. Sanè si auctoritatem & rationem spectemus, dicendum videtur, omnes de jure suspendi posse, quia verè quivis fuit causa, licèt partialis totius damni, & ideo in solidum tenetur, ut in pluribus similibus jura statuunt, v.g. si plures arborem furtim cædant, tignum furentur &c. Sed Scabini mitiùs processerunt, & singulos cum fustigatione perpetuò relegârunt, nec sine ratione, nam in re dubia & admodum arduâ mitigandus est Juris rigor. Sed tamen si effractio aut ascensio intervenisset, etiam hi furentur, omnes esse suspendendos, consentaneè Ordin. Criminali relatæ.

220. Quæritur VI. A quonam facienda sit æstimatio rei furto ablatæ, an ad sufficientem pœnæ quantitatem ascendat. ℞. Si res adhuc exstet, ad Judicem spectat æstimare, adhibitis rerum peritis, & si res est moraliter certa apud tales, securè illis conformat Judex sententiam: si verò esset dubium etiam apud hujusmodi peritos, benignior est eligenda sententia, per Regulam generalem; quòd melius sit nocentem absolvi, quàm innocentem condemnari. Quodsi res non ampliùs exstet, tunc jura volunt esse standum juramento partis læsæ, ut teste Julio Claro praxis habet, arg. legis *si quando. C. unde vi.* ibi. [Si non potuerit, qui vim sustinuit, quæ perdidit singu-

singula comprobare, taxatione à Judice factâ, pro personarum ac negotii qualitate, sacramento æstimationem rerum, quas perdidit, manifestet.] Et *cap. fin. de his quæ vi.* ibi. *cùm non nisi proprio juramento probaverit singula, quæ amisit.*

221. Quæritur VII. (Et est quæstio summè practica) Qualis debeat esse effractio, ut fur effractor suspendio puniendus sit vigore Carolinæ Constit. etiamsi valor furti sit infra quinque solidos. In quo puncto

Imprimis est indubitata sententia Juristarum, quòd, si effractura sit violenta, hoc est, fiat cum tali violentia, & tam periculosis instrumentis ac armis, ut ex modo effringendi appareat, furem eâ animi resolutione aggressum esse furtum, ut casu quo quis ei resistere vellet, periculum esset homicidii ab eodem committendi, adeoque periculum sit seditionis orituræ, hoc in quam casu, fur suspendio sit puniendus. Hoc enim ad minimùm asseritur in Carolina. Ratio est, quia hæc est vis publica, conjuncta cum crimine furti, & ideo, licèt alioquin crimen fractæ pacis pœnâ gladii puniatur, quando tamen est vis publica conjuncta cum furti crimine, punitur pœnâ furibus constitutâ, sicut etiam quando concurrit vis publica cum latrocinio, punitur pœnâ latronibus constitutâ, & sic de aliis, ut observat Carpzovius *q. 79. n. 9.*

222. Sed Controversia est, an ad pœnam suspendij sufficiat quæcunque effractura non seditiosa, v. g. si fur horrea, tuguria seu casas rusticas, alia ve loca non admodum munita ac firmata, non armis aut vi magnâ adhibitâ, sed manibus solummodo rumpat aut effringat, an talis effractura suspendio punienda sit, etiamsi furtum tantùm modicum commissum fuerit.

Carpzovius n. 17. ait plurimos non vereri hoc affirmare, ob generalitatem verborum articuli 159. Carolinæ Const. Deinde inter alios tribuit hanc sententiam Berlichio *p. 5. concl. 43. n. 72.* sed reverâ Berlichius hanc sententiam non tenet, ut legenti patet. Quorumcunque sit ista sententia, ea est admodù dura & severa, à qua non immeritò dicit Carpzovius se totum abhorrere. Qui sanè eruditè ostendit, non aliam esse mentem Caroli V. in cit. articulo; & invenio, quòd Gilhusius in illum articulum verba accipiat in sensu strictiore: sic enim interpretatur. Fur, fores, arcam effringens, aut in domum altetius quavis ratione insolitâ ascendens, aut in ædes, NB. cum telo, ut furetur, ingrediens committit furtum deliberatum & violentum, & dictæ circumstantiæ effracturæ, ascensûs & violentiæ, furti pœnam augent, & fures maximè gravant, ideoque vir laqueo, fœmina submersione puniendi sunt: ut aliàs ex more cujusque regionis & pro personarum qualitate extraordinariâ pœnâ, ut oculorum effossione, aurium, manûsue amputatione coërcendi sunt, ut etiam docet Damhouderus. c. 110. n. 31. & 47.

Quòd ergo Carolus V. requisiverit effracturam violentam & periculosam seu seditiosam, colligitur ex eo, quòd suæ Constitutionis ansam acceperit ex Constitutione Friderici Imper. *in c. 1. § si quis quinque 5. tit. de pace tuendâ & ejus violatorib. 17. Feud. 2.* Atqui hic agitur de furto Seditioso, quò pax publica turbatur, siquidem tota illa Constitutio Friderici loquitur de pace publica conservanda, & Seditione impedienda, prout interpretatur etiam Julius Clarus n. 7. dicens: & licèt videatur constitutum, quòd pro furto quinque solidorum quis debeat suspendi, tamen NB. illud erat, quia cum furto concurrebat etiam violatio pacis, & hæc est communis. Ità ille. eodem modo interpretantur Damhouderus, Ant. Gomez, Menochius de arbitr. *lib. 2. casu 295. n. 13.*

223. Quando est dubium, an fuerit effractio violenta & seditiosa seu periculosa, ac cum vi publica facta, adeoque quantùm est ex se pacis publicæ turbativa, hoc determinare Judicis arbitrio relinquitur, (ut affirmat Carpzovius) qui judicium suum ex eo informabit, an effractio taliter fuerit peracta, ut ex ea seditio vel latrocinium metuendum, & fur effractor, si quis fortè furem impedire voluisset, resistentem occisurus, fuisset. hæc enim, inquit, unica ferè qualitas est, quæ effracturam seditiosam facit, delictúmque aggravat, & vel ipsâ solâ mortis pœnâ coërceri potest: Colligi autem potest hic animus furis. 1. Si ædes, arcem, fores, claustra benè ac fortiter munita, maximâ vi effregit. 2. Si ad effractionem usus sit armis & instrumentis, quæ non nisi magnâ vi & à robustis tractari solent, aut si cum telo accesserit. Hinc

224. Deducit Carpzovius cum Scabinis, Primò, Effractionē nō esse seditiosam & violentā, si quis horreum, tugurium aut stabulum effringat, vel casam aut ædes rusticas ex limo confectas securi aliove instrumento rumpat, vel pariete perfosso, aut fenestris ejectis intret. Cùm enim ejusmodi perfractio fieri possit absque peculiari & insolita vi, à qua ne quidē fures timidi abstinent, non facilè ex ea timeri potest seditio aut latrocinium.

Secundò, idem dicendum infert de effractura cistæ, piscinæ, sepis, vasis, canistri, arcæ &c. ob eandem causam, nisi arca aut cista benè ac fortiter munita, ingenti vi & armis effracta esset.

Tertiò, non esse puniendum ob effractionem pœnâ suspendij, qui usus præcisè est clave adulterinâ, germanicè, Dietrich / dictâ, quâ utuntur fabri ferarij, nam talis apertura non solùm non est violenta, sed nec est propriè effractio,

 sed

sed potiùs astuta, clancularia & dolosa apertio, quæ quidem impunita esse non debet, sed mitiùs quàm suspendio, si furtum non sit magnum, sed infra 5. Solidos.

Quartò, idem dicendum de conscissione tecti stramínei, nam ut consideranti per se patet, non est effractio indigens violentiâ & instrumentis periculosis. sicut etiam amotio tegularum in recto ad ingrediendum. Ità quidem Carpzovius.

Verùm, quia hoc fieri non posse videtur, quin aliquis tectum conscendat, & furibus conscendentibus Carolina claré statuat suspendium, videri posset, aliud de conscendente, & aliud de effringente dicendùm esse. Cæterùm, in Constitutione Carolina uno contextu conjunguntur disjunctivè, effractio, & ascensio; *si quis de die vel nocte furando ædes effregerit, vel conscenderit, tale furtum est deliberatum & periculosum &c.* quare, salvo aliorum judicio, videtur conscensio quoque debere fieri tali modo & animo, ut violetur publica pax, seu, ut, si quis se vellet opponere, periculum seditionis & homicidii timendum esset.

225. Quæritur VIII. Quandoquidem Ordinatio Carolina monet, & ipsa ratio dictat, quòd pœna suspendii ex certis circumstatiis à Judice ponderandis, cum consilio Jurisperitorum mitigari, & in leniorem commutari possit etiam tunc, quando cæteroquin res furtò ablata esset sufficiens, quæritur, inquam, quænam possint esse hujusmodi circumstantiæ. & primò quidem consideranda est circumstantia damni subsecuti. Quam quæstionem præ cæteris pleniùs tractat Carpzovius q. 80. & ponit sequentes Regulas.

226. Regula I. Quotiescunque res furto ablata, absque damno dato & lucro percepto ad dominum redit, fur non est laqueo suspendendus, sed virgis cæsus in perpetuum relegandus. Ratio est, quia licèt ratio furti tota salvetur per attrectationem rei alienæ animo lucrandi, etiamsi lucrum actu nòn sequatur: attamen in pœna ordinaria infligenda attenditur in hoc delicto (quod non est unum ex atrocissimis) effectus secutus, præcipuè verò damnum proximi. ergo hoc cessante pœna est attemperanda.

227. Dices. Ex eo quòd res furtiva ad dominum redeat, fortè invito fure, non minuitur delictum, quia illud jam est consumatum. ergo non est cur illi parcatur, sicut illi ex hac causa non parcitur, si læsus instituat actionem civilem furti ad pœnam vg. ad duplum aut quadruplum. Respondet citatus auctor, de rigore juris ità quidem dicendum fore, sed æquitatem aliud suadere, eamque esse sequendam, quandoquidem Judici permittitur pœnæ temperatio ex circumstantiis. Itaque si fur deprehensus adhuc rem furtivam haberet, & illa ablata domino esset restituta, sicque evitatum damnum, & lucrum ex parte furis, regula posita locum haberet, etiam in illo casu quo plures simul furati essent, & unus fortè deprehensus, ejusque portio recuperata à domino. Ratio est, quia in Criminalibus, & pœnam corporis multòque magis mortis inferentibus, non habet locum regula; quòd delicto à pluribus commisso singuli in solidum teneantur: hæc enim solùm procedit in actionibus pœnalibus, quibus ad pecuniariam pœnam & interesse agitur, ut fit in actione injuriarum, arborum furtim cæsarum, furti dupli vel quadrupli, legis Aquiliæ, albi corrupti, & similium.

228. Quæres I. Quid si res furtiva jam sit alteri vendita, & ab Emptore auferatur ac domino restituatur, an fur à suspendio absolvi poterit? ℞. Cum distinctione. Vel pretium recuperat emptor à fure, sicque fur caret lucro, vel non recuperat. Si primum, absolvi potest, secùs in secundo casu, quia emptor damnificatur.

Quæres II. Quid si fur pecuniâ furtivâ emit v.g. equum, & iste adhuc exstat, ac læso per furtum loco pecuniæ restituatur? ℞. Si læsus ex tali restitutione evitat damnum adæquans quinque solidos, consequenter dicendum est, locum habere regulam, quia æquivalenter habet suam pecuniam.

Quæres III. Quid si læsus quidem damnū patitur, eo quòd rem suam nec in se, nec in æquivalenti recipiat, sed tamen nec fur lucrum fecit, puta, quia fortè alius fur illi eandem rem abstulit, vel quia furtum in itinere perdidit &c. ℞. Ex hoc eum non sublevari, quia sufficit damnum datum esse, nam ad mitigationem pœnæ non sufficit, furem non lucrari, sed insuper requiritur, damnum non esse illatum.

229. Quæres IV. An mitigationi etiam locus sit, si cum furto fuit conjuncta violenta & periculosa effractio vel ascensio, sed nullum de cætero damnum secutum, quia res ablata est recuperata. Respondet Carpzovius negativè. quia tunc punitur effractio & turbatio pacis publicæ, & non attenditur furti quantitas. Et ità in facti contingentia judicârunt Scabini ab eodem relati, ubi ad suspendium condemnârunt furem, quamvis dominus totum furtum, nempe duos boves & unam vaccā recuperaverit. Mihi quidem res dubia videri poterat, quia tunc videretur sufficere pœna gladii, quâ puniuntur violantes publicam pacem, & in casu posito videtur remanere hoc solum delictum. Sed non est ità, nam verè intervenit furtum, & esset puniendum saltem virgarum pœnâ & relegatione; quid mirum ergo, si pœna gladii exasperetur ad suspendium usque? Sequitur nunc

230. Regula II. Fur pœnitentiâ ductus, remque

temque furtivam restituens, vel pro illa domino aliter satisfaciens antequam comprehendatur vel accusetur, ex communi Germaniæ praxi non punitur suspendio, sed pœnâ arbitrariâ Carceris, relegationis, vel etiam fustigationis. Cui non obstat *lex 65. ff. de furtis*, dicens: *nemo enim tali peccato pœnitentiâ suâ nocens esse desiit*. Nam præterquam quòd hac lege solùm dicatur, talem non evadere penitus innocentem & impunibilem, etiamsi dicamus, secundùm eam legem debere adhuc pœnâ ordinariâ puniri, hoc tamen ideo esset, quia Jure civili fur non puniebatur pœnâ tam acerbâ, ut hodie.

231. Quæres. Quidsi partem quidem restituat, sed non totum, quia est jam impotens factus, & quantùm in se est, vellet totum restituere? ℞. De Juris rigore, & verbis Constitutionis inspectis, talis adhuc maneret, deficiente magnâ & debitâ quantitate, obnoxius pœnæ ordinariæ, quia in rei veritate per furtû consummatum intulit damnum sufficiens, ut ponimus in casu. Nibilominus inde juvari posset, si pars læsa condescenderet, & summam restantem interim vellet pro soluta habere. & hoc fortè in sequenti regula Carpzovii continetur.

232. Regula III. Transactione de furto commisso cum parte offensa initâ, eique præstitâ satisfactione pro damno dato, fur à suspendii supplicio liberatus pœnâ extraordinariâ puniendus est, & hoc procedit etiam post institutam accusationem. Fundatur hæc regula in principio superiùs posito, quòd in hujusmodi causis capitalibus liceat transigere cum Accusatore. Quare vi accusationis factâ transactione reus puniri pœnâ ordinariâ non potest, benè tamen extraordinariâ, si quidem Magistratus ex officio procedere velit, nempe relegatione vel fustigatione, ut aliis relatis tenet Carpzovius, n. 87.

233. Controvertitur hoc loco, an si fur fuit pœnâ ordinariâ punitus, hoc est, suspendio, an hæres illius possit à parte læsa conveniri condictione furtivâ. Affirmant non pauci. Sed Carpzovius, Berlichius & alii existimant, etiam hoc debitum morte dissolvi, per vulgaria, quòd mors omnia solvat, & quia hæredibus satis grave per se est, eum, cujus hæredes sunt, fuisse suspensum. In hoc puncto censeo locorum consuetudinem esse attendendam, quæ passim obtinet, ut læsus non ampliùs agat, aut agere permittatur, nisi rei vindicatione, si res furtiva, sive apud hæredes, sive apud quemcunque alium exstet, cujus dominium læsus non amisit.

234. Quæritur nunc principaliter IX. Quomodo ex consideratione, & circumstantia tenente se ex parte personæ furis, possit ab ordinaria furti pœna recedi. In quo puncto cum eodem auctore statuenda est

Regula I. Impuberes pubertati proximi regulariter non suspendio, sed mitiori arbitrariâ pœnâ plectendi sunt. Quinam autem sint hujusmodi, alibi diximus, per se loquendo tales esse mares quidem decem annorum cum dimidio, fæmellas verò nonum cum dimidio excedentes. Dixi: *per se loquendo*. Nam quia sæpè stupiditas puerorum est major in una natione quàm alia, hinc fortè est, quòd Carpzovius cum aliis arbitretur, arbitrio Judicis relinquendum esse, an in casu particulari aliquis accensendus sit pubertati, vel impubertati propinquior; unde & Cujacius, Petrus Faber, & quidam alii dixerunt, eum pubertati proximum censendum esse, qui à pubertate distat anno cum semestri: alii, ut Bocerus de furt. c. 1. n. 32. cui ad pubertatis ætatem menses tantùm sex desunt. Cæterùm, illud in præsenti puncto benè observandum est, quòd in ordine ad pœnam furti decernendam, Ordinatio Carolina a. 164. non faciat discrimen inter mares & fæmellas, dum [illegible] si fur, mas sive fæmina, necdum decimum quartum annum attigerunt, non sunt ultimo supplicio absque singulari causa puniendi: sed pro diversitate circumstantiarum & Judicis arbitrio, vel fustigatione, vel relegatione, vel carcere. considerando nempe tum quantitatem furti, tum modû furandi &c. Ubi tamen benè monet Carpzovius, impuberem pubertati proximum ad pœnam fustigationis non facilè condemnandum esse, nisi paucissimi menses ac modicum tempus à pubertate furi desit. Nam si adhuc notabile tempus, v. g. plùs semestri deesset, putat sufficere, si in carcere ab aliis publicis ministris, non à carnifice, virgis cæderetur, cum interminatione gravioris pœnæ redituro infligendæ.

235. Prædicta autem Regula accipienda est de furto ab impubere commisso non intervenientibus circumstantiis valde aggravantibus: nam, ut eodem att. subjungitur: Si furtum esset grave & magnum, vel intervenirent aliæ circumstantiæ periculosæ, ità ut malitia videatur ætatem supplevisse, & fur parùm abesset à quatuordecim annis: his copulativè concurrentibus, Judex consulet Jurisperitos, quomodo talis junior fur in bonis, corpore, vel vita puniendus sit. Nempe si furtum esset sæpiùs iteratum, cum effractura aut conscensione, cum armis factum &c.

236. Controversum valde est, an idem dicendum sit de Minorenne sed jam pubere, an Judex teneatur, relictâ pœnâ suspendii, ad mitiorem pœnam condemnare. Valde communis est sententia affirmativa, pro qua refert AA. Farinacius *q. 91. n. 163.* ipse tamen Farinacius non satis fortiter adhæret huic sententiæ, ut patet ex n. 165.

n.165. quin & n. 164. pro contraria refert plures AA. & allegat praxin Romanam. Quidquid sit de mente Farinacii, affirmativam expressè tenet Bocerus, Gomez, Berlichius, *Concl.* 44. *n.* 38. & quia hæc sententia est favorabilis reo, potest Judex eam securè sequi: imò, quandoquidem, ut vidimus, sententia negativa non coarctat Judicem, ut teneatur punire suspendio, sed rem ejus arbitrio relinquit, rectiùs, meo Judicio, faciet Judex, si arreptâ quacunque circumstantiâ delictum extenuante, abstineat à pœna suprema; Sic enim utriusque sententiæ Auctoribus se accomodabit.

137. Sententia contraria docet, regulariter Minorennem à pœna suspendii non esse exemptum, adeoque posse judicem ad hanc pœnam talem minorennem condemnare. Ità aliis relatis Carpzovius n. 28. qui tamen n. 34. & seq. fatetur, posse Judicem pro qualitate delicti & circumstantiarum pœnam mitigare: siquidem (inquit) vel solùm ratione ætatis mortis pœnam in aliam commutare Judici fas sit, ut habetur *l.* 16. §. 3. *ff. de pœnis.* ibi. *In ejus rei consideratione ætatis quoque ratio habeatur.*

Hinc autem ego infero, quòd in omni casu quo secundùm hos AA. potest Judex ad mitiorem sententiam procedere, quòd inquam tunc, si non ex Justitia vindicativa, saltem ex charitate teneatur abstinere à rigidissima sententia. Sed videamus utriusque partis argumenta, quia Theoriam profitemur.

138. Authores benignioris sententiæ hoc fundamento nituntur, quia in Minorenne non est tantus dolus, quantus in Majorenne, & quia in lege 37. §. 1. *ff. de minorib.* dicitur: *In delictis autem minor* viginti *quinque annis non meretur in integrum restitutionem, utique atrocioribus, nisi quatenus* interdum *miseratio ætatis ad mediocrem pœnam judicem produxerit.* Verùm, quod ad primum attinet, inde nihil concluditur, sicut non concluderetur: Petrus habet minores vires ad auferendum quàm Paulus: ergo non meretur suspendi. Nam sicut satis est, quòd habeat vires ad auferendum, quantùm sufficit ad suspendium, ità satis est, ut habeat tantum doli, & judicii, quod possit sufficere ad suspendium. Quod verò attinet ad textum legis 27. ex particula *interdum*: potiùs colligitur, quòd quandoque considerata ætatis infirmitate, non autem regulariter & per se, minori subveniatur: Adeoque relinquatur arbitrio judicis. Et per consequens Judex non teneatur pœnam suspendii imponere, si habeat causam aliquam relevantem: sed hinc non sequitur, quòd non possit illam pœnam imponere, si causæ non videantur relevantes: cujus rei statim subjicitur exemplum in adulterio: *utique nulla deprecatio adulterii pœnæ est, si se minor annis adulterum fateatur.*

139. Auctores verò rigidioris sententiæ adducunt pro se Carolinam Ordinationem, quæ expressè solummodo illos fures excipit & eximit à pœna mortis, qui decimum quartum ætatis annum necdum excesserunt. A. 164. jam relato; ergo per argumentum à contrario sensu illos non vult exemptos, qui illam ætatem excesserunt. Ad quem locum nec Bocerus nec Berlichius quidquam respondent, qui tamen illam Ordinationem non ignorârunt.

140. Regula II. Maritalis & sanguinis conjunctio excusat à pœna suspendii, adeo ut nec Judex ex officio tales ob furtum criminaliter punire possit. Ità aliis relatis Carpzovius. Probatur ex eo, quòd Jura ob honorem matrimonii & sanguinis non permittant inter has personas infamem & turpem actionem furti, sed substituerint actionem honestioris vocabuli: *Rerum amotarum. toto tit. ff. de act. rerum amotarum & leg. fin. §. fin. C. de furtis.* ibi. [Cùm enim apertissimi juris sit, non posse maritum constante matrimonio furti actionem contra suam uxorem habere, quia lex ità atrocem actionem dare in personam ità sibi conjunctam erubuit.]

141. Hæc regula de jure communi extendi posset etiam ad alios domesticos fures, ut famulos, ancillas, mercenarios diurnos, qui etiam veniunt nomine domesticorum. *l.* 11. §. 1. *ff. de pœnis.* [Furta domestica, si viliora sunt, publicè vindicanda non sunt, nec admittenda hujusmodi accusatio, cùm servus à domino, vel libertus à patrono, in cujus domo moratur, vel mercenarius ab eo cui operas suas locaverat, offeratur quæstioni: nam domestica furta vocantur, quæ servi dominis, vel liberti patronis, vel mercenarii apud quos degunt, subripiunt.] Et *l.* 17. *pr. ff. de furtis,* ubi hujus pulchra ratio redditur. [Servi & filii nostri furtum quidem nobis faciunt, ipsi autem furti non tenentur, neque enim NB. qui potest in furem statuere, necesse habet adversùs furem litigare: idcirco nec actio ei à veteribus prodita est.] Quod etiá habetur l. 89. eod.

Verùm, in Italia aliam esse consuetudinem colligitur ex pluribus exemplis, quæ recenset Clarus §. *furtum. n.* 22. Et Matth. Berlichius *Concl.* 54. *n.* 3 alijs relatis idem testatur de consuetudine Germaniæ, quòd hujusmodi domestica furta pœnâ ordinariâ puniantur.

142. Regula III. Personis Nobilibus etiam pœna suspendij remitti, & in pœnam gladij vel aliam commutari solet, conformiter Carolinæ Sanctioni, dum ait, esse ponderandū statum & conditionem Personæ. Verùm, his personis solet plerumque fieri gratia à Principe: sed non semper; constat enim mihi, duos Nobiles, ambos milites, ob furtum in militia cum alijs commissum jussu Serenissimi Electoris Maximiliani fuisse suspensos.

De

De fœminis etsi Carolina Sanctio statuat eas esse submergendas, nescio tamen an in praxi (de qua tamen testatur Schneidewein) observetur.

243. Quæritur X. An aliquando mitigetur pœna furti intuitu rerum furto sublatarum? cujusmodi sunt arbores furtim cæsæ, herbæ, cibaria, esculenta. Aliqui huc etiam reducunt amotionem terminorum, expilationem hæreditatis, Plagium: sed quia hæc sunt crimina pecuniaria, & furta qualificata, de illis agam in ordine Alphabeti, ut ex nomine venient. De prioribus furtis quomodo criminaliter punienda sint, nil certi constitutum invenio, & Ordinatio Carolina a. 168. relinquit consuetudini cujusque regionis, hoc tamen addito: quòd qui noctu diebus feriatis alterius arbores furtim succiderit, & lucri faciendi gratiâ contrectaverit, etiam furti actione teneatur, & criminaliter, extra ordinem tamen, ut latro puniatur.

243. In Jure civili, præter actionem furti competunt aliæ actiones speciales, & imprimis de hoc est titulus ff. *arborum furtim cæsarum*, ubi ex Edicto Prætoris civiliter agi potest in duplum. *l. 7. §. 6. & 7.* [Hæc actio etiamsi pœnalis sit, perpetua est, sed adversùs hæredem non datur: hæredi cæterisque successoribus dabitur. Condemnatio autem illius duplum continet.] Factâ æstimatione ejus quod domino interest non lædi, de qua deducitur pretium ipsorum corporum læsorum, quæ apud dominum manent, ut habetur lege sequente. Deinde in lege. 1. de alijs actionibus sic habetur. [Si furtim arbores cæsæ sunt, & ex lege Aquilia (in simplum) & ex duodecim tabb. dandam actionem (*ut quis in singulas arbores casas æris viginti quinque asses luat*) Labeo ait. Trebatius ità utramque dandam, ut Judex in posteriore deducat id quod ex prima consecutus sit, & reliquo condemnet.]

Illi qui fructus furantur, non ut statim in transitu absumant, sed lucri faciendi causâ, pœnâ extraordinariâ puniuntur. art. 167. sup. relato.

De furibus piscium, ex piscinis, lacubus seu Vivariis, est articulus 169. etiam suprà telatus, quòd tanquam fures possint etiam suspendio puniri. Ratio est, quia in tali loco pisces jam possidentur, ut alibi dictum.

244. Quæritur II. Quâ pœnâ afficiendi sint, qui furi opem dolosam, hoc est in eum finem, ut furtum fiat, vel consilium præstant. De hoc Ordinatio Carolina statuit regulam generalem pro aliis etiam delictorum cooperatoribus a. 177. ubi dicitur, hujusmodi auxiliatores, quocunque nomine veniant, esse puniendos, sed pro cooperationis diversitate diversimodè, ex consilio Jurisperitorum benè de facto informatorum.

Solent autem Jurisperiti distinguere triplex tempus lati auxilii, ante ipsum actum seu furtum, in ipso actu, & post actum seu furtum commissum.

245. Quoad primum tempus, multorum est opinio, post Bartolum, Auxiliatorem non minùs suspendii pœnâ plectendum esse ac principalem reum. Aliqui volunt esse mitiori pœnâ puniendum. Ità Blancus *pract. crim. n. 1.* & alii.

Alii distinguunt inter auxilium proximum & remotum. & propter proximum volunt puniendum eâdem pœna, quâ principalem, propter remotum verò mitiore. Ità cum aliis Menochius *de arbitr. ca u* 349.

246. Alii duas extremas opiniones conciliant, dicendo, quòd prima procedat, si auxilium præstitum præbeat causam delicto, quod sine tali concausa non fuisset perpetratum. Ità Clarus § *fin. q. 90 n. 2. & 7.* & alii, quos sequitur Bocerus & Carpzovius, qui utramque allatam distinctionem meritò dicit reipsâ nô differre. Neque enim (inquit) causam immediatam verè dat furto auxiliator, nisi per opem actui proximam, quâ quis furtum vel omnino non, vel non tam facilè possit comittere. Hanc ergo opem ferens animo lucrandi, pœnam ordinariam furti incurrit, secùs si absque isto auxilio furtum possit perpetrari. pro qua sententia facit *lex 54. §. 4. ff. de furtis.* [Qui ferramenta sciens commodaverit, ad effringendum ostium, vel armarium, vel scalam sciens commodaverit ad ascendendum, licèt nullum ejus consilium principaliter ad furtum faciendum intervenerit, tamen furti actione tenetur.] An autem sufficeret, si quis hujusmodi opem ferret mercede conductus, auctores non decidunt. videri posset, quòd sic; quia jam cooperatur animo lucrandi ex furto, & quidem certiùs lucrandi, quàm ipse fur, qui tenebitur solvere mercedem, etiamsi furtum non succedat. Dico tamen, si talis non intendat furtum, sed merè permissivè se habeat, & non quærat lucrum ex furto, sed ex sua opera & locatione, ab ordinaria furum pœna excusari potest ex defectu animi lucrandi, quem Jura & DD. requirunt: quia non ex furto, sed ex labore suo lucrum quærit.

247. Exempla propinquæ & sufficientis cooperationis afferri possunt ex DD sequentia. 1. Si quis dolo malo ostendit pannum rubrum ad fugandum pecus, ad hoc ut in fures incidat. & habetur in *lege 50. §. fin. ff. de furtis.* 2. Si quis astu aliquem abducat à domo, ut interim fures ingredi possint, & furari. 3. Si quis persuadeat alteri, ut res suas in tali loco deponat, ut ibi furto faciliùs pateant. 4. Si quis scalas vel instrumenta commodet. per textum paulò superiùs

periùs allatum, quamvis non desint DD. apud Fariuacium *q.* 130. *n.* 6. qui putent talem solùm præstare remotam cooperationem, & hos poterit Judex practicè sequi, quia reddunt mitiorem sententiam probabilem.

248. Exempla remotæ cooperationis afferri solent: si quis Indicio ac demonstratione modum & occasionem furandi notam faciat, aut locum ubi res continentur ostendat, absque tamen consilio aut persuasione furti faciendi: quando etiam absque tali demonstratione furtum facilè posset perpetrari. Tales solent fustigatione puniri, nisi de furto competentem summam participâssent, quamvis nec hoc ad ordinariam suspendii pœnam sufficere arbitretur contra Bocerum & alios Carpzovius, sed non ex alio fundamento, quàm ex Constitutione Saxonica: Ego verò eos rejiciendos existimo ex eo capite: quia talis participatio neque facit, ut cooperatio fiat ex remota propinqua, neque facit, ut evadat formalis fur, quandoquidem non aufert rem furtivè: ergo nullo Jure venit puniendus æquali pœnâ cum ipso fure. Et hæc de Cooperante ante actuale furtum.

249. Quoad cooperationem in ipso actu furti, conveniunt DD. quòd, qui in ipso actu furandi manu suâ fraudulenter, dolosè, & lucri causâ opem tulit, laqueo puniendus sit. *arg.* §. 11. *Inst. de Oblig. quæ ex delicto nascuntur.* ibi. [Ope & consilio ejus quoque furtum admitti videtur, qui scalas fortè fenestris supponit, aut ipsas fenestras vel ostium effringit, ut alius furtum faceret.] Ratio est, quia in æstimatione morali talis non minùs furari censetur, quàm ille, qui rem immediatè apprehendit, quia censentur ambo unam causam constituere, & unus per alium operari: & quod quis per alium facit, per seipsum fecisse censetur. Et sanè talis videtur æquè, si non magis cooperari, quàm qui scalas non ipse applicat, sed solùm commodat: cur ergo minùs puniretur? & hoc fortiùs urget de effractore, ut consideranti facilè liquet.

250. Quoad auxiliatorem post factum furtum, statuunt DD. hanc regulam. Auxilium præstans post perpetratum furtum, non punitur pœnâ suspendii, sed arbitrariâ: quamvis contrà talem detur actio civilis furti, pœnæ persecutoria. *l.* 14. *C. de furtis.* [Eos qui à servo furtim ablata scientes susceperint, non tantùm de susceptis convenire, sed etiam pœnali furti actione potes.] Attamen hoc non debet extendi ad æqualitatem pœnæ capitalis Judicio criminali infligendæ.

251. Exempla hujus cooperationis afferri solent hujusmodi. 1. Qui opem fert & occasionem facit ad evadendum per fugam, v. g. commodando equum. 2. Qui viam monstrat, ut ex manibus curiæ illum fortè persequentis se subducere possit. 3. Qui furem occultat, ne deprehendatur. 4. Qui res furtivas occultat, aut vendit, ne fur vendendo agnoscatur: in talem venditorem fustigationis pœnam dictare solent Scabini.

Berlichius cum quibusdam aliis excipit ab omni pœna uxorem, & consanguineos, qui furem juvant, ut evadat manus Judicis. Ratio est, quia talibus moraliter esset impossibile non juvare, ob affectum potentem, & damnum inde in se redundaturum, quibus videtur indulgendum, ut etiam tradit Farinac. *q.* 132. *n.* 6. loquendo de æquitate, sed non de stricto Jure.

252. Quæritur XII. Quomodo puniendus sit, qui post furtum commissum de re furtiva participat, & sic furtum approbat. Respondetur cum distinctione inter eum, qui priùs nullam furti notitiam habuit, & qui habuit illius committendi notitiam. Priorem censuerunt Scabini esse relegandum in perpetuum: cujus ratio videtur esse, quòd hac ratione reddat rem furtivam difficiliùs compensabilem læso, sed in hoc gravitas participationis & aliæ circumstantiæ pensandæ sunt, ut participans tam gravi pœnâ dignus sit, qui alioquin ad furtum nihil cooperatus est. Quoad secundum Joannes Zanger existimat, talem, ut furem puniendum esse. Sed hoc meritò negat Matth. Coler & cum eo Carpzovius, quia reverâ per solam notitiam committendi furti non nisi negativè concurrit, id est, non prohibendo, vel dehortando, sed permittendo, ut fiat; aliud esset si accederet consensus, ut furtum suo quoque nomine fieret, & sic ejusdem delicti correus haberi vellet. Cæterùm, Carpzovius cum suis Scabinis talem insuper ad fustigationem condemnat.

253. Quæritur XIII. Quomodo Receptatores furum & rerum furtivarum puniendi sint. Communiter DD. condemnant ad parem cum ipso fure pœnam. Et quidem, aliis relatis, Farinaceus p. 133. ponit hanc regulam generalem: quòd receptans malefactorem & delinquentem, puniatur eâdem pœnâ, quâ punitur ipse malefactor. Et hæc conclusio (inquit) indubitanter procedit vigore bannimentorum Urbis, editorum de anno 1591. c. 33, ubi cavetur, quòd qui scienter receptaverit post delictum aliquem delinquentem, non solùm incurrat in eandem pœnam ipsius delinquentis, sed in alias graviores, & etiam corporales, & ultimi supplicii: & ad hoc adducit *legem* 1. *ff. de Receptatorib.* ubi dicitur. *Pessimum genus est receptatorum, sine quibus latere nemo diu potest.* Verùm, ipse Farinacius postmodum n. 4. hanc regulam declarat proce-

procedere non in simpliciter receptatore, sed in occultante, & etiam associante. Carpzovius etiam n. 51. ait, hanc sententiam esse nimis rigidam, & Jura, quæ pro illa adducuntur, intelligenda esse de illis, qui etiam antecedenter aliquod auxilium præstiterint. Quæ tamen interpretatio difficilis est, quandoquidem leges ipsæ distinguunt inter auxiliatorem & receptatorem, & *lex* 1. *C. de his qui latrones vel aliis criminibus reos occultant.* sic habet. *Eos, qui secum alieni criminis reos occultando eum eamve sociarunt, par ipsos & reos pœna exspectet.* Fortè pro mitiore sententia defendenda poterunt leges intelligi de illis receptatoribus, qui jam antè delictorum committendorum conscii receptionem offerunt & pollicentur, nam tales sunt reipsâ auxiliatores saltem remoti, & insuper defensores reorum: quales tamen non sunt alii qui simpliciter receptant.

254. Quæritur XIV. Quomodo puniendi, qui scienter & dolosè res furtivas emunt. Berlichius concl. 44. de his ita asserit. Primò talem emptorem furti teneri: quod vult probare *ex l. 2. C. de furtis.* lex sic dicit. [Incivilem rem desideratis, ut agnitas res furtivas non prius reddaris, quàm pretium fuerit solutum à dominis, curate igitur cautiùs negotiari, ne non tantùm in damna hujusmodi, sed etiam in criminis suspicionem (*nempe collusionis*) incidatis.] Hac lege constat, quòd emptor etiam ignarus & innocens debeat rem furtivam, postquam de ea constat, restituere, etiam non refuso pretio. Deinde asserit Berlichius, talem emptorem puniri pœnâ extraordinariâ, fustigationis vel relegationis. Denique testatur, in terris Saxoniæ aliquoties pœnam laquei impositam esse: cujus rationem reddit: quia talis emptor censetur furtum approbare. Sed hæc ratio nimiùm probat, & contra ipsum Berlichium, qui ipse docet, participantem de furto, adeoque approbantem, non puniri pœnâ pari cum fure. Præterea non est consequens, quòd emptor approbet furtum; mallet enim plerumque furtum non esse commissum, sed quia factum infectum fieri nequit, inde per occasionem commodum quærit, quia fortè viliùs emit. Sicut, qui se apud excitatum incendium in magno frigore calefaceret, non hoc ipso approbaret incendium ab alio excitatum. Verior ergo est sententia Carpzovii, talem puniendum pœnâ arbitrariâ carceris, relegationis, vel etiam quandoque pœnâ pecuniariâ.

255. Petes, an in Emptore præsumatur ignorantia, vel scientia. Ad hoc respondetur ex Farinacio q. 177. à n. 24. præsumi scientiam si emit valde vili pretio, secus si non vili: item præsumi scientiam, si eam emit clàm, secus si palàm, nisi postquam emit palàm, occultaret rem, & teneret in abscondito. Sed nisi fallor hæc præsumptio non est vehemens, sed facilè elidi posset ex aliis causis, ob quas rem occultaret. Magis præsumitur scientia, quando res empta non conveniebat emptori, v.g. si caupo emeret libros vel vestes sericas. Et nisi fallor adhuc longè magis esset præsumptio scientiæ, vel saltem quod prudenter debuisset opinari aut suspicari, esse res furtivas, si eæ non conveniunt venditori, v.g. si miles venderet vestes sericas, aut libros; sed hæc præsumptio committenda est prudentiæ Judicis, & in dubio credendum esset juranti, quòd ignoraverit.

256. Sed quid si emptor rem emptam alienavit, an ad pretii æstimationem tenetur domino? Distinguendum est inter ementem bonâ, & malâ fide. Bonâ fide emens non tenetur nisi in quantum est factus locupletior, & nisi rem dominus aliunde & ab alio apud quem est recuperet v.g. si cariùs vendidit quàm emit: nisi intercessisset industria tanto excessu æstimabilis: ut patet ex alibi dictis de bonæ fidei possessore, *to. 1. de Jure privat. tr. 4.* Si verò in mala fide constitutus alienavit, ad restitutionem æstimationis tenetur, si rem ipsam recuperare non potest; imò & furti actione conveniri potest, quia furtum aliquo modo continuat, arg. *leg. 14. C. de furtis.* [Eos qui à servo furtim ablata scientes susceperint, non tantùm de susceptis convenire, sed etiam pœnali furti actione potes.] Quod quidem ad minimùm procedit, si mala fides intervenit in emptione. Quod si primùm postea supervenit scientia, posset quidem esse majus dubium. Verùm, mihi idem dicendum videtur. Quia jam contrectat rem alienam sciens, & lucri causâ, nempe, cùm pretium solutum jam amisit, quod (ut suppono) à fure recuperare non potest, vult illud lucrari vendendo. Teneretur enim eam indicare domino suo, & cum eo agere, si fortè aliquid pretii consequatur, tanquam negotiorum gestor, si putat, se rem gratam domino fecisse, eam emendo à fure, ne res ad alias manus perveniret, unde nulla spes esset recuperandi. Cæterùm, an possit, superveniente scientiâ rei alienæ, rem furi restituere ad recipiendum suum pretium, est quæstio Theologica, quam disputavi *to. 1. de Jure privat. tr. 3. à n. 252.* & n. 260. conclusi, probabiliorem esse affirmativam sententiam. Videantur ibi dicta.

257. Quæritur XV. Quomodo puniendum sit attentatum furti. R. 1. Quamvis actioni furti locus non sit, quia ut supponitur in quæsito, rem alienam necdum contrectavit, nec abstulit extra possessionem sui domini, fortè quia in attentato deprehensus est, potest tamen aliâ actione conveniri, de qua exstat lex 21. §. 7. *ff. de furtis.* [Qui furti faciendi causâ conclave intravit, nondum fur est, quamvis furandi causâ in-

sâ intravit. Quid ergo? Quâ actione tenebitur? Utique injariarum, aut de vi accusabitur, si per vim introivit.] ℞. 2. Potest etiam ob attentatum criminaliter puniri extra ordinem arbitrio judicis: arg. legis. 7. *ff. de extraord. criminib.* ibi. [item qui directarii appellantur, hoc est, qui in aliena cænacula se dirigunt furandi animo, plùs quàm fures puniendi sunt (*nempe quia hoc jure fures non puniebantur ultimo supplicio*) idcirco aut ad tempus in opus dantur publicum, aut fustibus castigantur, aut ad tempus relegantur.]

258. Quæritur XVI. An fur deprehensus in alio territorio quàm ubi furtum fecit, possit ibi suspendi. ℞. Si à Judice loci delicti commissi petatur remissio, remittendus est, si quidem Remissiones ibi sunt in usu. Quia verò in Germania & passim alibi Remissiones ab usu recesserunt, ideo DD concludunt, furem puniri posse, & communi consuetudine puniri in loco ubi deprehensus est. Imò hoc in toto mundo practicari testatur Paulus de Castro. Et Felinus ait hanc opinionem (quæ est Bartoli) decem millia hominum suspendi fecisse, quod utique est per exaggerationem dictum.

259. Quæritur XVII. An rem furto ablatam liceat per publicos ministros perquirere in ædibus alienis. Ratio negandi fundatur in §. 4. *Inst. de oblig. quæ ex delicto.* ibi. [Sed hæ actiones, scilicet concepti & oblati, & furti prohibiti, necnon furti non exhibiti, in desuetudinem abierunt.] Et Ratio alterior est, cùm domus sua sit cuique tutissima sedes, & nimis grave accideret, rei familiaris vel paupertatem vel divitias aliis pandere. Nihilominus, ex communi DD. si aliqua non contemnanda haberentur indicia suspicandi, interveniente Magistratûs auctoritate etiam hodie hujusmodi perscrutatio est licita, & hoc propter publicam utilitatem, cui privata est postponenda.

260. Quæritur XVIII. An Magistratus possit res furtivas apud furem vel alium repertas sibi attribuere, jure fisci. ℞. Negativè, & ità constituit Carolus V. in Ord. Crim. ar. 207. ut domino restituatur. Et sanè est per se satis apertum, dominum non debere privari re suâ sine ulla sua culpa, & non exigente publicâ necessitate. Et ideo nulla lex exstat quæ hoc jus fisco tribuat: erubescimus autem sine lege, & sine ratione, imò contra rationem aliquid asserere. Hinc tamen

261. Quæritur XIX. An dominus, re furtivâ sibi restitutâ, teneatur refundere impensas factas in capturam, torturam, custodiam, executionem? ℞. Negativè per textum expressum in Ord. Crimin. Caroli V. a. 213. ubi dicitur, quòd res furtivæ in aliqua Jurisdictione inventæ absque ulla refusione impensarum & sumptuum vero domino sint restituendæ. Et illi duntaxat sumptus excipiuntur, qui in sustentationem peccorum sunt facti. Deinde a. 214. dicitur: quòd dominus, qui res furtivas recepit, nemini quidquam refundere teneatur, nec ad agendum, vel accusandum cogi possit, sed Judex ex officio inquirere, & reū debito supplicio afficere debeat. Ex quo benè infert Berlichbius, quòd consequenter idem dicendum sit, quando Judex per viam accusationis procedit: quod enim ex officio facere tenetur, id absque ullo alicujus privati adminiculo expediri debet. Jure Bavarico P. C. a. 5. habetur, quòd si pretium rei ablatæ valore adæquet 12. asses, decimus nummus judici solvatur, si verò 12. asses excedat, nummi 36. Et hæc nobis tum hìc, tum loco suprà allegato de Furtis dicta sufficiant, omissis quibusdam curiosis quæstionibus in Jure non fundatis, sed potiùs ad Clementiam Judicis aut Principis spectantibus, v.g. an fur, rupto laqueo delapsus, sit iterum suspendendus. An occurrenti puellæ, vel meretrici, petenti illum in maritum, sit donandus, de quibus aliquid infrà dicetur.

Hæreditas expilata.

SUMMARIUM.

262. DE Crimine expilatæ hæreditatis exstat titulus tum in Digestis tum in Codice. Committitur hoc crimen ab eo, qui ex defuncti hæreditate nondum divisa aliquid aufert & furatur.

Quæritur I. An qui hoc crimen committit sit propriè & Juridicè fur. Neque hæc est inutilis de nomine quæstio, nam inde pendet practica quæstio, an talis actione furti conveniri, & pœnâ ordinariâ puniri possit? item an talis res cadat in causam furtivam, ut usucapi non possit. Affirmant plures cum Baldo. quia in lege 1. §. 1. *de effractorib.* dicitur: *Expilatores esse atrociores fures.* & in lege 12. C. de furtis vocatur *furtum improbius.* Negativa tamen est communior, quæ asserit, hos textus esse accipiendos in sensu vulgari & latiore. Strictè enim ad furtum requiritur, ut aliqua persona existat cui res auferatur tanquam possidenti & detinenti. atqui hæreditatem jacentem nemo possidet, nemo detinet, ut suo loco dictum est. ergo &c. Unde obiter adverto, Dambouderum cap. 112., referre

exem-

exemplum expilatæ hæreditatis, quod tamen erat proprijssimè dictum furtum, quia fiebat domino adhuc viventi, imò & deprehendenti effractores cistæ, & ideo illi fures fuissent pœnâ ordinariâ furti puniendi. Nunc ergo

263. Quæritur II. Quâ pœnâ Expilatores hæreditatis puniendi sint. ℞. De hoc extitare legem 1. ff. h. t. *Si quis alienam hæreditatem expilaverit, extra ordinem solet coerceri per accusationem expilatæ hæreditatis.* adeóque non pœnâ ordinariâ furum; quod tamen habet suas exceptiones in lege 68. *& seqq. ff. de furtis.* quod nō invenio ab alijs animadversum. sic habent illæ leges. [Hæreditariæ rei furtum fieri Julianus negabat. nisi fortè pignori dederat defunctus, aut commodaverat, aut in qua usufructus alienus est. his enim casibus putabat, hæreditariarum rerum fieri furtum, & usucapionem impediri: indictóque hæredi quoque actionem furti competere. [Ratio autem videtur esse, quia detentio illarum rerum erat apud certam personā, nempe apud Creditorem, commodatarium & Usufructuarium, qui nomine defuncti possidebant, & eo defuncto nomine hæredis, vel hæreditatis tanquam personæ fictæ censentur continuare possessionem.

Itaque si quis extraneus hæreditatem expilaverit, poterit teste Carpzovio puniri cavere, Relegatione, vel etiam fustigatione. Si verò aliquis cohæres, aut proximus consanguineus, mitiore pœnâ puniri solet.

Hæresis,

264. DE Crimine Hæresis, ejusque pœnis Jure communi constitutis, dixi, quantùm ad intentum meum videbatur operæ pretium esse, *libro 3. Theol. cap. 10.* plura qui volet, adeat AA. ibi citatos, qui justa volumina de hac materia scripserant, & abunde sufficiunt pro illis Regnis, in quibus Sacra Tribunalia contra Hæreticam pravitatem sunt erecta.

Homicidium,

SVMMARIVM.

Quomodo puniendum homicidium ex vulnere non lethali per accidens secutum. 298. *& seqq.*

In dubio, an vulnus fuerit lethale, quomodo se gerere debeat judex. 302. *& seqq.*

An conatus occidendi sine effectu puniatur pœnâ ordinariâ. 305.

Quomodo puniendi Medici, qui malitiosè, vel per imperitiam curando necant. 306.

Quomodo puniendus qui excedendo moderamen inculpatæ tutelæ necat. 307. *&* 309.

Discrimen inter Moderamen defensionis, & Moderamen inculpatæ tutelæ, & quid ad hæc requiratur. 307. *& seq.*

Regula distinguendi culpam in excessu moderaminis. 310.

An puniendus pœnâ ordinariâ, qui servans moderamen defensionis, dolo malo excedit moderamen inculpatæ tutelæ. 311.

Item ille, qui auctor rixæ fuit, sed in conflictu redactus in angustias, ut necessaria fuerit occisio. 312.

An sicut provacans, ità & provocatus ad duellum, & illicitè comparens, ac occidens, puniendus pœnâ ordinariâ. 313.

Quomodo puniendus, qui per vindictam occidit illum, à quo v.g. per alapam est irritatus. 314.

Item qui aggressorem fugientem insecutus occidit. 315.

Item qui posset aggressionem declinare, sed mavult resistere, & occidit. 316.

Item qui ex intervallo non magno aggressorem occidit. 317.

An sicut propria, ità & proximi defensio sit licita. 318.

Ex qua virtute sit obligatio defendendi proximum. 319.

An liceat occidere invasorem ad tuenda bona temporalia. 320. *& seqq.*

Cur furem diurnum non liceat occidere; nisi se telo defendat. 323.

An onus probandi necessitatem defensionis & inculpatam tutelam, incumbat occisori. 324.

Quid si reus nesciat modum probandi, an possit juvari à Judice. 325.

Quid si priùs negatum homicidium, postea fassus est, an adhuc possit se defendere, probando necessitatem defensionis. 325.

An probato insultu hoc ipso præsumatur justa defensio & inculpata tutela. 326. *& seq.*

Si reus fasso homicidio, prætensam justam defensionem probare non possit, quomodo procedendum. 328.

Ex honestate transactæ vitæ quomodo pro reo præsumatur. 329.

Quid si nullum præsumptionis fundamentum exstet. 332.

265. SErmo hîc solùm erit de Homicidio simplici, non de qualificatis, & speciale nomen habentibus, ut Assassinium (de quo jam suprà actum) Parricidium, Latrocinium, Seditio &c. de quibus agetur in ordine. Plures etiam Quæstiones ad Homicidium spectantes, expedivi *to. 1. de Jure privat. tract. 2. cap. 6.* v.g. an liceat occidere seipsum: quando liceat occidere indirectè innocentem: quando liceat occidere invasorem per justam defensionem, & de obligatione fugiendi. quomodo puniendus excedens moderamen inculpatæ tutelæ: an liceat prævenire: an liceat aliquando occidere pro defensione bonorum fortunæ, vel honoris. de Duello. de Restitutione facienda personis ex homicidio læsis. de pœnis varijs homicidæ: si erravit in persona: si prætendat vulnus non fuisse lethale: si solùm mandavit vulnerari: si ignoretur, quis ex pluribus rixantibus occiderit &c. Hæc ibi videri possunt. Nunc ad ea, quæ huc reservata sunt.

266. Homicidium est Publici Judicij delictum, de quo est titulus ff. & Codicis ad Leg. Corn. de Sicarijs quâ lege etiam venefici damnantur, de quibus suo loco infrà.

Hac lege non comprehenditur Homicidium casuale, sed illud solùm, quod animo occidendi perpetratum est, vel quod secutum est ad aliquem actum, ad quem frequenter mors sequi solet, & hoc periculum fuit prævisum: tale est poculum amatorium & abortionis, ex quibus, si mors sequatur, præbentes summo supplicio afficiuntur, ut habetur *lege* 38. §. 5. *ff. de pœnis.* sed de hoc iterum infrà.

267. Quæritur nunc. I. Quænam pœna sit constituta in homicidam simplicem, qui destinatè, & ex animo occidit in rixa. R. Quidquid fuerit in antiquo jure Legis Corneliæ, quæ in Nobili fuit Deportatio, & bonorũ omnium Confiscatio, hodie illa lex non est in usu, ut post alios tradit Clarus n. 18. Hodie est pœna mortis, absque distinctione inter Nobilem & Plebeium, & quidem communiter pœna gladii. *Gilhus. n.* 59. & Caroli V. ord. Crim. a. 1. 7. universaliter loquitur. *Quilibet latro aut homicida, nisi legitimis excusationibus se tueri possit, mortis pœnam promeritus est.* Hac occasione

268. Gravis est controversia inter DD. an eâdem gladij pœnâ puniendus sit, qui tali instrumento percutit, & mortis causa est, quod ad hominis internecionem communiter non reputatur idoneum, nec adhiberi solet, & inde meritò præsumi possit, quòd qui percussit, non habuerit animum occidendi, sed solùm dolorem ex percussione inferendi, vel cicatricem faciei infligendi. Huiusmodi instrumenta sunt; lapis (qui casus nupertimè hîc Ingolstadij inter Studiosos contigit) baculus, fustis, clavis, ligo, quæ enumerat Gilhusius.

269. Præ-

169. Prima, & rigida sententia est, quòd qui alium gladio percutit, nolens eum occidere, præter intentionem verò ei vulnus lethale infligit, ex quo mors sequitur, pœnâ ordinariâ æquè puniri debeat, acsi habeat animum occidendi. Ità præ cæteris expressiùs docet Carpzovius, qui quidem citat pro se Ant. Gomez *to. 3. v. resol. c. 3. n. 17. & 18.* Sed reverà hic Auctor perplexè loquitur, & videtur solùm asserere, quòd gladio percutiens præsumatur habuisse animum occidendi, nisi ex circumstantiis aliud colligatur. Carpzovius verò adeo non requirit animum occidendi, ut etiamsi constaret de absentia talis animi, mortis reus esset occidens, præcisè ideo, quia debebat advertere, se non posse moderari usum, quin fortè evadat in vulnus lethale.

170. Secunda & benignior sententia, universalitet docet, quòd, quando absuit, vel præsumi potest, absuisse animus occidendi, non habeat locum pœna ordinaria. quamvis AA. hujus sententiæ non faciant specialem mentionem gladii. Ità præ aliis distinctiùs tradit Harppreçht n. 67. ubi quidem facit mentionem gladii, ex cujus usu vult præsumi animum occidendi, sed non cujuscunque, sed illius, qui ad occidendum accomodatus, ut sunt gladii acuminati ad duellandum, frameæ, & æquivalentes, unde possit præsumi voluntas & animus occidendi, qui tamen animus non præsumitur ex usu gladiorum vulgarium, ex quorum usu videmus rarissimè in rixis sequi homicidium, sed levia vulnera, & à quibus minus periculi imminet, quàm à ligone vel fuste, & tamen numerantur inter instrumenta non per se & communiter apta ad occidendum, & ex ejus usu volunt præsumendum animum non occidendi. Eadem est mens Gilhusii, & aliorum communior, dum expressum animum occidendi requirunt DD. quos quidem sibi adversari fatetur Carpzovius.

171. Carpzovius probat suam sententiam. I. Quia percutiens gladio animo solùm vulnerandi, æquè in dolo est, & quia scit, aut saltem scire debebat, certo & destinato modo vulnus, præsertim gladio, vel simili instrumento ad homicidium perpetrandum apto dari non posse, in affectu negari nequit, quin talis habeat animum occidendi, ut cujus voluntas fertur in percussionem, & in omne id, quod ex percussione dolosâ immediatè contingit. Ad hoc argumentum fortè responderent benignioris sententiæ patroni: imprimis illud procedere de instrumento ex se apto ad homicidium perpetrando: quo qui utitur in rixa, præsumitur velle occidere: nisi contrarium probet, aut ex circumstantiis contrarium præsumi possit. Hoc autem quod est, scire debere, quòd non sit in potestate utentis instrumento, ità ictum moderari, ut non infligatur vulnus lethale, arguit quidem culpam, & communiter latam, sed non dolum, cui in præsenti negotio non æquiparatur culpa lata, ut tradunt communiter DD. Quod deinde dicitur, eum qui vult percussionem, velle omne id quod ex tali percussione contingit, verum est, si talis percussio ex natura rei solet esse connexa cum tali effectu, secùs, si non est ità connexa, sed præter communem opinionem hìc & nunc connectitur. v. g qui ex rixantibus vult alteri infligere leve vulnus in capite, & eo dirigit ictum, sed adversarius objicit manum, & ei amputatur manus, nemo diceret, quòd qui voluit percussionem, voluerit dolo malo amputationem manûs, quia hæc hìc & nunc per accidens connectitur: sic ergo, qui lapide alterum in capite percutere intendit, si præter intentionem percussio evadat in tempora, & inde mors sequatur, non dicetur volendo percussionem voluisse mortem, quia per accidens hìc & nunc conjungitur.

172. Argumentatur Carpzovius II. Dans operam rei illicitæ, tenetur de omni eo, quod sequitur præter illius intentionem & voluntatem, si nimirum causa sit ordinata & tendat ad subsecutum effectum, ità, quòd auctor verisimiliter aut cogitavit, vel cogitare potuit, aut saltem cogitare debebat de eo quod inde facilè successurum erat. *l. quoniam multa. C. ad leg. Jul. de vi publ ubi glossa.* Respondetur eodem modo, ut paulò antè, nec repeto; sed solùm adverto, in his verbis: *vel cogitare potuit aut saltem cogitare debebat*: involvi mirabilem Philosophiam, quasi aliquis possit obligari ad aliquid cogitandum, quod tamen cogitare non potuit. Patet etiam, instantiam, quam dat, non esse ad rem, de eo qui incendit unam domum, & deinde etiam vicinæ comburuntur: hoc enim non fit per accidens, sed per se. Cui opponi potest aliud exemplum, de eo qui explodit bombardam versùs tectum stramineum, animo jaculandi columbam, & inde comburitur domus, & homines intus existentes, præter omnem suam intentionem: utique non punietur ut homicida & incendiarius, esto ob culpam latam condemnetur ad refusionem damni. Minùs verum est, quod ibidem addit Carpzovius, ex vulneribus, quæ gladio fiunt, ut plurimùm mortem sequi. Constat, inter Studiosos & milites rixantes centies vulnerari aliquem, & nec unum ex illis mori. Pari modo non urget, quod in eodem argumento addit, ad punienda delicta sufficere dolum in genere: atqui omnis percutiens est in dolo: ergo &c. Nemo est, qui non videat, hoc nimiùm probare, nempe etiam de percussione facta instrumento non ex se apto ad occidendum, v. g. baculo, aut fuste,

fuste, nam & talis est in dolo in genere. Nec ad rem facit, quòd citet Gomez *to.* 3. *c.* 3. *n.* 34. loquitur enim de eo qui destinatè volebat occidere Petrum, sed errans in persona occidit Paulum. Talis dolus in genere utique sufficit, quia occisio *ut sic* est volita. Atqui percussio non est formaliter occisio.

273. Argumentatur III. Ex *cap. finali, de homicidio in 6.* [Is qui mandat aliquem verberari (licèt expressè inhibeat, ne occidatur ullatenus, vel membro aliquo mutiletur) irregularis efficitur, si mandatarius fines mandati excedens mutilet, vel occidat. cùm mandando in culpa fuerit, & hoc evenire posse debuerit cogitare.] ℞. Imprimis non dicitur, quòd talis sit puniendus pœnâ mortis. Sed quidquid sit de hoc, textus, ut interpretatur cum aliis Gomez loco cit. n. 18. intelligendus est, quando mandans mandat verberare cum ense, vel alio genere armorum apto ad occidendum: secùs si mandaret percutere ligno, baculo, vel quolibet alio simili instrumento, quod communiter & verisimiliter non est aptum ad occidendum: nam tunc mandans non tenebitur pœnâ mortis, sed pœnâ arbitrariâ ex injuria. ità singulariter tenet ibidem Baldus, Salycetus & plerique alii, quamvis Gomez rigidior sit, & velit etiam tunc teneri pœnâ mortis ex aliis suis fundamentis. Cæterùm, vide quæ ad hoc argumentum respondi *to.* 1. *de Jure privat. tr.* 2. *c.* 6. *n.* 676. ubi etiam respondi ad argumentum de poculo amatorio, & dixi cum communi DD. in lege ibi relata contineri exceptionem à regula generali, requirente animum occidendi.

274. Argumentatur. IV. Ex articulo 148. Ordinationis Criminalis Carolinæ, ubi aliquam particulam germanicam interpretatur, quasi sensum habeat: qui alium inopinato, & ex improviso occidit: adeóque etiam absque animo occidendi. Sed luce clarius est legenti, quòd loquatur articulus de illis, qui ex improviso in rixas deveniunt, & non ex communi consilio aliquem occidendi. de illis ergo qui ex improviso in rixas deveniunt, seu: si inter aliquos casu exoriantur rixæ, in quibus fit homicidium, statuitur, ut si auctor necis determinatus sciatur, gladio sit puniendus. quibus verbis non dicitur, quòd gladio puniendus sit, qui occidit absque animo occidendi, ut malè interpretatur Carpzovius, sed, qui occidit in rixa casu exorta, nam in casuali rixa sexcenties intervenit animus occidendi, quod nimis notum est. Et hæc sunt fundamenta sententiæ rigidioris, asserentis (ut in terminis asserit Carpzovius) ad pœnam gladii non requiri, ut occidens habeat animum occidendi. legatur n. 36. cum præcedentibus. Deinde præjudicia Scabinorum quæ adducit, non sunt ad rem, quia in illis casibus erat gravissima præsumptio de animo occidendi, quia punctim pugnârunt & vulnerârunt.

275. Pro sententia benigniore, requirente aliquo modo animum occidendi, non quidem animum determinatissimum, qualem habent latrones, & assassini, & carnifex, quando gladio utitur aut laqueo, quasi non aliter contentus futurus esset occisor, quàm morte, sed saltem talé animum, quo vult tali modo percutere, quo videt per se posse facilè necem inferri, & hanc percussionem vult perficere, etiamsi fortè sequatur mors, de quo non curat, quia absolutè mavult actionem fieri quàm non fieri, præviso periculo occidendi: pro hac inquam sententia afferuntur sequentia argumenta.

276. Primum sumitur ex regula generali, quòd quando agitur de pœna mortis, requiratur in reo dolus, cui tamen lata culpa non æquiparatur, ut tradunt communiter DD. & fatetur ipse Carpzovius, arg. legis 7. *ff. ad L. Corn. de Sicariis.* [In lege Cornelia dolus pro facto accipitur, nec in hac lege culpa lata pro dolo accipitur.] Atqui percutiens alium absque animo occidendi, non dicitur dolo occidere; quamvis dicatur dolo percutere, & ratione percussionis in dolo esse. Hoc enim non sufficit, ut etiam homicidium dicatur esse dolosum: alioquin toties committeretur dolosum homicidium, quoties aliquis occideretur ex percussione facta instrumento ex sua natura non ordinato ad occidendum, quod omnes negant. Quæro enim ex Carpzovio, cur tale homicidium non sit dolosum, si non requiritur animus occidendi? An ideo, quia instrumentum non est ad hoc ordinatum? Atqui hoc non sufficit ad excusandum à dolo. Alioquin non foret homicidium dolosum, etiamsi animo destinatissimo aliquis tali instrumento occideret, v. g. fuste, vel quali S. Cassianus occisus est à parvulis: ergo ineptitudo naturalis instrumenti non excusat: & ratio est, quia ex instrumenti conditione solùm fit præsumptio de animo occidendi: unde si fuste occidens fateretur se percussisse animo occidendi, nihil eum juvaret ineptitudo instrumenti: ergo econtrario si gladio percutiens posset ex aliis fundamentis elidere præsumptionem animi occidendi, & probare, se tam parùm habuisse animum occidendi, quàm parùm solet habere ille, qui fuste percutit, profectò non minùs esset immunis à dolo reputandus. Et sic cadit responsio Carpzovii quam n. 52. adhibet argumento.

277. Secundum argumentum sumitur ex variis legibus, satis clarè requirentibus animum occidendi. *Lege* 1. §. 3. *ff. ad L. Corn. de Sicariis.* [Divus Hadrianus rescripsit, cùm, qui hominem

nem occidit, si non occidendi animo hoc admisit, absolvi posse. *& paulò post.* Sed si clavi percussit, aut cucumâ in rixa, quamvis ferro percussit, tamen non occidendi animo, leniendam ejus pœnam.] & *lege* 1. C. *eod.* [Quidsi probaverit, non occidendi animo hominem à se percussum esse? remissâ homicidii pœnâ, secundùm disciplinam militarem proferet.]

Ad hos textus respondet Carpzovius, esse intelligendos de homicidio casu fortuito perpetrato, ubi nullus intervenit dolus. Verùm hæc responsio est violenta, si loquatur de casu omnino fortuito, & casuali, ubi omnis culpa abest: nam tale homicidium nullâ penitus pœnâ puniendum est: loquuntur ergo leges de percussione culpabili, ad quam præter intentionem secuta est mors. Deinde lex Codicis loquitur universaliter, & admittit probationem, quòd non adfuerit animus occidendi, atqui quando fit percussio instrumento non apto, non est opus probatione, sed præsumitur abfuisse animus occidendi, præsertim si quis habuit ad manum instrumentum aptum ad occidendum, sed eo non est usus, sed alio non ità apto: rectè præsumitur non habuisse animum occidendi. Et hæc pro mitiore & communiore sententia dici possunt: an rectè, decidant alii.

278. Quæritur II. Quænam pœna sit illius homicidæ, qui dando operam rei illicitæ, casu occidit aliquem: v. g. si putator arborum, aut murarius reficiens tectum, non proclamet, ne quis transeat, aut constitutum à Repub. signum non exponat, si jaculetur in loco prohibito &c. ℞. Pœnam esse arbitrariam pro gravitate culpæ, & attentis aliis circumstantiis, & quidem hoc clarè habetur in Ord. Crim. Carol: a. 146. ex qua, si tota attentè legatur, planè confirmatur sententia communis præcedente quæsito discussa, sed quia articulus nimis longus est, non vacat referre. Itaque cùm varii sint culparum gradus, levissimæ, levis, latæ &c. pœna culpæ proportionabitur, consideratâ qualitate personæ, quæ quò est nobilior, eò etiam illi est quandoque aliqua pœna gravior, quàm esset personæ viliori, ut alibi notavi. In specie autem solent hujusmodi pœnæ esse quandoque pecuniariæ, quandoque relegatio ad aliquot annos, quandoque (prout scio in Bavaria practicari) peregrinatio ad locum sacrum, & celebrem, cum obligatione ferendi inde testimonium peractæ pœnitentiæ: quandoque perpetua relegatio, aut fustigatio, v. g. si quis absque animo occidendi vulneravit, unde mors secuta est, vel si vulnus secundùm se non fuit lethale, per accidens tamen, & aliunde superveniente alteratione & symptomate mors secuta est. In similibus ergo consulere debet Judex peritos, ut jubet Carolina.

279. Dubitatum est, an mors secuta ex poculo amatorio seu philtro dato, debeat censeri inter homicidia dolosa, an solùm culpabilia. Ratio dubitandi est, quia ex una parte abest animus occidendi, quia potiùs talis dolet de morte personæ ad amorem allectæ. ex alia parte Jura statuunt in occisorem pœnam legis Corneliæ ordinariam. ℞. Esse quidem reipsâ potiùs culpabili quàm doloso homicidio adnumerandum, ob rationem allatam, quia tamen est res pessimi exempli, & scandalosa, imò & periculosa, cùm ejusmodi pocula conficiantur ex herbis venenatis, unde non est infrequens, ut sequatur vel mors, vel gravis morbus, ideo meritò Jura hoc speciale delictum excepetunt à regula, quâ mitiùs puniuntur, qui præter intentionem causant alterius mortem ex aliqua culpa. *l.* 38. §. 5. *ff. de pœnis.* [Qui abortionis, aut amatorium poculum dant, etsi dolo non faciant, (*intellige, ut moriatur illa persona cui datur poculum*) tamen quia mali exempli res est, humiliores in metallum, honestiores in insulam, amissâ parte bonorum relegantur. (*intellige, si mors non sequatur*) quodsi eò mulier aut homo perierit, summo supplicio afficiuntur.] Cæterùm, non desunt AA. inter quos Besoldus, qui putant, etiam in hoc delicto pœnam arbitratiam, sed graviorem, habitâ circumstantiarum ratione, locum habere: nisi quis sortilegiis fuerit usus, tunc enim volunt pœnam debere esse capitalem. Aliud etiam dicendum est de poculo, quod adjuvandæ conceptionis causâ mulieri datur, de quo est *lex* 3. §. 2. *ff. de pœnis.* ibi. [Sed ex Senatûs consulto relegari jussa est, quæ non quidem malo animo, sed malo exemplo medicamentum ad conceptionem dedit, ex quo ea quæ acceperat, decesserit.] Ratio mitiùs hoc puniendi est, tum quia talis nihil inhonestum intendit, tum quia pocula confortativa virtutis generativæ, non solent confici ex herbis venenatis: quia verò fœminas non decet hujusmodi medicamentis operam dare, cùm careant requisitâ Medicorum peritiâ, ideo ad eas coërcendas meritò puniuntur relegatione.

280. Quæritur III. Quâ pœnâ afficiendus sit, qui mandat homicidium, homicidio secuto, ex vi mandati, alioquin non secuturo. ℞. Non minùs quàm Mandatarius qui exequitur, est pœnâ ordinariâ legis Corneliæ puniendus. *l.* 15. §. 1. *ff. ad L. Cor. de Sicar. Nihil interest, occidat quis, an causam mortis prabeat.* Et meritò, nam mandans est principalis causa homicidii, & simul est causa delicti alieni, & sic magis reusquàm mandatarius. Unde si uspiam alibi, sanè hìc locum habere debet Regula *Juris* 72. *de R. J. in* 6. *Quod quis per alium facit, per seipsum fecisse censetur.*

281. Dubitatum est, an si quis mandavit

vit quidem percussionem vel vulnerationem, prohibendo occisionem, sed mandatarius excedit fines mandati, an mandans nihilominus perinde ut mandatarius teneatur. Ad hoc Quæsitum respondi breviter loco cit. n.676. Nunc addo, AA. dissentientes posse in concordiã adduci, si distinguamus inter modos mandandi. Si enim mandetur talis vulneratio in specie, quæ secundùm se non est lethalis, & in potestate mandatarii erat fines mandati servare, tunc omnino dicendum est, mandantem non teneri de homicidio. Casum refert Decianus *l. 9. c. 36. n. 6.* dicens, se aliquem defendisse & liberasse à pœna ordinaria, qui jusserat meretricis faciem signare (vulgò dicimus *Sfrisare*) cum uno cultello parvulo, ad aptandum pennas parato cæsim, & tamen ille nescio an dolo vel casu mulierem illam occidit, quia cultellum illum punctim in jugulum impegit. Si verò mandaretur aliqua actio, quæ secundùm se est apta inferre vulnus lethale vel non lethale, nec est in potestate morali executoris, ità certò moderari, ut non inferat vulnus lethale, tunc consentiunt reipsâ DD. (& benè exprimit Decianus, loco citato) mandantem æquè teneri. v.g. si jubeat petere alterum sclopeto: vel si jubeat gladio ferire caput validè, sed sine læsione cranii: nam in rei veritate est protestatio aliquo modo contraria ipsi mandato, & ipsum homicidium est ipsi satis voluntarium (eo modo quo suprà quæsito 1. explicatum est) quatenus prævidens, posse æquè facilè evenire vulnus lethale, quàm non lethale, vult tamen absolutè fieri illam vulnerationem, quocunque tandem eventu, esto mallet fieri sine homicidio, quia absolutè potiùs vult vulnerationem fieri quàm non fieri, occisionem autem solùm non vult, si quidem moderatio sit in potestate vulnerantis, quæ conditio cùm non verificetur, potiùs arguitur velle occisionem. Quodsi è contrario mandatum ità conciperetur, & sub hac expressâ conditione, si certus sit, se posse vulnerare salvâ vitâ: & mandatarius hac conditione mandatum acceptaret, nec tamen conditionis implendæ haberet potestatem, mandatum totum evanesceret ex defectu conditionis, & ideo mandanti non posset subsequens homicidium dici voluntarium, ac proinde nec pœnâ ordinariâ puniri. Quin imò potest aliquando hæc conditio esse, & præsumi tacitè fuisse à mandante subintellecta, v.g. si Judex, confisus peritiæ tortoris, jubeat reum extremè torqueri, salvâ tamen vitâ: quod quidem mandatum potest esse justum: unde si tortor sive per imperitiam sive per malitiam ità torqueat, ut mors sequatur, mors non imputabitur Judici, quia poterat prudenter supponere, in peritia tortoris esse positum moderamen torturæ. Ergo pari modo si quis arti gladiatoriæ alterius confisus, juberet illum congredi cum suo adversario, eumque, sed salvâ vitâ, vulnerare, posset ab homicidio subsecuto excusari, eò quòd reverà mors illi esset involuntaria, quia mallet non vulnerari, quàm vulnerari ad mortem. Et hanc mitiorem sententiam tenent plurimi DD. quos refert & sequitur Harpprecht §. 5. *Inst. de pub. Jud. n.* 80. contra æquè multos ab eodem relatos: ubi ad longum, & ultra necessitatem, refert & solvit argumenta contraria, quæ tamen talia sunt, ut in instantiis allatis solvenda quoque sint adversariis, & aliqua nituntur falso principio, dum culpam inconsideratiæ confundunt cum dolo. Eandem mitiorem sententiam aliis relatis propugnat Ant. Perez ad *l. Corn. de sicar. n.* 20.

282. Quæritur IV. Si quis Titio lethale vulnus inflixit, & alius superveniens denuò vulnerat & occidit, quis eorum teneatur pœnâ legis Corneliæ. ℞. Si certum est, quòd ex priore vulnere fuisset mors secuta, uterque tenebitur: si verò incertum, tenebitur solus secundus. Prima pars probatur ex lege 51. *pr. ff. ad l. Aquil.* [Igitur si quis servo mortiferũ vulnus inflixerit, eundémque alius ex intervallo ità percusserit, ut maturiùs interficeretur, quàm ex priore vulnere moriturus erat, statuendum est, utrumque eorum lege Aquiliâ teneri.] Unde inferunt DD. idem de pœna legis Corn. dicendum. Quamvis, ut verum fatear, posset hoc in dubium vocari ob alium textum, quo ad minimum probatur Secunda pars responsionis, & est legis 11. §. 3. *ff. eod.* [Celsus scribit, si alius mortifero vulnere percusserit, alius postea exanimaverit, priorem quidem non teneri, quasi occiderit, sed quasi vulneraverit, quia ex alio vulnere periit, posteriorem teneri, quia occidit: quod & Marcello videtur, & est probabilius.] Plura de hoc quæs. 7.

283. Quæritur V. An pœnâ legis Corneliæ teneantur auxilium præbentes ad homicidium. Et quidem de consilium dante, quo homicida permotus est, statuunt DD. teneri legis Corneliæ pœnâ, adeo, ut etiamsi consilium revocâsset, non liberaretur, sicut liberatur mandans revocans mandatum, quia adhuc verum est, alterum à dato consilio moveri, & sic consiliarium causam esse, quia revocatio nihil operatur: Et hoc colligitur ex lege 15. *ff. h. t.* jam relata. Quoad alios auxiliatores distinguunt DD. inter eum qui tantùm remotè auxilium præbet, & eum qui proximè, ad eum modum quo suprà in auxilium præbentibus furi declaratum est. Sed cæteris accuratiùs distinguit Gilhusius à n. 14. Aut enim auxilium præstatur ante delictum, ut, si quis homicidæ arma, equum, & hujusmodi subsidia suppeditavit: aut in ipso actu delicti illi assistit, seu commoditatem præbet, quò faciliùs homicidium committeret, v. g. impediendo fugam adversarii. Aut post ipsum delictum, ut si reum

iterum occultet, aut juvet ad fugam &c. Primo casu iterum distinguendum. Aut quis præbet opem ignoranter, & tunc utique non tenetur. Aut scienter, habito priùs tractatu vel conferentiâ, & tunc mitiùs quàm principalis puniendus est, pro quo adducit legem *Infans. C. ad L. Cor. de sicariis.* Sed ibi nulla talis lex exstat: & contrarium resolvit Ant. Gomez de Homicid. n. 48. fortè consequentiùs, quia tale auxilium censetur ab omnibus proximum. In secundo casu iterum distinguit Gilhusius. Aut enim auxiliator fert opem per actum facto remotum, & tunc mitiùs punitur, quia videtur delictum puniendum fuisse etiam absque tali auxilio; quod videtur colligi posse ex cap. 6. §. *qui verò de homicidio.* [Qui verò se asserunt animum Regis inflammâsse ad odium, unde homicidium fuit secutum, durè, & asperè, sed non ità severè sunt puniendi, nisi fortè Regem ipsum ad illud homicidium suis suggestionibus provocâssent.] Aut fert opem per actum facto proximum, & tunc punitur eâdem pœnâ, quâ principalis, arg. *l. 1. §. 2. C. de raptu virg.* infrà referendæ. In tertio casu, quia per tale auxilium non causatur homicidium, extra ordinem punitur auxiliator, ut constat ex suprà dictis.

284. Quæritur VI. Quâ pœnâ puniendus sit, qui non ex calore iracundiæ in rixa, sed animo deliberato & destinato, esto non proditoriè & ex insidiis, alterum occidit. Carpzovius fusè defendit q. 7. talem non nisi ordinariâ pœnâ gladii puniendum esse, quia nulla lex exstat, quæ tali jubeat pœnam exasperari. Quia verò huic doctrinæ videtur obstare art. 130. Ord. Carol. eum probabiliter explicat, esse intelligendum hoc modo. Quòd in illis locis, ubi de consuetudine solent homicidia puniri rotâ, ea consuetudo sit restringenda ad homicidium ex proposito & animo præmeditato factum. Textus sic habet. [Secundùm consuetudinem aliquorum locorum puniuntur æqualiter & indistinctè latrones & homicidæ rotâ: in quo discrimen observandum, ità ut juxta consuetudinem homicida deliberatus & ex proposito rotâ, alius, qui ex ira, nec causam habet excusantem, gladio puniendus sit.] Et hoc observatur Jure Bavarico, ut dixi loco cit. n. 678. Ergo, ubi Consuetudo non est, ut rotâ puniantur homicidæ, pro illis locis nihil urget Ord. Carolina, etiamsi in aliis punctis ibi observanda est. In Saxonia, teste Carpz. n. 33. solet homicidii per insidias facti, vel ex alia circũstantia aggravante, pœna exasperari, ut capite plexi corpus non sepeliatur, sed rotæ imponatur; cujusmodi circumstantia etiam esset, si quis occisi domum ingressus est, ut eum ibi occideret: si in loco sacro, aut personam Ecclesiasticam.

285. Dubitatum est I. An exasperanda sit pœna homicidii in publica via commissi. Distinguit Carpzovius *q. 24. n. 47.* Si casu inter coambulantes vel sibi occurrentes in via publica rixa orta est, & homicidium secutum, non est exasperanda pœna, quia non habet speciem vis publicæ, benè tamen si homicida ex industria præstolatus esset in via publica, & tunc capite plexus rotæ imponi potest.

Dubitatum est II. An, & quomodo exasperanda sit pœna, si quis plurium homicidiorum simplicium reus sit. ℞. Esse exasperandam arbitrio Judicis, nec tamen est necesse ut exasperatio illa fiat adustione, nam hæc exasperatio non legitur constituta nisi in qualificatis homicidiis, ut est latrocinium, veneficium, de quibus infrà.

286. Quæritur VII. Quomodo puniendum homicidium à pluribus in rixa commissum, sed ignoratur, à quo sit factum homicidium. De hoc egi loco citato, n. 683. obi retuli doctrinam Julii Clari, & insuper Constitutionem Carolinam allegavi, quæ a. 148. habet, quòd, si aliquot personæ animo deliberato & conjunctò aliquem occidendi sibi invicem assistunt, omnes extremo supplicio afficiendi sint, etiamsi fortè non nisi unus in effectu occiderit. Neque reliqui excusantur quasi de solo conatu teneantur, nam quod in tali casu unus facit, omnes fecisse censentur, quia unusquisque omnium nomine egit. Quòd si in rixa exorta constet, quis determinatè occiderit, ille solus pœnâ gladii puniendus est, ut ibidem habetur: ut mirum sit, quòd Jo. Harpptecht etiam talem velit exemptum ab ordinaria pœna, quasi præsumi debeat, non animo occidendi vulnerâsse. Cur enim hoc potiùs præsumatur in rixa inter multos orta, & non etiam in rixa inter duos solos orta? Ulteriùs eodem articulo habetur, quòd si occisus à pluribus, de quibus determinatè constat, diversa vulnera lethalia accepit, tunc, etiamsi non possit constare, ex cujus vulnere speciali occubuerit, nihilominus singuli vulneratores lethaliter pœnâ gladii puniendi sunt; ut proinde inefficax sit discursus Menochii *lib. 2. arb. qq. cent. 4. casu. 362. n. 17.* & seq. dum ex eo, quòd homo non nisi semel mori possit, infert, illum solum occidisse, qui primum vulnus lethale inflixit: quia cæteri censentur potiùs cadaver vulnerâsse: ergo si de illo primo vulnerante non constet, nullus erit pœnâ ordinariâ puniendus, ne innocens puniatur: quæ videtur esse nimia subtilitas ad excusandos illos, qui reipsâ sufficienter quantùm in se est occiderunt, & ideo cum Julio Claro citato sentiunt communiùs Recentiores; quamvis extra Imperium, ubi Carolina non urget, posset Judex tutè sequi sententiam benigniorem, quam

quam præter Menochium tenent Harpprecht, Tuschus, Gilhusius, Farinacius. Quorum sanè auctoritas est magni facienda. Quamvis eorum discursus ex Menochio relatus, evertatur *ex l.* 11. §. 3. *ff. ad L. Aquiliam*, suprà relato, ubi dicitur primus potiùs vulnerâsse quàm occidisse, secundus verò occidisse. Et sanè non est bona consequentia: Primum vulnus fuit lethale: Ergo ex illo defacto mors posita est. Nam potest ex ultimo vulnere mors esse posita, quia unum vulnus est altero magis lethale, hoc est, citiùs animam separat, & mortem accelerat; non ergo posterior vulnerat cadaver, alioquin illo tempore intermedio non posset talis esse hæres, quod falsum est. Sed fortè Menochius loquitur de alio casu, (ut suspicatur Carpzovius) nempe quando quis in momento periit, nec potest constare quisnam primum vulnus lethale inflixerit ex quo obiit, adeoque dubium est, an non cæteri cadaver vulneraverint, quo casu, cùm non constet de auctore mortis, & vulneris lethalis vivo inflicti, nullus pœnâ ordinariâ puniendus erit.

287. Sed quid dicendum, si vulnere lethali inflicto alius addat vulnus, quod secundùm se non esset lethale, sed tamen additum priori accelerat mortem? Ad hoc respondet P. Molina, *tr.* 3. *disp.* 33. *n.* 3. ex Bartolo & Carrer. utrumque esse puniendum pœnâ ordinariâ, quia in tali casu secundum vulnus reverà evadit lethale. Addit tamen P. Molina, si secundus vulnerans percuteret non credens se interfecturum, & ignorans statum jam lethaliter vulnerati, tunc si secundum vulnus secundùm se non sit lethale, non esset puniendus pœnâ ordinariâ.

288. Idem auctor n. 4. aliud dubium, quod non invenio ab aliis motum, resolvit. Quando aliquis vulnus lethale ab alio accepit, & antequam ex illo obiret, casu fortuito naufragii, ruinæ domûs, aut simili interiit, an qui id vulnus injustè intulit, puniendus sit pœnâ ordinariâ. Respondet P. Molina, se propendere, puniendum esse pœnâ homicidii ordinariâ. Rationem assignat (quâ etiam confirmantur, quæ paulò antè contra Menochium dicta sunt) quoniam æquale delictum est, aliquem vulnerare alium omnino lethaliter, atque illum interficere.

289. Denique, si de homicidio in rixa exorto non constat quis vulnus lethale inflixerit, jubet Carolina Ordinatio eodem art. consuli Peritos, & inquiri in omnes circumstantias & indicia, & pro rerum conditione pœnâ infligendam arbitrio Judicis, adeoque non ordinariam. Cæterùm, si quis eorum esset fortè præ aliis gravatus, posset torturæ & quæstioni subjici. v.g. si quis post delictum statim aufugeret, si unus præ cæteris esset rixosus: si fortè specialiter inimicus occisi: si illius gladius sanguine pollutus deprehenderetur, si quadret præ aliis vulneri: & de similibus Indiciis, quæ enumerantur art. 34. Ord. Crim. Deficientibus autem indiciis, non debent omnes torturæ subjici, quia hoc nimis durum esset, nec ullibi statutum.

290. Ex quibus omnibus colligitur, contra Covarruviam, quòd nullus rixantium sit ordinariâ pœnâ afficiendus, si nullius vulnus secundùm se sit lethale, licèt simul sumpta mortem attulerint, & unum accessione alterius factum sit lethale: quod tamen limitandum videtur, nisi quis ad hoc ipsum periculum advertens, vulnus priori adderet, talis enim verè esset homicida, & causa vulneris lethalis, quia poneret ultimum complementum, sicut ille esset causa ebrietatis, qui videns ad eam non deesse nisi unum poculum, quod secundùm se non sufficeret, cogeret ad illud bibendum.

291. Dubitatum est, an si de occisore certò non constet, sed tamen constet de auctore rixæ, debeat iste puniri pœnâ ordinariâ. Affirmant multi, quos refert ad longum Berlichius *Concl.* 11. *n.* 56. & sequitur Gilhusius c. 5. *Ramusc.* 3. *n.* 171. Sed omnino videtur verius contrarium, non enim est consequentia certa, quòd auctor rixæ sit occisor, si plures rixati sunt. neque etiam, quòd homicidium per rixam intenderit, & sic illius deliberata causa fuerit. Satis ergo est, quòd præ alijs sit gravatus, ut possit torturæ subjici.

292. Dubitari etiam posset, an si in rixa casualiter exorta omnes clamarent; *occidite, occidite*; non aliter sint puniendi, quàm ut hactenus dictum est, vel potiùs ut illi qui ex condicto, & prævio tractatu occiderunt, adeóque omnes pœnâ ordinariâ ut dictum quæsito 7. Videtur hoc posterius affirmandum cum Damhoudero & Berlichio n. 55. quia reverâ tale homicidium denique processit ex condicto, esto aliud initium habuerit: jam enim omnes suo consensu approbant, & quivis quod agit, ex cæterorum voluntate agit, adeoque jam omnibus est sufficienter voluntarium.

293. Placet hîc referre cautelam, quam, nescio quo jure vocet auream Berlichius, nec credam facilè practicandam, (etsi dicatur eam practicâsse Carolus Magnus) ob periculum, ne Judicis sententia fiat ludibrio. est autem hæc cautela: ut, si occisores non appareant, vel indicia nulla sint, vel adsint quidem, torturæ autem subjecti, confiteri nolint, tunc Judex omnes omnino qui homicidio tumultuario interfuerunt, capi faciat, eósque omnes simulatè ad mortem condemnet, eâ intentione, ut sic fortè reus conscientiæ stimulis, atque morsibus convictus, pro ea exoneranda homicidium fateatur, reliqui omnes

mnes liberentur. Placeat hoc consilium cui volet, mihi placere non potest, sed non vacat immorari.

294. Quæritur VIII. Quomodo sit puniendum homicidium commissum cum errore in persona, qui casus nuper contigit Ratisbonæ. De hoc egi loco citato. n. 679. & dixi, non obstante tali errore puniendũ esse pœnâ ordinariâ: quæ sententia hodie inter RR. est communiôr, ejusque auctores refert ac sequitur Harpprecht n. 239. & Carpzov. n. 5. cætera quæ Carpzovius in sequentibus tradit, possunt in foro Saxonico locum habere, sed alibi per majora DD. suffragia mitior sententia obtinebit. nempe. 1. Quòd non teneatur ordinariâ pœnâ, qui volens occidere Paulum quem benè novit, & in ejus persona non errat, sed casu quodam occidit Sejum, v.g. explosit sclopetum versùs Paulum, sed ab eo aberrans occidit alium in platea stantem, quem nunquam cogitavit occidere. 2. Qui dum rixatur cum Paulo occidit alium, qui mediaturus intercurrit non advertente rixante. 3. Qui nec errorem in persona occisi committit, neque aliquem percutiendo ex casu superveniente alium occidit, sed solùm dolosè rem agit illicitam, & casu quodam accidente aliquem interficit, quamvis neminem occidere cogitârit. v.g. ex petulantia gladio transverberat fenestras, & occidit ibi aliquem retro fenestram stantem. In his casibus putat Carpzovius Juri Saxonico consentaneum esse, ut talis pœnâ ordinariâ plectatur, & Scabinorum præjudicijs probat: non credo tamen alibi practicandam.

295. Quæritur IX. Quâ pœnâ plectendus sit, qui aliquem in ebrietate occidit, & non merè casu, fortè si miles explodit in ebrietate bombardam, alium invadendo ad modum rixantis. In quo puncto certum est, puniri posse pœnâ ordinariâ, si per excessum potûs non est omni rationis usu privatus, sed solùm ratione cholericæ complexionis concitatur ex potu ad insolitam audaciam, iracundiam, levitatem: hæc enim non impediunt, quominus sufficienter illi sit voluntarium homicidium, nec excusant à dolo. Sicut ex veriore sententia non excusatur, qui ex nimio amoris æstu corrivalem occidit, ut contra Julium Clarum meritò tenent alij.

296. Loquendo verò de eo, qui per potum est actu privatus usu rationis, Andreas Gail. *lib.* 2. *obser.* 110. *à n.* 27. distinguit. inter Ebrium, & Ebriosum: & ebrium quidem negat esse pœnâ ordinariâ puniendum, si non prævidit, se in ebrietate facturum homicidium, nec etiam in hunc finem se inebriavit: Ebriosum verò vult puniendum pœnâ ordinariâ, si potuit prævidere, se solere in ebrietate libenter rixari, & hoc non obstante se actu inebriat, non quidem casu, (quia fortè bibit vinum generosum, cui non est ferendo, sed hoc non prævidit, nec habuit animum se inebriandi) sed deliberatè.

Mihi tamen non videtur sufficere, quòd solùm prævideat, ex consuetudine sibi nota, se rixas solere excitare in ebrietate: neque enim rixæ sunt communiter cum homicidio connexæ, sed videtur insuper requiri, (prout in terminis requirit Harpprecht n. 287. ut in hunc finem compotationem instituerit, ut talis, tamque periculosa rixa sequatur (quod equidem rarò fieri existimo) nam absque hac intentione non censeri potest homicidium dolosè comissum.

297. Quodsi non constat, an occidens fuerit plenè ebrius, & usu rationis privatus, vel potiùs an se habuerit primo modo, existimo rectè præsumi se habuisse primo modo, quia præsumptio fit secundùm communiter accidentia. Atqui communiùs qui rixantur, & ad occidendum congrediuntur, non sunt plenè ebrii, sed adhuc tantum sibi sunt præsentes, ut benè recordentur altero die quid egerint: adeoque nisi contrarium probent, non facilè credo fore ob præsensam ebrietatem absolvendos, & scimus exstare statuta, ne admittatur excusatio, delictum esse in ebrietate commissum, imò esse hoc ipso graviùs puniendum, prout iterum infrà dicetur.

298. Quæritur X. Quâ pœnâ occisor afficiendus sit, quando vulnus quod inflixit, esto animo occidendi, reverà non fuit lethale per se, sed tamen mors inde secuta est, sive ex superveniente aliquo symptomate per accidens, sive ex negligenti cura vulneris. Pro resolutione præmittendum est, quodnam vulnus sit lethale vel non lethale dicendum. Doctores post Baldum dicunt, illud vulnus in præsenti materia reputari lethale, quod secundùm regulas artis medicæ læsus non potest evadere, nisi cum magna difficultate. credo per difficultatem magnam intelligi media valde extraordinaria, quale esset, si non nisi per pretiosissima medicamenta, ad quæ adhibenda ne quidem divites ex charitate erga se teneantur adhibere, (ut docent Theologi) curari posset: item si quidem hujusmodi vulnus quandoque curatum est modo extraordinario, sed qui rarò succedit, & longè verisimilius est non successurum, quàm successurum. Breviùs idem esserunt alii, illud esse lethale, quod plùs vergit ad mortem, quàm ad mortis evasionem, ut definit aliis relatis Carpzovius *q.* 26. *n.* 5. Hinc facilè è contrario colligitur, quodnam sit vulnus non lethale, nempe de quo moralis spes est, posse per ordinaria media curari, & plerumque curari, nisi per accidens cura impediatur. Hoc posito, ad quæsitum

299. R. Ob hujusmodi vulnus non lethale, vulnerans non tenetur de occiso, sed solùm

de vulnetato, adeoque non est puniendus pœnâ legis Corneliæ, seu ordinariâ. Probatur. 1. ex lege 30. §. *fin. ff. ad L. Aquil.* [Si vulnetatus fuerit servus non mortiferè, negligentiâ autem perjerit, de vulnerato Actio erit, non de occiso.] Ergo si hoc obtinet in actione civili ex lege Aquilia, multò magis (inquit citatus Author) obtinebit in actione criminali, & quoad pœnam homicidii infligendam, ubi majus versatur præjudicium vulnerantis, & ad quam non nisi manifesto ac claro delicto perveniri potest. Scio, quòd multi DD. ut Covarruvias, non admittant conse qnentiam à pœna legis aquiliæ ad pœnam legis Corneliæ, quando agitur de pœna exasperand a, adeoque quando quis tenetur ex lege Aquili a de Occiso, non liceat inferre idem quoad pœnam legis Corneliæ (qvamvis plures etiam hanc consequentiam admittant, inter quos est P. Molina) omnes tamen fatentur valere consequentiam qnando agitur de pœna minuenda, & de recedendo à pœna ordinatia. Hine

300. Probatur II. Per argumentum à contrario sensu ex lege 25. pr. ff. eodem. ibi. [Si ex plagis servus mortuus esset, neque id Medici inscientiâ, aut domini negligentiâ accidisset, rectè de injuria occiso eo agitur.] Idem argumentum fieri potest ex pluribus articulis Carolinæ Ordinationis suprà relatis, quibus requiritur ad pœnam ordinatiam, ut constet, occisum ex vulnere lethali mortuum esse, secùs verò, arbitrio judicis, consultis peritis, puniendum esse. Ratio etiam hoc convincit. Nam qui non occidit, non est puniendus ut homicida. Sed qui non inflixit vulnus lethale, non occidit, esto posuerit vulnus, qnod quia non fuit modo debito curatum, vel quia aliud aliunde accessit, denique mortis causa, sed non adæquata & unica, evasit. Sicut, qui alium inebriat, si deinde is per scalam delapsus collum fregit, non dicitur inebriando illum occidisse, nec ut homicida puniri potest. Nec chirurgus, qui alicui venam aperuit, dicitur occidisse eum, qni postea noctu per inquietudinem ligamine abstracto, & sanguine denuo fluente mortuus est.

301 Aliud fortasse dicendum esset, si quis aliquem ità vulneraret in loco solitario, ubi prævideret nō posse vulnus curari ob absentiā omnium hominum, & ideo ob continuam sanguinationem mors sequeretur: tunc enim taliter vulneranti tota causa mortis imputari posset: sed raro continget, ut vulneranti hæc circumstantia sit sufficienter prævisa & voluntaria, & ideo non posset præsumi prævisa: posseque vulnerans admitti ad juramentum purgatorium, quod hoc non prævideri, nec ipsi voluntarium fuerit. Itaque, ut in articulo 147. innuitur, Judex diligenter inquirat apud Chirurgos & Medicos, ac domesticos vel vicinos, qualenam vulnus fuerit, qualiter se vulneratus ex præscripto Medici gesserit, num potu cibove interdicto usus sit, num ex intemperantia novo aliquo symptomate correptus sit, an si sibi deesse noluisset, convalescere potuisset, & deinde his perpensis si deprehendat aliquid ex his fuisse ultimam causam mortis, pœnam arbitrarium pro ratione vulneris decernet.

302. Dubitatur autem hoc loco, quâ ratione se gerere debeat Judex in dijudicando vulnere & causa mortis, ut possit omne dubium deponere, quandoqnidem in causa capitali stante dubio, ad pœnam ordioariam procedi non potest, & ex alia parte vix videtur aliqna certitudo in multis casibus haberi posse, an vulnus fuerit lethale nec ne. Ad hoc dubium singulari accuratione respondet sæpè laudatus Carpzovius à n. 26. Aut Medici testantur, & deponunt rotundè & indubitanter, vulnus inflictum lethale fuisse, & ex eo occisum obijsse, nec evadere potuisse, & tunc horum judicio, utpote in arte sua credendum est, & pœna homicidij Reo dictanda, non habitâ ratione brevitatis aut diuturnitatis temporis, quo vulneratus decessit, ut nec malæ curæ, intemperantiæ, quomodo se gesserit vulneratus &c. Aut verò Medici inspecto cadavere occisi, contrarium disertè deponunt, nempe vulnus non fuisse lethiferum, nec vulneratum ex eo decessisse: vel ipsimet de hoc dubitant, vel conjecturis ac præsumptionibus solummodo inhærentes, rationem probabilem assertionis suæ reddere non possunt. Rationem probabilem non credo quòd Carpzovius accipiat in sensu philosophico, hoc est, quæ stat cum æquali vel etiam majori probabilitate contrarij, sic enim ejus resolutio esset manca, quia nihil statuit pro casu quo Medici haberent rationem hujusmodi probabilem, sed videtur, imò debet, accipere in sensu Juridico, pro ratione convincente, & prudens dubium non admittente, ut patet ex seqq. verbis, & tunc nequaquam ad pœnam homicidij ordinariam deveniri potest, sed Judex hoc casu mitiorem potiùs partem amplecti, & pœnam extraordinariam eligere debet, quàm Medicorum scrupulositates sectando, & per incertum eundo, justitiæ & æquitatis fines transgredi, arg. *legis 5. pr. ff. de pœnis* ibi. *Sed nec de suspicionibus debere aliquem damnari; satius enim esse impunitum relinqui facinus, quàm innocentem damnari.*

303. Porrò in facienda inspectione corporis occisi ex Ordin. Crim. a. 149. quatuor observanda sunt. Primò, Judex cum duobus Scabinis (id est Assessoribus, Germanicè *Schöppen*) & Actuario, inspectioni adesse debet, tum quia inspectio est pars inquisitionis, adeoque actus judicialis, tum quia hoc facit ad evitandas fraudes & sub-

& subornationes. Secundò, adhibendi sunt Medici seu Chirurgi benè periti ad cognoscendum an vulnus sit lethale. His creditur, si ad minimùm sint duo, & conveniant: quodsi in loco non nisi unus haberi potest, etiam illi creditur, si asserat indubitanter, vulnus esse lethale. Tertiò, requiritur, ut isti Medici & Chirurgi priùs jurent: quod tamen non est intelligendum de Medicis vel Chirurgis specialiter deputatis ad cognoscenda vulnera, in quibus sufficit juramentum generale, à principio suscepti muneris præstitum. Quartò, requiritur accurata & diligens inspectio cadaveris. Nempe, ut Chirurgi locum vulneris dissecent, & ejus qualitatem, quantitatem examinent, & conformiter ac certò de illius lethalitate pronuntient. Ex hujus certitudinis defectu, in facti contingentia Scabini Lipsienses contra Judicium Assessorum VVittenbergensium à pœna ordinaria absolverunt quendam, qui alium vulnere punctim inflicto occidisse dicebatur, eò quòd post duodecim horas decesserit. Sed inspecto vulnere dubitârunt chirurgi, an esset lethale vulnus: & ob hanc dubitationem solùm ad fustigationem, & perpetuam relegationem condemnârunt: quia in puncto homicidii Reus, etiamsi confessus sit, se vulnus inflixisse, non est ad pœnam mortis condemnandus, antequam de corpore delicti constet, quòd scilicet vulnus inflictum fuerit lethale, nec vulneratus curari, ac pristinæ sanitati, adhibitâ operâ Medicorum sive Chirurgorum restitui potuerit. Ità illi; sed meo Judicio nec hoc erat necesse, ut pristinæ sanitati potuisset restitui, suffecisset enim, si in vita potuisset conservari, ut pœna mortis non decerneretur.

304. Ex hactenus dictis infertur, malè à multis Jureconsultis constitui regulam lethalitatis præsumendæ in brevitate temporis, quo vulneratus supervixit, ex qua brevitate volunt esse præsumendum vulnus lethale fuisse, in cujus brevitatis assignatione tanta est varietas, ut vel ex hoc ipso regula fiat inutilis, quia non facit certitudinem, quæ tamen requiritur. Aliqui enim assignant triduum, alii dies quinque, alii octo, alii octo menses, alii dies sexaginta, alii annum, alii triennium, ut refert Farinacius *q.* 127. *n.* 31. *& seqq.* item Menochius *casu* 275. & Mascardus. Verùm, ratio temporis potest quidem fundare prudentem præsumptionem, sed non certificat, cùm sæpè fallat, eò quòd ex accidenti potuerit mors accelerari, ut hactenus declaratum est.

305. Quæritur XI. An conatus occidendi puniatur lege Corneliâ & ordinariâ in eo qui habuit animum occidendi, sed effectus non est secutus. Negandum hoc esse, manifestè sequitur ex hactenus dictis. Sed difficultatem faciunt Jura expressa, quæ jubent hac pœnâ puniri etiam conatum remotum. *l.* 7. *C. h. t.* [Is qui cum telo ambulaverit, hominis necandi causâ, sicut is qui hominem occiderit, vel cujus dolo malo factum erit commissum, legis Corneliæ de sicariis pœnâ coërcetur.] quod etiam habetur §. 5. *Inst. de publicis Judiciis. Item lex Cornelia de siccariis: quæ homicidas ultore ferro persequitur, vel NB. eos qui hominis occidendi causâ cum telo ambulant.* Ad has leges respondetur, eas consuetudine contrariâ abrogatas esse: quam consuetudinem confirmare videtur Ordin. Carol. art. 178. ubi dicitur: si quis delictum aliquibus actibus manifestis & aptis ad perpetrandum delictum conatus fuerit perpetrare, sed à perpetratione per alia media contra voluntatem suam impeditur: talis dolosus animus, ex quo aliqui actus sunt secuti, est puniendus, sed graviùs in uno quàm in alio, consideratis circumstantiis, & consultis desuper peritis. Quibus verbis pœna videtur Judicis arbitrio committi. De hac consuetudine videri potest Farinacius, *tit.* 14. *q.* 124. *à n.* 78. ubi per integram columnam auctoritatibus confirmat.

306. Quæritur XII. Quâ ratione puniendi sint Medici, qui vel malitiosè, vel per imperitiam curando, necant. ℞. De his exstare art. 134. Ord. Carol. Si Medicus ex negligentia vel imperitia, non tamen ex malitia & proposito aliquem suis medicamentis occidit, & judicio peritorum temerè medicamentis abusus est, vel non convenientibus medicamentis usus est, & sic morti causam dedit, talis pro qualitate & conditione rei, & ex consilio peritorum puniatur. Attendatur etiam ad leves homines (*quales sunt aliquæ fœminæ, quæ propè artem medicam profitentur*) & quidam alii simplices homines, qui solent Empirici vocari, qui medicationem attentant, cùm non didicerint. Quodsi Medicus ex proposito occidisset, tanquam latro puniendus est.

307. Quæritur XIII. Quâ pœnâ puniendus sit, qui in defensione sui contra injustum aggressorem excessit moderamen inculpatæ tutelæ. De hoc etiam aliquid dixi loco cit. *tract.* 2. *n.* 633. Sed hìc pleniùs agendum.

Distinguunt DD. inter Moderamen Defensionis, & Moderamen Inculpatæ Tutelæ. Moderamen defensionis observâsse dicitur, qui non ex alia causa alteri resistit, & armis aggreditur, quàm quia ad hoc impellitur & cogitur injustâ alterius aggressione. (Sive physicâ, sive morali, quæ reddit licitam præventionem, ut explicui loco citato.) Hoc moderamine observato si alterum aggressorem occidat, excusatur eatenus, ut non teneatur pœnâ legis Corneliæ. Moderamen inculpatæ tutelæ (quod tandem ab omni pœna excusat) observâsse dicitur,

tur, qui ità se defendendo & occidendo gessit, ut si minùs fecisset, fuisset in periculo moraliter certo, subeundi jacturam seu damnum, quod non tenetur homo subire ex charitate erga proximum ad conservandam ejus vitam, quam regulam semel iterumque explicui in tomo. 1. de Jure privatorum.

Aggressio itaque injusta est Causa justæ defensionis, adeoque probatâ aggressione & insultu, præsumitur insultatus occidisse aggressorem ad sui necessariam defensionem, nec opus est ulteriore probatione necessariæ defensionis, ut expresse traditur *ar.* 140. *Ord. Crimin.*

308. Ulteriùs tamen ad Moderamen inculpatæ tutelæ requiritur, ut Modus, quo se defendit, fuerit necessarius, nec potuisset se defendere modo minùs offensivo. Ad hunc modum requirunt DD. paritatem armorum, ità ut si alter manibus solùm invadit, vel baculo, defensio etiam non fiat nisi manibus, vel baculo. Sed hoc, meo judicio, nimis crudè dicitur, quasi verò semper quis debeat habere præsentia paria arma, vel etiamsi habeat, possit semper eâdem dexteritate tractare. Sanè pugna inter Davidem & Philistæum Goliath non processit paribus armis. Et quis neget, posse aliquem uti sclopeto contra eum à quo gladio invaditur, si vel gladium non habet, vel non ità securam habet peritiam tractandi, vel ex alia justa causa gladio diffidit? Itaque sufficienter servatur paritas armorum, si quis illis armis utatur, ut si hìc & nunc minùs offensivis uteretur, ab altero moraliter certò, vel valde probabiliter vinceretur; adeoque non arithmetica, sed Geometrica proportio solùm requiritur, ut declarat etiam Carpzovius *q.* 28. *n.* 27.

Denique, & tertiò ad Moderamen inculpatæ tutelæ requiritur, ut fiat debito tempore, nempe illo, quo imminet periculum per defensionem repellendum, & impediendum malum: alioquin si elapso hoc periculo fiat, non habet ampliùs rationem defensionis, sed potiùs vindictæ, ut loco citato declaravi, disputando quæstionem, an percutientem liceat repercutere. His positis

309. Ad Quæsitum principale respondetur, occisorem, si moderamen inculpatæ tutelæ supergressus est, puniendum esse pœnâ extraordinariâ, arbitrio judicis, modò graviore, modò leviore, prout excessus habet rationem culpæ, latæ, levis, aut levissimæ. Ratio est, quia in tali defensore non potest puniri dolus, supponitur enim abesse, sed culpa in moderanda defensione. Cùm ergo, ut suprà dictum, pœna legis Corneliæ tunc solùm locum habeat, quando dolo fit homicidium: sequitur in casu quæstionis pœnam legis Corneliæ non habere locum, benè tamen pœnam arbitrariam, ob culpam commissam. Hæc omnia sunt consentanea art. 142. Ord. Carol. ubi dicitur. Si quis ratione primæ aggressionis justas defensionis causas habuit, ipso tamen facto non omnes circumstantias requisitas ad plenam excusationem observavit, necessariò ponderandum est, quantam causam habuerit defensor ad ipsum factum, ut pœna, sive in corpore, sive in vita, sive ad pœnitentiam, & emendationem faciens decernatur secundùm Jurisperitorum consilium. In quibus verbis dum insinuatur etiam pœna mortis, nisi fallor, est intelligendum de casu quo ità exceditur, ut habeat admixtum dolum, adeoque jam non ampliùs habeat rationem defensionis: cujusmodi defensio esset, si aggressor ab aggrediendo destitisset, adeoque periculum cessâsset, & is quem aggressus est, ulteriùs pergeret pugnare, & occideret, reverâ talis non solùm non servaret moderamē inculpatæ tutelæ, sed nec moderamen defensionis, quia esset potiùs vindicta, quàm defensio.

310. Pro distinguendo gradu culpæ, statuunt DD. hanc Regulam. *Lata culpa* committitur, quando moderamen inculpatæ tutelæ exceditur tribus modis; nempe in genere armorum, tempore & modo percutiendi. v. g. si quis uteretur gladio, cùm posset se defendere baculo, & postquam jam in fugam convertit hostem, ex motu iræ plùs quàm necesse esset, persequeretur, & graviùs quàm oporteret, vulneraret. Levis culpa committitur, quando defensionis modus exceditur in duobus ex prædictis. *Levissima*, si in uno exceditur. Ego tamen existimo posse culpam modò graviorem modò leviorem committi etiam in uno solo: sed hoc Judicis arbitrio relinquendum. Circa hæc tamen magis in specie

311. Quæsitum est, an si defendens seu aggressionem passus dolo malo excedat moderamen inculpatæ tutelæ, dummodo tamen reverâ servet moderamen defensionis, hoc est, dumodo adhuc gerat personam defensoris, & non meri vindicatoris, an inquam pœnâ ordinariâ sit puniendus tanquam homicida. Affirmant aliqui: sed communissima sententia negat: quia adhuc minùs notabiliter delinquit, utpote graviter irritatus ab aggressore. Ità Damhauderus, Clarus, Tiraquellus, Farinacius, Fachineus, Berlichius, Menochius, Gail, quos refert & sequitur Carpzovius n. 29.

312. Quæsitum est II. An possit excusari à pœna ordinaria, quasi observâsset moderamen inculpatæ tutelæ, qui fuit auctor rixæ, v. g. alterum provocavit, sed in ipso conflictu, & cōgressu, in eam ab adversario conjectus est necessitatem, ut non aliter potuerit evadere, nisi adversarium occidendo. ℞. Negativè. Ità Andreas

Gail.

Gail. lib. 1. de pace pub. c. 16. n. 17. Farin. q. 125. n. 118. Berlichius. concl. 13. n. 5. Carpzov. n. 43. & alii. Rationem reddunt, quia sicut cujuscunque causæ principium attendi solet, ità etiam in excusandis delictis principium potissimùm, non finis, & exitus spectatur. Breviùs. Quia talis habet rationem aggressoris, & ipse sponte & culpâ suâ se conjicit in talem necessitatem, quam ab altero patitur, & alter eam justè infert: ergo non minuitur ejus delictum, quod ipsi jam à principio aliquo modo voluntarium fuit.

313. Quæsitum est III. An quemadmodum provocans alium ad duellum illicitum, (de quo loco citato plenè actum est) si occidat provocatum, tenetur pœnâ ordinariâ legis Corneliæ, ità etiam, si provocatus illicitè comparens (quod quando fiat, eodem loco declaratum est) occidat provocantem, teneatur pœnâ ordinariâ. Respondet probabiliter Carpzovius, n. 88. esse illi ignoscendum, quia difficile est homini honorato, ob imminentem apud alios aliquem gravem contemptum non comparere. putat ergo talem sufficienter punitum iri perpetuâ relegatione, & fustigatione. Cæterùm, si alicubi, ut in Gallia, lex exstat, puniens utrumque pœnâ ultimi supplicii, ob nimis frequentes hujusmodi provocationes, & compaririones, & ad absterrendos Nobiles à tanta temeritate, talis lex culpanda non est, sed potiùs laudanda.

314. Simili pœnâ vult idem auctor esse puniendum illum, qui alapâ aut pugno affectus & ad iram provocatus, percussorem occidit, ità ut hæc occisio habeat verè rationem vindictæ, ex eodem principio, quòd ignoscendum sit quoad pœnam ordinariam illi, qui provocatus alium occidit, ad quod adducit legem 14. §. 6. ff. de bonis libertor. Verùm, hic locus, quem in præsenti materia toties adducit, nihil ad rem facit, cùm loquatur de ultione licita, quæ fit per retorsionem, & sic habet. [Si libertus Majestatis patroni filium accusavit, & patroni filius calumniæ eum capitis puniri desideravit, non debet repelli hoc edicto: idem puto, & si ab eo peritus fuerit in eum crimina: ignoscendum est enim ei, qui vult se ulcisci provocatus.] Censeo itaque, esse considerandam conditionem personæ, an talis sit, cui alapa vel percussio secundùm se non gravis, ratione statûs sit graviter ignominiosa, ità ut mirum non sit, fuisse ad gravissimam iram concitatum, indeque secutam defensionem vel vindictam cum excessu tanto, ut inde homicidium sit secutum: quo casu fortè procedit relata Carpzovii opinio, sed non in quavis plebeja persona.

315. Quæsitum IV. An ab ordinaria pœna absolvi possit, qui aggressorem ità repulit, ut in fugam conjecerit, sed eum insequendo occidit. ℞. Affirmativè cum recepta sententia, ut videre est apud Farinacium q. 125. n. 393. & Carpz. n. 45. & colligitur ex ar. 142. ubi dicitur, quòd talis occisor non possit se plenè & omnimodè per necessitatem defensionis excusare: ergo agnoscitur, quòd saltem aliqua ex parte excusari possit. Rectè tamen advertunt DD. quòd corporali etiam pœnâ afficiendus esset ille, qui occidit fugientem taliter, ut certum sit eum non reversurum ad nocendum, v.g. si fugiat, & non habeat arma: nam si esset periculum, quòd esset reversurus, mitiùs, v.g. pecuniariâ pœnâ, vel carcere solùm puniendus esset; imò, si periculum esset morale, v.g. si fugeret, fortè ut alicubi sclopetum arripere posset, putarem, quandoque posse ab omni pœna excusari, si posset hujusmodi periculum sufficienter probari. Econtra si nullum planè esset periculum reversuri aggressoris, non facilè ordinariam pœnam effugeret occisor. Unde Scabini adjudicârunt morti eum, qui arma aggressori eripuerat, & illis deinde fugientem occidit, ut refert ipse Carpz. n. 51. cùm tamen paulò antè n. 49. ex Cæpolla resolvisset, talem non esse puniendum pœnâ mortis.

316. Quæsitum est V. An tanquam homicida puniendus sit, qui passus aggressorem, cùm facili negotio se posset subducere, v.g. recedendo in domum & ostio clauso, mavult aggressionem experiri, & aggressori resistere, eumque occidit. ℞. Per se loquendo talem non excusari ab omni pœna, ut colligitur ex art. 140. Ord. Crim. ubi ille solùm excusatur, qui sine periculo fugam arripere non potest. Excusari tamen ab ordinaria pœna, sive talis sit nobilis sive ignobilis, tradit Carpzovius n. 64. Quod quidem in persona nobili fortassis procedit, sed in persona, cui nullum dedecus inde resultat, imò ab omnibus improbatur ob temeritatem, non credo, quòd talis excusetur ab ordinaria pœna, sicut nec excusatur, qui in rixa provocatus occidit, quando comparitio non reputatur necessaria ad defendendum honorem. Unde communiter DD. quos sequitur Prosper Farin. q. 125. n. 42. Harpp. n. 92. & alii, solas personas honoratas gravissimis injuriis verbalibus lacessitas excusant à pœna ordinaria mortis, condemnantes ad amputationem manûs, aut fustigationem, si in continenti injuriantem ex iræ impetu occidant, non item personas plebejas & vulgares: & non ità pridem scimus venatorem ex simili causa capite plexum esse, quantumvis pro excusatione prætenderet, se fuisse verbis injuriosis lacessitum.

317. Quæsitum est VI. An excusetur à pœna ordinaria ille, qui non omnino in conti- R nenti,

nenti, & durante aggressione, sed ex intervallo non magno, saltem mediæ horæ, dum adhuc censetur durare animi dolor & commotio, & priusquam ad alios extraneos actus diverterit, aggressorem occidat. Prosper Farinacius q. 125. tit. 4. n. 430. approbat quorundam sententiam, quòd talis non sit puniendus pœnâ ordinariâ, sed mitiùs. Idem censet Carpzovius, & in facti contingentia Scabini talem, qui aggressorem finitâ jam aggressione exspectaverat cum cultro ad januã, & occidit, condemnârunt ad fustigationem & relegationem perpetuam. Hæc sententia, speculativè loquendo, difficilis est, nisi limitetur hoc modo, quòd hoc factum sit aliquo modo prætextu præventionis, quatenus, licèt minùs rationabiliter, timuerit novam aggressionem ab altero, & priore periculosiorem; & hanc limitationem insinuat ipse Carpzovius in probatione hujus suæ opinionis, dicens, quòd insultatus justum metum habeat, ne rursus ab eodem insultetur. Ego non dicerem: *justum metum.* Nam metus justus ab omni pœna excusaret, Jure præventionis. & hoc probat casus quem refert Damhouderus c. 76. *n.* 11. si nobilis aliquis præpotens, & multo satellitio comitatus, pauperi alicui mortem minitatus esset, & iste se subtraxisset, sed ex intervallo offenderet eundem nobilem solum, & quia aliter non posset se securum reddere nisi occidendo, dum potest, non esset talis puniendus, & hoc Jure præventionis, de quo plura dixi *to. 1. lo. cit. de Jure privat.*

318. Quæritur nunc principaliter XIV. An sicut quis potest impunè, salvo moderamine inculpatæ tutelæ defendere se ipsum, ità etiam possit defendere proximum, & quidem non solùm sibi specialiter conjunctum, ut sunt liberi, parentes, propinqui, sed etiam quemvis alium extraneum, ab alio insultatum, aut proximè insultandum, si ille ipse se sufficienter fortè tueri non potest, & nisi defendatur ab alio, est in periculo tali, ob quod Jus habet se defendendi etiam cum nece aggressoris. ℟. Affirmativè id quod Jure naturæ licitum esse supponunt Theologi, ut suo loco probavimus. & ratio est, quia quod quis per seipsum licitè facit, per alium tanquam negotiorum suorum gestorem etiam fieri potest. Ulterior ratio à Juristis assignatur, quæ in idem recidit. Cuivis enim ex communitate licet communitatis boniique publici curam gerere in defectum aliorum, qui meliùs gererent: atqui invasores peccant in communitatem, & evertere conantur bonum publicum, nempe civium securitatem. Ergo his resistere cuivis licet. Idipsum apertè supponitur in *a.* 150. *Carol. Ordin.* ubi nulla fit distinctio inter conjunctos & extraneos.

319. Quin imò, quivis ex charitate tenetur proximum in discrimine constitutum liberare, si id sine suo gravi incommodo potest, & suum statum non dedecet, ut tradunt Theologi, quæ tamen obligatio non est ex Justitia (ut malè videntur supponere aliqui Legistæ) quia si omittat, ad nullam damnorum reparationem tenetur, sed est obligatio ex charitate: & ideo non est verum, quod dicit Carpzovius. *q. 32. n. 13.* quòd omittens proximi defensionẽ æquè peccet ac ille qui offendit. Nam qui offendit, peccat & contra charitatem & contra Justitiam, qui verò defensionem omittit, & non tenetur ex aliquo contractu, vel officio, solùm peccat contra charitatem.

320. Quæritur XV. An salvo moderamine inculpatæ tutelæ liceat invasorem occidere pro defensione bonorum temporalium, quorum jactura facienda esset, nisi occideret. Theologi, ut jam suprà insinuavi, id concedunt, quando jactura non est tam modica, ut ex charitate teneatur quis eam pati pro salvanda vita alterius, etiam sui inimici, & attento periculo æternæ damnationis. Et ità est intelligenda lex 1. *C. unde vi.* [Rectè possidenti ad defendendam possessionem, quam sine vitio tenebat, inculpatæ tutelæ moderatione illatam vim propulsare licet.] Porrò, Juristæ taxant quantitatem rerum, ut tanta sit, ut ob illam ablatam in foro contentioso homo occidi posset.

321. Objicitur I. Inter bona temporalia & vitam nulla est proportio. Ergo quantacunque esset jactura bonorum temporalium, ea potiùs est subeunda, quàm ut proximus vitâ privetur. ℟. Distinguendo antecedens, non est proportio talis, ut possit per contractum reddi æquale pro vita ex bonis temporalibus, utpote cùm sint ordinis diversi, concedo, non est proportio talis, vi cujus pro bono publico expedit licere ea defendere, nego. Et declaro per instantiam. Nam bona famæ & bona fortunæ etiam sunt diversi ordinis, & tamen ad defendenda bona fortunæ licet furem apud Judicem infamare. Est ergo hæc licentia necessaria, ut hac ratione absterreantur homines à spoliatione aliorum: sicut ex hac causa licet suspendere fures.

322. Aliam responsionem insinuat Carpzovius n. 27. quia nempe hujusmodi bonorum defensione, quâ alter occiditur salvo moderamine inculpatæ tutelæ, vix aliter fieri potest, quin unà cum bonis defendatur propria vita, quod ostendit hoc discursu. Aut enim invasor defensori resistit armis, nolens res alienas ablatas restituere & relinquere, aut non resistit, sed res ablatas relinquit, & aufugit. Priori casu licitum esse invasorem occidere, fatentur omnes, eo quòd imminere possit periculum vitæ. Posteriore

verò

verò casu internecio utique non permittitur, quia non esset defensio necessaria, ut ponitur. Accepit hanc doctrinam ex Covarruvia *in Clement. unic. §. 1. n. 6. de homicid.* [Cùm quis, inquit, à raptore defendit res proprias, aut raptor abstinet à rapina, & tunc nullius adest occisionis causa. Aut ipse contendit adhuc invito defensori res rapere. Nec potest ea contentio expediri, absque injuria & damno personali defensoris: idcirco homicidium inde secutum pertinet ad defensionem personæ simul & rerum. *Et paulò post.* Hinc deducitur, licitam esse occisionem raptoris, quoties ea fit ad defensionem rerum & personæ, easdem res defendentis, quem ipse raptor offendere conatur, ne rerum occupationem impediat. Nec satis, inquis, percipere valeo, quo pacto mihi licitum sit res meas defendere, ne à raptore eripiantur, & sit illicitum pro rerum defensione raptorem occidere. Nam si ipse defendam res meas, & raptor hanc defensionem per vim impediat, non potest id aliter contingere, quàm me ipsum defendendo, quo casu jam defensio rerum ad defensionem personæ pertinet.] Ità Covarr. Sed meo judicio hic discursus solùm procedit in casu, quo invasor res meas necdum apprehendit & occupavit, sed per vim occupare nititur: Sed non procedit, quando jam apprehendit, & fortè cum illis aufugit, & insequenti domino ac manibus apprehendenti non aliter resistit, nisi res fortiter tenendo: quâ tentione non aggreditur personam. Et tamen hoc casu, si non est alius modus rem recuperandi, ne quidem per viam juris, adhuc licet minari mortem, ac consequenter inferre, sicut respublica & Magistratus minatur & reipsâ infert furibus mortem: ac proinde tam lex naturæ, quàm lex positiva potuit etiam privato tribuere hanc potestatem pro casu necessariæ defensionis rerum suarum.

323. Objicitur II. Furem diurnum non licet occidere, nisi se telo defendat, ut habetur in lege 4. *ff. ad L. Aquil.* quæ approbatur in cap. 3. *de homicid.* ibi. [Hoc etiam in antiquis legibus sæcularibus invenitur, impunè scilicet occidi nocturnum furem, quoquo modo: Diurnum autem, si se telo defenderit: jam enim plùs est quàm fur.] Hujus discriminis non est alia ratio, quàm quòd facilè discerni possit, quòd fur diurnus sine telo, non ad occidendum, sed ad furandum venerit: secùs est in fure nocturno, cùm ratione obscuri temporis discerni non possit, an ad furandum venerit, & præsumi possit contra ipsum animus furandi simul & occidendi. ℞. Assignatum discrimen à lege esse, quia res regulariter ità se habet, ut si fur diurnus sit sine telo, possit aliis remediis res ablata recuperari, vel furtum impediri, v. g. inclamando viciniam, & si fur noscatur, agendo apud Judicem. Quodsi autem nullus alius modus superest, lex non loquitur de hoc casu.

324. Quæritur XVI. An onus probandi necessitatem defensionis incumbat occisori, sicut &, observatum esse moderamen inculpatæ tutelæ. ℞. Affirmativè. arg. *l. 1. C. ad leg. Corn. de sicariis.* ibi. *Qui, si probaverit, non occidendi animo hominem occidisse.* Est autem eadem ratio, cur obligetur, ad probandum, non habuisse animum occidendi, &, observâsse moderamen justæ defensionis. Nempe, quia præsumptio stat pro occiso, qui quamdiu non probatur fuisse aggressus, & intulisse necessitatem defensionis, præsumitur innocens. Unde & Ord. Carol. ar. 141. statuit, quòd qui prætendit necessitatem defensionis, illi incumbat onus probandi: quodsi non probaverit, habebitur pro reo. Et hoc verum est, sive procedatur per viam accusationis, sive per viam inquisitionis.

325. Illud tamen in hoc puncto est imprimis singulare, quòd si fortè reus nesciat modum probandi, Judex ex officio eum dirigere, & pro ejus defensione laborare debeat. *l. 19. ff. de pœnis.* ibi. *Et qui cognoscit, debebit de innocentia eorum quærere.*

Item & illud est in hac materia singulare, ut, si reus à principio factum ipsum negavit, & deinde de facto homicidio convictus est, adhuc admittatur ad probationem justæ defensionis. Imò post conclusionem in causa, ipsusque adeo processûs & attestationum publicationem, pro Rei defensione, propter innocentiæ favorem novi testes examinari possunt ac debent, si à reo producantur. *l. 18. §. 9. ff. de Quæstionib.* ibi. [Quamvis defensionem, quocunque tempore postulante reo, negari non oporter, adeo ut propterea & differantur, & proferantur custodiæ.] Quod extendit Berlichius cum multis aliis etiam post latam sententiam & pœnam dictatam, ob relatorum verborum universalitatem, & ob periculum condemnandi innocentem ad mortem.

326. Dubium tamen grave est, an, si quis sufficienter probavit, se fuisse ab altero insultatum, hoc ipso sufficienter probaverit, saltem ut pro ipso stet præsumptio, quòd fuerit necessitatus ad defensionem, & quòd servaverit moderamen inculpatæ tutelæ. Affirmant aliqui, quos sequitur Bocerus *lib. 2. de duello c. 16. n. 70.* qui proinde putant, talem absolvi posse ab omni pœna, etiam arbitraria & extrordinaria. Quæ sententia videtur mihi probabilis. quia sicut non probato assultu præsumitur occisus non insultâsse, quia quisque præsumitur innocens, quamdiu non probatur nocens, ità econtrario, quando probatur as-

fultus, adeoque aliter fuisse nocens, videtur etiam præsumi debere defensio fuisse facta sine culpa, quia non debet præsumi culpa, nisi probetur.

327. Contraria tamen sententia est communior DD. qui in terminis requirunt, ut probetur etiã necessitas defensionis. Ità post alios, Damhouderus c.76.n.3. nempe, ut doceat articularim, se in ea invasione adeo fuisse in angustia constrictum, ut sine summo vitæ suæ periculo, imò nec ullo alio modo potuisset ex ea afflictione effugere, nisi semet defendendo ac adversarium cædendo.

Verùm, quia hi AA. non satis declarant, an hanc tam plenam probationem requirant ad effugiendam solùm pœnam ordinariam, vel ad evadendam omnem omnino pœnã, ideo Benedictus Carpzovius mediam viam ingreditur, & docet, hanc plenam probationem requiri ad evadendam omnem pœnam. Quodsi verò solùm probetur invasio ab altero facta, hoc sufficere quidem ad evadendam pœnam ordinariam, quia fundat præsumptionem aliquam, quòd fuerit necessitas se defendendi tali modo; verùm, non sufficere ad evadendam omnem pœnam. Sed hujus ego non invenio ullum solidum fundamentum, nec video, quo jure præsumi debeat defensor excessisse in aliquo moderamen inculpatæ tutelæ: præsertim cùm valde difficile sit, probare hanc observationem. Solùm facit pro hac sententia, quòd Ordinatio Carolina a. 141. requirat hujusmodi probationem, ad evitandam omnem pœnam. ergo videtur inferendum, deficiente v.g. tam pleoâ probatione, locũ esse alicui pœnæ, carceris: quæ tamen consequentia non videtur satis firma. videtur ergo requiri, ut saltem aliqua suspicio sit de excessu, ut in sequentibus confirmabitur.

328. Difficultas est, si Reus fateatur homicidium, sed prætensam justam defensionem probare non potest per testes, quia nulli interfuerunt, qualiter possit juvari præsumptionibus, saltem ut liberetur à pœna ordinaria. Respondet Carpzovius. n. 49. hoc vix posse definiri, propter varietatem ac multiplicitatem factorum, & circumstantiarum: ideoque rem totam arbitrio judicis committendam esse, juxta ord. Crim. art. 143. pro cujus Judicis instructione ait, ponderandas esse circumstantias temporum, locorum, rerum, personarum, utriusque nimirum tam occisi quàm occidentis statum, & conditionem, quo quisque armorum genere usus sit, quæ & quot quisque vulnera acceperit: quo se modo ante, & post factum homicidium gesserit, quis eorum ex vita antè acta majorem fidem, & innocentiæ opinionem mereatur. &c. Sic enim qui fortior, animosior, & audacior est, præsumitur aggressor, aut qui suâ naturâ litigiosus aut rixosus est, vel qui occidentis inimicus erat, & minatus. Circa præsumptionem tamen in inimicitia, & minis fundandam, attendenda est complexio & constitutio minantis & irati. Non enim, qui longè ante cædem perpetratam contra aliquem ex subito motu, animique præcipitatione minas jactavit, inimicus statim censendus est, ità ut pro aggressore haberi debeat. Nam ità naturâ compatatum est, ut qui facilè perturbantur, & ad iram commoventur, eâdem facilitate ab ira remittant. & econtra, qui tardiores ad iram, hi vicissim implacabiliores, & duriores sunt ad remittendum. Ità quidem pronuntiat cum Bern. Græu. Carpzovius, & ego, loquendo de Germanis, facilè consentiam, non item de alijs Nationibus.

329. Maxima verò præsumptio sumitur pro reo, si semper fuit vitæ probatæ & honestæ, pacis amans, & alijs haud molestus nec ingratus. Itẽ si qui occisus est, jam vulneratus ante mortem ipsemet exculpat vulnerantem, præsumitur fuisse aggressor. Item si superstes statim cæde factâ se Judici sistit; prout legimus de honesta matrona Hispana, quæ turpem & violentum amasium, cum aliter non posset, proprio ipsius pugione transfodit, & ad Judicem rem detulit, & laudem immortalem inde tetulit.

Ex hujusmodi præsumptionum fundamentis Judex arbitrabitur, an insuper necesse sit juramentum purgatorium deferre.

330. Sed quidsi probatio defensionis prorsus deficit, & moderamen inculpatæ tutelæ ne quidem conjecturis aut præsumptionibus firmari potest, & ignoratur quis aggressor fuerit? tunc de homicidio convictus aut sponte confessus, antequã illi pœna ordinaria decernatur, torturæ subjici potest. Et si quidem in tortura perseveret, nec aliquid fateatur, quod sibi obesse possit, penitus absolvendus est, ut constabit ex dicendis de Tortura, tractatu sequente.



Incen-

Incendium.

SVMMARIVM.

331. SErmo in præsenti est de illis Incendiariis, qui Idiomate Germanico Mordbrenner/ vocantur, hoc est, qui dolo malo, sive ex odio, sive amore lucri, alterius ædificia, vel bona ut segetes, fœnum, acervos fructuum &c. incendunt, aut se incensuros minantur, quod delictum annumeratur attocissimis, in quibus attentatum æquè ut consummatum punitur.

In Jure Canonico diversæ pœnæ statuuntur pro diversitate damni illati, & imprimis in *cap. 5. de injuriis & damno dato*, dicitur. [Si egressus ignis comprehenderit acervos frugum, sive stantes segetes in agris, reddet damnum qui ignem succenderit.] Hæc tamen non est nisi declaratio juris naturæ, quo jure tenetur talis ad damni restitutionem ex secunda radice, hoc est, injusta læsione. In cap. sequenti additur pœna, ut tres annos pœniteat, qui domum vel aream alicujus incenderit. In *cap. 19. de sent. excommunic.* dicitur, quòd incendiarii, ex quo sunt per Ecclesiæ sententiam publicati, pro absolutionis beneficio ad Apostolicam sedem sint mittendi. Incendiarii verò Ecclesiarum sunt ipso jure excommunicati secundùm glossam, (quod tamen in textu c. *cum devotissimum*, non legitur) & in *c. 14. ca. 17. q. 4.* sic statuitur. [Si quis Ecclesiam igne combusserit, quindecim annis pœniteat, & eam sedulò restituat, & pretium suum pauperibus distribuat.] Et in *can. 32. ca. 23. q. 8.* ad alios extenditur. [Si quis ergo post hujus nostræ prohibitionis promulgationem malo studio, sive pro odio sive pro vindicta ignem apposuerit, vel apponi fecerit, aut appositoribus consilium, vel auxilium scienter tribuerit, excommunicetur. Et si mortuus fuerit incendiarius, Christianorum careat sepulturâ, nec absolvatur nisi priùs damno, cui intulit, secundùm facultates suas resarcito, juret se ulteriùs ignem non appositurum. Pœnitentia autem ei detur ut Hierosolymis aut in Hispania in servitio Dei per annum integrum permaneat.] Et hæc habentur in Jure Canonico.

332. Jus Civile variat etiam in constituenda pœna Incendiariorum pro diversitate personarum, vel rerum incensarum, ut constat ex Juribus allegandis. *l. 9. ff. de incendio &c.* [Qui ædes, acervum frumenti juxta domum positum, combusserit, vinctus verberatus, igni necari jubetur; si modò sciens prudensque id commiserit: si verò casu, id est negligentiâ, aut noxiam sarcire jubetur, aut si minùs idoneus sit, leviùs castigatur. Appellatione autem ædium omnes species ædificij continentur.] & *l. 12. § 1 eod.* [Qui datâ operâ in civitate incendium fecerint, si humiliore loco sint, bestijs objici solent, si in aliquo gradu id fecerint, capite puniuntur, aut certè in insulam deportantur.] & *l. 28. §. 12. de pœnis.* [Incendiarij capite puniuntur, qui ob inimicitias vel prædæ causâ incenderint intra oppidum, & plerumque vivi exuruntur. Qui verò casam aut villam, leniùs] quò spectat etiam *lex. 10. ff. ad L. Corn. de sicar.* [Si quis dolo insulam meam exusserit, capitis pœnâ plectetur, quasi incendiarius.] Ergo mitiùs punitur qui extra oppidum incendit, quàm qui intra oppidum, nam hoc est magis periculosum, magisque paci publicæ adversum. Unde inferunt DD. quòd si incendium à vili etiam persona sit factum extra oppidum, & ruri, sufficiat deportatio, si incendium sit parvum, decapitatio, si magnum. quod si sit persona egregia, ob hujusmodi incendium magnum ruri factum deportatur, ob parvum relegatur, ut cum alijs tradit Berlichius à. n. 8.

333. Denique Ordinatio Criminalis Carolina art. 125. sic statuit. Malitiosi, & convicti Incendiarij vivi exurantur. Ut proinde hîc quoque verum sit, per quæ quis peccat, per ea esse puniendum: testarúrque Damhouderus, in Flandria quoque & Brabantia, hanc pœnam consuetudine receptam esse.

Dubitatum est, an hac Carolina Constitutione

tione abrogatum sit discrimen, quod Jus Civile facit inter personam plebejam & Nobilem. Ratio dubitandi est, quia communis regula habet, mitiùs puniendos esse Nobiles quàm plebejos, cæteris paribus: cujus regulæ rationem alibi dedi, quòd licèt materialiter loquendo minor & major pœna sint inæquales, formaliter tamen loquendo possit in persona Nobili pœna materialiter minor evadere æqualis majori. v.g. nobilem personam incarcerari potest æquivalere formaliter & moraliter loquendo relegationi personæ vulgatis: Nihilominus

334. Dicendum est I. In Imperio, ubi servatur adducta Ordinatio, nullum fieri discrimen inter Nobilem & Plebejum, sicut nec inter Marem & fœminam, ut cum aliis tradit Carpzovius *q. 38. à n. 23.* & meritò, ob verborum generalitatem. Neque ratio dubitandi urget, quia illa regula solùm solet observari in pœnis arbitrariis.

Ob eandem rationem sublatum est discrimen inter incendium factum ruri, & in civitate: inter ædes, tuguria, & horrea, imò & stabula, ut idem auctor tradit, quia eadem ratio & verborum generalitas urget. Neque etiam hanc pœnam declinabit reus ex eo capite, quòd fortè incendium non fuerit magnum, sed citò extinctum: semper enim spectanda est atrocitas delicti, & periculum majoris incendii. Non credo tamen hac pœnâ afficiendum esse, qui vile aliquod mappale, in prato pro custodibus erectum ex malitia incenderet, unde flamma grassari ulteriùs non potest. Non enim est gravius delictum, quàm si illud alio modo destrueret, aut everteret. Consentit Berlichius *Concl. 24. n. 43.*

Extenditur hæc pœna etiam ad Mandantem, utpote qui est causa principalis, & vel ideo magis reus, quòd etiam alium in idem crimen inducat: unde & de Consiliario, qui reverà persuadet incendium alioquin non futurum, idem dicendum existimo.

335. Dubitari posset, an relevari posset incendiarius prætextu præcedentis offensæ, quâ ad vehementissimam iram provocatus se per incendium vindicaverit. Ratio dubitandi est, quia suprà diximus, mitiùs puniendum illum qui ab alio offensus ex iracundiæ calore moderamen inculpatæ tutelæ prætergreditur. Nihilominus dicendum est, hanc tam periculosam & atrocem vindictam non mereri ullam relevationem pœnæ, nec enim à natura ad hujusmodi genus vindictæ quasi per vim impellimur, sicut ad repercutiendum aggressorem.

336. Dubitatum etiam est, an ob hoc delictum iteratum, sit in potestate Judicis pœnam exasperare, v.g. præmittendo adustionem in brachiis, alligando trahæ, quâ trahatur reus ad locum supplicii. R. Per se loquendo, hoc non esse concedendum, quandoquidem textus Ordinationis Carolinæ hoc non concedit, sicut concedit in iterato latrocinio & Veneficio. & quia pœna ignis est ex se acerbissima. Dixi, per se loquendo. Nam per accidens id utique fieri potest, imò debet, si concurrant alia diversi generis delicta, diversam pœnam exigentia, per regulam vulgarem, quòd nunquam plura delicta concurrentia mereantur ex hac conjunctione impunitatem. *l. 2. ff. de privatis delict.* [Nunquam plura delicta concurrentia faciunt, ut ullius impunitas detur. Neque enim delictum ob aliud delictum minuit pœnam.] Sed de hac exasperatione iterum infrà.

337. Dicendum II. Ad incurrendam vivæ combustionis pœnam, non requiritur delictum actu consummatum, effectumque secutum esse, sed sufficit fuisse attentatum: per regulam generalem, quòd in atrocioribus delictis (quale hoc esse constat tum ex juribus adductis, & pœna illius, tum ex ipsa ratione) solus conatus, aliunde contra delinquentis intentionem impeditus, puniatur perinde acsi effectus secutus esset.

Existimo tamen, hunc conatum debuisse factum esse aliquo actu externo & reali, v g. apponendo vel deportando materiam incentivam: nec sufficere, si præcisè consultatio aut tractatus præcessisset. Imò nec credo (quidquid dicant Gilhusius, Damhouderus & Farinacius) sufficere putas minas, quæ solent fieri dicendo: ego tibi rubrum Gallum supra rectum ponam; nisi fortè persona talis esset, de qua meritò præsumi posset, ad effectum deducturum fuisse minas, nisi impedita fuisset. absque hoc sufficeret incarceratio, donec sufficientem cautionem præstaret, de non offendendo, ut etiam tradit Berlichius n. 29. apud quem à. n. 43. videri possunt varia indicia sufficientia ad torturam, & præsumptionem doli, qui probandus est.

338. Quæritur in quibus personis, aut casibus ordinaria pœna mitigari possit. Et

Dubitatur I. De eo, qui ante ortum incendium pœnitentiâ ductus, amovet causas incendii. Farinacius videtur tenere, talem omnino immunem ab omni pœna fore, nisi fortè timore ductus, ob auditum rumorem &c. abstinuisset. Carpzovius tamen tenet, semper quidem talem puniendum, sed pœnâ mitiore, quam tamen non taxat, adeoque arbitrio Judicis videtur relinqui, quem putem non facilè ad pœnam mortis processurum contra talem. Sed fortiùs

339. Dubitatur II. Qualiter puniendus ille, qui quidem incendio initium dedit, sed pœnitentiâ ductus, quantùm in se est, conatur impedire progressum, convocando vicinos ad extin-

rin-

stinguendum &c. De hoc pronuntiârunt Scabini Lipsienses, esse quidem morte puniendum, non tamen igne, sed gladio, ut refert Carpzovius q. 39. & à simili probat in crimine diffidationis, quod non malè cum incendio comparari potest. Quæ tamen paritas tunc solùm locum habet, quando ex inchoato incendio necdum notabile damnum secutum esset, impediente incendiario.

340. Dubitatur III. Qualiter excuset minor ætas, ut pœna ignis inpœnâ gladii comutari possit. Scabini sæpiùs hujusmodi pœnam mitigârunt illis qui pubertatem nô ità pridem adepti erant; ad quam sententiâ defendendam addncitur lex 108. ff.de R.J. *Ferè in omnibus pœnalibus jud ciis, & ætati & imprudentiæ succurritur.* Sed particula *ferè*, insinuat, in atrocissimis aliter fieri, præsertim si talia sint delicta, ad quæ non nisi magna malitia præter natoræ inclinationem inducir, quale est incendii delictum, à quo natura abhorret.

341. Quæritur ulteriùs, quâ pœnâ afficiendus sit, qui non quidem dolo malo, sed tamen culpâ suâ, puta inconsideratè agendo, malè custodiendo, vel ex quadam levitate absque intentione inferendi damnum incendio damnum dedit. ℞. Cùm in jure nulla certa pœna decreta sit, arbitrio prudentis Judicis relinquitur ponderandus gradus culpæ, an ea fuerit lata, levis, aut levissima. Et quidem ad damni reparationem communiter omnes condemnantur, ad quam etiam tenentur, sed non nisi post latam sententiam, nisi culpa theologica intervenisset, tunc enim quousque teneantur in conscientia, colligendum est ex disputatis *tract. 2. de Jure privat. c. 2. Contr. 5.* De ulteriore pœna, v.g. corporali, aut pecuniaria, statuet Judex secundùm gravitatem culpæ: sic quidam ad triremes per biennium condemnatus est, quòd ex levitate accenderit stupam duorum larvatorum, quâ circumdati erant, cum periculo combustionis eorundem. Sic Scabini ad fustigationem & perpetuam relegationem condemnârunt, qui quamvis ebrii candelâ in stabulo accensâ & malè custoditâ, magno incendio causam dederunt.

342. De Patre familias, quando teneatur vicino ad reparandum damnum datum incendio suorum domesticorum, alibi etiam actum est, nempe quando in officio sibi commisso peccatum ab illis est.

Controversia major est, cuinam incumbat onus probandi. an vicino, ut probet, culpâ domesticorum incendium exortum esse, an patrifamilias, ut probet nullam culpam intervenisse. Prior pars à multis defenditur. Verùm

Theoricè rem considerando, verior est sententia requirens probationem, quòd culpa ab- fuerit. Quam sententiam solidè propugnat Carpzovius, & observatur à Scabinis Lipsiensibus.

Probatur. Illud præsumitor, quod plerumque fit. Atqui incendia plerumque exoriunrur in ædibus aliquâ culpâ: ergo hæc præsumitur, & quidem præsumptione Juris, nisi contrarium probetur. Minor habetur expressè in *l. 3. §. 1. ff. de Off. præfecti vigil.* ibi. *& quia plerumque incendia culpâ fiunt inhabitantium.* & in *lege 11 ff. de periculo & commodo rei vend.* ubi dicitur: *incendium sine culpa fieri non posse.* & ridiculus est Hotomannus, volens, particulam *non*, esse expungendam: quod non solùm omnibus exemplatibus, sed etiam ipsi contextui repugnat, ut fatetur Cujacius, alioquin pronus ad textus emendandos.

343. Objicitur. Præsumptio hæc est indeterminatæ personæ. ergo actori probandum est, esse commissum à tali persona & in tali officio, ut inde obligetur paterfamilias. ℞. Negando consequentiam. Sed paterfamilias tenetur probare, esse commissum à persona tali, & non actu ad officium suum spectante: alioquin contrarium præsumetur, quia plerumque fit incendium ab illis, quos paterfamilias gubernat, & in officio illis commisso.

Incestus.

SUMMARIUM.

Qualiter committatur hoc delictum. 344.
An committatur cum persona, legali solùm cognatione conjuncta. 345.
Quid de hoc delicto Ord. Carolina, vel Ius Cæsartum. 346.
Quomodo Incestuosi in linea recta puniendi. 347.
Quidsi committatur cum agente vitam meretriciam. eod.
Quomodo incestus inter laterales puniendus. 348.
Quæ sit pœna Nuptiarum incestarum. 349.
An requiratur consummatio nuptiarum irritarum. 350.

344. Committitur per copulam carnalem inter personas consanguinitate vel affinitate conjonctas in illo gradu, quo Jure Canonico matrimonium irritatur. Unde & nuptiæ inter tales personas absque dispensatione celebratæ Incestuosæ dicuntur.

Obiter hic adverto, multos Canonistas, quos sequitur Julius Clarus & Damhouderus, docere, quòd committatur Incestus per copulam cum

cum Moniali, sed hoc repugnat omnibus definitionibus Incestûs quas tradit Farinacius q. 149. & theologicè dicitur Sacrilegium.

345. Majori veritatis specie dicunt aliqui Juristæ, committi incestum cum persona legali cognatione conjuncta per Adoptionem. Verùm Farinacius cum aliis dicit, non esse nisi impropriè incestum, nec puniri pœnâ incestûs ordinariâ, sed mitiore & arbitrariâ. & ratio videtur reddi posse, quia impedimentum matrimonii non est perpetuum, sed solùm durante adoptione, & tandem fier quæstio de nomine. Aliud dicendum de conjunctis cognatione spirituali mediantibus Sacramentis Baptismi & Confirmationis, ut colligitur ex toto titulo de cognatione spirituali: nec tamen, teste eodem auctore, talis incestus punitur pœnâ ordinariâ, quia præsumitur ignorantia. Porrò ex dispositione Tridentini Concilii hoc impedimentum comprehendit tantùm suscipientem in baptismo, & susceptum, hujusque patrem, & matrem, necnon baptizantem & baptizatum, ipsiusque baptizati patrem & matrem: idem cum proportione in Sacramento Confirmationis. His præmissis, de pœna Incestûs, & Incestarum nuptiarum videamus.

346. Ordinatio Criminalis Carolina a. 117. nihil expressè statuit, sed vult in hoc delicto esse observandum Jus Imperiale, eoque Judicem remittit. Verùm, hinc emergit difficultas. Nam in Jure Cæsareo non reperitur expressè pœna statuta Incestui, sed solùm per consequentiam deducitur, quatenus legitur, Incestum pœnâ adulterii puniri. *l. 38. pr. ff. ad L. Jul. de adult.* [Si adulterium cum incesto committatur, ut puta cum privignâ, nuru, noverca, mulier similiter quoque punietur, id enim, remoto etiam adulterio eveniret.] Unde DD. communiter subsumunt: atqui Adulterium jure novo punitur pœnâ gladii, mulier verò in Monasterium detruditur. Ergo eadem erit pœna Incestûs: & quia Jus dicit, mulierem esse pari pœnâ plectendam, inferunt communiter DD. tam marem quàm fœminam esse ultimo supplicio puniendos. Et quamvis Carpzovius *q. 72. n. 7.* disertis verbis se communi huic opinioni opponat cum Hartm. Pistorio, postea tamen n. 21. quoad incestum inter ascendentes & descendentes hanc communiorem opinionem sequitur.

347. Dicendum I. Hujusmodi incestuosi in linea recta puniendi sunt pœnâ gladii, tam mas quàm fœmina, in quocunque gradu sint conjuncti. Ità communis DD. opinio habet. Ratio est, quia hodie hæc est pœna adulterii: ergo dum Jura volunt æqualiter puniri incestum, qui est gravius delictum, & expressè volunt fœminam eodem modo puniri, consequenter per hæc jura hodie erit pœna incestûs pœna gladii, non obstante l. 5. *ff. de Quæstionibus*, ubi antiquo jure solùm deportabantur, etiam tunc, quando incestus cum adulterio aut stupro conjungebatur.

Dubitatum est, an pari pœnâ puniretur, qui incestum committeret cum ascendente vel descendente, meretriciam vitam agente. Ratio dubitandi est, quia adulterium cum tali commissum etiam mitiùs punitur. &. Tamen, quidquid sit de ratione dubitandi, quæ fortè hodie locum non habet, negando paritatem, quia vita meretricia facit vilescere æstimationem thori, non item conjunctionem sanguinis.

348. Dicendum II. Quamvis Incestus inter collaterales in quibusdam provinciis non puniatur pœnâ mortis, sed fustigatione, vel relegatione, Jure communi tamen non videtur hoc probari, & Ordinatio Carolina loquitur de personis affinitate conjunctis. Unde talem incestum etiam pœnâ mortis puniendum esse tradunt Menochius, aliique relati à Berlichio *Conclus. 33. n. 1.*

349. Dicendum III. Inspecto Jure Civili *Cod. de incestis & inutilibus nupt.* Nuptiarum incestarum pœna est, quòd dos vel contrados, si quæ data, tanquam ab indignis aufetatur: post mortem cætera quoque eorum bona fisco addicantur, testamenti faciendi potestate ipsis ademptâ: nisi extent liberi legitimi usque ad tertium gradum, vel parentes usque ad secundum, vel frater, soror, patruus, amita: quibus solis voluerunt leges servari bona, nisi & hi fuissent conciliatores illarum incestarum nuptiarum. Ità habetur l. 4. & 6. C. tit. cit. Imò jure Novellarum substantia universa contrahentium statim fisco cedit, liberis legitimis exstantibus, iis applicatur: Ità tamen ut parentem incestuosum alant: qui etiam fiunt sui juris. Præterea cingulo suæ dignitatis spoliatur incestuosas nuptias contrahens, & in exilium mittitur: si verò sit vilis persona, priùs verberibus castigatur. Sic habet auth. hujus citati tituli. [Incestas nuptias contrahentis pœna est confiscatio bonorum tam cæterorum, quàm dotis: exilium: etiam cinguli, si quo potitur, spoliatio, verberatio quoque, si vilis est: fœminâ quoque talia scienter peccante, simili pœnæ subjugandâ. Substantia sic amissa liberis, hoc ipso Juris effectûs si quos habet legitimos, applicetur: ut tamen pater ab eis alatur: quibus non exstantibus fisco deferatur.]

350. Dubitatum est, an hæ pœnæ tunc solùm procedant, quando hujusmodi matrimonium irritum fuit deinde consummatum. Affirmatunt aliqui. Sed rectiùs negat Perez in d. tit. n. 15. hoc requiri, vultque sufficere, quòd fuerit exteriùs matrimonium celebratum per verba

verba de præsenti: neque Jura plùs requirunt, ut colligitur ex §. 12. *Inst. de Nuptiis*, ubi in fine dicitur. *Qui autem prohibitas nuptias contrahunt, & alias pœnas patiuntur, quæ sacris constitutionibus continentur.*

Infanticidium.

DE hoc agitur sub titulo *Parricidii*, ubi etiam de Mariti- & Uxoricidio dicetur.

Injuria Realis.

SVMMARIVM.

LÆso criminaliter agenti ad nullam refusionem tenetur reus, arbitrio judicis puniendus. 351.

Potest pœna ob atrocitatem crescere usque ad ultimum supplicium, ob personæ læsæ & lædentis conditionem. 352.

Quomodo punienda injuria realis parentibus illata. 353.

An violatis uno actu diversis statutis circa percussionem, vulnerationem, arma, teneatur reus omnibus pœnis. 354.

An statutum prohibens invasionem cum armis, violetur, si arma gestet invasor, sed non expediat. 355.

An invadens aliquem in vestibulo domûs, puniendus perinde ut invadens in domo contra statutum. eod.

351. DE Injuriis verbalibus satis dictum est, *to. 1. tr. 2. de Jure privat.* quò me refero. Hic aliquid addendum est de Injuriis realibus, maximè quibus vulnera infliguntur absque nece. De quibus

Carpzovius statuit hanc regulam. Quando læsus agit criminaliter, Judex Reo de vulneratione convicto seu confesso, pro qualitate vulneris, & ratione circumstantiarum, pœnam corporis afflictivam irrogare potest, pro arbitrio suo. quæ etiam aliquando solet esse amputatio manûs, in quo puncto locorum consuetudo, vel speciale Statutum attendendum est. Illatâ pœnâ corporis afflictivâ, ad nullum aliud interesse aut damnum resarciendum tenetur reus, & sibi imputet læsus, quòd maluerit agere criminaliter, quàm civiliter.

352. Ex conditione personæ læsæ, potest pœna pro injuria reali, si ea fit admodum atrox & enormis, crescere usque ad ultimum supplicium: quod imprimis DD. tradunt circa injuriam valde atrocem illatam Magistratui. Et quamvis Carpzovius nolit hujusmodi injuriam esse, si quis Magistratui alapam infligat, hoc tamen universaliter loquendo verum non est, sed solùm de Magistratu inferiore intelligendum existimo. Potest enim dignitas Personæ & Officii tanta esse, ut alapa esset atrocior injuria, quàm si inferior Magistratus graviter vulneraretur.

353. Circa parentes, Scabini apud eundem Auctorem *p. 2. quæst. ult. à n. 36.* distinguunt, an injuria parentibus illata fuerit gravissima, & atrocissima, ut vulneratio aut percussio lethalis, an verò aliqua ex parte levior, v.g. pulsatio aut verberatio. Priori casu liberos fustigatione, aut amputatione manûs plectendos, atque in perpetuum relegandos esse putaverunt. Imò plures AA. ibidem relati tenent, posse pœnam arbitrariam usque ad mortis supplicium extendi, prout contra filios immorigeros extensa est. Deuteron. 21. v. 19. ibi. *Lapidibus eum obruet populus &c.* quamvis ad parentis læsi intercessionem plerumque Judex pœnam moderabitur. Posteriore casu, nempe ob injurias leves, seu reales seu verbales, absque vulneribus illatas, filios relegatione vel carcere, in quo pro ratione circumstantiarum pane & aquâ pascendi sunt, satis puniri, iidem Scabini pronuntiârunt.

Damhouderus sub titulo *Invasionis*, varias quæstiones movet, quæ ad titulum Injuriæ realis revocari possunt.

354. Quæritur I. Si in aliquo loco existerent diversa Statuta, quorum unum statueret certam pœnam pro Invasione, aliam pro gestatione armorum, aliam pro vulneratione: an si quis aliquem invadendo vulneraret, ad omnes illas pœnas teneretur. Respondet Damhoud. cum Hippolito de Marsil. negativè, sed puniendum esse solâ pœnâ vulnerationis. Rationem dant, quia violatio duorum priorum Statutorum confunditur cum violatione tertii Statuti, & vulneris illatione. Hæc tamen ratio difficilis est: Nam in Superioribus vidimus, quòd quando in uno actu plura delicta committuntur, pœna possit exasperari. Quare non video, cur non etiam in casu posito possit reus puniri triplici pœnâ, si ea est cumulabilis, v. g. pecuniariâ. Reverâ enim plùs deliquit, quàm qui v.g. vulneraret instrumento non prohibito, & absque invasione, eo quòd fortè ab altero invasus sit, excessit tamen moderamen inculpatæ tutelæ. Sed de pœnarum exasperatione iterum agetur in fine tractatûs sequentis cap. 11. contr. 6.

355. Quæritur II. Si exstet statutum, ut nemo alium cum armis invadat, an sit reus ille, qui v.g. gladium vel bombardam gestans ad latus alterum invadit, sed non extrahit gladium, nec bombardam expeditam intentat. R. Affirmativè. Nam reverâ invasio facta est cum armis, hoc est, ab armato, cui facilè erat adhibere

hibere arma, si alter se defenderet, nam ad hunc finem præsumitur arma gestâsse, ut & ipse in aggrediendo audacior esset, & alter timidior evaderet, ad quod cavendum censetur illa lex esse lata: quamvis & alii fines esse potuerint.

Quæritur III. Si exstaret statutum, ut quisquis alterum invaderet in domo sua, is duplo puniretur, quàm alius invasor: & te deinde aliquis insiliret in vestibulo seu porticu domûs tuæ, an duplicatâ pœnâ puniendus esset. ℞. Affirmativè. Quia porticus & vestibulum est pars domûs. Extendit hoc Damhouderus ad eum, qui sedentem prope fores invaderet, quia etiam talis in domo sua fuisse censeri debet, & favor est ampliandus, adeoque privilegium ædibus concessum etiam ad sedile illud extendendum.

Latrocinium.

SVMMARIVM.

Quid sit Latrocinium largè vel strictè sumptum. 356.

Quæ illius pœna, tum Jure Civili; tum ex Ord. Carol. 357.

An ad pœnam Rotæ requiratur plùs quàm spolium intentatum cum homicidio. 358.

Quænam veniant nomine armorum. 359.

An debeat fieri in via publica. 360.

Quomodo puniendi auxiliatores latronum. 361.

An lucrum per homicidium intentum debeat sperari de præsenti, vel sufficiat de futuro. 362.

An rotà puniendus, qui cum furto comprehensus occidit, ut se liberet à pœna furti. eod.

Quomodo puniendum latrocinium attentatum non consummatum. 363.

An rotà puniendus, qui vulneratum pro mortuo relinquit, sed mortem evasit. 364. *& seq.*

In quibus casibus rotæ supplicium possit exasperari. 366.

356. Latrocinium aliquando sumitur largè, aliquando strictè. Largè sumptum comprehendit quosvis qui alium ex insidiis per vim spoliant, etsi non occidendi animo, quod plerumque fit in viis occultis, locis desertis, sylvis, saltibus. Strictè verò & magis ex sensu legum, illud solùm dicitur Latrocinium, quo spoliatio cum occisione conjungitur, sive illius qui spoliatus est, sive alicujus, à quo timebatur delicti manifestatio: cæteri potiùs Grassatores & Prædones vocantur. Colligitur hoc ex variis Juris textibus. Imprimis ex lege 28. §. 10. ff. de pœnis. ubi dicitur. *Grassatores, qui prædæ causà id faciunt, proximi latronibus habentur.* ergo necdum sunt latrones. Deinde supponitur in §. 15. quòd latrocinium consistat in occisione, dum dicitur, eos esse suspendendos in loco commissi delicti; in solatium eorum, qui occisis conjuncti vel affines sunt. Deinde ex lege 4. *C. ad L. Corn. de Sicariis.* colligitur, requiri animum occidendi, ut quis latro dicatur. [Si, ut allegas, latrocinantem peremisti, dubium non est, eum, qui inferendæ cædis voluntate præcesserat, Jure cæsum videri.] Idem supponitur in can. 19. *ca.* 23. *q.* 5. ibi. *Cùm homo ab homine occiditur aliquid auferendi cupiditate, sicut fit à latrone.*

357. Pœna hujus qualificati Homicidii, Jure civili est Suspendium. *l.* 28. §. 15. *ff. de pœnis.* [Famosos latrones, his locis, ubi grassati sunt, furcâ figendos compluribus placuit.] Verùm hodie aliter & aliter puniuntur latrones, pro locorum & consuetudinis diversitate.

Ordinatio Criminalis Carolina ar. 130. dicit, eum qui aliquem veneno occidit, esse more latronum rotâ puniendum: ergo supponit, hanc esse pœnam latrocinii, prout per Germaniam est receptum. Sed non rectè tradit Damhouderus c. 102. in fine, hanc pœnam in Germania infligi illis, qui spoliant absque cæde, & qui solùm largè dicuntur Latrones.

358. Dubitatum est I. An aliquæ aliæ conditiones, quàm intentatum spolium cum homicidio requirantur, ad hanc pœnam Rotæ infligendam. Nicolaus Reusnerus apud Carpzov. *q.* 21. *n.* 14. tria requirit. Primum, quòd solitus sit de prædari. Secundùm: quòd cum furto aggressus sit. Tertium, quòd in viis publicis hoc fecerit. Addunt aliqui quartum, quòd publicâ famâ laboret. Hæc omnia repugnant consuetudini Germaniæ. Nam imprimis etiam propter primum actum latrocinii, non ità pridem hic Ingolstadii Rotæ supplicio affectum esse scimus. Unde ob frequentatum latrocinium pœna exasperatur adustione; & aliis modis, v. g. alligatione ad equos, tractione per traham ad locum supplicii, prout etiam non ità pridem in quodam observatum est.

359. Secundò, non solùm ferrum, sed & alia instrumenta veniunt nomine armorum, ut habetur lege 3. §. 2. *ff. de vi & vi armata.* [Armis dejectum quomodo accipimus? Arma sunt omnia tela, hoc est & fustes & lapides, non solùm gladii, hastæ, frameæ.] Et quidem ille latro, de quo antè dixi, occiderat scipione quo incedebat, cui plumbum erat infusum.

360. Tertiò, non est necesse, ut fiat in via publica, nam & in sylvis frequentissimè fiunt. Imò in sua domo posset latrocinium fieri, prout latro vocatur in lege Divus. *ff. ad L. Pomp. de parricid.*

ricid. qui adulterantem cum noverca filium occidit. Sic tanquam latrones puniuntur Rotæ supplicio caupones, qui apud se divertentes occidunt, spoliandi gratiâ: nihil ergo interest, quo loco fiat occisio, dummodo fiat spoliandi gratiâ, ut quis tanquam latro supplicio Rotæ puniatur. Unde Latrocinium hac pœnâ plectendum non malè definitur à Carpzovio: *Homicidium spolii seu Lucri causâ commissum.* Gratis igitur aliqui requirunt ad substantiam Latrocinii, ut quis ex insidiis, v.g. in sylva vel via publica assiliat: nam ad hanc Rotæ pœnam promerendam multò magis sufficeret dormientem occidere, vel simulatâ amicitiâ in itinere socium nihil metuentem, quod est homicidium proditorium, de quo plura suprà tit. Homicidii. Neque attendendus est vulgaris loquendi modus, quo illi soli Latrones vocari solent, qui in sylvis vel saltibus aut montibus se occultant, & inde viatores præstolantur ac spoliant & occidunt. Nam pro decernendo Rotæ supplicio sufficit homicidium cum spolio saltem intentato. Unde si quis apud occisum nihil reperiret, adhuc eandem pœnam mereretur, dummodo finis homicidii fuerit lucrum ex spolio quærendum.

361. Dubitatum est II. Quâ pœnâ plectendus sit, qui latrocinanti ad ipsum latrocinium auxilium præstat, v.g. in excubiis stat, fugam occidendi impedit: Item qui patratum latrocinium approbat, & de spolio participat. ℞. Quidquid sit, an tales possint rectè vocari Latrones, (quæ erit inutilis quæstio de nomine) sunt puniendi eàdem pœnâ quâ ille, qui homicidium propriâ manu peregit. Ità decreverunt aliquoties Scabini, quos sequitur Carpzovius à n. 30. Et deducitur ex illis quæ de auxiliatore suprà tradidimus. Et colligitur etiam à fortiori ex lege 1. §. 1. *ff. de receptatoribus.* ubi dicitur: *In pari causa habendi sunt, qui cùm latrones apprehĕdere possent, pecuniâ acceptâ, vel surreptorum parte dimiserunt.* Ergo multò magis, qui positivè auxilium præstiterunt.

362. Dubitatum est III. An Lucrum quod quis per homicidium intendit, debeat sperari de præsenti, vel possit esse de futuro. ℞. Posse esse de futuro. Sic latrocinium commisit ille Tridentinus, qui meo tempore per assassinum curavit occidi suum fratrem germanum, in eum finem, ut legitima sibi debita cresceret, & sic in uxorem consequeretur puellam desideratam. Sic Scabini dictârunt pœnam Rotæ illi, qui aliquem occiderat eo fine, ut ejus viduam acciperet uxorem. Pari modo puniendus est, qui, ne ab aliquo ob lucrum jam quæsitum prodatur, v.g. ob furtum commissum, occidit, talis enim quærit lucrum, nempe securam retentionem rei furto ablatæ. Hujusmodi latrocinium committunt illi, qui ad suas superstitiones & actus Magicos, occidunt gravidas, & fœtibus extractis amputant manus, ex quibus cerâ inductis lychnos conficiunt, iisque in domo ubi furari volunt, accensis, ajunt domesticorum neminem excitari posse, dum ardent, ut refert citatus Auctor.

Dubitatum est IV. An eodem Rotæ supplicio puniendus sit, qui deprehensus in furto & comprehensus, ut se liberet, & pœnam furti evadat, occidit, absque animo defendendi & lucrandi rem furtivam. ℞. Talem non nisi ut homicidam, adeoque gladio puniendum esse, quia homicidium non ordinatur ad lucrandum, sed ad non admittendum, seu ad non subeundam pœnam furti.

363. Dubitatum est V. Quomodo puniendum sit latrocinium attentatum, sed non consumatum. ℞. 1. Si actus fuit remotus solùm, nec spoliatio actu secuta, multò minùs homicidium, tunc non est reus puniendus ullâ pœnâ mortis, sed pœnâ Judicis arbitrariâ, adhibitâ Peritorum consultatione, & consideratâ gravitate attentati, ut monet Ordinatio Carol. a. 178. Cæterùm, si statutum aut consuetudo aliud haberet, esset observanda, ut monet Julius Clarus §. *fin. q.* 91. *n.* 2. ℞. 2. Si spoliatio fuit consummata, talis puniendus est pœnâ Grassatoribus assignatâ, quæ solet in pluribus locis esse pœna gladii, consentaneè ad art. 126. *Ord. Carol.*

364. Difficilius est, an, si aggressor vulneravit adeo, ut pro mortuo reliquerit vulneratum, sit puniendus pœnâ ordinariâ Rotæ: esto vulneratus iterum se collegerit, & mortem evaserit. Nicolaus Reusnerus defendit, hujusmodi non solùm non esse puniendum pœnâ ordinariâ latrocinii, sed ne quidem pœnâ ullâ mortis, sed solùm amputatione manûs, & perpetuâ relegatione. Verùm, Dicasterium Lipsiense talem gladio adjudicavit, prout defendit Carpz. n. 73. eò quòd talis ad minimùm puniendus sit pœnâ grassatoribus decretâ: ubi benè ostendit, argumenti Reusneri consequentiam esse vitiosam. Ex eo enim quòd attentatum delicti mitiùs puniatur (quamvis nec hoc universim verum sit, præsertim in atrocissimis) quàm consumatum, malè infert Reusnerus, talem non esse puniendum mortis pœnâ. Nam adhuc mitior pœna est pœna gladii quàm Rotæ.

365. Cæterùm, Scabini Lipsienses adhuc distinctione utuntur, inter eum qui non spoliavit, quia fortè impeditus, aut in fugam conjectus fuit, & inter eum, qui insuper spoliavit eum, quem pro mortuo habebat. Priorem gladio adjudicârunt, quia vulneratio cum intentione spoliandi, meretur pœnam fractæ pacis publicæ, quæ est pœna mortis. Posteriorem verò, gladio puniendum, & insuper cadaver Rotæ imponendum, prout in illis terris solent puniri Grassatores.

res. Quin imò quandoque talem Rotæ adjudicârunt, eo quòd ex parte latronis nihil defuerit, qui si scivisset, vulneratum adhuc supervivere posse, penitus occidisset. Et Julius Clarus loco citato testatur, se sæpius vidisse talem pœnâ ordinariâ Latrocinii puniri, & Judicem posse vel hanc, vel mitiorem sententiam tutò sequi.

366. Dubitatur VI. An, & in quibus casibus Rotæ supplicium exasperari possit. ℞. Posse in aliquibus casibus exasperari, colligitur ex Ord. Crim. Carolina art. 137. §. 1. ubi dicitur: posse homicidium perpetratum in personis Illustribus, vel conjunctis Sanguine vel matrimonio, vel in suis dominis actiùs puniri per antecedentem adustionem, vel tractionem super traha ad locum supplicii: & ratio redditur. *Ad aliorum terrorem.* Ex qua ratione DD. inferunt, (& praxis observat) posse in pluribus aliis casibus, ubi eadem ratio militat, exasperari. Primò, si modus trucidandi est specialiter horribilis, v. g. dissecando ventrem, eviscerando, membratim truncando, &c. Secundò, ob latrocinium multiplicatum, vel ob plurium occisionem unâ vice, & unius spolii causâ factam, & quidem Carpzovius ex præjudiciis Scabinorum statuit pro regula: Latrocinii reum toties, quoties hoc crimen reiteratum fuit, vel, quod idem est, tot vicibus, quot personæ interfectæ fuerunt, demptâ unâ, ferro candenti ustulandum esse: quam regulam n. 28. vult observandam, etiam quando uno eodemque tempore personas plures occidit reus, & unicum spolium fuisset. (in quo videtur oblitus esse Carpzovius illius, quod dixerat n. 19. in fine, ut legenti patet) Imò, si cum latrocinio repetito concurreret aliud delictum, etiam totâ puniendum, posset toties aduri, quot personæ occisæ sunt, ut idem auctor n. 40. tradit, & ità Scabini ob conjunctum furtum sacrilegum pronuntiârunt. In repetenda tamen ustulatione attendendũ est, ne per ejus repetitionem tandem reus enecetur, nec possit principali pœnâ Rotæ affici, & ideo, quando tale periculum est antecipandæ mortis, non est observanda posita regula, ut fatetur idem auctor. & potest ulterior ratio reddi, quia secunda & tertia ustulatio est in se longè asperior, quàm si esset prima, adeoque possunt æstimari tanquam æquivalentes pluribus; quod prudenti Judicis arbitrio relinquitur.

Solet etiam quandoque hujus pœnæ exasperatio consistere in modo concutiendi, ità ut priùs extrema membra pedum & brachiorum, ultimo verò loco pectus, aut collum frangatur; quamvis, si primo loco frangatur collum aut pectus, sit potiùs gratia, quàm modus pœnæ ordinarius.

Lenocinium.

SUMMARIUM.

367. Lenocinium est prostitutio vel pellectio seu inductio alicujus fœminæ à se distinctæ ad actum venereum quæstûs causâ. Differt à Meretricio quæstu, quòd meretrix in proprio corpore quæstum quærat, leno verò vel lena in alieno. Contra Lenones exstat Novella 14. ubi sic tandem statuitur. [Omnibus prohibemus modis, & nulli fiduciam esse, pascere meretricem, & in domo habere mulieres aut publicè prostituere ad luxuriã, & pro alio quodã negotio talia mercari: neque conscriptiones super hoc percipere, neque fidejussores exigere: nec tale aliquid agere, quod cogat miseras & invitas suam castitatem confundere: Neque sperare, quia licebit de cætero eis vestium donatione aut ornamentorum forsan aut alimenti decipere, aut etiam invitæ sustineant. Non enim permittimus fieri quidquam tale, sed etiam nunc omnia talia breviter competenti curâ disponimus, statuentes etiam reddi eis omnem quam contigerit cautionem occasione sceleris hujus exponi: & neque permittimus scelestos lenones, si quid dederunt eis, hoc ab eis auferre: sed etiam ipsos lenones jubemus extra hanc fieri felicissimam civitatem, tanquam pestiferos, & communes castitatis vastatores factos, & liberas, ancillásque requirentes

tes & deducentes, ad hujusmodi necessitatem, & decipientes, & habentes educatas ad universam confusionem. Præconizamus itaque, quia si quis de cætero præsumpserit invitam puellam assumere, & habere ad necessitatem nutritam, & fornicationis sibi deferentem quæstum, hunc necesse esse spectabilibus Prætoribus populi hujus felicissimæ civitatis comprehensum, omnia novissima sustinere supplicia.]

368. Porrò, delictum Lenocinii non est æquale, sed modò gravius, modò minùs grave, pro diversa conjunctione personarum, nam utique gravius & detestabilius est delictum parentum exponentium suas filias, aut consanguineas, item mariti pellicientis uxorem, ut cum alio adulteretur, quàm illius, qui puellam extraneam alit in hunc finem, ut inde quæstum habeat, ut faciunt, qui lupanaria alunt. Unde sequitur, inæquali etiam pœnâ puniendum esse. Itaque

369. Dicendum I. Parentum exponentium suas filias aut neptes, pœna multiplex est. Primò enim ex communi DD. opinione privantur patriâ potestate, & ad publica metalla condemnantur. arg. *l. 12. C. de Episcop. audient.* [Si Lenones patres & domini suis filiabus vel ancillis peccandi necessitatem imposuerint, liceat filiabus & ancillis Episcoporum implorato suffragio omni misetiarum necessitate absolvi.] Et clariùs *l. 6. C. de spectaculis, scenicis, & lenonibus.* [Lenones patres & dominos, qui suis filiabus vel ancillis peccandi necessitatem imponunt, nec jure frui dominii, nec tanti criminis patimur libertate gaudere. Igitur tali placet eos indignatione subduci, ne potestatis jure frui valeant, nevé quid eis possit acquiri, sed ancillis filiabusque, si velint, conductisvé pro paupertate personis quas sors damnavit humilior, Episcoporum liceat, Judicum etiam, defensorumque implorato suffragio, omni miseriarum necessitate absolvi, ità ut si infistendum eis lenones esse crediderint, vel peccandi ingerant necessitatem invitis, amittant non solùm eam, quam habuerint potestatem, sed proscripti pœnæ mancipentur exilii, metallis addicendi publicis, quæ minor pœna est, quàm si præcepto lenonis cogatur quispiam coïtionis sordes ferre, quas nolit.] Hinc Farinacius, Menochius, & alii colligunt, quòd etiam leno amittat usumfructum bonorum adventitiorum illius prolis quam exposuit pro quæstu.

Verùm, hæ pœnæ hodierno jure sunt abrogatæ, vel potiùs in asperiorem (in qua illæ continentur) commutatæ, nempe ut talis leno ultimo supplicio afficiatur, ut constat ex verbis Novellæ 14. recitatis, & Follerus apud Carpz. testatur, patrem filiæ & uxoris lenonem, fuisse combustum.

370. In marito lenone uxoris, est etiam specialis ratio, quia talis Instar adulteri puniendus est, per *legem 2. §. 2. ff. ad L. Jul. de adult.* [Lenocinii quidem crimen lege Juliâ de adulteriis proscriptum est, cùm sit in eum maritum pœna statuta, qui de adulterio uxoris suæ quid ceperit.] *& l. 8. eod.* [Qui domum suam, ut stuprum adulteriúmve cum aliena matrefamilias, vel cum masculo fieret, sciens præbuerit, vel quæstum ex adulterio uxoris suæ fecerit, cujuscunque sit conditionis, quasi adulter punitur.]

Ad quæ Jura se refert art. 122. Ord. Carol. dicens: Si quis uxorem aut liberos, cujuscunque lucri causâ permiserit aliis ad libidinem, est infamis, & secundùm Jus commune puniendus est.

371. Quæritur I. An ordinariâ pœnâ puniendus sit parens, qui filiam suam illegitimam quæstûs causâ exponit. ℞. Affirmativè, tum quia lex non distinguit, tum quia sanguinis nexus, illique debita reverentia, per hujus criminis punitionem attenditur & intenditur.

Quæritur II. An requiratur actuum iteratio, vel sufficiat unicus actus. ℞. Unicum sufficere, quia Jura non requirunt iterationem, per expressam *legem 29 § 4. ff. ad L. Jul. de adult.* [Quæstum autem ex adulterio uxoris facere videtur, qui quid accepit, ut adulteretur uxor: sive enim sæpius sive semel accepit, non est eximendus, quæstum enim de adulterio uxoris facere propriè ille existimandus est, qui aliquid accepit, ut uxorem pateretur adulterari meretricio quodam genere.] Et in facti contingentia Scabini talem ad gladii pœnam condemnârunt.

372. Quæritur III. Quâ pœnâ puniendus sit, qui quidem ipse uxorem aut liberos non exponit, nec sollicitat ad scortandum, sed sponte ruentes non impedit, sed sciens permittit, & dissimulat spe lucri, quia post peractum scelus v.g. transigit cum deprehensis. Ratio dubitandi esse potest, quia Nov. 14. & quædam alia Jura, solùm loquuntur de lenonibus, qui invitas adigunt: ergo non videntur puniendi pœnâ ordinariâ. Hoc tamen non obstante dicendum est, esse nihilominus puniendum pœnâ Ordinariâ. 1. quia hoc est conforme Ordinationi Criminali relatæ, quæ plùs non requirit, quàm permissionem. 2. Quia lege 29. §. 4. relato, etiam ille dicitur lenocinium perpetrare, qui patitur uxorem adulterari: atqui sciens & non impediens, cùm posset, utique patitur. ergo &c. Aliud esset, si ignoraret factum, sed postea resciens dissimularet, etiam lucri spe, quia talis non rectè diceretur permisisse.

373. Verùm, contra hanc ultimam exceptioné objici posset lex. 29. *pr. ff. ad L. Jul. de adult.* ubi dicitur. [Mariti lenocinium lex coërcuit, qui deprehensam uxorem in adulterio retinuit,

adulterúmque dimisit.] & *lex.* 2. *C. eod.* [Crimen lenocinij contrahunt, qui deprehensam in adulterio uxorem in matrimonio retinuerunt.] R. Hos textus vel correctos esse per auth. C. eod. ex Nou. 117. c. 8. desumptam, ut vult Bart. & Carpz. vel certè hodie non ligant; quando etiam (etsi contra leges antiquas) hodiernis moribus sustinetur transactio super adulterio, ut etiam notat Julius Clarus §. *fin. q.* 58. *n.* 11. *in fine.*

374. Quæritur IV. An, quod dictum est de prostituente uxorem aut filias, sit extendendum quoad pœnam ultimi supplicii etiam ad illos lenones, qui prostituunt personas vel sanguine sibi ex latere conjunctas, ut frater sororem, vel suæ curæ ac tutelæ commissas, ut nutrix puellam, tutor pupillam. Ratio dubitandi est, quia tales parentum loco habentur. Et ideo affirmativam tenent Farinacius, Tolosanus, Menochius, Berlichius, alij. Verùm, hujusmodi nō esse puniendos pœnâ capitis, sed mitiùs, nempe prout dicetur de prostituentibus personas alias extraneas, (cum aliqua tamen exasperatione, Judicis arbitrio determinanda, ut ego puto) non immeritò asserit Carpzovius, quandoquidem Jura expressè loquantur de parentibus & marito, in pœnalibus autem non debet fieri extensio legis ad personas, quæ non nisi impropriè parentes censentur.

375. Quæritur V. An locus sit pœnæ Ordinariæ, quando lucrum nullum est secutum quod sperabatur. Scabini in facti contingentia judicârunt, sufficere pœnam fustigationis, cum perpetua relegatione. Sed illi se fundabant in verbis Constitutionis Electoralis Saxonicæ. Quodsi considerem verba Ordinationis Criminalis Carolinæ, videtur omnino affirmandum. Expresśè enim requirit unicè ut lenocinium fiat *amore lucri.* Non autem requirit actualem fruitionem lucri. Sicut in simili dictum est de Latrocinio, sufficere spem spolii, etiamsi nullum secutum sit.

376. Dicendum II. Qui personas extraneas prostituunt, aut cum lenocinio sollicitant, quamvis, inspecto Jure civili, etiam pœnâ ultimi supplicii essent coërcendi, passim tamen mitiùs puniuntur, pro diversa locorum consuetudine. Et quidem secundùm Ordinationem Carolinam art. 123. pro delicti qualitate arbitrariè, puta exilio, numellis, aurium mutilatione, fustigatione. ibi. [Tales malitiosi lenones & lenæ, item illi qui scienter, malitiosè & ex proposito domos suas ad hoc locant vel indulgent, pro conditione delicti, & judicio Jurisperitorum, sive relegatione, sive numellis, sive aurium abscissione, sive fustigatione, aut alio modo puniantur.] Jure Bavarico *Or. Pol. lib.* 5. *tit.* 9. *a.* 15. tales puniuntur impositione lapidis famosi, vel simili pœnâ famosâ, cum relegatione in perpetuum.

377. Dubitatur I. An hac Ordinatione comprehendantur etiam illi, qui meretrices quæstûs causâ exponunt in Lupanaribus. Ratio dubitandi est, quia Ordinatio solùm loquitur de seducentibus innocentes puellas, & virgines. Nihilominus, non est cogitandum, quòd Imperator voluerit alios lenones esse impunitos, quandoquidem diversa genera pœnarum inæqualium enumerat. Cæterùm, ubi lupanaria permittuntur, fortè non nisi pecuniario tributo puniuntur, de quo mihi non constat.

378. Dubitatur II. An à pœna ordinaria, ultimo scilicet supplicio, excusare possit necessitas domestica, quâ quis ad alendam familiam impellitur ad lenocinium exercendum. Affirmat Menochius *lib.* 2. *arb. cent.* 6. *casu* 534. *n.* 14. *& seqq.* Farinacius *q.* 144. Nec reipsâ (quamvis verbis) dissentire videtur Carpzovius n. 71. dum refert præjudicium Scabinorum, qui talem ad fustigationem & relegationem condemnârunt.

Verùm, contrarium dicendum est cum Berlichio I. per legem 43. §. 5. *ff. de Ritu Nupt.* ubi Ulpianus de Meretricibus & Lenonibus agens dicit. *Non est ignoscendum ei, quæ obtentu paupertatis turpissimam vitam agit.* Neque potest subsistere effugium Menochii, distinguentis inter *Paupertatem & Necessitatem.* Nam, ut videbimus, textus quem ille pro se affert, etiam loquitur de Paupertate, adeoque Jura in hoc puncto non distinguunt inter prætensam paupertatem & necessitatem.

Probatur II. Quia quod non licet domino in ancillis ob necessitatem, neque debet licere aliis. atqui domino non ignoscitur si prostituat ancillas ex prætensa necessitate, ut patet ex legibus sup. adductis. ergo &c. Denique, hac ratione etiam Latrocinia excusari possent à pœna ordinaria, quod nemo dixerit. Et notandum est, quòd vix casus excogitari possit, quo non supersit aliud honestum medium sublevandi necessitatem, quàm turpissimum lenocinium, præsertim cùm ex Theologorum doctrina necessitas excuset à crimine furti, quia bona aliorum aliqualiter fiunt communia in casu necessitatis, ut declaravi *to.* 1. *de Jure privat.*

Objiciunt textum in lege 2. *C. de patribus qui filios distraxerunt.* Verùm, ille textus loquitur de venditione honesta liberorum, & quidem liberorum vix natorum: quomodo ergo inde lenones excusari possunt? sic habet. [Si quis propter nimiam paupertatem egestatemque, victûs causâ filium filiamque sanguinolentos vendiderit, venditione in hoc solummodo casu valente. &c.]

Limi-

Limitum translatio.

SVMMARIVM.

379. PEr limites intelliguntur, illa signacula, quibus agri vicinorum ab invicem dirimuntur, de quibus est titulus Digestorum: *de Termino moto.* De hoc crimine exstat in Ord. Crim. Carol. articulus 114. ubi pro qualitate & conditione rerum & personarum puniendum arbitrio Judicis relinquitur. Nam & Jure communi, tit. cit. diversis modis hoc delictum committendi diversæ pœnæ constitutæ sunt, ad quas Judex attendere, & se conformare potest. Lex. 2. sic habet. ibi. [de pœna tamen, modus ex conditione personæ, & mente facientis magis statui potest. Nam si splendidiores personæ sunt, quæ convincuntur, non dubiè occupandorum alienorum finium causâ id admiserunt, & possunt in tempus, ut cujusque patietur ætas, relegari: idest, si juvenior, in longius, si senior, recisius. Si verò alii negotium gesserunt, & ministerio functi sunt, castigari, & ad opus biennio dari. Quodsi per ignorantiam, aut fortuitò lapides furati sunt (*idest ignorantes, esse terminos*) sufficiet eos verberibus decidere.] Deinde lex 3. sic habet. [Lege agrariâ, quam Gajus Cæsar tulit, adversùs eos qui terminos statutos extra suum gradum finesve moverint dolo malo, pecuniaria pœna statuta est, nam in terminos singulos, quos ejecerint, locóve moverint, quinquaginta aureos in publico dari jubet, & ejus actionem, petitionem ei qui volet, esse jubet. Aliâ quoque lege agrariâ, quam Divus Nerva tulit, cavetur, ut si servus serváve insciente domino, dolo malo fecerit, ei capitale esse, nisi dominus dominàve multam sufferre maluerit.] Glossa notat, eum, qui limites transponit, ut suos agros & prata dilatet, præter furtum committere falsum, (de quo suprà actum) & ideo variè puniri, ut in textu habetur. Jure Bavarico punitur arbitrio Judicis Vicedomini.

Quæritur, quomodo sit puniendus, qui lite, de limitum differentiis pendente, terminos transponit. Respondet cum Damhoudero Gilhusius, quòd eùm expensarum refusione causâ cadat, & damnandus sit ad restitutionem tantidem, quantum alteri per transpositionem eripere conabatur, tantum scilicet de agro suo illi transcribendo.

Magia, seu Maleficium, Veneficium, aut Sortilegium.

SVMMARIVM.

380. VOces tituli ferè hodie pro synonimis habentur, nisi quòd Veneficium specialiùs accipiatur pro delicto quo quis alium veneno occidit, & ideo etiam de illo infrà specialiùs agendum. Solent autem Malefici seu Magi & Sagæ etiam Veneficæ vocari, vel quia solent apertè malo veneno nocere, vel manus unguento Sagario illitas, & quasi palpando summis vestibus admovere, qui contactus illis noxius est, quibus nocere volunt, non semper aliis, & ideo potest illud unguentum, postquam in vincula conjecti sunt, innoxiè manibus attrectari, ac proinde potiùs sunt quoddam Symbolum, quàm virtus causativa: solo dæmone effectum occultè operante, ut tradit Nicol. Remig. *dæmonolatr. l. 2. c. 6. & seqq. & lib. 3. c. 3. & 4.* VVaizenegg. *c. 1. n. 2.*

381. Maleficium ergo, prout specialiter Sagis & Magis, ob insigne nocendi studium accommodatur, est Crimen Publicum, descendens ex legibus Publicorum Judiciorum, *toto titulo Codicis de Malef. & l. 1. ff. de publ. Jud.* potestque à quovis de populo accusari.

Est etiam Crimen Ordinarium & Nominatum, quia certum nomen habet, pœnamque Jure definitam. Numeratur tamen inter excepta & extraordinaria crimina, in hoc sensu: quòd in illius processu multa specialia & à communi Processu recedentia observentur, & ob hanc causam necesse erit, hoc loco etiam ex professo de ejus Processu agere, ne in sequenti tractatu, de Processu generaliter in criminalibus observando, confusio fiat. Enormitas hujus delicti maximè ex eo relucet, quòd plerumque gravissima crimina sibi conjuncta habeat, Apostasiam, Idolatriam, hæresin, blasphemias horrendas, abusum Sacramentorum, parricidia, infanticidia, peccatum contra naturam, & infinita damna quæ proximo in bonis fortunæ infert.

382. Placet hic referre ex Berlichio (qui ex aliis à se citatis descripsit) solennitatem, quam observat Dæmon in Magis & Sagis suo albo inscribendis, ex propria eorundem confessione: unde constabit, quàm exosus sit cultus Sanctæ Crucis & imaginum Sanctorum Diabolo, quod illis notandum est, qui in hoc Dæmonem imitantur.

Itaque in publica congregatione, Dæmone in solio Majestatis in forma Regis sedente, debet Magus primò Deo creatori suo renuntiare, fœdus Baptismi rescindere, filium Dei abnegare, omnia Christianæ fidei documenta relinquere, Sacramenta cuncta Ecclesiastica projicere, pedibusque propriis conculcare, Crucem NB. & Imagines B. Mariæ Virginis, & aliorum Sanctorum, & omnia Dei, & ejus filii beneficia detestari, nomen Dei blasphemiis & conviciis horrendis afficere: deinde facit is Obligationem per solennem stipulationem chirographo sanguine proprio scriptam, vel si is scribere nescit, in manibus ipsius Principis, id est, Diaboli, qua vovet & promittit, quòd perpetuò futurus sit illi fidelis, obediens: postea mediante jurejurando, tactis scripturis super quodam magico libro, obscuras paginas continente

nente præstat homagium, sive perpetuum vasallagium, quòd nunquam redire ad fidem Christi, nec divina præcepta servare, sed solùm ea quæ per ipsum principem erunt decernenda, custodire, perpetuis futuris temporibus illi obedire, & continuò cùm vocatus fuerit ad ludos, & congregationes nocturnas, venire, & ea quæ in eis per alios veneficos fiunt facere, & sacrificiis illorum nocturnis adesse, solitasque preces, & cultum præstare, Principem adorare, & vota quæcunque præstare contigerit, pro viribus adimplere, quoscunque poterit alios ad eandem professionem adducere, & postremò fato suo functus corpus & animam Diabolo destinare velit.

Econtra Princeps, Diabolus, illum blandis verbis excipit, familiariter colloquitur, & egregiâ & hilari fronte promittit ei præstare perpetuam felicitatem, gaudia immensa, & voluptates, quascunque in hoc mundo habere desideraverit, & demùm post hanc vitam longè majora munera. Quo facto statim aliquem dæmonem constituit ad illius custodiam, eum in finem, ut illum nunquam deserat, sed illi in omnibus inserviat, & quotiescunque contigerit ludos exercere, hoc ipsi intimet, & ad locum destinatum deferat &c.

383. In privata vel tacita conventione alia forma adhibetur. Nam primò oportet discipulum futurum, die Dominico, antequam aqua benedicta consectatur, (*hoc scribit Berlichius, cui aqua benedicta debet esse superstitiosa.*) cum Magistello, seu dæmone illo, vel venefico, cum quo tale pactum init, templum ingredi, & ibidem abnegare ut modò dictum, deinde homagium præstare Magistello, seu alii venefico, denique bibit de ntre. Quo facto statim intrinsecùs sentit se imagiues artis diabolicæ concipere, & principalibus ritibus hujus sectæ imbui, confirmarique, quam stipulationem & fædus Magisterulus vel alius veneficus ad principem defert, qui illud ratum habet.

Fædere sic inito, solet diabolus suis mancipiis minutum pulverem triplicis coloris dare: ille qui necat atri coloris, qui morbum causat, cineticii, qui verò morbos depellit, albi coloris est. Non possunt tamen nisi illos morbos sanare, qui ex maleficio provenerunt. Illud denique (ut plura omittam) Berlichius ex confessione cujusdam Strigis Anno 1524. facta refert, quòd quando ex conventiculis à dæmone domum revehuntur, id fieri debeat, antequam campana pro *Ave Maria* de mane pulsetur: si verò fortè campana pulsetur tempore, quo deferuntur ad domum, necesse habet veneficarum Magister in eo loco ubi audit sonum prædictum, deponere virum aut mulierem, nec potest amplius ipsum, vel ipsam tangere. Ex qua relatione constat, ante Lutheranam hæresin non solùm in usu fuisse, sed & contra vim dæmonum valuisse pulsum Angelicæ Salutationis, quem moderni Sectarii rident, & ideo apud eos magi & sagæ gaudent privilegio diutius emanendi, quia non pulsant ad Angelicam salutationem.

384. Quæritur I. Ad quam Jurisdictionem, Ecclesiasticam, an Sæcularem spectet hoc Delictum. ℞. Esse mixti fori, hoc sensu. Ecclesiastici fori est, quatenus Apostasiam, Idolatriam, Incantationes, Sortilegia, Hæresin &c. conjuncta habet. Civilis fori est, quatenus homicidia, cædes animalium, vastationes segetum, & vinearum, cæteraque damna quæ bonis fortunæ inferuntur, maleficio cohærent. Cæterùm, si Ferdinando VVaizenegger credimus *c.* 2. *n.* 18. in Imperio Romano moribus & legitimâ consuetudine Principes sæculares in suis territoriis, & in personas suæ Jurisdictioni subjectas, animadvertendi potestatem in Maleficos ità videntur obtinuisse, ut Judicibus Ecclesiasticis ampliùs Jus non sit Jurisdictionem sæcularem prævenire: pro quo adducit Recessum Imperii de anno 1512. tit. de Blasphemis, quem inspexi, & parùm ad rem facere visus est. Quidquid sit de hoc,

Illud certum esse videtur, quòd, si pœna ab Ecclesiastico Judice imposita monitoria tantùm fuit, vel medicinalis, ad animæ salutem comparata, non propterea cesset Judicis sæcularis Imperium, (ut in simili præced. tract. dictum est) sed hic insuper secundùm leges civiles in maleficum animadvertere possit. & colligitur ex *cap.* 5. *de pœnis in* 6. ibi. [Per hoc quoque sæcularibus potestatibus non adimimus facultatem utendi legibus contra tales, quas adversùs sacrilegos Catholici Principes ediderunt.] Quin hoc ipsum obtinet, etiamsi reus fuerit affectus pœnâ Ordinariâ, & principaliter Jure Canonico definitâ, si crimen tale sit, quod sanguinis pœnam de Jure civili ingerit, adhuc enim hac affici potest, quia pœna Ecclesiastica tunc non est omnimodè commensurata delicto, ut tenent communiter DD. Farinacius *de Inquis. q.* 4. *n.* 10. Gomez. *var. resol. to.* 3. *c.* 3. *n.* 40. *concl.* 4.

Quia tamen causa hæc obscurissima & intricatissima est, ac Judici admodum periculosa, consulit Valentia & Tannerus (& idem responderunt Ingolstadienses anno 1590.) ut Judicibus sæcularibus eruditus Theologus adjungatur, cum quo acta communicentur, consilia ineantur, & cui permittatur accessus ad reos.

385. Ordinarius Judex est illius loci, ubi Malefici deprehenduntur, quia præsumuntur ibi deliquisse, & sic forum nacti esse; nam hoc crimen videtur habere causam continuam.

386. Quæritur II. Quænam indicia sufficiant, ad hoc, ut per viam Inquisitionis (qui modus contra Maleficos procedendi hodie in usu est, cùm nemo facilè reperiatur, qui velit in se accusationis pericula recipere) procedi possit, & sine quibus præcedentibus processus esset nullus: nam neglectis indiciis processus posset nullitatis exceptione infirmari, ut tradunt DD. in *leg. 8. §. 1. C de quæstion.b.* qui sic habet. [Oportet autem Judices nec in his criminibus, quæ publicorum Judiciorum sunt, ad investigationem veritatis à tormentis initium sumere, sed argumentis primùm verisimilibus probabilibusq; uti. Et si his velut certis indiciis ducti, investigandæ veritatis gratiâ ad tormenta putaverint esse veniendum, tunc id demum facere debebunt, si personarum conditio patiatur.]

387. Imprimis autem, an ad faciendam Inquisitionem specialem in certam personam super Magia, præcedere debeat diffamatio, est quæstio generalis, in seq. tract: examinanda ad omnem Inquisitionem, de qua videri interim potest Julius Clarus *lib. 5. §. fin. q. 6.* hoc ergo indicio pro nunc prætermisso,

Dubitatur I. An & qualiter sufficiens indicium esse possit, testimonium vel confessio socii criminis, seu complicis magi vel sagæ. quæ Quæstio præcipuam continet præsentis materiæ difficultatem, & in usu forensi apud prudentissimos adeo dubia est, ut vix ullus sine offensa suam explicare possit sententiam, inquit vir præclarissimus Ferdinandus VVaizenegger, quo nemo (quos videre potui) accuratiùs hanc quæstionem pertractavit, quemque si vidissent alii (nam ejus dissertatio paucis nota est) non adeo obiter hanc quæstionem expedivissent. Illius ergo doctrinam non piger (aliquibus subinde insertis) aliis pleniùs communicare, ne penitùs oblivioni tradatur, quæ hic Ingolstadii triginta & plutibus ab hinc annis publicè propugnata fuit, & impressa.

388. Qui denuntiationibus, quæ aliis adminiculis destitutæ sunt, fidem exiguam dandam esse censent, bis ferè argumentis nituntur. Primò, Venefici, seclusâ pœnitentiâ, quam paucis contingere etiam adversarii affirmant, retinent affectum criminis, hoc est, animum obsequendi diabolo, nocendique innocentibus: ergo cùm impunè & innoxiè deferre possint tam innocentes quàm nocentes, denuntiationes ab illis factæ tanti non sunt, ut valeant ad capiendos, & gravissimis torturis subjiciendos denuntiatos. Adamus Tanner *tract. de processu adversùs venef. q. 2. n. 59. & facit, quòd semel malus semper præsumitur malus. de R. J. in 6.*

389. Secundò, si solæ denuntiationes ad capiendos & torquendos maleficos sufficerent, id fieret, vel quia in tormentis denuntiant, vel quia denuntiationes in tormentis factas postea pœnitentes & sacramentaliter confessæ, ratas habent. Sed sola tortura his auctoribus ad tollendam falsitatis præsumptionem potens non est. Nam quia, ut antè dictum, malefici non minùs evadere possunt, si innocentes deferant, tormenta non valent ad inclinandum eorum animum, ut nocentes solùm denuntient, sed ad id potiùs, ut etiam innocentes indicent, à magistro suo diabolo vel maximè instigantur. *Tann. n. 59.*

Magnum etiam momentum ratihabitio pœnitentis, & confessi non habet, quia periculum falsitatis non solùm oritur ex malitia denuntiantium, sed etiam ex illusionibus diabolicis, ad quas detegendas pœnitentia medium non est. Sed & ratihabitio sequi potest ex metu reperendæ quæstionis, neque Judici satis in hoc scelere, quod tam difficulter sanatur, constare potest de pœnitentia. *Tann. n. 52.*

390. Tertiò, Malefici frequenter in somniis deluduntur, & dum putant se conventibus ac choreis interesse, domi suæ stertunt profundo somno oppressi. Sed neque satis ac semper possunt ob simplicitatem, vel ob phantasiæ firmitatem, vel dæmonis vafritiem, inter veras translationes & ejusmodi illusiones distinguere. Ergo si denuntiationes fidem non merentur, quando certò constat, maleficos eo tempore, quo alios choreis unà secum interfuisse dicunt, de loco ad locum translatos non fuisse, ità simpliciter parùm eis credi potest, cùm dubium ferè semper sit ac incertum, utrum quæ fatentur in vera translatione gesta, an verò in falsa imaginatione objecta fuerint. *Tanner n. 43.* Verum est, Maleficos de vera translatione aliquando certos esse, & judici de ea constare posse, ut Binsfeldius *de confess. malef. memb. 1. conclus. 2.* Delrius *lib. 5. sect. 16.* Remigius *lib. 2. c. 16.* bene notant, puta, si in loco conventùs vulnerentur, extra ædes suas in locis remotis nudi, vel in cellis vinariis vasi insidentes à dæmone relicti & deprehensi Magistratui sistantur.

391. Quartò, verisimile non est, eum qui decem vel plures annos dæmonis mancipium fuit, ac singulis annis centies vel sæpiùs se translatum esse credit, tribus tantùm vel quatuor vicibus, quibus alium municipem ante decem, octo, sex, quatuor annos interfuisse fatetur, delusum non fuisse, adeoque non phantasticas tantùm imaginationes, sed ea, quæ sensu perceperit, deferre.

392. Quintò, veteribus & recentioribus exemplorum testimoniis probatur, in sagatiis conventibus præsentari absentes: Nam Diabolus, qui se in Angelum lucis naturali virtute, absque speciali & miraculoso Dei concursu trans-

formare

formare potest, atque etiam in personam Christi crucifixi, B. Virginis & aliorum Innocentum transformavit, sine dubio eâdem virture alios in conventibus maleficis poterit præsentare, atque etiam, ut Historia B. Germani habet, præsentavit. Ergo denuntiationes etiam ex hoc capite dubiæ sunt & suspectæ. *Tann. q. 2. n. 45.* Sed absentes, nocentes tamen, præsentari nemo facilè negat: de Innocentibus tota difficultas. Ajunt Deum nunquam permittere, neq; permissurum, ut innocentes præsententur, & cum nocentibus pereant. Vel si præsentati denuntientur, mox eorum innocentiam, Deo sic disponente, manifestam fieri, atque delusionem detegi. *Binsfeldius memb. 1. dub. 6. in solut. arg. Delr. l. 16. §. 7.* Cæterùm, alii contrà opponunt; Deum plurima, atque immanissima scelera justissimis de causis, & singulis momentis permittere, nec in hoc processu sagario singularem usquam fecisse sponsionem, se non permissurum, ut innocentes in cœtibus Diabolicis præsentati patiantur injuriam. *Tann. n. 16.*

393. Sextò, Sortilegis, qui cœtibus intersunt, non semper est integer ac certus sensuum usus, sed omnia confusa atque incerta apparent, uti quibus ex caligine, metu, somno, aliisque vitiis caligant oculi, aut magicà arte perstringuntur. Ergo de his quæ in obscura caligine, ac incerto sensu percipiunt, firmum testimonium dicere nequeunt, nisi rationem reddant, quòd v. g. luna illuxerit, faces, candelæ, vel alia lumina lucem præbuerint. *Mascardus concl. 1113. n. 12. Remig. lib. 1. c. 16.*

394. Septimò, Malefici sæpiùs in necem innocentum conspirant, ut experientia testatur. Et verò facilè conspirare possunt, cùm conspirationes istæ sint occultæ, & mendacia in foro externo ferè innoxia: Atque etiam volunt conspirando nocere, quia Diaboli mancipia sunt & instrumenta: Ergo innocentes extra periculum non sunt, si solis denuntiationibus fides detur. *Tann. q. 2. n. 38.*

Octavò, Eorum, quibus confessiones maleficorum cognitæ sunt, loquacitate, denuntiationes etiam unius malefici incertæ ac vitiosæ in vulgus sparguntur, eâque ratione personæ denuntiatæ publicam incurrunt infamiam. Facilè igitur & alii malefici personas ità infames denuntiant tanquam nocentes, ut ipsi sese à torturis acerbissimis quamprimùm liberent, & expediant. *Tann. n. 40.* Quodsi divina providentia permittit innocentes illegitimis processibus ab imprudentibus & imperitis Judicibus opprimi, &, quod sæpiùs contigisse experientia docet, ex sola maleficorum voluntate, & imprecatione Diaboli ministerio perire; atque tempore mortis in peccato mortali deprehensos æternis cruciatibus addici, nulla ratio est, cur Deus innocentes denuntiari non permittat. *Tann. q. 4. n. 86.*

Nono, Malefici homicidia hominum superstitum, boum à Lanionibus occisorum, ac damna varia naturaliter illata sibi imposuerunt, ut torturas citiùs evaderent, atque etiamnum imponunt, quia malunt sæpè mortem, quàm tormenta subire: ergo facilè adigi possunt ad denuntiandos innocentes, præsertim si per suggestionem de certa persona interrogentur. *Tann. q. 2. n. 34. 41. & 47.*

395. Decimò. Malefici raro inter se conveniunt in loco, tempore, atque aliis circumstantiis, sed ferè semper in denuntiationibus reperiuntur singulares. Ubi autem singularitas est, ibi unitas est, vel varietas, non numerus, non contestatio: ergo quia mille testes singulares regulariter plùs non probant, quàm unus, maleficis singulariter denuntiantibus exigua, & quidem minor, quàm reis aliorum criminum fides adhibenda est, cùm illi sæpius à dæmone decipiantur, atque universali quodam odio humanum genus, & præsertim innocentes prosequantur. Affertur quidem in contrarium communis aliorum doctrina, quæ tradit, per testes singulares, eorumque depositiones ad eundem finem tendentes, delictum in genere probari, atque de actibus iterabilibus, & iteratis jura, quæ testes singulares reprobant, negat intelligi posse, sed tantùm de singularitate, ut vocant, obstativa, quam sententiam tunc maximè laudant, si non de reo condemnando, sed torquendo quæstio sit, de quo Jul. Clarus §. *fin. q. 53. n. 18. & 19.* Farinacius *de testib. q. 64. n. 87. & 201. usque ad 220.* Mascardus *concl. 856. n. 17.* Delr. *lib. 5. appen. 2. q. 10.*

396. Cæterùm, hujus opinionis (cujus argumenta referimus) assertores duram, imò ridiculam esse censent distinctionem, inter probationem generis & probationem speciei, prout in probanda hæresi à pluribus traditum est, per ea quæ tradit Farin. *q. 64. cit. n. 207.* & licèt testes singulares ad quæstionem decernendam sufficere videantur, id tamen secundùm Mascardum de legitimis tantùm, & idoneis affirmandum est, quales malefici, socios criminis deferentes, non sunt. De hac re infrà differetur. Et hæc sunt fundamenta Opinionis, respuentis denuntiationem complicum tanquam sufficientem ad inquisitionem specialem.

397. Argumenta contrariæ opinionis, volentis, sociorum denuntiationibus fidem adhibendam esse, sunt numero duodecim, imò tredecim.

Primum. Judex ex officio tenetur veneficum de se confessum, etiam de sociis interrogare. Nam quia maleficium crimen est exceptum,

& occultum, quod sine consortibus committi non solet, provinciam malis hominibus purgandi, atque Rempublicam liberandi, ratio nulla melior esse videtur, quàm hæc in participes criminis per interrogationes inquisitio. *Binsfeld. de conf. malef. memb. 1. pr. ubi allegat Socin. Cajet. Nav. & alios.*

398. Secundum. Etiam Confessarii tenentur maleficii reos admonere, ut socios indicent, nec sine noxa possunt eos qui renuunt absolvere. *Binsf. ibid.*

Tertium. Malefici etiam non interrogati lege naturæ sunt obstricti, damna spiritualia & temporalia, quæ per consortes Reipublicæ & saluti proximorum inferenda sunt, modis omnibus præcavere; salutem ipsorum complicum, quam extra judicium vix sperare possunt, procurare, vitam innocentum defendere. Ergo eâdem lege naturæ sunt obligati ad socios deferendos. Etsi verò per hoc infamiam sociis incutiat, non tamen injusta causa infamiæ datur, ac bonum publicum privatæ alterius famæ meritò præfertur. *Binsfeld. Tann. Layn.*

399. Quartum. Hæc obligatio naturæ tanta est, ut etiam parentes liberos, liberi parentes teneantur deferre, & quasi ultimo supplicio offerre. Major enim patriæ, major salutis paternæ habenda est ratio, quàm famæ aut vitæ corporalis; imò horum denuntiationibus ideo major fides adhibenda videtur, quòd minor in personis conjunctis odii suspicio locum habeat. *Binsfeld. ibid.* Monent quidem aliqui, considerandum esse, an probabilis aliqua spes sit, complicem, si correctione fraternâ moneretur, ad sanam mentem rediturum, quo casu, denuntiatione prætermissâ, correctionem ac fraternam admonitionem adhibendam, eâque contemptâ tunc primum denuntiandum esse: Alii tamen lamias ideo confestim denuntiandas existimant, quòd pertinaces sint, & vix ex ignorantia peccent, imò mora quævis Reipublicæ damnosa sit, cùm non tantùm de commissis, sed magis committendis delictis ac damnis Reipublicæ impendentibus quæstio vertatur. *Delrius lib. 5. sect. 4. ubi plures.* Ex his omnibus consequens esse videtur, maleficos de se confessos fidem mereri, ne, si aliter sentiamus, frustranea sit illa juris naturalis obligatio, quæ & Magistratum ad extorquendas denuntiationes, & reos ipsos ad indicandum nocentes sub reatu peccati mortalis obligat. *Binsfeld. ibid.*

400. Quintum. Fides adhibetur Latronibus, Sociis conjurationum, Reis læsæ Majestatis, Proditoribus patriæ, hæreticis & sacrilegis contra ejusdem criminis reos: ergo non est ratio, cur non eâdem, & majori ratione idem jus in sociis criminis sagarii sequamur.

Sextum. Ex aperta juris sanctione, qui maleficum, communem salutis hostem, & naturæ peregrinum supprimit, geminæ suspicioni obnoxius est. Prima est, quòd publicum reum, ne facinoris socios publicaret, severitati legum, & debitæ subtraxerit quæstioni. Altera, quòd proprium forsitan inimicum sub hujusmodi vindictæ nomine interfecerit consilio atrociori. Ergo malefico Juris auctoritate speciali socios publicanti credendum est. *lege fin. C. de Malef. & Mathem.*

Septimum. In cæteris actibus humanis certitudo demonstrativa non requiritur, sed ea sufficit, quæ moraliter haberi potest; nec enim ideo, quòd testes aliquando fallantur, & fefellerint, ut exemplo Christi, Susannæ & aliorum constat, probatio per testes abroganda venit: igitur nec in crimine sagario denuntiationibus fides ideò derogari debet, quod in iis quandoque contingat error, sed omnino satis est, à maleficis de se confessis socios ut plurimùm ex conscientia & veritate denuntiari, idque experientiam passim probare. Binsfeld. ibidem.

401. Octavum. Hinc usus forensis, tam in foro Ecclesiæ, quàm in foro civili, denuntiationibus hactenus fidem adhibuit, eandemque Inquisitionis formam, quæ contra hæreticos præscripta est, etiam contra maleficos observavit. Ergo ab eo usu sine manifesta ratione recedendum non est. *Ità post alios idem Binsfeld.*.

Nonum. Tantò magis usui recepto inhærendum videtur, quòd eâ ratione plurimi facinorosi publicati, atque ad pœnitentiam reducti fuerint, qui maximo Reipublicæ ac civium damno, suæque animæ præsenti periculo latuissent. *Delr. sect.* 3.

Decimum. Quoties ex natura rei, & actûs, testes habiles, & omni exceptione majores haberi non possunt, in subsidium admittendi sunt inhabiles. Atqui criminis Sagarij natura hæc est, ut rarissimè possit aliter, quàm per reos ejusdem criminis probari: vix enim unquam maleficorum conventibus probi intersunt: ergò à ratione alienum est, maleficorum testimonia non recipere, ubi innocentum vix illa reperiri possunt. *Binsfeld. concl. 6. v. 5.*

402. Vndecimum. In clandestinis & occultis admittuntur probationes per conjecturas: sed & propter immanitatem criminis jura transgredi licet: atqui crimen sagarium, omnibus consentientibus occultissimū est, & enormissimū; non igitur Judices, qui furtum aliaque minora crimina lynceis oculis perlustrant, talparum cæcitate in hoc atrocissimo crimine laborare debent, sed executione Justitiæ Deum Opt. Max. qui gra-

gravissimè per maleficos offenditur, modis quibus fieri potest omnibus, reconciliare. *Idem.*

Duodecimum. Credendum est, neminẽ à maleficis præsentari aut denunciari posse, nisi divinâ permittente providentiâ. atqui divina providentia protegit innocentes qui sperant in eum, & nomen ejus cognoscunt, nec ullus benè sanus inficias ibit, dæmonem majus habere imperium in facinorosos, quàm in Dei amicos: ergo faciliùs à Deo permittitur ut præsententur, & denuntientur nocentes quàm innocentes, hoc enim bonitati convenit, ut eos, qui in adjutorio ipsius habitant, protectione suâ defendat, convenit etiam Justitiæ, ut qui maleficos vivere non vult, modos ac vias apesiat, quibus nocentes manifesti fiant. *Binsfeld. membr. 2.*

Decimum tertium, & ultimum argumentum sit, quòd nisi tales denuntiationes admittantur, obstruatur via coërcendi hujus criminis Magistros, & principes: nam etsi viliora dæmonis mancipia nonnunquam inditijs in oculum incurrentibus ac manifestis seipsa prodãt, non tamẽ ordinis superioris malefici aut scopas erigunt ad tẽpestates concitandas, aut ollas, aliaque vestibulis ædium aut stabulorum supponunt, aut minas plebeis intendunt, sed quæ volunt mala inferre, eorum executionem inferioribus demandant. Et hæc sunt in utramque partem argumenta non cõtemnenda: quibus ponderatis statuit laudatus VVaizenegger sequentes assertiones.

403. Assertio I. Malefici de se confessi, etiam de socijs rogandi sunt, togati, jure naturæ obligantur ad indicandos nocentes, de quorum emendatione, & pœnitentia nulla spes est, ob rationes suprà allatas, & colligitur ex art. 31. & 52. Ord. Crim. Carol. Et per regulam generalem, quòd in criminibus atrocioribus, & exceptis, socius criminis de socio interrogari possit, cujusmodi sunt: læsæ Majestatis, falsæ monetæ, Latrocinij, ut ex Juribus probat Casparus Manzius *in art. 31. n. 4.* quibus addit Berlichius crimen veneficij, & Zangerus crimen conspirationis, conjurationis, rebellionis, & subversionis status, Sacrilegij, Assassinij, Maleficij, Sodomiæ, nefandæ libidinis, crimen famosorum libellorum, quibus Farinacius *q. 43. à. n. 56.* post varias limitationes addit adulteriũ, & crimen suppositi partûs; apud quem plura videri possunt circa fures, & illa delicta quæ sunt difficilioris probationis. Jure Bavarico in omnibus illis delictis, ubi verisimiliter complices focij, & auxiliatores fuerunt, reus, etiam post confessionem, de sociis interrogari potest. *tit. 3. Ord. Process. Crim. a.* 12. & hæc est fermè universalis consuetudo Germaniæ. Cæterùm, in art. 31. Ord. Carolinæ sequentia præscribuntur. Primum, ut reus in genere, non etiam in specie seu individuo interrogetur, quisnam ei socius criminis fuerit. Secundum, ut interrogetur de omnibus circũstantijs, quomodo, quo loco, & quo tẽpore socius, quẽ nominavit, ei præsto fuerit, & opẽ tulerit. Ex hac enim interrogatione Judici constare potest, an verisimilia dicat interrogatus, & an ei fides babenda sit, an non. Tertium, ut Judex inquirat, an inter Reum nominantem socium, & socium nominatum sint inimicitiæ, contentiones, jurgia, & lites, aut quæ alia offensionis causa inter eos intervenerit. inimicis enim non facilè fides babenda. *l. 1. §. 24. ff. de Quæstione.* Quartum, ut nominatus Judici aliàs suspectus sit, nam si de bona fama nominati constet, judicium ortum ex nominatione socij criminis facilè diluitur. Quintum, ut reus perseveret in nominatione.

Ulteriùs eadem Ordinatio Carolina art. 52. inter cætera jubet, Magum confessum etiam de hoc interrogari, à quo didicerit, quo Magistro usus fuerit, quã ratione ad id flagitij, & ad consortium magorum illectus fuerit. Rationem reddit Casparus Manzius, ut deinde in vitam illorum perversorum tacitè inquiri, vel si jam antè delati, capti, & justificati fuissent, tantò magis reo verisimilia deponenti credi, & quia magistratus ex confessionibus aliorum probè norunt, quibus illecebris homines ad hoc scelus perducantur, ex illa occasione tutiùs & securiùs, præsertim si ad opus extrinsecum reus processisset, & nullum materiale vestigium appareret, procedi possat.

404. Assertio II. Illæ denuntiationes sunt majore fide dignæ, quæ fiunt à sacramentaliter confessis, & per confessarios jam dispositis ad seriam pœnitentiam, atque etiam admonitis, ut in denuntiando salutis suæ habeant rationem. Itaque si Judiciorum usus ità ferret, non inconsultò, Rei demum post sententiam per confessarios eò possent induci, ut sponte denuntient omnes socios, quos putant à maleficio non cessaturos, sed ad vomitum redituros. *Lessius de J. & J. c. 29. n. 162. Tann. n. 57. Binsfeld. concl. 7. memb. 2.* Cæterùm (inquit VVaizenegger) hoc consilium inferiores Judices suomet arbitrio sequi non possunt. Nam quia de se confessus infamis efficitur, ejus testimonio spontaneo credendum non est, sed boc tormentis, vel saltem metu tormentorum confirmari debet. Superioris igitur auctoritas, qui hac de re statuendi jus babet, necessaria esset, ac tantò faciliùs accomodari deberet, quantò salubrius hoc remedium esse censetur ad salutem animarum rei, & eorum qui denuntiantur. Quod etiam ex eo suadetur, quia Judex tenetur monere reum seriò, ut in denuntiandis socijs propriæ salutis memores sint, conscientiam novo crimine falsi non offendant. quæ admonitio supponit in reo aliquam scintillam religionis, & conversionis ad Deum, quæ tamen in maleficis ante sententiam vix unquam spetari potest, nisi

tales sint, qui se fortè sponte, & salutis amore judicio præsentârunt, prout aliquos fecisse sæpius narratum est

405. Assertio III. Denuntiationes simplices, quòd hæc vel illa persona interfuerit conventibus diabolicis, eo non expresso, quòd præsens fuerit ut venefica, & mancipium diaboli, non multùm fidei merentur. Ratio est, Quidam enim curiositatis gratiâ solent choreis interesse, quidam inviti ad eas deferuntur, alij adhuc deliberantes, & quasi novitii spectatores adsunt.

406. Assertio IV. Etiamsi denuntiationes contineant personas nominatas ad conventus accessisse ut maleficas, nisi tamen de singularibus actibus inter choreas & convivia exerceri solitis, singularia exprimantur, puta, quòd homagium præstiterint dæmoni, quòd in hominum ac animalium necem perniciosa inierint consilia, atque insidias ijsdem struxerint apertas, quòd infantes exhumaverint, plurimis de causis earum denuntiationum fides vacillare potest. &, teste Farinacio de hæresi. *q.* 185. *n.*152. *in fine*, in tribunali Sacræ Inquisitionis hujusmodi nudæ denuntiationes de sola præsentia, non reputantur sufficientes ad torturam, quia indicia ad torturam non debent esse dubia, sed certa, atqui sagæ patiuntur illusiones, dum sæpè corporaliter non intersunt, sed per solam phantasiam. Assertio est contra Binsfeldium, Valentiam, & Delrium apud eundem Farin. & VVaizenegger.

407. Assertio V. Quin imò si vel maximè maleficus asserat, Bertam in conventibus dæmonem adorâsse, nefandissima quæque commisisse. clades hominum una cum reliquo malorum consilio decrevisse, non tamen ejusmodi denuntiatio moralem certitudinem afferret, ob rationes supra allatas ex præstigiosis delusionibus, & præsentationibus innocentum. Si tamen plures denuntiationes in eundem actum eodem tempore exercitium convenirent, nec ullia aliis defectibus laborarent, vel nisi exceptionibus innocentiæ eliderentur, quæstioni seu torturæ via aperiretur.

408. Assertio VI. Denuntiationum fides neque tum integra est, si malefici pluribus alijs criminibus quæ maleficium ordinariè comitari non solent, obnoxij reperiantur, v.g. si latrones, raptores, fures, aleones sint. Est contra Delrium *appe*·d. 2. *q.*17. sed eodem teste ferè communis omnium, ità etiam respondentibus Patavinis ac Friburgensibus JC. Ratio est, quia etiam in exceptis criminibus tortura non plures quàm unum defectum supplet: & ex eo quòd ipsum maleficium denuntiationibus non penitus obstat, quin aliqualem fidem inveniant sufficientem ad torturam, non rectè infertur, multò minùs alia minora crimina ijsdem impedimentum afferre posse.

409. Assertio VII. Variatio quoque viciat maleficorum inculpationem. Ratio est, quia nisi reus in sua denuntiatione constanter perseveret, perjuro non absimilis est, imò perjurus est. si jurejurando antè præstito variet. Quodsi Reus denuntiatos ante sententiam exculpare velit eo prætextu, quasi vi tormentorum victus innocentes denuntiâtit, absque novis indicijs denuo torqueri potest. ex comuni DD. nam ex ipsa variatione, & revocatione resultat quasi novũ indicium, & plurimi nocentes latere possent, si reis antè confessis, deinde cùm revocant, fides adhibenda esset. Ità habet Carolina Ord. *art.* 57. & Jus Bavar. *tit.* 3. *a.* 13. & ratio ulterior est, quia licèt regulariter tortura non sit repetenda, in hoc tamen revocationis puncto est omnino necessarium, ut repeti possit, ut ex Hippolyto benè notat Casp. Manzius; si enim revocanti esset fides habenda, quilibet confessionem factam revocaret, sciens se non ampliùs esse torquendum, & sic utilitas torturæ tolleretur. Est tamen Conclusio intelligenda de revocatione ex intervallo, & post confessionem apertè & candidè factam, non de revocatione immediatè subsecuta torturam, & non præcedente satis apertâ confessione, quia tunc perinde censetur, acsi in ipsa tortura revocâsset, vel potiùs obscurum dictum emendâsset, & declarâsset. Sed de hoc plura in sequenti tractatu, quando agetur de Tortura.

410. Dubitatur tamen, quid sit tribuendum revocationi factæ post sententiam mortis sibi dictam, & tempore sacramentalis confessionis vel Eucharistiæ sumendæ? Aliqui simpliciter affirmant hujusmodi revocationi standum esse, præsertim si geminata sit, & pluribus diversis locis facta, eo quòd in articulo mortis nemo salutis suæ immemor esse præsumatur. Ità cum aliis Farinacius *de indiciis q.*46.*n.*20. & ità responderunt etiam JC. Patavini. Alii distinguunt inter denuntiationem præcedentem nudam ac solam, & inter denunciationem aliis adminiculis suffultam. Illam putant tali revocatione penitùs elidi, hanc non item, quasi adminicula moraliter cum denuntiatione concurrendo sic in illam influant, ut eam reddant longè validiorem, & efficaciorem ad persuadendum, quàm si per se sola staret. Ità Marsilius, Mascardus & alii. Quidam opinantur, in rigore revocationes hujusmodi extrajudiciales nihil detrahere denuntiationi legitimæ: tum quia præsumptio veritatis magis adjuvat denuntiationem in tortura factam, quàm revocationem animo jam ob timorem mortis perturbato subsecutam: tum quòd hac ratione plurimi nocentes supplicium evaderent, ac Judiciorum eluderetur auctoritas. Præterea si in favorem fidei standum est illi testimonio,

nio, quod hæresin revelat, sive prius sit, sive posterius, Binsfeldio ità tradente, potior quoque debet esse denuntiatio, quæ maleficium hæresi familiare detegit, quàm revocatio præsertim extrajudicialis. Ità post alios responderunt Theologi & JC. Ingolstadienses Anno 1590.

VVaizenegger arbitratur, Judicis arbitrium hac in re plurimùm posse. Etenim si apparetet, reum non levitate animi, non prece, aut pretio, sed justa de causa, ad conscientiam exonerandam, denuntiationem correxisse, revocationi etiam post sententiam standum esset, prout etiam ex Covart. Curtio & Simancha tradit Delrius, *lib. 5. sect. 5. in fine. arg. cap. accusatus. §. licet. de hæret. in 6.*

411. Assertio VIII. Multò magis pluribus denuntiationibus fidem adimit contrarietas, dum unus Titium ejusdem criminis reum esse, eodem loco, & tempore idem secum maleficium commisisse affirmat: alter qui se prioris socium fatetur, negat Titium consortem esse, vel choreis, consilio sagario, præparationi rerum venenarum eo loco, & die, quos prior expressit, interfuisse. Judex enim concurrentibus variis plurium denuntiationibus moveri non potest ad assentiendum iis, qui Titium reum esse dicunt, sed potiùs pro innocentia, cæteris paribus, captanda est præsumptio. Mascardus *concl.* 1368. Menoch. *de præsumpt. lib. 4. præsumpt.* 23. Farinac. *de Testibus q.* 65. *n.* 2. Quodsi Malefici circa quosdam suæ confessionis articulos in falso deprehendantur, denuntiationes ab iisdem factæ similiter de falso suspectæ sunt, quia semel malus in eodem genere delicti semper præsumitur malus.

212. Assertio IX. Inimicitia Denuntiationes graviter infirmat, non solùm capitalis, sed & odium, malevolentia, & aversio animi sufficit. Nec refert, ex magna vel levi causa inimicitia vel malevolentia originem traxerit. Illud tamen odium universale, quo malefici contra genus humanum tenentur, denuntiationibus non obest, si alias exceptiones non patiantur. & hoc propter suam nimiam universalitatem, quæ si obesset, jam boc ipso omnes denuntiationes maleficorum penitus enervarentur, & exceptionem admitterent.

413. Assertio X. Bona fama contra denuntiationes non parùm patrocinatur, si constans, & plenè probata sit, ac denuntiatus communi testium existimatione habeatur pro viro probo, & ab hoc crimine alieno. Imprimis autem bona fama denuntiationibus præferenda est, si aliis innocentiæ indiciis adjuvetur. Ut enim duplex vinculum in multis Juris partibus fortiùs stringit, ità & exceptio bonæ famæ conjuncta cum aliis indiciis, ad exculpandum plùs valere debet, quàm inculpario personarum infamium, ac pluribus defectibus laborantium. Quodsi bona fama sola per se staret, & denuntiationes aliis adminiculis confirmarentur, ex arbitrio Judicis pendet judicare, quid famæ, quid denuntiationibus & adminiculis eam stipantibus deferendum sit. Menoch. *de arb. jud. c.* 474. Mascard. *concl.* 1314. *n.* 41. Farin. *q.* 38. *n.* 110. *q.* 43. *n.* 187. & *seq.* alii.

414. Assertio XI. Bonæ famæ minùs detrabere possunt denuntiationes mulierum, non tantùm vilium & pauperum, sed etiam aliarum. Nam etsi fæminæ Jure civili in criminalibus à testimonio dicendo non repellantur, tamen infirmitas sexûs facit, ut iis minor fides habeatur quàm viris; earumque fidem minuit in hac specie ipsa infamia.

Ideo denuntiationibus mulierum, ubi alia indicia deficiunt, tum demum fidem haberi volunt, DD. si minimùm tres aut quatuor in eandem personam concurrant. Sed neque sex ad torturam inferendam sufficient, si aliorum, vel virorum vel fœminarum testimoniis denuntiata persona excusetur. Hodie usus rerum omnium peritissimus Magister docuit, denuntiationes trium, quatuor, quinque, sex reorum sine aliis adminiculis parùm firmitatis habere: propterea quòd plurimæ maleficorum conspirationes, & forsan etiam innocentum in choreis ac conventibus præsentationes in dies magis quàm olim deteganrur, atque malefici de se confessi ferè eos deferre soleant, quos ex fama pessima à non idoneis orta suspectos esse perceperunt. Ità notabiliter testatur VVaizenegger post Binsfeld. *de confess. malef. memb.* 2. *concl.* 6. *dub.* 2. *in fine.* Delr. *lib.* 5. *sect.* 3. & *app.* 2. *q.* 13.

415. Assertio XII. Majores annis viginti, minores autem viginti quinque, eandem fidem merentur in proposito quam majorennes, quoniam hi regulariter in criminalibus pro testibus idoneis habentur. De puberibus minoribus annis viginti, in hoc atrocissimo & excepto crimine idem asserendum videtur. Impuberum proximotum pubertati denuntiationes in criminibus exceptis non omnino rejiciciendæ sunt, sed aliquid momenti habent, si veritas aliter haberi non possit. Impubetes modicè torqueri posse, colligitur ex iis quæ de teste pubertati proximo in criminibus atrocissimis admittendo à DD. traduntur, & suo loco dicetur. Infantibus vel infantiæ proximis, naturalis defectus obstat, quominus eorum denuntiationes attendi possint. Fieri tamen potest, ut divinâ providentiâ ità disponente, malefici puerorum innocentum, quos in sua castra trabere conati sunt, simplicitate prodīti, debitis suppliciis offerantur. Certè Julius Clarus *§. fin. q.* 24. *n.* 18. testatur, quòd plura delicta

cta ex depositionibus hujusmodi puerorum in lucem venerint. Et refert Igneus in *l. excipiunt. n. 37. ff. ad S. C. Sylle.* quòd ex testimonio filii impuberis duodecim annorum detectum fuit homicidium commissum ab ejus patre in personam ejus uxoris. Illud etiam, Claro teste, est indubitatum (& ego suo loco dixi) quòd postquam quis factus est pubes, possit testificari de his, quæ vidit in pupillari ætate proximus pubertati.

416. Ex his omnibus colligitur, in singulis etiam plurium reorum denuntiationibus singulas circumstantias diligenter examinandas esse. Non enim solus numerus testium, sed & qualitates eorum, qui deponunt, & illorum adversus quos deponitur, aliàque ponderanda sunt, cùm sincera testium fides magis spectanda sit, quàm multitudo testium. *l. 3. pr. §. 1. & 2. l. 21. ff. de testibus*, alibi à me relatis. Et hæc sunt, quæ doctissimus VVaizenegger, ex Theologis præsertim desumpta, tradidit circa Complicum denuntiationes in crimine sagario, ut possint indicium sufficiens facere ad Inquisitionē circa denuntiatos instituendam, & assumendam.

Quia verò cōmunis ferè est opinio, rarò denuntiationes ità comparatas esse, ut non patiantur unum ex defectibus enarratis, superest, ut de cæteris indiciis, quæ vel per se suum habent momentum, vel denuntiationibus adminiculum præstant, ex eodem Auctore & aliis RR. Scriptoribus dispiciamus.

Est autem in hoc puncto tenenda regula, omnia, quæ in aliis criminibus ad torturam sufficiunt, multò magis recipienda esse in hoc sagario crimine, utpote quod non solùm gravissimum & periculosissimum est, sed etiam difficillimæ probationis. Cæterùm, quædam Maleficii indicia in Ordinatione Crimin. Carol. indicantur, alia singularia, à DD. longâ experientiâ doctis assignantur.

417. Dubitatur ergo nunc II. Quid sentiendum sit de indiciis, de quibus Carol. Ordinatio cap. 44. sic statuit. Si quis sese offerat ad docendum alios Magiam & incantationes, vel si quis perniciem minatus fuerit alteri, quòd velit ipsum incantare vel fascinare, vel maleficium inferre, & eventus fuerit secutus: præsertim autem si suspectus cum magicis & veneficis certis & convictis frequenter conversetur, singularemque amicitiam & familiaritatē coluerit, vel si quis utatur rebus, gestibus, verbis, & operibus suspectis, magiam inferentibus, atque is ipse de hoc crimine sit diffamatus, hoc præbet legitimum indicium Magiæ, & causam sufficientem torturæ.

418. Quoad primum de profitente artem magicam, non malè advertit Casparus Manzius ex Zierizio, idem dicendum de eo, qui gloriatur se artem Magicam didicisse. Ratio utriusque est, quia confessio extrajudicialis, concurrentibus cæteris adminiculis, facit indicium ad torturam. Atqui talis gloriatio est quædam extrajudicialis confessio. Ergo &c. Cæterùm, ad utrumque requirit VVaizenegger, ut talis gloriator cum aliis sagis versari consueverit, vel aliter de veneficio fuerit suspectus. Ratio videtur mihi esse, quia sæpè aliqui joci gratiâ solent jactare artes quasi magicas, agendo quædam, quæ naturaliter fieri possunt, etsi spectantium nemo assequi possit, quo modo id fieri possit. Idem Auctor benè advertit, esse inter artes magicas distinguendum. Plebi enim superstitiosæ quædam artes familiares sunt, atque sine ullo pacto expresso cum dæmone, adeo frequentari & doceri solent, ut maximam totius alicujus provinciæ partem suspectam habere necesse esset, si generaliter hoc indicium accipimus. Ergo hujusmodi superstitiosæ artes, si quis eas profiteatur, non præbet sufficiens indicium quale hic assignatur, sed qui profiteretur, *se posse ciere tempestates, volare per aëra, excitare turmatim mures, &c.*

419. Quoad secundum indicium, nempe Minas, desumptum est hoc indicium ex regula generali, quòd nimirum minæ, animo præsertim sedato jactatæ ab inimico, & effectu secuto, si alius damni auctor non appareat, sint etiam in alijs delictis, v.g. homicidij, indicium sufficiens ad Inquisitionem, & hoc sibi minitans imputare debet. Ad torturam tamen regulariter minæ. etiā effectu secuto, non sufficiūt, ut tradit Menochius, & cum eo Manzius *in art. 25. n. 42.* per rationem, quia multi sunt (& major pars minantium) qui minantur, & parùm faciunt: nam plerumque volunt solùm terrere, si enim cauti essent, & seriò destinâssent inferre malum, id facerent, & non dicerent. unde adagium est, vanum esse metum minarum. Ut ergo propter minas ad torturam perveniatur, necesse est ut accedant alia quædam adminicula, v.g. quòd sint prolatæ ab eo, qui aliàs solitus est minas exequi, qui sit malæ famæ in eodem genere mali, & cui facile fuit exequi, vel qui apud alios videri voluit auctor talis mali subsecuti, adeoq; non terrendi animo præcisè minatus sit. Julius Clarus dicit, apud eum sæpenumero reos torturæ subijci jussu Senatûs ex solis minis, *junctâ causâ minarum.* quod dictum Menochius ità interpretatur, ut velit id fieri vi supremæ potestatis illius Senatûs. Sed hoc improbat Farinacius *q. 50. n. 11.* volens causam minarum, i. e. sæpe inimicitias, esse adminiculum. quod tamen mihi difficile est, sic enim rarò erunt minæ sine adminiculo, quia rarò fiunt sine odio & inimicitia, cujus præsumptionem fundant. ergò secundùm Farinac. regulariter & ex communiter contingentibus minæ sufficerent ad torturam, quod tamen est contra ipsum Farinacium.

420. Du-

420. Dubitatum est, an, quod dictum est de præsumptione contra minantem, etiam procedat de jactante, se posse nocere, non tamen dicendo, se velle nocere. Affirmant aliqui, alii negant. Farinacius pro horum concordia distinguit, *lo. cit. n.* 7. Si jactans est persona potens, & non solita vanos effundere sermones, sed jactationes exequi, tunc tales jactationes, secuto effectu, faciunt contra jactantem indicium ad torturam: secùs si is fuerit impotens, & loquax. Verùm quia hæc sunt generalia, redibit de his sermo in seq. tract. cùm agemus de Tortura. In Maleficio jactante se posse nocere per maleficium, faciliùs poterit inde capi indicium sufficiens ad torturam, effectu secuto, quia talis jactantia est quædam artis magicæ professio, de qua paulò antè dictum est.

421. Tertium indicium in Carolina positum, nempe, si quis singularem gerat familiaritatem, ac frequenter conversetur cum personis maleficis, videtur Ferdinando VVaizenegger & Manzio nimis generale: & ad diffamationem potiùs, quàm ad indicium per se ordinatum: non igitur solum ad quæstionem viam aperit, nisi persona, quæ eum maleficis frequenter versata est, etiam aliunde de maleficio suspecta sit, cùm variis de causis in aliquo municipio vel pago inter vicinos stricta amicitia conciliari possit, atque etiam secretarum collocutionum quas imptimis aliqui putant attendendas esse) variæ possint reddi rationes. Videatur Delr. *lib.* 5. *sect.* 4. & Biosfeld. *indicio* 5.

422. Quartum indicium Carolinæ Ord. Infertum, nempe si quis rebus, gestibus, verbis suspectis utatur, quæ magiam sapiunt, sic declaratur per exempla.

Inter Res suspectas numerantur hujusmodi. Si in alicujus, aliunde jam de magia suspecti ædibus, vel conclavi, vel cista, reperiantur ollæ cum venenis magicis, bufones, hostiæ, membra humana, imagines cereæ acubus transfixæ, herbæ malignæ, libri magici &c. infans occisus, instrumentum obligationis & pacti mutui inter talem personam & dæmonem, ab eadem subscriptum vel signatum: hujusmodi repertis rebus is in cujus jam antè suspecti custodia talia reperiuntur, tormentis subjici potest.

Inter verba reddentia suspectum de magia, vel jam antè suspecti præbentia fundamentum sufficiens ad torturam, enumerantur scelerata Juramenta, execrabiles blasphemiæ, verba impudicissima, execrationes in nomine diaboli. Verùm, rectiùs VVaizenegger & Manzius hæc censent esse nimis remota, & ne quidem ad Inquisitionem sufficientia. Melius exemplum est, si saga dæmonem invocet, aut cum dæmone loquatur, & ille licèt non conspectus respondeat.

Ad Gestus pertinet, si legitimè probetur, aliquem paulò ante exortam tempestatem vel grandinem, cùm in fluvio vel lacu staret, aquam retro tergum projecisse in aërem, lapidem bacillo percussisse, flores de variis arboribus collectos in ollas conjecisse, eosdem cochleari circumegisse, potionem equo propinâsse, vel eundem inunxisse, qui statim mortuus conciderit. Si stabuli limen aliquo unguento vel veneno infecerit, & inde animalium mors secuta sit: Si infans halitu vetulæ afflatus lentâ tabe consumptus, vel in continenti mortuus: si ex blanda demulsione & attactu morbus incognitus secutus sit &c. Et hæc de Indiciis Carolinis.

423. Dubitatur III. An præter hæc Carolinæ Ord. indicia etiam alia sint agnoscenda. ℞. Affirmativè. Nam illa tantùm exempli causâ sunt indicata. Hujusmodi sunt. Si quis tempore & loco non consueto deprehendatur in aliena domo, aut alieno stabulo, & inde maleficium sequatur. Si cum instrumento magico quis visus sit de loco exire fugiens pallensque, in eodemque loco reperiatur maleficium commissum. Si in alicujus corpore statim appareat vulnus, quale alius inflixit feli sibi fortè molestæ, v. g. amputatio digiti; si fœmina lectum suum ingressa noctu, foribus occlusis, momento cæperit abesse, ac post intervallum astin adhuc clauso in cubile reversa probetur. cui fortè alios accenseret & illud, quando ab aliquo noctu vexato jussa altero die redire pro impetrando sale, vel igne, altero die veniat & petat salem, eo quod diabolus credatur eas ad hoc cogere, quod quidem contigisse habetur à testibus fide dignis.

Hujusmodi etiam indicium esse potest fuga; sed cum distinctione, & tunc solùm aliquam suspicionem contra fugientem gignit, si priùs fuga arrepta fuerit, quã inquisitio formaretur, vel accusatio porrigeretur; præsumitur enim ex conscientia criminis fugisse. Sin verò fugam quis arripiat, eo quòd sciat contra se inquisitionem ex maleficorum denontiationibus institutam, vel fortè instituendam esse, metus carceris ac tormentorum, aliaque gravissima causarum criminalium incommoda, efficiunt, ut ideo fuga damnosa non sit.

Stigmata etiam & cicatrices quædam inter indiciorum genera enumerari solent. Verùm, ut monet VVaizenegger, quia cicatrices ex ulceribus vel aliunde possunt existere, nec potest alicujus, qui de crimine legitimè suspectus non est, corpus Judicis auctoritate inspici, vel si inspiciatur, non tamen ex attestatione carnificis, hominis vilissimi, qui asserat, stigma repertum dæmonis operâ impressum esse, hinc, inquit, magna præsumptio nasci non potest, cùm possit vel errare, vel sui commodi causâ fingere. Si tamen omnino constet, stigma tale esse, ut fa-

cilè penetrari non possit, & si acu perforetur, non sentiatur dolor, neque sanguis appareat; concurrentibus aliis indiciis adminiculum præstare potest: malefici enim convicti quandoque fatentur ejusmodi stigmata sibi à diabolo impressa fuisse, atque aliis quibus dæmon diffidit, imprimi, ut apud Delrium videre licet.

414. Adducuntur & alia quædam signa, quibus maleficæ putantur dignosci posse, quibus tamen haud tanta fides habenda est, ut ad inquisitionem sufficiant, esto hominibus ad judicandum temerè de aliis aliquam suspicionem aut etiam Judicium temerarium movere possint. Hujusmodi est vultus torvus, obliquus, distortus, turpis totius faciei figura, quam ex malorum spirituum perpetuo aspectu, & familiari colloquio contrahi putant. item ortus ex parentibus maleficis. item si vestes alicujus reperiantur in loco diabolicis conventibus destinato, v.g. sub patibulo: nam hæ possunt ab aliis eò deferri. Inter hæc refero quod narrat Berlichius n. 38. factum lepidum alicujus bubulci, qui in cognoscendis lamiis tali modo utebatur. Ille tot nodos filorum, quot in oppido vel pago erant mulieres & puellæ viri potentes, in quendã saccum immittebat, & pauculis verbis murmuratis saccum & nodos filorum in eo contentos, summo impetu undequaque suo pedo percutiebat, & illis benè percussis statim percurrebat, & mulieres visitabat, & si quæ veneficii reæ esse deberent, admodum percussæ & contusæ deprehendebantur ex livore in facie apparente, & postea in carcerem abducebantur, torturæ subjiciebantur, & in tormentis veneficium confessæ concremebantur. Quo Judicum facto nihil potest, meo Judicio, esse iniquius: quin potiùs illum bubulcum ducere debuissent, tanquã graviter suspectum de magia & pacto cum diabolo, & qui potuit hac ratione nocere illis quas vel ipse vel diabolus elegerit. & tamen Berlichius (sed improbando) testatur in confinibus Thuringiæ, non procul ab aula Vinariensi, sedecim mulierculas ex hujusmodi delatione fuisse concrematas. Contra hujusmodi delatores est conceptus articulus 21. Carol. Ord. ubi statuitur, ut nemo ad hujusmodi ariolorum aut Magorum delationem incarceretur aut torqueatur, sed potiùs illi delatores puniantur. & si Judex ulteriùs pergeret, torturam passo sumptus, dolores, injurias &c. refundat & compenset. Hinc inferunt DD. quòd sententia ex taliter causata confessione lata, esset omnino irrita. Et hæc de Indiciis.

415. Quæritur nunc III. Quomodo Judex, habitis sufficientibus indiciis ad capturam, gerere se debeat in capiendis maleficis. Pro resolutione præmonendi sumus, ad capturam fortiora requiri indicia, quàm ad inquisitionem specialem, quæ fit solùm pro judicis informatione: sin verò informationes sumantur ex officio ad transmittendam reo inquisitionem, sive ad eum citandum & audiendum (quod in crimine maleficii rariùs fieri solet, neque sine magna causa consultò fieri posse inquit VVaizenegger) tunc exiguntur ad inquisitionem tanta indicia, quæ Judicem ità movere possint, ut credat in genere indiciorum nihil aliud sibi deesse, quàm rei confessionem, & ideo aliqui requirunt indicia propria & immediata. Ulteriùs advertendum est, ad capturam regulariter leviora indicia desiderari, quàm ad torturam. Usus tamen habet, ut nemo facilè priùs in carceres compingatur, quàm indiciis ad torturam sufficientibus urgeatur, quia solus carcer in hoc crimine vehementer infamat, & sunt, qui mallent vitæ, quàm ejusmodi famæ jacturam facere. Verùm, quia non facilè possunt ejusmodi indicia ab invicem per certam regulam discerni, ideo ex communiore DD. sententia Farinacius *q. 27. n. 133.* Judicis prudenti arbitrio, præsertim in hoc crimine, committendum esse dicit, quænam indicia ad capturam alicujus certæ personæ sufficiant. Et quamvis in aliis delictis sæpè metus fugæ faciat, ut reus possit incarcerari, antequam conditiones ad incarcerandum per se requisitæ impleantur, hodie tamen (inquit VVaizenegger) malefici adeo in fugam proclives non sunt, vel si aufugiunt, rarò in peregrinas nationes, ut difficilis eorum persecutio sit, abeunt, fortè dæmone eos à metu graviore securos reddente, adeoque ob metum fugæ non putat facilè esse aliquem incarcerandum. Personarum etiam dignitatis ratio habenda est Judici. His præmissis

416. Respondetur ad Quæsitum I. Non esse maleficos, priusquam crimen confiteantur, in subterraneis, aliisque humiditate, vel frigore locis noxiis detinendos. neque statim compedes aut vincula injicienda, nisi locus carceris parùm tutus sit, vel id singularis ratio suadeat, vel ità babeat consuetudo. colligitur per arg. à contrario sensu, ex *lege 5. ff. de custod. reor. Si confessus fuerit reus, donec de eo pronuncietur, in vincula publica conjiciendus est.* R. 2. Reo comprehenso, in omnibus locis & angulis ædium ad eum pertinentium pixides, pulveres, unguenta & alia perfidiæ instrumenta perquirenda sunt: nec reis permittendum, ut extra domum capti in eam iterum ingrediantur, ne fortè taciturnitatis medicamenta capiant, ut idem auctor ex Delrio, Tolosano & aliis notat: adderem ego: & ne se invisibiles reddant. Iidem tamen AA. improbant illam nimis superstitiosam quorundam Judicum sollicitudinem, qui captos in sublimè tolli jubent, ne, priusquam in carceres deferuntur,

tur, terram contingant: item qui eosdem induunt unâ solùm interulâ, quæ die uno texta, neta, consuta fuerit; item qui in ea persuasione sunt, quòd si primi à maleficis conspiciantur, fascinari possint visu, fierique mitiores ad absolvendum, & ideo maleficos tergo adversos ante se produci mandant. ℞. 3. Vestes quoque comprehensorum diligenter excutiendæ sunt, ne quid secum ferant, quo sibi necem inferre, vel maleficium exercere possint. Nec inconveniens est, eos propriis vestibus exutos aliis indui, ne quid in vestibus maleficii lateat, ut monet Delrius sect. 7. falsa enim est quorundam persuasio, maleficos semel incarceratos non posse ampliùs nocere; nam ut idem Delrius refert *lib. 3. disq. Mag. p. 1. q. 5.* quædam lamia rogo jam imposita solo anhelitu carnifici lepram intulit, cùm tamen ipsa non esset leprosa.

427. Quæritur IV. Quænam Judex in torquendis Maleficis specialia observare debeat: (de generalibus erit suus proprius dicēdi locus.) Pauca de hoc invenio. 1. Quando esset prudens suspicio, in crinibus latere aliquod maleficium, non quidem statim ab initio, sed emergente vel crescente suspicione, crines quandoque radi possunt, ut hac ratione confessio obtineatur. 2. Quando Judex advertit, maleficos tormenta quasi sine sensu perferre, dum dæmon vel mediis naturalibus sensus eorum stupefacit, vel pondera, ipsumvé corpus sublevat, vel ex equuleo tollit, & aliud substituit, vel vim tormentorum aliò avertit, vel occupando corpus maleficorum fauces præcludit, ut loqui non possint, vel organum auditûs ità obstruit, ut vocem judicis vel interrogationes non exaudiant &c. tunc non ad vanas & superstitiosas observationes confugiendum est, sed remediis spiritualibus utendum, veluti Reliquiis Sanctorum, Agnis Dei seu ceris benedictis, sale & aquâ benedictis, devotis orationibus &c. quibus remediis apud nos Catholicos usus est, quibus verò hæretici, qui hæc rident, utantur ignoro. Quodsi (inquit VVaizenegger) manifesta sint maleficii signa, neque dolorem tormentorum adhibitorum senserit reus, sensurus tamen videatur, nihil prohibet tormenti genera mutare. Sæpiùs enim fit, ut dæmon ex pacto mancipium suum in uno, vel alio genere, non etiam in aliis tueatur. Experientia quoque docuit (ut videre est apud Delrium *appen. 2. q. 29.*) levioribus tormentis, cùm antè inusitata & acerbissima nihil proficerent, confessionem expressam fuisse. Sanè non multis ab hinc annis repertum est à Carnifice Germano, Catholico & pio, instrumentum ad torquendum absque ullius membri luxatione vel læsione, sed adeo intolerabilem inferens molestiam in omnibus corporis membris, ut nuper ex quodam latrone, in omnibus cæteris tormentis obstinato, & quasi dormiente, omnium confessionem extorserit.

428. Quæritur V. Quomodo & qualis confessio maleficii sufficiens probatio sit ad maleficum condemnandum. Prætermissis iis quæ omnibus reis confessis communia sunt, ut, quòd confessio extrajudicialis non sufficiat ad condemnandum, sed solùm ad torquendum, si per legitimos testes facta probetur, item quòd in tormentis facta debeat postmodum ratificari liberè; item, quòd per fraudem obtenta, v.g. pollicitatione impunitatis, non probet ad condemnandum, sed solùm sufficiat ad torquendum, & si perseveret in retractando, sit reus absolvendus, si verò perseveret in confitendo, possit condemnari: item quòd confessio æquivoca sit potiùs interpretanda in favorem rei, item quòd ex tædio vitæ facta non probet, item si innocentia rei per indicia verisimilia appareat, & si quæ sunt alia, de quibus erit suus infrà dicendi locus, his inquam omissis, & veniendo ad specialem confessionem Maleficorum,

Distinguendum est inter confessionem earum rerum, quæ in pura voluntate interna, verbis fortè exteriùs manifestata, consistunt, & ea, quæ consistunt in aliquo effectu externo, quo aliquod damnum vel malum causatum à se esse fatetur maleficus. Confessio eorum quæ sunt prioris generis, per se sola sufficit ad condemnandum. Hujusmodi sunt, si Saga confiteatur, se Deum & Sanctos, Christi fidem abjurâsse, se cum dæmone fœdus iniisse, cum eodem actus venereos exercuisse, in conventibus comparuisse, SS. Eucharistiâ abusam esse &c. Ratio est, quia hæc aliter probari non possunt, nisi per confessionem, (ut ponimus) quia sunt facta nemine nisi dæmone præsente, vel illis, quorum testimonium vel non est sufficiens, vel haberi non potest.

Quodsi Maleficus confiteatur judicialiter & liberè ea quæ sunt secundi generis, v.g. se segetes per tempestatem tali loco destruxisse, se talem vel talem infantem occidisse, se necem pecoribus intulisse, talis confessio non est secundùm se sola sufficiens, sed insuper debet constare de corpore delicti, hoc est, in tali loco fuisse segetes per tempestatem destructas, talem infantem vel pecus interfectum fuisse &c. Et hoc est generale ad alia damna & delicta, de quorum corpore constare debere, probabitur ex variis Juribus suo loco.

429. Quæritur VI. An ex quibusdam factis notoriis & permanentibus, possit haberi sufficiens probatio ad condemnandum, non obstante quòd reus constanter neget crimen. Affirmativam tanquam indubitatam tenet Berlichius n. 47. & citat Gail. lib. 2. de Pace pub. c. 15. *incip. licet articuli.* Ego in meo exemplari nullum

lum cap.ità incipiens invenio. Exempla affert, si penes sagas & striges venena & sortilegia fuerint deprehensa, si limen stabuli effodientes & venena submitteotes videantur, & iode statim pecudes mortnæ competiantur:(pro quo citat Bodinum, quem & alii secuti sunt; sed hujus Auctoris singularitates plures perstringit Delrius.) Vel si sagæ & aliæ veneficii suspectæ infaotem occidentes deprehendantur; vel si saga ioimico incolumi minitari, eúmque tangere animadvertatur, & ille repente mortuus concidat, aut afficiatur elephantiasi, membrorum distorsione, apoplexiâ, subitóque morbo: si visa sit saga clarâ voce Diabolo supplicans sortem fascinúmque eximere: si instrumentum obligationis motuivé inter magum & Diabolum pacti ab eo subsignatum reperiatur in scrinio ejus: si saga cum Diabolo sermones habere & eum invocare deprehendatur: si ex cubili domóque saga momento abierit foribus occlusis, quæ vesperi incubuerat lecto sno, ac postea in idem cubile revertatur: si lamia oculos fascinat, incantatque carmine: si homines, pecora, fruges incantaverit, in aërem ascenderit, caois sermonem indiderit, exsectisque membris sanguinem ejecerit, eademque denuò adunaverit: si sagæ flere & lacrymari non possint: (ex quo Berlichius evidens & permanens factum præsumi dicit n. 60. quod sine risu non legi) ex quibus concludit Berlichius his verbis. Ex his igitur omnibus & singulis factis evidentibus & similibus, Judex Judicium condemnationis in sagas & veneficos ferre potest, quantumvis hæc omnia magi negent, & constanter inficientur. Ità ridigus iste JC. unicè secutus suum Bodinum, cujus auctoritas vel ex eo solo vilescere debet, quòd expresse admittat, posse Judicem licitè per mendacium elicere confessionem, ut eum redarguit Delrius lib. 5.

430. Negativam defendit rectiùs Zanger apud euodem Berlichium, & Ferdinandus VVaizenegger n. 182. His verbis. Indicia indubitata, quæ præsumptione juris & de jure talia sint, non æquè in maleficio, ut io qnibusdam aliis criminibus, assignare licet: sive eoim infantem halitu vetulæ afflatum lentâ tabe consnmptum, vel in continenti mortuum esse, sive ex blanda alterius demulsione & attactu aliquem statim morbum iocognitum contraxisse, sive Bertam nocturno tempore in cella clausa deprehensam fuisse proponas; sive quis ex domo tua eo tempore quo filius tuus maleficio læsns est, cum instrumento magico visns fuerit exire pallens & fugiens, vehementissimâ quidem criminis præsumptione reus oneratur, seu quia similia in genere indiciorum indicia indubitata juris tantùm snnt, non etiam de jore (oullâ enim lege expressum est, ex his reum damnari posse) Judex ex iis reum noo in pœuam maleficii condemnare, sed quæstiooi tantùm subjicere potest, ut æquior & communior habet opinio.]

431. Dubitatum est de eo, qui talem scripserat Epistolam ad Sempronium: se juxta mandatum in certo consilio Diabolico sibi datum, pascua veneno iofecisse, certas persooas arte suâ magicâ ioteremisse, SS. Eucharistiam ex Ecclesia subreptam se ad proximum conventum certò certiùs allaturum, ut se dæmoni morigerum ostendat, totúsque cœtus maleficus eaodem pro more dehonestare queat. Monet præterea Sempronium, ut ex fœdere suum quoque faciat officium, modisque omnibus curet, ne sinè comitatu ad conventum accedat, sed & alios in facinoris societatem adsciscat. &c. Fatetúrque à se esse exaratam hanc epistolam, negat tamen, se criminum, quæ in eadem continentur, esse reum: dubitatum est, inqnam, si reverâ pascua reperiantur veneno corrupta, homines occisi, SS. Hostia ex templo sublata &c. an hujusmodi scriptura faciat plenam probationem ad condemnandum. Videtur affirmandum, quia notum est, scripturam facere plenam fidem contra scribentem. Nihilominus sæpè laudatus VVaizenegger respondet, ejusmodi litteras non nisi extrajudicialis confessionis vires habere, ipsa autem delicta coatrata non probare, quia litteris hæc non committuntur, sed facto, & ad rationē dubitaodi respondendo: Hæresin, inquit, conjuratiooem, injuriam, aliàque quæ conventione, dicto, vel scripto perficiuntur, per scripturam probari nil impedit. Igitur scriptura privata, nisi quatenus hæresin continet, maleficium non probat, etiam cùm scribens manum non diffitetur: torturæ tamen locum facit instar extrajudicialis confessionis. Ità ille. Quæ omnia debent fuodari io eo, quòd condemnatio requirat probationes luce meridianâ clariores, qualis non est talis scriptura.

432. Quæritur VII. Quid, & quantùm probatio per testes contra maleficos possit. Ad hoc quæsitum, (quidquid dicat Berlichius cum suo Bodino) ego cum Ferd. VVaizenegger, & alijs ab eo citatis, ac conformiter ad suprà dicta, Respondeo 1. Damna, quæ malo veneno apertè inferuotur, instar aliorum delictorum, duobus mioimùm, & omni exceptione majoribus testibus probantur, eáqne probatio plenissima, & luce meridianâ clarior dicitur; quia testes de eo quod sensu corporeo perceperunt, & oculis usurpârunt, fidem faciunt. Reus hoc modo convictus jure condemoatur, non quidem in pœoam maleficij communem, sed io eam, quæ pro delicti probati qualitate legibus imposita est. Conclusio patebit ex dicendis infrà de Testibus, & ex parte infertur ex suprà dictis. ℞. 2. Potest eti-

am

am per testes idoneos probari, reum artibus magicis, susurris, & carminibus usum fuisse, mira quædam communem hominum captum superantia effecisse, atque dæmonis opem ad ea perficienda imploråsse. Ratio est, quia hæc quoque magorum facta, testium sensibus exposita sunt, neque tantùm per se pœnam merentur, sed etiam occasionem præbent, super Apostasia, Idololatria, & cæteris maleficio familiaribus criminibus, inquirendi per torturam. Ubi tamen Judex protestari disertè debet, quæstionem seu torturam adhiberi sine præjudicio probatorum, nam super probatis nemo torquetur. ℞. 3. Testibus etiam singularibus indicia ità probari possunt, ut quæstioni locus sit, dum tamen idonei sint, & omni exceptione majores, quod requiri immeritò negat Berlichius, cum suo Bodino. Quinam autem testes in criminalibus sint idonei, suo loco traditur. In crimine Veneficij posse filiam contra matrem testari, ut sufficiat ad torturam, non facilè negaverim, sed non concesserim sufficere ad concremationem, quidquid Bodinus adducat plura præjudicia: non enim omnium Judicum rigor est pro exemplo habendus. ℞. 4. Consortes, & complices singulariter denuntiantes (insistendo conclusionibus suprà positis) ne quidem ad torturam sufficiunt, quantumvis denuntiationes eorũ multiplicentur, quia non tantùm singularitas, sed & alii defectus illis obstant. Quin imò, quò plures sunt (inquit Ferd. VVaizenegger) qui municipes ac vicinos suos singulariter denuntiant, eò minor eis omnibus, quàm uni soli fides danda videtur: nam etsi unius malefici denuntiatio quandoque verisimilis appareat, plurium tamen diversæ loco & tempore indicationes, ne quidem umbram aliquam verisimilitudinis habere videntur, quia vel verum non est, tantum maleficorum numerum de quanto ferè omnes deponunt, convenire, vel credibile non est illis vicibus, quibus maleficiTitium conventibus diabolicis secum intervenisse dicunt, semper unum tantùm ex denuntiantibus præsentem fuisse. Hoc ipsum tradit & innumeris auctoribus confirmat Farinacius *q. 64. n. 39.* quamvis (ut verum fatear) quod hoc numero asserit, pœnè totum destruit n. 41. ℞. 5. Non potest Titius damnari propter solas maleficorum de homagio dæmoni à Titio præstito, de præsentia ejusdem in conventibus ac choreis &c. deponentium depositiones etiam concordantes. Ratio est, quia horum denuntiationes, etiam præcisâ singularitate, ex pluribus aliis capitibus suspectæ sunt, & incertæ. (qualiter non sunt testimonia omni exceptione majorum) & ideo fieri non potest, ut illam certitudinem pariant, quæ luce meridianâ clarior sit, quia eorum concordantia non tollit suspicionem falsi, etiam respectu totius collectionis. Et hæc ex mente viri celeberrimi Ferd. VVaizenegger. Ex quibus per argumentum à contrario dicendum videtur, quòd, sicut diximus actus magicos, qui sub sensus cadunt, & suprà exemplis declaravimus, posse plenè probari factos per testes idoneos, ità, si contingeret, ut personæ omni exceptione majores interessent absque omni culpa (Deo fortè, vel bonis Angelis ità disponentibus) illi solennitati, quâ Titius homagium dæmoni præstaret, & choreis corporaliter interesset, posset maleficium Titii sufficienter probari per testes ad condemnationem, quia rationes allatæ solùm procedunt de denuntiationibus complicum, & quia non est major ratio, cur probari possit Infanticidium à Titio factum, & non homagium præstitum, quia hoc non minùs quàm illud (ut in casu pono) sub sensus caderet. Sed de hoc alij judicent.

433. Quæritur VIII Quænam sit pœna Maleficorum, qui vel confessi, vel convicti sunt. ℞. Jure Civili habentur leges duæ præcipuæ, in tit. Cod. *de Malefic. & Mathem.* Lex 6. sic habet. [Multi magicis artibus usi, elementa turbare, vitam insontium labefactare non dubitant: & manibus accitis audent ventilare, ut quisque suos conficiat malis artibus inimicos, hos quoniam naturæ peregrini sunt, feralis pestis absumat] Per feralem pestem putant Interpretes ignis pœnam intelligi. Deinde lex ultima. [Quicunque maleficorum labe pollutum audierit, deprehenderit, occupaverit, illico ad publicum pertrahat, & Judicum oculis communis hostem salutis ostendat.] Hæc cõbustionis pœna confirmatur in Ord. Crim. Carolina, art. 109. quoad illos, qui magicis artibus de facto aliis damna intulerunt. Qui verò illis quidẽ artibus usi sunt, sed nullũ damnũ intulerunt, jubentur puniri extra ordinẽ arbitrio Judicis, pro rei qualitate, cõsultis desuper Jurisperitis. Itaq; juncto art. 106. & 130. puniuntur hodie hac ignis pœnâ, qui dæmoni per homagium se consecrârunt, eidem sacrificia obtulerunt, nefandum peccatum cum succubis, & incubis admiserunt, ac præterea hominibus, animalibus, cæterisque fortunis nocuerunt. Imò etiamsi nemini nocuerint de facto, ob solum tamen pactum cum diabolo, Apostasiam, & Dei abjurationem, & ob exercitum coitum cum diabolo, nihilominus igne concremandos esse tradunt Interpretes adductorum articulorum, Hermannus Vulteus, & cum eo Berlichius, contra Gilhusiũ, qui solùm fustigatione, vel relegatione, vel mulctâ pecuniariâ puniandos esse dicit. Berlichio & communi sententiæ accedit VVaizenegger, hanc reddens rationem, quia absurdum est, reum qui equum occiderit, interfici, qui Deum ac veram fidem abnegavit, diabolo expressâ professione se addixit, cæteraque quantumvis sine alterius damno, nefandissima exercuit, contra præceptum divinum vivere.

Idem auctor testatur, consuetudinem obtinuisse, ut pœnitentes non lento ignis supplicio vivi consumantur, sed quibusdam locis laqueo ad palum suffocentur; alibi, & quidem hodie frequentiùs, gladio feriuntur, ac demum cadaver igne cremandum rogo injicitur, prout ego ipse spectavi in Neoburgensi Palatinatu unâ vice quatuordecim sic puniri.

Objici posset, latrones, qui minùs deliquerunt, acerbiùs puniri. Sed respondet citatus auctor, esse disparitatem, quia in latronibus non est tantum desperationis periculum, nec facilè quisquam repetitur, qui inter rotæ supplicium sibi complaceat in latrociniis perpetratis. In maleficos dæmon plus juris prætendit, & plus habet potestatis ad agendum in desperationem, vel ad pristinum obsequium. Fortassis & hæc addi ratio posset, quòd longè difficiliùs impetretur seria pœnitentia à maleficis, quàm à latronibus, & ideo pœnitentes merentur plus misericordiæ & clementiæ.

434. Dubitatum est I. Quid agendum cum impuberibus, qui à parentibus vel aliis seducti, magicas artes callent, & exercent, prout ex indubitatis relationibus habetur. Audivi, alicubi tales fuisse capite plexos, etiam in ea ætate, quæ necdum est rationis capax, & quidem inter ludendum cum carnifice, lusu quo solet quis oculis obvelatis quærere socios. & hoc ideo factum esse, quòd experientia doceat, tales nunquam ad frugem redire. Mihi semper visum est indubitatum, hoc non licere, quia nunquam licitum est innocentem directè occidere, de quo plura dixi *to.* 1. *de Jure priv.* Quare cum talibus omnino observanda est doctrina quam ex Sforza, Oddo, & Binsfeldio tradit Ferdin. VVaizeneg. *n.* 196. *& seq.* Si infantes à parentibus vel aliis in servitutem diabolicam redacti fuerint, quod sæpius accidit, cùm in tales delictum formale non cadat, hoc ipso puniri non possunt. Siu infans qualemqualem rationis usum habet, attamen tantò minor est ejus dolus, quantò minorem habet legis naturalis ac divinæ notitiam: quâ ratione ejus doli vix in foro externo ratio habetur. Nunquam igitur infans ultimo, vel alio graviori supplicio Jure plectitur. paternè tamen ferulâ vel aliis modis emendari potest, atque in loco tuto tamdiu detineri, donec fidei Christianæ præceptis probè instruatur. Instructus non sibi statim relinquendus est, sed honestis familiis tamdiu addicendus, donec ad firmam ætatem & constans animi Judicium perveniat.

Impuberes doli capaces, duriùs quidem quàm infantes emendari poterunt, ultimo tamen supplicio non sunt mulctandi, nisi ex gravissima causa, & Principe consulto. Eâdem igitur ratione pubertati proximi, sicut infantes, in fidei Christianæ præceptis ad pietatem, & ad cognitionem peccatorum instruendi sunt, atque in ea schola usque ad annum 16. retinendi. Quod si post omnem diligentiam adhibitam nulla correctionis appareant argumenta, sed in servitute dæmonis severissima persistant, supplicium de illis non immeritò sumitur. Sed neque semper decimus sextus annus exspectandus est, nisi, qui jam puberes carcerati sunt, in ipsa infantia dæmonis imperio fuerunt subjecti sine sua culpa; & ità eorum ratio peccatorum tenebris obscurata sit, ut suismet viribus, vel aliorum disciplinâ non possint opinionem perversam ante ætatem aliquam maturiorem agnoscere, & deponere.

435. Dubitatum est II. Quâ ratione procedendum cum Clericis, Monachis, & Monialibus maleficis, & de Apostasia, nefando coitum cum diabolo, homicidijs per malaficium commissis convictis vel confessis. ℞. Omissis Juris Canonici antiqui pœnis, quæ in desuetudinem abierunt, privilegiis omnibus secundùm Juris ordinem exuti, traduntur brachio sæculari, ut tradit Abbas *in cap. at si Clerici. de Judiciis:* nisi manifesta pœnitentiæ signa apparerent: v.g. si sponte & animo sincero ac pœnitente se accusarent, faterentúrque se quibuscunque pœnis dignos esse, seseque promptos ostenderent ad satisfaciendum Deo quocunque supplicio: quo casu putat Delrius & VVaizenegger, reos, post actualem degradationem ab Episcopo ad perpetuos Ecclesiasticæ curiæ carceres condemnari posse, si nullum ex hac clementia Reipublicæ periculum immineat, nec singularis aliqua causa suadeat contrarium.

436. Dubitatum est III. An hodie bona maleficorum sint confiscanda. Negativam defendit Fachineus *lib.* 9. *cap.* 87. sub hac conditione, si existant descendentes vel ascendentes, usque ad tertium gradum, secundùm Novell: 134. §. *ult.* in qua Justinianus pœnam confiscationis sustulit, excepto crimine læsæ Majestatis. ibi. [sancimus, eos qui in criminibus accusantur, in quibus leges mortem aut proscriptionem definiunt; si convincantur, aut condemnentur, eorum substantias non fieri lucrum Judicibus, aut eorum officiis, sed neque secundùm veteres leges fisco eas applicari: sed si quidem habeant descendentes, & ascendentes usque ad tertium gradum eos habere. In Majestatis verò crimine condemnatis, veteres leges servari jubemus.] Ex hac Novella constat sublatam esse confiscationis pœnam, excepto Majestatis crimine: atqui Maleficium formaliter & per se spectatum, non est crimen læsæ Majestatis. Ergo &c.

Ego tamen hoc argumento non moveor, ut à sen-

à ſententia affirmante (quæ aliorum eſt communis) recedam. Nam licèt crimen Maleficii non ſit crimen læſæ Majeſtatis humanæ, eſt tamẽ læſæ Majeſtatis Divinæ, etiam conſideratũ ſeclusâ hæreſi: ergo adhuc locũ habebit pœna confiſcationis arg.c. *vergentis.de hæreticis*.ubi Pontifex ſic loquitur. [Cùm enim ſecundùm legitimas ſanctiones rei læſæ Majeſtatis ponitis capite, bona coofiſcentur eorũ, filiis ſois vitâ ſolummodo miſericordiâ conſervatâ, quantò magis qui abertaotes in fide verum Dei filium Jeſum Chriſtum offendunt, à capite noſtro, qood eſt Chriſtus, Eccleſiaſticâ debent diſtrictiooe præſcindi, & omnibus bonis temporalibus ſpoliari, cùm longè ſit gravius NB. æternam, quàm temporalem lædere Majeſtatem.] Nunquid hæc ratio etiam in crimine Magiæ locum habet? nunquid gravius eſt abjurare Deum, quàm Cæſarem; jungi per fædus hoſti maximo Dei, quàm Cæſaris? Ex textu allato ſaltem illod eſt indubitatum, quòd quando hæreſis eſt conjuncta cum Magia, nec Magus reconciliatur Eccleſiæ, ejus bona ratione hæreſis ncofiſcentur, quando ob magiam cum hæreſi ncojunctam concrematur.

437. Quodſi fortè ſententia Fachinei & VValzenegger conſuetudine recepta eſt, ut exſtantibus deſcendentibus vel aſcendentibus bona non confiſcentur, adhuc tamen ſupereſt ſcrupulus, an ſi nulli aſcendenres vel deſcendentes exſtent, ſed tamen laterales conſanguinei, bona ſint confiſcanda. Pro affirmativa facit textus ex novella 134. relatus, obi ſolorum aſcendentium & deſcendeotium ſit mentio. Pro negativa addocitur Auth. ex eadem Novella deſumpta ab Jonerio 1 *C. de Bonis proſcriptorum ſeu damnatorum*, ubi lateralium quoque ſit mentio, & præſumendum eſt aliqnorum opinione, quòd Jonerius illa verba in antiqois exemplaribus legerit: ibi. *& ex latere usque ad tertium gradum ſi ſuperſint*. Quidquid ſit de rigore Juris, conſuetudo dicitur habere, ot etiam lateralibus bona ſerventur. Et hæc nobis de Magiæ Crimine dicta ſufficiant.

Superſtitioſi formales non ſunt Magi, quia nõ ſe obſtrioxerunt diabolo eo modo, quo ſuprà dictum eſt requiri, etſi operentur effectus ope dœmonis. de quibos mirâ eruditione nuperrimè ſcripſit P.Georgius Gobat, in ſuo Quadruplici Alphabeto, obi etiam n.927. & ſeqq. refert Tres Regulas cognoſcendi & diſcernendi effectus Magicos à Naturalibus. Pœna Superſtitioſorum eſt arbitraria.



Majeſtatis Læſæ Crimen.

SVMMARIVM.

Q*Vid de hoc delicto ſtatutum ſit* lege Jul. Majeſt. 438.

Quid hìc nomine Maieſtatis veniat. 439.

Majeſtas Imperatoria unde habeat originem. eod.

Definitio Majeſtatis in abſtracto. eod.

Relucet Majeſtas maximè in exercitio Regalium Majorum, tanquam proprietatum. 440.

Quando Rex Romanorum habeat Majeſtatem 441.

Contra Electores Imperii committitur crimen læſæ Majeſt. 442.

Quid de aliis Principibus, Statibus Imperij. 443.

Intellectus legis 5. C. ad leg. Jul. Majeſt. *circa Conſiliarios.* 444. *& ſeqq.*

A quonam hoc crimen committi poſſit. 447.

An Clerici poſſint committere crimen læſæ Majeſt. 448.

An committat Bannitus reſiſtens ſuo Principi: item ſubditus ſolùm ratione originis. 449.

Quibus modis hoc crimen perpetretur. 452.

An Principi maledicens committat hoc crimen. 453.

Pœna cudentium falſas monetas. 455.

Tres modi committendi crimen falſationis monetæ. 456.

Pœna falſantium monetam in materia. 457.

Quidſi quis in Imperio falſaret materiam monetæ extrantæ. 458.

Quidſi quis argenteam auro tingat, & ut auream expendat. 459.

Quidſi ab alio falſatam ſibi appropriet, ut expendat. 460.

Quomodo puniendus, in cujus domo cuſa eſt moneta. 461.

Quibus modis committatur hoc crimen in falſatione formæ. 462. *&* 465.

An puniendus, qui monetam auream radit, relicto tamen juſto pondere. 463.

An puniendus, qui ſolam argenteam radit. 464.

An puniatur in hoc crimine Læſæ Majeſt. ſolus conatus. 466.

Quomodo puniatur crimen læſæ Majeſtatis commiſſum in perſonam Principis, aut ejus Conſiliarios. 467. *& ſeq.*

Quomodo puniatur recipiens hoſtem fugientem. 468.

An bona ipſo jure fiſco cedant à d e commiſſi delicti. 469.

An & exiſtentia extra territorium cedant fiſco. 470.

An ab hac confiſcatione ſint aliqua bona excepta. eod.

Filii perduellium omni hæreditariâ ſucceſſione, & teſtamenti factione privantur. 471.

An hæc

438. DE Crimine læsæ Majestatis exstant tituli in Digestis & Codice. *Ad leg. Jul. Majest.* Et in Inst. *de publicis Judiciis* §. 3. ubi dicitur, quòd *Lex Julia Majestatis, suum vigorem extendat in eos, qui contra Imperatorem, vel Rempublicam aliquid moliti sunt. Cujus pœna animæ amissionē sustinet, & memoria Rei etiam post mortem damnatur.* In hoc crimine multa esse specialia, ob ejus specialem atrocitatem, quatenus in se continet species plurium gravissimorum criminum, ut proditionis, parricidii, patebit ex dicendis. Porrò, hæc lex Julia est tralatitia ex lege lata à Cornelio Sylla Dictatore, quam postea Julius Cæsar innovavit, quamvis etiam hæc quoad pœnam in ea statutam, nempe interdictionis Aquæ & Ignis, antiquata est, ut videbimus.

439. Quæritur I. Quid hoc loco Majestatis nomine veniat, cujus læsione hoc crimen committitur. Catholici scriptores rectè quadruplicem assignant, nempe Pontificiam, Imperatoriam, Regiam, & Populi Romani, quo titolo hodie veniunt Respublicæ Superiorem non agnoscentes. Quidquid contra torrentem nitatur Harpprecht, nulli Regi, nulli Reipublicæ, sed soli Imperatori tribuens hanc prærogativam, ut contra ejus Majestatem committi possit crimen læsæ Majestatis. Inter has Pontificiam esse cæteris omnibus Superiorem, non solùm Gigas & Farinacius (prout ineptit Harpprecht) sed totus Orbis Christianus, hæreticis & schismaticis exceptis, contestatur. Et dum carpit Farinacium dictus auctor, quòd hanc Superioritatem probet testibus domesticis, nempe Decretalibus Sumōrum Pontificum, non minùs ridiculum est, quàm si quis Harpprechtum carperet, quasi utatur domesticis testibus, quando Cæsaream Majestatem cæteris superiorem probat ex legibus Cæsareis.

Majestas Imperatoria habet Originem à Populo Romano, penes quem erat Majestas, dicente Tullio: *Majestas est magnitudo quadam Populi Romani, in ejus potestate ac Jure retinendo, vertiturque in Imperio, atque omni populi Romani dignitate.* donec ab eodem populo omne Jus seu Imperium & potestas, adeoque Majestas lege Regiâ in Imperatorem privativè translatum est, ut dicitur §. 6. Inst. *de J. N. G. & C.*

Definitur Majestas in abstracto: *Summa ac perpetua, legibus soluta potestas*: hoc est, omnia gubernandi & administrandi per se vel per alios, quæ ad Reipublicæ felicitatem pertinent tam conservandam, quàm promovendam. Primò dicitur *Summa*, adeoque nullam humanam potestatem supra se agnoscens, sed illam solam quæ Deo propria est, quam etiam illius in terris Vicarius repræsentat, in illa Gubernatione, quàm Christus D. Petro, ejusque Successoribus commisit dicens: *Pasce oves meas.* Jo 21. prout ipsi Imperatores & Reges Catholici, necnon Respublicæ liberæ, ringentibus licèt Hæreticis, agnoscunt. Secundò dicitur: *Perpetua.* quâ particulâ excluduntur illi, quibus admioistratio Imperii non nisi ad tempus competit, quales olim erant Dictatores, & hodie, si Carpzovio credimus, (contrarium asserente Gilhusio hic n. 2.) sunt Vicarii Imperii duo Electores, quibus non competit Majestas, quod intelligendum, præcisè ratione Vicariatûs tempore vacantis Imperii: nam an illis aliunde competat tanquam Electoribus vel Principibus, esto sint Inferiores, infrà videbimus.

Dicitur III. *Legibus soluta.* quæ tamen particula posset omitti, quia importatur in primo requisito, quòd sit summa potestas, quæ hoc ipso nullius Superioris legibus tenetur: nec par pari, & nemo sibi ipsi legem obligatoriam ferre potest, ut ostensum tract. de Legibus.

440. Relucet autem hæc Majestas, eodem auctore, maximè, in Exercitio Regalium Majorum sibi debitorum, tanquam proprietatū ipsius Majestatis, & non sunt mera præmia anticipata meritorum subsecuturorum in gubernatione. Unde illud est brocardicum, hæc reservata ità ossibus Imperatoris adhærere, ut contra ea nullo tempore præscribi possit. Quod si aliquis Inferior Princeps vel Respublica inferior habet Regalia Majora, ea non competunt jure proprio, sed Superioris beneficio vel conniventiâ, & solùm quoad exercitium, ità ut Superior illa per inferiorem cui concessa sunt, exercere videatur c. 14. *de prabend. in 6.* ibi. [Nos igitur attendentes, quòd etsi memorato Episcopo prædictam concessimus potestatem, penes nos tamen nihilominus remansit major, licèt eadem potestas etiam in prædictis, propter quod nostra, qui eandem præoccupavimus potestatem, potior debet esse conditio &c.] Et quidem in ipsa concessione solet hujusmodi dependentia indicari. Sic enim (ut refert Carolus Sigonius *lib. 8. hist. Ital.*) Henricus II. cùm Episcopo Patavino jus figandæ Monetæ largiretur, addidit, ut in una parte nummorum nomen & Imago Imperatoris, in altera figura urbis

Urbis exprimeretur, ad demonstrandum, quòd nomine Imperatoris hoc Regale exerceretur.

441. Dubitatum fuit, an Rex Romanorum post Electionem statim, ante coronationem & confirmationem à Summo Pontifice faciendam, hac supremâ Majestate gaudeat. Et quidem, si superstite adhuc & consentiente Imperatore eligatur, ità ut ei defuncto in Imperio succedat, in talem non committi crimen læsæ Majestatis, nec hoc tutò asseri posse, tradit Carpzovius *p. 1. q. 41.* de quo disputent Juris Publici Interpretes. De Electo verò, & post Imperatoris mortem existente, sic habetur in Aurea Bulla. *tit. 2. §. & quia.* [Et quia de antiqua, approbata & laudabili consuetudine inconvulsè, quod subscribitur, semper hactenus exstitit confirmatum. Ideoque & nos statuimus, & de Imperiali decernimus amplitudine potestatis, quòd is, qui modo præmisso, in Regem Romanorum electus fuerit, peractâ statim electione hujusmodi, priusquam in aliquibus causis aliis, sive negotiis, virtute Sacri Imperii administret, omnibus & singulis Principibus, Electoribus Ecclesiasticis & Secularibus, qui propinquiora Sacri Imperii membra esse noscuntur, omnia ipsorum privilegia, litteras, Jura, libertates, concessiones, antiquas consuetudines, & etiam dignitates, & quidquid ipsi ab Imperio usque in diem electionis suæ obtinuerunt, & possederunt, absque dilatione & contradictione confirmare & approbare debet per suas litteras & sigilla, ipsisque præmissa omnia innovare, postquam Imperialibus Insulis fuerit coronatus] Itaque contra talem committi crimen læsæ Majestatis, debet esse extra controversiam, verè enim est *Imperator electus*, etsi needum unctus & coronatus, & jam exercet potestatem supremam. Sed hæc ad Jus Publicum spectant.

442. Contra Electores Imperii etiam committitur crimen læsæ Majestatis, ex speciali dispositione Aureæ Bullæ, *tit. 24.* illis verbis: *talis tanquam reus læsæ Majestatis gladio puniatur, & omnia ejus bona nostro fisco cedant.* Et hoc est unum ex Privilegiis, quibus Electores gaudent præ aliis Imperii Principibus. Cujusmodi enumerat Carpzovius n. 61. nempe, quòd singuli Electores Cameræ Imperialis Assessorem præsentent. Licèt reliqui Ordines conjunctim nomine Circulorum suorum id faciant, in quibus plures sunt Principes & alii Status cum iis conjuncti. *Ord. Cam. p. 1. tit. 1.* Item quòd in liberis Electorum tutela anno decimo octavo finiatur, *tit. 7. Aur. Bull.* item quòd pro investitura nihil ab Electoribus numeretur, quotiescunque Feudum ab Imperatore recognoscunt. *tit. 29. Aur. Bull.* & si quæ sunt alia.

443. Quoad reliquos Principes, Comites, Barones, atque Status Imperii, si quis forsan eos offendat, (scribit Carpzovius) non perpetrari crimen Læsæ Majestatis, ex antè dictis sequi videtur, & maximè ex eo, quòd alioquin malè solorum Electorum mentio facta esset. Verùm, alii apud eundem n. 72. universim de Principibus Superiorem agnoscentibus concedunt, contra illos committi crimen læsæ Majestatis, & ità consuetudinem habere dicit Paulus Castrens: apud Julium Clarum n. 3. non dissentientem. Et sanè de Statibus Imperii id disertè affirmat Carpzovius, (quod priùs n. 66. negâsse videbatur) per rationem in lege 5. C. h. t. fundatam, quòd hodie Status Imperii non solùm in Comitiis sint Cæsaris Consiliarii, sed etiam in consortium potestatis adsciscantur. Summa enim, inquit, potestas Imperii in Comitiis in duos Semisses distribuitur, quorum unum Cæsar, reliquum Ordines universi habent, adeoque Status Imperii conjunctim tantùm potestatis obtinent in Comitiis, quantùm ipse Imperator Sed de hoc puncto prolixè differens videatur citatus Auctor, qui tandem fatetur, in hos non nisi ut conjunctim consideratos, & quatenus illorum offensa est offensa totius Imperii & ipsius Cæsaris, committi crimen læsæ Majestatis, non verò, ut sunt singulares Possessores & Domini suarum Provinciarum.

444. Quæritur II. Quomodo sit intelligenda lex 5. C. h. t. dum de Consiliariis loquitur, & in eos crimen læsæ Majestatis committi statuit, & sic habet. [Quisquis cum militibus vel privatis vel barbaris scelestam inierit factionem, aut factionis ipsius susceperit sacramentum, vel dederit de nece etiam virorum Illustrium, qui consilio & consistorio nostro intersunt, Senatorum etiam (nam & ipsi pars corporis nostri sunt) vel cujuslibet postremò qui nobis militat, cogitaverit (eâdem enim severitate voluntatem sceleris, quâ effectum puniri Jura voluerunt) ipse quidem, utpote Majestatis reus, gladio feriatur, bonis ejus omnibus fisco addictis.]

Prima interpretatio est, ad hoc duo requiri. Primum, ut Consiliarii, Senatores ac Milites, in quorum necem conspiratur, apud Principem in ejus aula commorentur, prout expressè dicitur in adducto textu. Et ità tenent plures, inter quos est Julius Clarus & Antonius Perez, & à fortiori Fachineus *l. 9. c. 31.* Secundum, ut reus de nece eorundem cogitet studio & animo offendendi Principem. Ità cum aliis Menochius, & expressè Ant. Perez, sic loquens. Dicendum itaque, non statim qui Consiliarium Principis offendit, crimen committere Majestatis, sed cùm quid in eum odio Principis committitur, eoque fine, ut Reipublicæ tranquillitas turbetur. Non etiam si occasione litis privatæ

quid fiat. quamvis enim dicta lex non distinguat, ratio tamen & gravitas pœnæ ac ipsa verborum proprietas hoc suggerit discrimen. Ità Perez.

Altera Interpretatio est, neutrum horum requiri, sed hoc sufficere, ut quis consiliis suis Imperatorem juvet, quod quilibet Consiliarius, etiam qui in aula Cæsaris non commoratur, vocatus facere potest. Ità in terminis Carpzovius. n. 57. & ante eum Harpprecht n. 17. & seq. ac Bocerus.

445. Mihi prior sententia magis arridet, vel ideo maximè, quia in secunda sententia fit nimia extensio, contra communem sensum: videmus enim hodie tam multis concedi titulum Consiliarii Principum, ut incredibile sit, offensam talium statim esse crimen læsæ Majestatis, nec unquam audivi hoc in praxi observari. Adducit quidem Carpzovius præjudicium quoddam Scabinorum, verùm si attentè legatur, conspiratio facta est in aliquem Ducem, ac Cæsaris Vicarium perpetuum Silesiæ Superioris & Inferioris, ac proinde qui moraliter censebatur in Aula Cæsaris (ut lex requirit) exstitisse, dum in eo loco sedem habuit, ubi Vicariatu functus est, & quia illa conspiratio facta est cum perturbatione Reipublicæ: & insuper additum est in sententia. *ob alia etiam commissa multiplicia notoria delicta*. ex illo igitur præjudicio nihil penitus colligi potest pro sententia Carpzovii. Deinde, quia hoc ipsum tandem extendendum esset ad quemvis militem Cæsaris ex privato odio offensum, quia quod de consiliariis dicitur, etiam de militibus in lege dicitur. Denique quia nullâ efficaci ratione fit hæc extensio. Ad id quòd lex non expressè requirat odium Principis seu Cæsaris, jam cum Perez responsum est. Præsentia in aula expressè requiritur, & tamen adversarii dicunt eam non requiri, ergo illi potiùs textui adversantur.

446. Objiciunt. Ratio in lege allata æquè procedit in illis, qui non versantur in aula, & qui privato odio offenduntur. nempe: quia sunt pars corporis Imperatoris. ℞. Consiliarios esse partem Corporis moralem, & ex illo genere Partium, quæ aliquando sunt tantùm pars remotè, aliquando pars proximè, & in actu secundo. hujusmodi pars ædificii sunt fenestræ, quæ tunc solùm sunt pars proximè & in actu secundo, quando sunt parieti annexæ. Imò Consiliarii in suo individuo spectati, ità sunt pars, ut tamen tali parte remotâ corpus non evadat imperfectum & defectuosum: nec enim illud corpus morale est defectuosum ex eo, quòd quandoque plures aliquando pauciores habeat consiliarios: cujusmodi partes sunt aliquæ vestimentorum, quibus absentibus non propterea dicitur homo defectuosè vestitus, esto quandò actu sunt in corpore, sint verè pars vestimenti, & hominis vestiri quà talis. Itaque tunc solùm ex legis intentione committitur crimen læsæ Majestatis in offensa Consiliarii, quando Consiliarius læditur dum actu præstat officium, & fungitur proximè munere partis, hoc est, dum est præsens Imperatori, & continuò (non physicè sed moraliter) occupatur in functionibus Consiliarii. & quando offensa eò tendit, ut moraliter censeatur redundare in Cæsarem, quod non semper fit, quando talis offenditur & injuriosè tractatur: alioquin qui aliquem gaudentem consiliarii titulo, qui fortè nuper Doctoris laureâ donatus est, infamaret, vel cum eo rixas injuriosas exerceret, pœnâ gladii puniendus esset, quod nescio an rationabiliter dici possit.

447. Quæritur III. A quonam hoc crimen læsæ Majestatis committi possit. Bajardus in Jul. Clarum, secutus Beronem, docet, posse committi etiam à non subdito, nempe quando quis lædit honorem Imperatoris aut Principis. Verùm, hæc sententia ab omnibus aliis rejicitur, & universaliter tenendum est, non posse hoc crimen committi nisi à subdito. Colligitur ex Clementina *Pastoralis. de sent. & re judicata.* ibi post medium. [Rursus non est silentio relinquendum, quòd ipse Rex noster & Ecclesiæ Romanæ ratione regni prædicti notoriè subditus homoque ligius & vasallus, ac in eodem regno, non NB. ut præmittitur in Imperio certum, continuum, & notorium suum habens domicilium, ac originem inde trahens Imperatori eo modo non subfuit, quòd in eum crimen læsæ Majestatis commiserit.] Ex quo textu infert Julius Clarus n. 6. quòd licet quis aliquo particulari Jure, puta Vasalli vel Delicti, efficiatur de foro alicujus Principis, si tamen ratione originis vel domicilii ei non sit subditus, non dicitur committere contra eum crimen læsæ Majestatis. Quod dicit Julius Clarus de Vasallo ratione feudi præcisè subdito, quòd non committat crimen læsæ Majestatis, est communiter receptum, & continetur in dicta Clementina, ut mirum sit Menochium *cons. 99. n. 99. & seqq.* tenuisse, quòd Imperatoris Vasallus, licèt ejus subditus non sit, offendendo tamen Imperatorem crimen læsæ Majestatis committat, quoad privationem feudi quod ab Imperatore possidet: quod falsum esse etiam ex eo convincitur, nam feudi amissio non est pœna criminis læsæ Majestatis, sed omnium bonorum confiscatio, ut dicetur. Illud tamen quod Clarus dixit de subdito ratione delicti, quòd inquam non sufficiat ad committendum crimen læsæ Majestatis, non caret dubitatione: & invenio Perezium ità scribentem n. 8. h. t. [Potest tamen limitari in non subdito, quà

dum

dum in alterius Principis territorio versatur, ibi aliquid hostile contra illam machinatur, nam talis, quamvis peregrinus sit, existens tamen in isto territorio, ibique delinquens, ejus forum sortitur, & secundùm leges loci punitur.] Ità ille.

448. Solet hîc etiam controverti, an Clerici, qui alioquio ratione Originis vel Domicilii sunt Imperatori subjecti, ratione Clericatûs ità fiant non subditi, ut non possint committere crimen læsæ Majestatis: quod quidem de Jure affirmandum putat Clarus & quidam alii, sed de Consuetudine aliud esse. Cæterùm, etiam de Jure negandum tenet Abbas, *in cap. at si Clerici. pr.* de Judiciis. quem citat Decianus *l. 7. c. 8.* & rationem reddunt. Licèt enim Clericus sit exemptus à speciali Jurisdictione sæcularis Principis, non propterea desinit esse de districtu aut provincia sui Principis. Et quamvis ipse Decianus pateat de Jure aliud esse dicendum, de consuetudine tamen testatur, non servari, & se vidisse presbyterum quendam, qui subditus Illustrissimorum Venetorum prodidit oppidum Marani hostibus, pede suspensum fuisse.

449. De eo etiam dubitatum est, an bannitus si resistat suo Principi, cujus hostis factus est, dicatur committere rebellionem. item de eo qui solùm est subditus ratione originis. & de utroque affirmant Bossius & Decianus, qui quoad primum dicit esse ipsam veritatem, sed veritatis fundamentum non affert.

450. Dubium difficilius est, an, & quomodo possit aliqua Universitas vel Civitas committere crimen læsæ Majestatis. ℞. 1. Posse committere, quia certum est posse civitatem delinquere pluribus modis in suum Principem, & quidem illis modis, quibus paulò pòst dicemus committi crimen Majestatis læsæ, & propter hoc crimen leguntur Carthago, Bononia & Brixia aratrum esse passæ. ℞. 2. Certum etiam est, saltem tunc committi, quando consueta forma convocandi, vocesque & suffragia colligendi observata est. Quamvis tunc non veniant puniendi illi qui contradixerunt, aut nullum suffragium dederunt, nec eorum nomine crimen commissum est. Sed an hæc solennis forma requiratur, nec sufficiat, si major pars ipso facto cooperata sit crimini, non est ità certum. Aretinus Consil. 164. defendit olim communionem Florentinam ab hoc crimine occidendo Archiepiscopum & captivando Cardinalem, quia id non erat factum præcedente tractatu & communi consilio. Alii tamen ità distinguunt. Vel major pars fecit aliquid nomine Universitatis, & tunc, etiam non præcedente deliberatione & consilio, tenetur Universitas: aut nil exprimitur quo nomine fiat, & tunc præsumitur nomine Universitatis fecisse. aut exprimitur, se nomine proprio facere, & tunc Universitas non tenebitur. Verùm, hanc distinctionem improbat Decianus per rationem bonam, quia tunc solùm major pars præjudicat minori, quando actus factus à majori parte, factus est secundùm formam solitam. *c. cùm omnes, de constit.* quando ergo forma non est servata, poterit quilibet de Universitate actum tanquam nulliter factum impugnare. Hoc tamen iterum limitat ipse Decianus: quodsi, etiam non servatâ formâ, nec convocatione factâ, commissum esset crimen habens causam successivam & continuam, v. g. recipiendo hostes, & illis obediendo, tunc censetur tale delictum à communitate ratificatum. Addit tandem, quòd si Magistratus principalis vel præsidentes etiam nomine Universitatis hoc crimen committerent, non tamen ideo teneretur Universitas, quod non credo, si reverà ex consensu, adeoque reverà nomine Universitatis crimen commissum esset.

451. Denique in aurea Bulla *tit. de conspirat.* constitutum est, ut Civitates & Universitates in hoc crimen incurrentes, censum librarum auri, & amissionis libertatum & privilegiorum Imperialium pœnam incurrant. Ad quam tamen summam non sunt illi collectandi, qui non consenserunt.

452. Quæritur IV. Quibus modis hoc crimen perpetretur. Ad hoc quæsitum respondet Bajardus in Jul. Clar. qui quadraginta quinque modos recenset. Attingam brevissimè. 1. Assumendo arma & movendo bellum contra suum Principem. 2. Offendendo eos qui fuerunt assecurati per Principem, v. g. per salvum conductum. 3. Dando consilium dolo malo adversùs Principem, vel Rempub. 4. Interficiendo obsides Principis sine ejus jussu. 5. Convocando homines telis vel lapidibus in urbe adversùs Principem, ut occupentur loca vel templa. 6. Convocando certum hominum conventum ad seditionem civitatis. 7. Occidendo Magistratum habentem ab Imperatore vel Rege merum Imperium, & hoc in odium Principis. 8. Sumendo arma contra Rempub (sed hæc est repetitio primi.) 9. Mittendo litteras vel nuntium, vel signum dando hostibus. 10. Sollicitando vel concitando milites ad rebellionem. 11. Recedendo per fugam ante 50. dies statutos pro syndicatu. 12. Deserendo exercitum. 13. Fugiendo ad hostem. 14. Scribendo falsum in tabulis publicis seu libris Principis. 15. Concitando hostes in damnum Principis. 16. Ferendo opem hosti. 17. Cedendo in pugna, & sic dando causam, ut hostis vinceret. 18. Tenendo sine licentia Fortalitium in confinibus Imperii vel Regni. 19. Tradendo hostibus Castrum sibi com-

commissum, vel illud ad petitionem Principis non resignando. 20. Gerendo bellum sine licentia. 21. Eligendo sibi milites de aliis militibus. 22. Comparando exercitum. 23. Nolendo resignare exercitum substituto in generalatu. 24. Deserendo Principem in prælio. 25. Assumendo Magistratum propriâ auctoritate. 26. Jurando necem Principis. 27. Dando operam, ut exercitus incidat in insidias hostium. 28. Aperiendo hosti periculum illis imminens ab exercitu Principis. 29. Dando hostibus commeatum. 30. Dando hostibus mutuum, vel arma vendendo. 31. Amicos Principis reddendo inimicos. 32. Dolo malo faciendo, ut vasallus non obediat Principi. 33. Dolo malo procurando obsides loco pecuniæ. 34. Eximendo ex carceribus condemnatum de læsa Majestate. 35. Conflando statuas Principis. 36. Prodendo aliquam Civitatem, vel ad rebellionem inducendo. 37. Committendo crimen perduellionis. 38. Eligendo Pontificem, priore vivo. 39. Persuadendo alicui civitati vel castro infidelitatem. 40. Non manifestando malum imminens Regi. 41. Insequendo hostiliter Cardinalem. 42. Conspirando in necem alicujus Consiliarii. 43. Perjurando contra juramentum ligii. 44. Dicendo se Regem Regni Neapolitani, quod est patrimonium S. Petri. 45. Frangendo pacem initam à suo Principe cum alio. Hæc Bajardus, qui tamen nescio quomodo prætermiserit crimen quod committitur in falsatione monetæ, & maledictione Principis, de quibus agetur postea: Et quidem de falsatione Monetæ paulò pòst fusiùs dicetur, quia habet aliqua specialia. De priore nunc.

453. Dubitatur, an hodieque reputetur crimen læsæ Majestatis, (ut olim) si quis Principi maledixerit. Affirmat Bocerus, sed rectiùs alii omnes negant, nisi maledictio contineret verba seditiosa, vel turbulentas exclamationes, quibus salus Principis aut reipublicæ periclitaretur. v.g. *Moriatur. Libertas, Libertas.* &c. Probatur clarè ex lege un. *C. si quis principi maledixerit.* [Si quis modestiæ nescius, & pudoris ignarus, improbo petulantique maledicto nomina nostra crediderit lacessenda, ac temulentiâ turbulentus obtrectator temporum nostrorum fuerit: eum pœnæ nolumus subjugari, neque durum aliquid, nec asperum volumus sustinere: quoniam si id ex levitate processerit, contemnendum est: si ex insania, miseratione dignissimum: si ab injuria, remittendum. Unde integris omnibus hoc ad nostram scientiam referatur, ut ex personis hominum dicta pensemus, & utrum prætermitti, an exquiri debeant, censeamus.] Ex quibus ultimis verbis habetur, maledicentis punitionem non permitti Judicibus, qui alioquin crimen læsæ Majestatis punire possunt, sed reservari Principi, & quidem soli Imperatori, de quo solo loquitur lex. Ergo maledicens alteri alicui Principi habenti Majestatem, potest puniri ab aliis Judicibus, sicque Scabini talem punivêre fustigatione & relegatione.

454. Cætera, quæ ex Bajardo retuli, colliguntur ex aliquot legibus ff. h. t. ubi, quidquid de populo Romano dicitur, hodie in Imperatore & aliis supremis Principibus aut Rebus publicis obtinet, sive de Jure, sive de consuetudine, l. 1. §. 1. [Majestatis autem crimen illud est, quod adversùs populum Romanum, vel adversùs securitatem ejus committitur, quo tenetur is, cujus operâ dolo malo consilium initum erit, quo obsides injussu Principis intercciderent, quo armati homines cum telis lapidibusvé in urbe sint, conveniantvé adversùs rempublicam, locavé occupentur, vel templa, quové cœtus, conventusvé fiat, hominesvé ad seditionem convocentur, cujusvé operâ, consilio, dolo malo, consilium initum erit, quo quis magistratus populi Romani, quivé Imperium potestatemvé habet, occidatur: quové quis contra Rempublicam arma ferat, quivé hostibus populi Romani nuntium litterasvé miserit, signumvé dederit, feceritvé dolo, quo hostes populi Romani consilio juventur adversùs Rempublicam, quivé milites sollicitaverit, concitaveritvé, quo seditio, tumultusvé adversùs Rempublicam fiat. *l.* 2. Quivé de provincia, cùm ei successum esset, non discessit, aut qui exercitum deseruit, vel privatus ad hostes profugit, quivé sciens falsum conscripsit, vel recitaverit in tabulis publicis: nam & hoc capite primo Majestatis lege enumeratur. *l.* 3. Lex duodecim tabb. jubet eum, qui hostem concitaverit, quivé cibum hosti tradiderit, capite puniri. Lex autem Julia Majest. præcipit eum qui Majestatem publicam læserit, teneri, qualis est ille, qui in bellis cesserit, aut arcem tenuerit, aut castra concesserit. Eâdem lege tenetur, & qui injussu Principis bellum gesserit, delectumvé habuerit, exercitum comparaverit, quivé cùm ei in provincia successum esset, exercitum successori non tradiderit: quivé imperium, exercitumvé populi Romani deseruerit, quivé privatus pro potestate, magistratuvé quid sciens dolo malo gesserit: quivé quid eorum, quæ suprà scripta sunt, facere curaverit. *l.* 4. Cujusvé dolo malo jurejurando quis adactus est, quo adversùs Rempublicâ faciat, cujusvé dolo malo exercitus Populi Rom: in insidias deductus, hostibusve proditus erit: factumvé dolo malo cujus dicetur, quo minùs hostes in potestatem populi Romani veniant; cujusvé operâ, dolo malo hostes populi Romani commeatu, armis, telis, equis, pecuniâ, aliavé re adjuverint, utvé ex amicis Populi Romani

mani hostes fiant, cujusvé dolo malo factum erit, quo Rex exteræ nationis populo Romano minùs obtemperet: cujusvé operâ dolo malo factû erit, quo magis obsides pecunia, jumenta hostibus populi Romani dentur adversùs Rempublicam. Item qui confessum in judicio reum, & propter hoc in vincula conjectum emiserit. Hoc crimine liberatus est à senatu, qui statuas imperatoris reprobatas conflârit. *l. 6.* Qui statuas, aut imagines Imperatoris jam consecratas conflaverint, aliudvé quid simile admiserint, lege Jul. Majest. tenentur. *l. 10.* Majestatis crimine accusari potest, cujus ope, consilio, dolo malo, provincia vel civitas hostibus prodita est. Præterea (quod Bajardus etiam prætermisit) qui privatum carcerem exercet, in hoc crimen incidit, *l. 1. C. de privatis carcerib.* quamvis revocati possit ad usum Meri Imperii. ibi. [Nam illud perspicuum est, eos qui hoc criminis genus commiserint, etiam pro veterum legum & constitutionum tenore, tanquam ipsius Majestatis violatores ultimo subjugandos esse supplicio.] Magistratus connivens nec coercens, eidem pœnæ subjacet. ibid. Verùm, hodiernis moribus mitior pœna infligitur, & ideo in hoc puncto est attendenda locorum consuetudo. Denique l. 2. C. de falsâ Moneta habet aliam speciem criminis læsæ Majest. de quo nunc agetur.

455. Itaque lex 2. cit. sic habet. [Si quis nummos falsâ fusione formaverit, universas ejus facultates fisco nostro præcipimus addici. In monetis enim tantummodo nostris cudendæ pecuniæ studiû frequentari volumus, cujus obnoxii Majestatis crimen committunt, & præmio accusatoribus proposito, quicunque solidorum adulter poterit reperiri, vel à quocunque fuerit publicatus, illicò, omni dilatione summotâ, flammarum exustionibus mancipetur] Vidique ego Monachii tres tales comburi, duobus priùs decapitatis, & tertio strangulato. Quæ exustionis pœna dicitur etiam Mediolani, Veronæ & Ferrariæ observari, teste Menochio. In Gallia dicuntur adulterantes monetam Regis in aqua ferventissima & ebulliente suffocari.

456. Et quamvis Damhouderus quinque modos referat committendi hoc crimen falsationis monetæ, in Ordinatione Criminali tamen tres præcipuè modi assignantur. 1. Cudendo falsam monetam, si dolo malo alienum signum monetæ imponatur. 2. Vitiando materiam, aliud scilicet metalli genus admiscendo præstantiori, v. g. cuprum auro, stannum argento. 3. Monetam diminuendo, radendo, mutilando, excoquendo. a. 111. Quibus addi solet quartus modus, nempe cudendo monetam absque jure aut privilegio cudendi. Verùm, Carpzovius omnes assignabiles modos reducit vel ad Materiam, vel ad Formam.

457. Quando falsatio fit in Materia, non adhibendo debitam & præscriptam materiam, pœna illius nempe exustio confirmata est Ord. Crim. a. 111. quam pœnam etiam patiuntur cudentes solùm, & non exponentes, vel qui ab alio fabricatam expendunt, animo alios decipiendi. ibid. Et quia Ordinatio Carolina generaliter loquitur, est intelligenda non solùm de falsatoribus Monetæ Imperialis, sed etiam cujuscunque Principis, habentis jus cudendi monetam, quia talis moneta, quatenus in Imperio non minùs quàm Imperialis recipitur, & ideo ejus falsatio non minùs noxia esset Imperio, quàm falsatio monetæ Cæsareæ. Sed hæc intelligenda sunt, quando reus in majori moneta falsanda peccavit, vel in minore quidem, sed aliquamdiu, & sæpiùs cudendo: nam si tantùm semel iterúmque, mitiorem pœnam fustigationis & relegationis dictârunt Scabini.

458. Dubitatum est I. An eâdem pœnâ afficiendus sit, qui alicujus extranei Regis monetam falsaret quoad materiam in Imperio. Affirmant Menochius, Bocerus, & quidam alii, nec id est improbabile, quia, ut suppono, talis moneta per Imperium est recepta, & consequenter idem incommodum infertur Imperio. Nihilominus Carpzovius negat, ex eo potissimùm fundamento, quòd pœna ignis imponatur, quia commissum est crimen læsæ Majestatis. Hæc tamen ratio me parùm movet. Nam hæc non est adæquata causa tam atrocis pœnæ, quia non omne crimen læsæ Majestatis punitur pœnâ ignis. Deinde Ordinatio Carolina universaliter loquitur, & videtur unicè attendi damnum Reipublicæ inferendum, quæ est principalis causa hujus pœnæ. Unde etiam infertur eadem pœna falsantibus monetam inferiorum Principum. Theoricè ergo loquendo mihi Menochii sententia verior videtur, quamvis Scabini pœnam gladii dictaverint.

459. Dubitatum est II. De eo qui monetam v. g. argenteam auro tingit, & pro aurea expendit. ℞. Probabiliùs talem mitiore pœnâ, considerato damno quod intulit Reipublicæ, puniendum esse, quia Carolina, conformiter legi *2. C. h. t. relatæ*, loquitur de fusoribus & cusoribus, quales non sunt tinctores, & fraus tincturæ faciliùs deprehenditur.

460. Dubitatum est III. An qui pecunias falsatas ab alio cusas sibi appropriat, in eum finem, ut expendendo alios decipiat, eâdem exustionis pœnâ teneatur. ℞. Affirmativè, rigore Juris spectato, nam hoc satis clarè dicitur in art. 111. quod tamen non videtur ullo modo extendendum ad eum, qui deceptus eam acquisivit, & deinde sciens esse falsatam expendit: à talibus enim non iminet adeo notabile præjudiciû Reipublicæ, nec tales ità cooperantur cusoribus, quasi

 hinc

hinc illi rasores cordatiores & proniores fiant, si habent, qui pecunias distrahant. Erit ergo pro tali delicto mitior & arbitraria pœna sufficiens: Et fortè non aliter solent puniri quàm pœnâ, ad quam jure naturæ tenentur, nempe ut resarciant damnum illatum, nisi fortè in maxima quantitate fecissent.

461. Dubitatum est IV. Quomodo puniendus sit, in cujus domo cusa est falsa moneta. R. De hoc loqui legem 1. *C. de falsa moneta.* ibi. [Domus verò, vel fundus, in quo hæc perpetrata sunt, si dominus in proximo constitutus sit, cujus injuria vel negligentia punienda est, etsi ignoret, fisco vindicetur, nisi dominus antè ignorans, ut primùm revertitur, scelus prodiderit perpetratum, tunc enim possessio vel domus ipsius proscriptionem injuriæ minimè subibit.] Ordinatio Cat. art. 111. mitigavit, ut procedat solùm in eo, qui scienter monetam adulterinam in sua domo cudi passus est. Et hæc de falsatione quoad Materiam.

462. Quoad falsationem ratione Formæ, imprimis peccat, qui absque privilegio Cæsareo (nam inter Imperatoris Regalia numeratur potestas cudendi monetam, & aliis facultatem concedendi) monetam cudit, ejusque pœna est arbitraria, vel in corpore, (non tamen mortis) vel in pecunia. (ut habetur art. 111. sæpè citato.) Non obstante quòd debitam materiam, debitumque pondus moneta contineat. Culpa enim in eo consistit, quòd talis sibi Regale arrogaverit: & ideo apud Carpz. n. 24. Civitati Erffordensi mulcta mille Thalerorum Imperialium indicta est.

Secundò, peccat quoad formam, qui signum alienum monetæ imprimit, nempe alterius Principis aut Status habentis privilegium monetandi, non obstante, quòd justum pondus & materiam adhibuerit, imò & jus monetandi habuerit. Hujus pœnam putavit Bocerus esse exustionem, si non habuit jus monetandi, sed hoc ex mala intelligentia Carolinæ Ordinationis, ut ostendit Carpzovius, asserens esse ipsius pœnam arbitrariam, eo quòd talis minùs delinquat, quàm qui sibi jus monetandi proprio signo arrogat. quod mihi dubium est. & ideo magis probo alteram ejusdem rationem, quia nullâ lege certa pœna est constituta tali falsatori: ergo ad pœnam arbitrariam recurrendum est, quæ est pœna criminis *Falsi.*

Tertiò, in forma peccat, qui justum monetæ pondus adimit, sive in ipsa fusione vel tunsione, sive postea, radendo vel mutilando, ut habetur eod. art. 111. ubi etiam in talem pœna arbitraria in corpore vel pecunia statuitur, non tamen pœna mortis.

463. Circa hoc tamen nascitur pulcbrum dubium, an aliquâ pœnâ sit puniendus, qui monetam quidem radit, sed non nisi illam, quæ plùs habet ponderis, quàm requiritur, relicto justo pondere. Negat Decianus & Alciatus. Affirmant rectiùs Menochjus, Bocerus, Carpzovius. 1. quia jam tollit justum pondus monetæ, nam Carolina Ordinatio per justum pondus non intelligit illud pondus, quod communiter hujusmodi moneta habet, sed quod Princeps illi tribuit cudendo, & publici Juris fecit, adeoque talis rasor jam aufert alienum, hoc est illud, quod Princeps voluit esse usûs publici.

Objicit Alciatus 1. Potest impunè aureo non habenti justum pondus addi quantùm deest. Ergo etiam potest impunè demi, quantùm redundat. Negatur consequentia. Nam in casu antecedentis non usurpat addens rem alienam, sed de suo largitur, & ideo nemini nocet, sed prodest, aliter se res habet in consequente.

Objicit. 2. Qui nemini nocet, non est puniendus, nec committit falsum. Negatur suppositum, quòd talis nemini noceat, vel præjudicium creet, reverà enim id fit Principe rationabiliter invito, in cujus honorem cedit monetam esse supraponderiam. Hujusmodi rasorem trium aureorum punivêre Scabini carcere octo dierum.

464. Levius dubium est illud, an soli rasores aureorum nummorum sint puniendi, vel etiam argenteorum. Ratio dubitandi sumitur ex *l: 8. ff. ad leg. Corn. de falsis.* ubi solorum aureorum nummorum fit mentio. et ob hanc rationem Covarruvias existimat, solos rasores auri esse puniendos. Sed, meo judicio, hoc est nodum quærere in scirpo, nã non verba præcisè, sed mens & ratio legis est attendenda. et, quidquid sit de illa lege, Ordinatio Carolina loquitur sub termino generali *Monetæ.* & ideo Scabini talem rasorem quindecim Thalerorum, rasurâ faciente 5. Loth. fustigatione puniendum pronuntiârunt.

465. Quartò, peccatur in formæ falsatione, si quis ex majore moneta resoluta, minorem efficiat; cujus ratio est, ne moneta à Principe cusa contra ipsius intentionem intereat & supprimatur, & cum præjudicio Juris monetandi ejus memoria intereat. cujus falsationis pœna est arbitraria, constituta eodem art. 111. Carol: Ord. Quin & Magistratus in hoc consentiens, privilegium cudendæ monetæ amittit. Verùm, hæc ego intelligenda existimo, si dolo malo, & unius certæ formæ moneta ità transformetur, nam si promiscuè aliquis Princeps alienas monetas resolvat, ut suam inde conficiat, nihil delicti apparet, & quivis ære suo uti potest, adeoque etiam ad suam monetam conficiendam, si cæteroquin Jure monetandi gaudet, & nisi fallor, hoc habet

habet usus quotidianus. Imò laudandus est, qui monetas non admodum utiles aut perfectas hoc modo resolvit, dummodo Jus monetandi habeat.

Denique in Edicto Monetario Ferdinandi I. resolutio Monetæ, quæ à privatis, dolo malo & in fraudem reipublicæ fieri, & argentum postea ad alios usus applicari consueverat, sub pœna ignis fuit prohibita in Recessu Aug. de anno 1559. Sed hujus Constitutionis rigor hodie non observatur, ut testatur Carpzovius. n. 51.

466. Illud etiam in punitione hujus delicti observatur, ut non puniatur ordinariâ ignis pœnâ solus conatus, forte per accidens impeditus, quemadmodum cæteroquin Crimen læsæ Majestatis in aliis speciebus solet puniri, ut mox dicemus. Atque hæc de falsatione Monetæ. Nunc ad ea quæ cæteris speciebus læsæ Majestatis communia sunt redeamus. Itaque

467. Quæritur V. Quænam sit pœna Læsæ Majestatis. ℟. Pœnam non esse pro omni specie hujus criminis uniformem, quia nec gravitas delictorum est æqualis. Itaque

Dicendum I. Si adversùs ipsam Principis personam, vel ejus consiliarios directè in eorum necem conspirando committatur, quod Perduellionis crimen est, Reus pœnâ mortis plectitur. *l. 5. pr. C. ad L. Jul. Majest.* suprà relatâ. in qua quidem ponitur pœna gladii. Sed Carpzovius existimat, ibi pœnam gladii idem esse quod *pœna mortis* in genere, sicut Jus gladii dicitur Jus generale vitæ & necis. Hinc perduelles quandoque gladio, quandoque igne, quandoque dissectione in quatuor partes, pro dispositione Statutorum, quæ diversa est, puniuntur. Imò vigore Carol: Ordin. videtur Carpzovio pœnam auctam esse, eo quòd art. 124. constitutum sit, ut Proditores Provinciarum, Vrbium, Principum, quorum Jurisdictioni & imperio subjecti sunt, priùs prostrati in terram per plateas in locum supplicii raptentur, aut ignitis forcipibus lacerentur, postea primùm in quatuor partes scindantur. Atqui Perduellionis crimen gravius est crimine proditionis, ergo & illi potest pœna exasperari. Dum hæc scribo, Perduellium Antesignanus in Ungaria nomine Pikal palo transfixus, & alius unco injectus est.

468. Dicendum II. Qui hostem fugientem sciens recipit, deportatione & infamiâ punitur: relegationis verò & infamiæ pœnâ, qui sciens alicubi latentem dissimulat. *l. 40. ff. de pœnis.* [Mettodorum, cùm hostem fugientem sciens susceperit, in insulam deportari, Philoctetem, quòd occultari eum non ignorans diu dissimulaverit, in insulam relegari placet.] de infamia colligitur ex lege 24. eod. [Eorum qui relegati vel deportati sunt ex causa Majestatis, statuas detrahendas scire debemus.]

Dicendum III. Rei hujus criminis in gradu primæ conclusionis, insuper puniuntur infamiâ liberorum, ut habetur in Aurea Bulla tit. 24.

Dicendum IV. Eorundem perduellium omnia bona, uxore & liberis ad mendicitatem redactis, confiscantur. eod. tit. Aureæ Bullæ. & art. 218. Ordin. Crimin.

469. Dubium tamen est I. An bona illa ipso Jure, & ex die commissi delicti, non expectatâ sententiâ, ad fiscum transeant. Respondet Carpzovius, transire quidem ipso Jure, sed non ante sententiam criminis declaratoriam. probat Carpzovius ex lege *fin. C. h. t.* ubi expressè dicitur: quòd convicto Majestatis reo, ejus bona successoribus eripiantur, & fisco vindicentur. Ergo priusquam reus per sententiam declaretur, bona non censentur pertinere ad fiscum. Adde Auream Bullam tit. 24. apud eundem. Imò inspectis Juribus probabile est, requiri sententiam condemnatoriam, per *legem 15. pr. ff. qui & à quibus manumissi.* [Quæsitum est, an is qui Majestatis crimine reus factus sit, manumittere possit, quoniam ante damnationem dominus est.] Si dominus est: ergo non amisit dominium ipso Jure ante damnationem. Alienationes tamen interim factæ, imò & solutiones acceptæ irritantur *in lege fin. C. h. t.* ibi. [Sic & DD. Severus & Antoninus constituerunt, ex quo quis tale crimen contraxit, neque alienare, neque manumittere eum posse: nec ei solvere Jure debitorem &c.] Supponendo igitur, quòd dominium retineat reus usque ad sententiam declaratoriam, dicendum est, per talem sententiam alienationes factas & solutiones rescindi, & non ipso facto fuisse nullas, sed solùm inefficaces, seu rescindibiles.

470. Dubium est II. An & illa bona cedant fisco Principis læsi, quæ reus habet extra territorium Principis læsi. ℟. Negativè. quia bona alibi sita possunt dici publicata, cùm lex non se extendat ultra territorium legislatoris: sed nec dominus territorii illius vindicare potest, quia crimen non est adversùs eum commissum.

Dubium est 3. An aliqua bona sint excepta, ad quæ se illa confiscatio non extendat. ℟. Affirmativè. Nam, ut tradit Ant. Perez n. 15. ea quæ ab innoxio adhuc marito, titulo donationis ante nuptias mulier accepit (intelligit Morgengebam, seu Donum matutinale) quasi in præmium pudicitiæ, & si quæ pater ante tempus criminis ac reatûs in filios emancipatos contulerit, rata esse expressè habetur. *in l. 9. §. 1. C. de bonis*

Lonis proscript. [Si quid etiam in emancipatos liberos ante tempus criminis ac reatûs patrem contulisse claruerit, integrum iisdem, citra inquietudinem, reservetur.] & de uxore habetur *lege* 24. *C. de donat. inter virum & uxor.* [Res uxoris, quæ vel successione qualibet, vel emptione, vel etiam largitione viri in eam ante reatum Jure pervenerant, damnato ac mortuo ex pœna marito, vel in servilem conditionem ex pœnæ qualitate deducto, illibatas esse præcipio, nec alieni criminis infortunio adstringi uxorem: cùm paternis, maternisvé ac propriis bonis frui eam integro legum statuto religiosum sit.] Idem dicendum de dote actu numerata. Donatio propter nuptias non nisi post mortem uxoris fisco cedit, salvâ legitimâ filiarum, non item filiorum. *lege* 5. §. 5. *C. ad L. J. Majest.* [Uxores sanè prædictorum recuperatâ dote, si in ea conditione fuerint, ut quæ à viris titulo donationis acceperunt, filiis debeant reservare, tempore quo ususfructus absumitur, omnia ea fisco nostro se relicturas esse cognoscant, quæ juxta legem filiis debebantur, & Falcidia ex his etiam rebus filiabus tantùm, non etiam filiis deputata videatur.] Ratio, cur filiabus relinquatur salva legitima ex bonis maternis, non item filiis, ea est, quòd à filiabus non sit ità timenda imitatio exempli paterni, sicut à filiis.

471. Dicendum V. Filii perduellium omni hæreditariâ successione, & testamenti factione privantur, & perpetuâ infamiâ notantur. *l.* 5. §. 1. *C. h. t.* mox referenda. Circa quam

472. Dubium est I. An pœnas in lege 5. *C. ad L. J. M.* sancitas subeant non solùm filii post delictum nati, sed etiam ante delictum nati. Lex autem sic habet. §. 1. [Filii verò ejus, quibus vitam Imperatoriâ specialiter lenitate concedimus (paterno enim deberent perire supplicio, in quibus paterni, id est hæreditarii criminis exempla metuuntur) à materna vel avita, omnium etiam proximorum hæreditate ac successione habeantur alieni, testamentis extraneorum nihil capiant, sint perpetuò egentes & pauperes, infamia eos paterna semper comitetur, ad nullos prorsus honores, ad nulla sacramenta perveniant. Sint postremò tales, ut his perpetuâ egestate sordentibus sit & mors solatium, & vita supplicium.] Imprimis aliqui existimârunt, ut Budæus & Balduinus, hanc severissimam legem esse abrogatam per legem 22. *C. de pœnis.* Sed horũ opinio comuniter exploditur, nã Arcadius & Honorius utriusque legis Auctores, in lege 22. non meminerunt filiorum Rei perduellionis, sed solùm aliorum notorum, propinquorum, affinium & familiarium: Ergo non est extendenda ad filios, ut legum correctio vitetur. Et etiamsi hæc lex esset illius prioris correctoria, prior tamen esset revocata in aurea Bulla, tit. 24. Ad Quæsitum ergo respondendo,

473. Negativam sententiam tenent Cynus & Angelus apud Decianum *lib.* 7. *c.* 41. *n.* 8. Quos sequitur Harpprecht n. 67. Sed affirmativa est longè communior, quam post Decianum & alios ab hoc relatos, tuetur Ant. Perez, & nuperrimè in hac Ingolstadiensi Universitate, sub præsidio Clarissimi Viri Dominici Bassi, præclarè propugnavit Nobilis D. Eugenius Alexander VVerzel, in suis Parergis. Probatur ex ratione legis, quæ legis anima est, & æquè in natis ante, quàm post delictum procedit, nempe quòd timeantur futuri imitatores paterni delicti. Me insuper movet illa ratio, quia rarò continget, ut post delictum commissum nascantur reo filii, qui ultimo supplicio afficitur: quare si lex hos solos voluisset punire, certè non debuisset ità universaliter loqui, & ansam præbere erroris Doctoribus. Deinde Imperator punit illos filios, quibus dicit se vitam indulgere, cùm deberent unà cum patre de medio tolli. Quòd utique dictum videtur de jam natis.

Objicitur lex 2. *C. de libertis & eorum liber.* ℞. Eam esse intelligendam de pœna servitutis, quæ est instar pœnæ capitalis, ac proinde non infligenda filiis in libertate natis.

474. Dubium est II. An hæreditates, quæ filiis rebellium deferendæ essent, & adductâ lege 5. denegantur, sint fisco applicandæ, vel potiùs hæredibus proximioribus, ab intestato in defectum filiorum venientibus. Cynus & Salycetus volunt esse applicandas Fisco. Communior sententia favet hæredibus proximioribus, & meritò, quia in lege nulla fit mentio fisci, sicut fit quando est sermo de bonis ipsius perduellis. Ergo non est, cur lex etiam dicatur punire proximiores, à quibus non est cur timeatur imitatio rei perduellis, sicut à filiis. Et sanè cùm hæc quæstio sit dubia, rectè & consentaneè legi 10. ff. de Jure fisci, facit, qui contra fiscum pronuntiat. *Non puto* inquit Modestinus, *delinquere eum, qui in dubiis quæstionibus contra fiscum facilè responderit.* Ratio ulterior est, quia illa solùm cedunt fisco, quæ auferuntur ut indignis propriâ culpâ, non alienâ, nam hi potiùs redduntur incapaces: & ideo mirum non est, quòd proximi succedant.

475. Dubium est III. An si adsint filiæ, vel nepotes aut pronepotes, etiam sint incapaces successionis, adeoque solis lateralibus aut ascendentibus cedant hæreditates. ℞. Cum communi sententia contra Covarruv. Negativè. Quia licèt quandoque nomine *filiorum* veniant filiæ & nepotes, at verò id fit in favorem, & impropriè, quæ extensio in odiosis non est facienda. Jure Canonico tamen, nepotes illius, qui crimen

læsæ Majestatis in Cardinali commisit, infamiâ notantur, sed hoc est speciale.

476. Dubium est IV. An hæc pœna seu incapacitas filiorum comprehendat tam filios emancipatos, quàm sub patria potestate constitutos. Negat Gigas & Decianus. Verius tamen est, omnes indistinctè comprehendi, imò & naturales: quia lex loquitur universaliter, & ratione utitur universali, ut jam suprà ponderatum est.

477. Dubium est V. An lex illa comprehendat etiam filios matris perduellis. ℞. Affirmativè. Nam illa particula: *Quisquis* accipitur pro utroque sexu etiam in odiosis, ut pluribus exemplis ostendit Harpprecht n. 81. Et hæc est communior sententia contra Rumelinum apud eund. Quamvis vix contingat crimen Perduellionis à fœmina, reverà tamen contingere posse, nimis quàm certum est, & defacto commissum esse docent Historiæ.

478. Quæritur VI. Et ultimò, quænam sint singularia seu specialia in hoc crimine Læsæ Majestatis, à Jure constituta, & à communibus principiis exorbitantia. ℞. Esse plura, adeo ut Bajardus enumeret, 31. Nos sequentia, omissis illis, quæ jam sunt relata.

Primò, circa formam Judicii exercendi, & maximè ubi directò contra Principem aliquid dicitur commissum, potest accusatio vel inquisitio fieri ac procedi summariè & de plano sine strepitu judicii, prout illi qui judicio præest, videbitur expedire. Quod tamen non ità intelligendum est, quasi probationes necessariæ possint omitti, aut defensiones legitimæ rejici, sed ut quàm minimè differatur perduellionis judicium, & rei convicti punitio, prout reipublicæ expedit, acceleretur. Gudel. de jure Nov. *lib.* 5. *c.* 16. & communiter omnes DD.

Secundò. Quamvis in aliis delictis Jus accusandi vel inquirendi finiatur annis 20. ut suprà dictum, in hoc tamen crimine nullus terminus est positus, ut tradit Gigas, & ex eo Carpzovius. n. 9.

497. Tertiò. In hoc crimine possunt torqueri personæ alioquin privilegiatæ, ut sunt Minores, Milites, Decuriones, Doctores, & alii, de quibus infrà, ut tradunt DD. communiter. Decianus n. 30. Carpz. n. 10.

Quartò. Quilibet ad accusandum admittitur, etiam servus, infamis, miles &c. *l.* 7. *pr. &* §. 1. *&* 2. *ff. ad L. Jul Majest.* [Famosi, qui Jus accusandi non habent, sine ulla dubitatione admittuntur ad hanc accusationem. Sed & milites, qui causas alias defendere non possunt: nam qui pro pace excubant, magis magisque ad hanc accusationem admittendi sunt. Servi quoque deferentes audiuntur & quidem dominos suos, & liberti patronos.]

Quintò. Creditur socio criminis contra socium, ut cum Afflicto tradit Carpzov. n. 4.

Sextò. Singulares etiam testes in hoc crimine admittuntur, ut iidem tradunt cum Anchorano.

480. Septimò. Non admittitur appellatio pro reo. *Decianus. Afflictus. Carpz.*

Octavò. Valet lata sententia contra absentem, ut tradit Angel. *in l. absentem. C. de Accusat.* Carpz. n. 7.

Nonò. Habitis indiciis, alioquin in aliis criminibus non sufficientibus, potest inchoari processus à tortura. Carpzov. adducens legem 5. C. h. t. ubi ego hoc non lego.


Decimò. Non solùm sceleris auctor, sed etiam ministri, imò & filii conscii hoc Judicio tenentur. *l.* 5. §. 6. *C. h. t.* [Id quod de prædictis, eorumque filiis cavimus, etiam de satellitibus consciis, ac ministris, filiisque eorum simili severitate censemus. Sanè si quis ex his in exordio initæ factionis studio veræ laudis accensus, initam prodiderit factionem, & præmio & honore à nobis donabitur. Is verò qui usus fuerit factione, vel serò, (incognita tamen adhuc) consiliorum arcana patefecerit, absolutione tantùm ac veniâ dignus habebitur.]

481. Undecimò. In hoc crimine solus conatus ordinariâ pœnâ punitur, quod quidem etiam in quibusdam aliis gravioribus statutum est, sed in aliis consuetudo plerumque contrarium habet. *l.* 5. *pr. C. h. t.* ibi. *Eâdem enim severitate voluntatem sceleris quâ effectum puniri Jura voluerunt.* Quod in aurea Bulla confirmatur. Requiritur tamen actus externus, v.g. emptio veneni; etsi non porrecti: tractatus de nece Principis cum alio initus.

Et hæc sunt potissima singularia, ultra illa quæ suprà in præcedentibus quæsitis exposita sunt. Et quamvis aliqua non possint Jure scripto probari, quia tamen communiter ab AA. assignantur, cogitandum est, esse consuetudine recepta. Et hæc de Crimine læsæ Majest.

Monetæ Falsatio.

De hoc crimine actum est præced. titulo, quia est crimen læsæ Majestatis.



Y Pacis

Pacis publicæ Violatio.

SVMMARIVM.

482. PRo conservanda publica pace in Imperio, plures Imperatores, consentientibus Statibus & Ordinibus Imperii, Constitutiones promulgârunt, præsertim Carolus V. Vormatiæ Anno 1521. quam refert Gilhusius c. 2. tit. 9.

Pœna fractæ Pacis publicæ est Proscriptio, seu Bannum Imperiale, vi cujus ab omnibus impunè offendi possunt tam in corpore, quàm in bonis: & Rei deprehensi cum vita omnia bona amittunt post sententiam declaratoriam.

Præter pœnam Banni etiam aliis pœnis subjectus est, qui pacem publicam violat, nempe illis omnibus, quæ vim publicam facienti in Digestis & Codice constitutæ sunt, de quibus infra. tit. *Vis publica & privata.* ratio est, quia omnis violatio pacis publicæ est etiam vis publica, ut mox patebit ex requisitis ad violationem pacis publicæ, licèt non econtra omnis vis publica sit violatio pacis publicæ, ut ex dicendis patebit. Insuper in Constit. pacis publicæ puniuntur fractores pacis 200. Marc: puri auri, & amissione privilegiorum ab Imperatore concessorum. Actori etiam permittitur electio, ut vel omnes pœnas conjunctim vel divisim petat. inter quas etiam numeratur pœna gladii. *l. fin.* §. 1. *ff.* de re militari. *Miles turbator pacis capite puniatur,* quod etiam habetur in Ord. Crimin. a. 128.

483. Quæritur ergo I. Quænam requirantur ad hoc, ut Pax fracta dicatur, & dictis pœnis locus sit. ℞. Tria requiri. Primò, ut interveniat vis armata: armorum autem appellatione venit, quidquid instrumentorum ad nocendum & sternendum idoneum ab extrinseco assumitur, adeoque etiam fustes, lapides &c. ut habetur *l.* 3. § 2. alibi relato. *ff. de vi & vi armata.* Secundò, requiritur, ut sit vis major, & cui vix aut difficulter resisti possit, quæque coadunatis pluribus hominibus intentatur. & hæc dicitur *Vis publica armata*, quia in hoc differt vis publica à privata, quia usu armorum privatis hominibus interdictum erat, ut infrà dicetur. Quot autem personæ esse debeant, relinquitur arbitrio Judicis, & Cameræ. Tertiò, requiritur Dolus malus, hoc est, ut vis publica proficiscatur ex vero dolo seu malitia, ex æstimata nocendi voluntate, præcedente tractatu, & communi consilio. Quia verò dolus malus in animo residet, cujus arcana immediatè sub sensus non cadunt, sufficit adesse talia indicia, ex quibus dolus præsumi possit, ut in eadem constitutione dicitur.

484. Quæritur II. An dicta Constitutio non solùm ad Principes & Status Imperii pertineat, sed etiam ad privatos homines. ℞. Affirmativè, quia lex est generalis, nec delictum est minus in privatis personis se coadunantibus ad vim alteri communitati inferendam armis, quàm si fiat à Principe vel Statu.

Quæritur III. An ad incurrendas pœnas fractæ pacis requiratur actuale damnum illatum esse. ℞. Negativè, satis est intervenisse vim & invasionem, per hanc enim delictum quoad sua tria requisita consumatur. Imò Scabini pronuntiârunt & ad pœnam gladii condemnârunt ob solam præstolationem in occulto loco ad invadendum ex condicto.

485. Quæritur IV. An ex Constitutione allegata possint pœnâ fractæ pacis puniri, qui privatas ædes effringunt, & expugnant, seu spoliant. ℞. Affirmativè, dummodo interveniant arma, & coadunatio requisita. Quamvis putet Carpzovius, Judicem officio suo factum satis, si talem præcisè ut prædonem pœnâ gladii puniat, & cadaver Rotæ imponat. Quod admiserim, si fortè in probandis requisitis aliqua difficultas esset, alioquin crederem, debere puniri secundùm proportionem totius delicti, & secundùm Jura pœnam exasperare, ne aliquis delicti gradus maneat impunitus, nam sicut ad Judicis officium spectat, non relinquere delicta impunita, ità etiam, non relinquere qualitatem, speciem, aut gradum delicti impunitum, nisi Princeps gratiam faciat.

Huc pertinent, qui adunati armisque adhibitis carceres effringunt, & incarceratos liberant. Nam etsi tales nullam personam lædant, possessionem tamen Reipublicæ impugnant; nam crimen fractæ pacis publicæ non solùm in perso-

nam

nam aut corpus alicujus, sed etiam adversùs ejusdem bona & possessionem committitur, ut constat ex toto tit. *ff. de vi publ.*

486. Quæritur V. Penes quem sit potestas declarandi, aliquem in pœnam Banni Imperialis incidisse. Communior est sententia, solum Imperatorem id posse, ut videre est apud *Gail. lib. 1. de Pace publ. c. 6. n. 8. & seqq.* Nihilominus Carpzovius conatur ostendere q. 36. hoc etiam competere Statibus Imperii, licèt sententiam in alieno territorio exequi non possint. Sed quia ad meum intentum hoc parùm facit, remitto lectorem ad citatum Authorem, ubi rationem in utramque partem legere potest. Et quidquid sit de rationibus, consuetudo est attendenda & observanda.

487. Quæritur VI. Quomodo, & quousque Constitutio Imperialis Pacis publicæ quoad pœnam Banni in Ecclesiasticis personis effectum habere possit. Respondet Gilhusius ex Andrea *Gail lib. 1. n. 12. & seqq.* quoad illas personas, quæ ratione dignitatis Regalium & Feudorum Imperialium immediatè Cæsari & Imperio subjectæ sunt, si hujusmodi Ecclesiasticus Status per se vel per suos pacem publicam manu militari perturbet, citatio super fracta pace in Camera contra eum rectè decernitur, & probato delicto condemnatur. Melioris autem in hoc puncto conditionis sunt, quàm Sæculares. Nam Ecclesiastici solummodo Regalibus & Privilegiis Imperii, sententiâ declaratoriâ in ipso Consistorio, Judice pro tribunali sedente privantur. Sæculares verò publicè sub dio ordinariam banni pœnam sustinere coguntur. Ratio differentiæ est, quia Imperator ob delictum non habet Jurisdictionem in Personas Ecclesiasticas, nisi ratione Regalium & Beneficiorum sæcularium, ut suo loco dictum est: nec plùs illis adimere potest, quàm dedit. Quoad Personas verò Ecclesiasticas privatas vel inferioris ordinis, & non nisi mediatè Imperio subjectas. ℞. Si contra pacem publicam deliquerint, coram suo Ordinario Judice Ecclesiastico conveniri debent, probatoque delicto ab eo puniri, sive per suspensionem ab Officio & Beneficio, sive etiam per depositionem vel degradationem, pro gravitate delicti, prout in ipsa Constitutione disponitur conformiter Juri communi.

488. Quæritur VI. Quâ ratione possint fæminæ incidere in bannum Imperiale. ℞. Si vim publicam per suos præfectos alteri inferri mandaverint, aut contra placita pacis publicæ bannitos Imperii tecto vel hospitio receperint, aut mandatis Cæsaris executorialibus obstinatè non paruerint, in bannum declarantur, salvo tamen eorum pudore & verecundiâ, & instar personarum Ecclesiasticarum omnibus Beneficiis, bonis, ac privilegiis Juris communis & municipalis privantur. *Gail. loco cit. n. 34.* Plura circa Constitutionem Pacis publicæ videri possunt apud Gilhusium, qui eam totam perpendit.

Parricidium.

SUMMARIUM.

489. AD Parricidium revocantur quædam habentia cæteroquin speciale nomen, ut Infanticidium, Uxoricidium, Matricidium, Y 2 Quæ-

Quare etiam de his agetur sub hoc titulo. Itaque

Parricidium, prout hoc loco sumitur, est cædes nefaria contra pietatem & Jus sanguinis in ascendentes, descendentes, transversales, & affines perpetrata. Unde inter parricidas numerantur in *l. 1. ff. ad L. Pompeiam de parricid.* [Si quis Patrem, Matrem, Avum, Aviam, Fratrem, Sororem, Patruelem, Patruum, Avunculum, Amitam, Consobrinum, Consobrinam, Uxorem, Virum, Generum, Socrum, Vitricum, Privignum, Privignam, Patronum, Patronam, occiderit, cujusvé dolo id factum erit. Deinde adnumeratur Mater, quæ filium aut filiam occidit, & avus qui nepotem occidit. Sed mirum videri posset, cur nulla mentio Patris filium occidentis fiat? Ratio redditur, quia licebat olim patri filium trucidare sine crimine, Jure scilicet patriæ potestatis. Unde quod de Avo dicitur, putat meritò Bacchovius, esse intelligendum de Avo materno, adderem ego, vel de Avo non habente nepotem in patria potestate.

490. Quæritur I. Quænam in Jure constituta sit pœna Parricidarum. Romani excogitârunt pœnam sanè horrendam, quam refert Modestinus *in l. 9. ff. ad C. Pomp. de parricidiis.* [Pœna parricidii more majorum hæc instituta est, ut parricida virgis sanguineis verberatus, deinde culeo insuatur cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & simia, deinde in mare profundum culeus jactetur; hoc ità si mare proximum sit: alioquin bestiis objiciatur, secundùm D. Hadriani Constitutionem.] Paulò accuratiùs ponitur *in §. 6. Instit. de publicis Judiciis.* [Alia deinde lex asperrimum crimen novâ pœnâ persequitur, quæ Pompeja de Parricidiis vocatur, quâ cavetur, ut si quis parentis aut filii, aut omnino affinitatis (*rectius legitur: affectionis*) ejus, quæ nuncupatione parentum continetur, facta præparaverit, (sive clàm sive palàm id ausus fuerit) necnon is, cujus dolo malo id factũ est, vel conscius criminis existit, licèt extraneus sit, pœnâ parricidii puniatur, & neque gladio, neq; ignibus, neq; ulli alii solenni pœnæ subjiciatur, sed insutus culeo cum cane & gallo gallinaceo, & vipera, & simia, & inter eas ferales angustias comprehensus (secundùm quod regionis qualitas tulerit) vel in vicinum mare, vel in amnem projiciatur: ut omnium elementorum usu vivus carere incipiat, & ei cœlum superstiti, & terra mortuo auferatur. Si quis autem alias cognatione vel affinitate personas conjunctas necaverit, pœnam legis Corneliæ de Sicariis sustinebit.] Quænam autem fuerit ratio, quatuor hæc genera seu species animalium includendi, non vacat investigare: sanè aliquæ satis ridiculæ solent assignari, qualis est de Gallo, eum ideo includi, ut suo cantu non permittat reum dormire, quasi verò Gallus ità in angustia positus sit multùm cantaturus, & reus multùm dormiturus.

491. Dubitatur, utrum hæc lex hodieque sit in usu. Innumeri AA. testantur, eam non esse in usu, quos longo catalogo refert Berlichius *n. 5. concl. 6.* Illis se se ex Recentioribus opponunt Saxones, præsertim Berlichius & Carpzovius, quorum tamen argumenta, nisi fallor, scopum non tangunt: nam solùm probant, legem hujus pœnæ non esse per contrariam consuetudinem abrogatam, ità ut non possit ampliùs jure infligi. Hoc sanè non est contra AA. qui plùs non asserunt, quàm eam in praxi non observari, eò quòd fortè Principes malint ob animarum salutem clementiùs agi, prout sæpè cum aliis reis, ut Monetariis, Sagis &c. observatur. Quòd autem ipso usu hæc pœna in plerisque provinciis non practicetur, stultum esset negare. Damhouderus testatur, apud se (id est Brugæ) parricidas ad caudam equi, vel ad vehiculum affixos, cratique vimineæ insidentes aut asseri, dedecorosè pertrahi ad locum supplicii, ubi decollatorum corpora totæ affiguntur, & omnia bona confiscantur. In Hispania, teste Claro, strangulati dolio includuntur, & in flumen projiciuntur. Alibi forcipibus lacerati decollantur, teste Vulteio, alibi, teste Perez, vivi defodiuntur: alibi in 4. partes secantur: alibi dolio vivi inclusi in flumen projiciuntur: Alibi feris vel canibus objiciuntur lacerandi.

Imò in ipsa Saxonia, cujus Constitutionibus illa legis Pomp: pœna inserta est, nec tamen penitus servatur, nam reus insuitur lineo sacco, facilè ab aqua penetrabili. 2. loco simiæ (quæ haberi non possunt) includitur felis. 3. loco viperarum vivarum includuntur viperæ pictæ in charta, si vivæ haberi non possunt. Sed non apparet, quid molestiarum afferant viperæ pictæ, & sicut loco simiæ vivæ non picta, sed felis, cur loco viperarum non aliquod aliud animal, vel aliquod genus piscium includatur. Verùm hoc examinare non est meum.

492. Gravius dubium est, quæ pœnarum diversitas observanda sit pro diversitate conjunctionis inter occidentem & occisum. Non enim est æqualis enormitas inter occidentem verum suum patrem, & occidentem vitricum, vel fratrem, vel affinem &c. Et tamen hi omnes sunt parricidæ.

Et quidem de occidentibus aliquem vel aliquam ex ascendentibus tam masculini quam fœminini generis, est extra dubium, in talem cadere pœnam Legis Pompeiæ, vel quæ illi est substituta, hoc est omnium acerbissima in parricidas statuta, quia est omnium propriissimum & gravissimum parricidium, adimere vitam illis, quibus

bus acceptam ferri debet. Quæ ratio etiam militat in filiis spuriis, ex damnato coitu natis, incestuosis, sacrilegis.

493. Controversia est de illis, qui ex affinibus loco parentum habentur, ut sunt Vitricus, & Noverca, socer & socrus. Rationem dubitandi facit textus ex Institutionibus allatus, ubi dicitur: *aut omnino affinitatis ejus, quæ nuncupatione parentum continetur.* Atqui non apparet, quinam alii affines nomine parentum nuncupentur, quàm recensiti. Ad hanc dubitandi rationem respondet Carpzovius, textum esse corruptum, & legendum: *Affectionis.* Ità est, & id jã suprà notavi. Nec hoc temerè dicitur, nã textus ille est desumptus ex lege un. *C. de his qui parentes vel liberos occiderunt.* ubi legitur *Affectionis.* Quo vocabulo videtur Imperator voluisse comprehendere solos veros ascendentes, ex quibus vita profecta est, sive sint immediati, sive mediati, sive legitimi, sive illegitimi. Itaque quamvis Farinacius, Tuscus, Decianus, Damhouderus, Menochius & alii, quos sequitur Berlichius, affirment, etiam hos teneri pœnâ illâ rigidissimâ, probabilis tamen est sententia Scabinorum recentiorum, quos sequitur Carpzovius, mitiùs esse tales puniendos, qui Vitricum, Novercam &c. occidunt, quia hi tantùm impropriè Parentes dicuntur, & ideo lex in re odiosa non est nisi cum proprietate verborum accipienda. Imò ipse textus *in §. 1. legis. 9.* manifestè id sibi velle videtur. [Qui alias personas occiderint præter matrem & patrem, & avum & aviam, quos more majorum puniri suprà diximus, capitis pœnâ plectuntur, aut ultimo supplicio mulctantur.] Poterit tamen Judex, arbitrio suo, pro qualitate criminis, pœnam exasperare.

494. Vidimus de pœna occidentium ascendentes, nunc de proximo malitiæ gradu videndum est, nempe occidentium descendentes, quò pertinet Infanticidium, quod sæpius committi solet à puellis impprægnatis ex abominanda verecundia.

Non desunt DD. qui putent, pœnam gladii adæquare delictum occisæ prolis illegitimæ. Verius tamen est, in atrocitate pœnæ nullum faciendum esse discrimen inter occidentem patrem vel matrem, & occidentem suam prolem qualemcunque, ob rationem paulò antè assignatam, quia atrocitas delicti & crudelitatis in proprium sanguinem non minuitur ex illegitimitate: sicut etiam non minùs graviter peccat, qui seipsum illegitimum occidit, ac qui se legitimum. Quæcunque ergo pœna in aliquo loco recepta est in occidente ascendentem, eadem jure observari potest, imò & à Judice inferiore (cujus non est in gravitate pœnæ minuenda gratiam facere) observari debet. Quod tamen intelligendum est, nisi circumstantiæ in modo occidendi, vel personæ conditione & qualitate aliud exigant: item si certum sit, & occidenti fuerit, prolem esse suam. Unde qui negans prolem esse suam, vel certè id summè dubium est, quia constat, meretricem fuisse pluribus communem, tunc pœna gladii, secundùm Scabinorum sententiam, sufficit.

495. Confirmatur autem assertio, quia lex unica *C. de his qui parentes, vel liberos occiderunt.* generaliter loquitur, nullâ insinuatâ differentiâ inter legitimam & illegitimam prolem. Quòd autem quandoque intuitu personæ, ejusvé ætatis, &c. possit sufficere pœna gladii, quamvis hoc neget Carpz. exigens summum rigorem *q. 9. n. 27.* nuperrimè tamen, & dum hæc scribo, hìc Ingolstadii puella, quæ, neglecto Baptismate, infantem digito in os immisso, ne clamaret, suffocavit, non nisi gladio punita est, quamvis ignorem, quæ circumstantiæ delictum minuentes intervenerint. Fortè, quòd puella erat minorennis; Nam ipse Carpzovius q. 18. n. 28. docet, puellam quæ non sit major sedecim annis, non nisi gladio puniendam esse. Alioquin enim in parricidio observanda esset pœna Juris communis, *per artic.* 10. *Process. Crimin. tit.* 8.

496. Sicut dictum est, inter ascendentes, & descendentes, ob correlationem, non esse in pœna discrimen per se loquendo, ità pariter dicendum est, mitiorem pœnam quæ infligitur privigno occidenti vitricum, esse ob correlationem etiam infligendam vitrico occidenti privignum.

496. Disputant DD. quâ pœnâ sit afficienda mater exponens prolem natam, vel abjiciens. In quo puncto Carpzovius tres casus distinguit q. 10. Primus est, quando infantes in locum solitarium, & à conspectu hominum remotum abjiciuntur, eo animo & fine, ut ibi inediâ conficiantur: quo casu, effectu secuto, gladio, hoc est, pœnâ legis Corn. de sicariis, puniuntur. Concordat Ordinatio Crimin. a. 132. quæ pro conditione delicti statuit pœnam mortis. Quamvis Scabini semel iterumque pœnam ordinariam parricidii dictârint, ex eo fundamento, quòd nihil intersit, an quis manu occidat, an causam det ut per se intereat proles, omni naturali auxilio destituta.

Secundus casus est. Si parens infantem, non quidem animo occidendi, neque in locum solitarium, sed in ejusmodi locum, quo homines frequenter ambulant, v. g. in platea, vel ad alicujus ædes exponit, ut ab aliis alatur, parens verò vituperium declinet. Quo casu, si infans, fortè seriùs repertus, aut desertus moriatur, putat Carpzovius sufficere pœnam fustigationis: & videtur eadem esse mens Carolinæ Ord. dum dicit disjunctivè: Vel in corpore, vel in vita punien-

niendos esse, qui exponunt infantem, pro qualitate delicti.

Tertius casus est, quando per expositionem infans non moritur, sed incolumis perseverat. Quo casu videtur sufficere relegatio: nam Carolina Ord. expresse loquitur, si infans moriatur.

497. Tertia Parricidii species, & quoad malitiam gradus numeratur à Jureconsultis Conjugicidium. Quænam autem sit illius pœna, DD. non conveniunt. Esse pœnam eandem, quam diximus esse in prioribus, tenent Decianus Ant. Gomez, & alii, quos sequitur Berlichius, & Carpzovius. Teneri solùm pœnâ *L. Corn. de sicariis*, h.e. pœnâ gladii, tenet cum aliis Farinacius *q.* 120. *n.* 131. Menochius, & VVesenbecius. Et mihi verius videtur, quamvis non negem, esse arbitrio Judicis exasperandam, ob majorem enormitatem quæ est in nece conjugis, quàm alio simplici homicidio.

Probatur hæc sententia argumento negativo, quia nullo claro jure pœna illa gravissima est huic delicto constituta. Non quidem lege. 1. *ff. ad L. Pomp. de parricid.* Ex eo enim quòd ibi tales numerentur inter parricidas, non licet inferre, eâdem pœnâ teneri, quâ tenetur filius occidens patrem, ut ex adversariis fatetur Carpzovius n. 7. Nam ibi plures aliæ personæ enumerantur, in quibus dicitur perpetrari parricidium, & tamen non puniri pœnâ illâ culei fatentur ipsi adversarii, & patet ex suprà dictis, & ipso contextu relato.

498. Neque etiam videtur mihi sufficienter probari à Carpzovio ex lege *unica C. de his qui parentes.* Neque enim credo, ibi per *Affectionem* intelligi affectionem conjugalem. Nam licèt addatur: *quæ nuncupatione parricidii continetur.* hæc tamen affectio non propterea potest extendi ad omnem affectionem intercedentem inter personas in *l.* 1. *ff. h. t.* recensitas, ut fatetur ipse Carpzovius. utique enim etiam inter generum & socerum, inter vitricum & privignum &c. est quædam affectio, & hæ personæ ibidem enumerantur, & tamen non tenentur pœnâ culei. Censeo itaque sensum illorum verborum esse, prout ponitur in Institutionibus, ubi §. 6. loco *Parricidii* ponitur: *Parentum.* Et ipse Carpzovius fatetur, illum, §. esse ex hac lege unica desumptum. Subsumo. Atqui Conjuges non veniunt nomine Parentum: Ergo de his non loquitur lex unica: Imò potiùs hac lege videntur conjuges excludi: quemadmodum etiam sponsi & sponsæ excluduntur (nam hic unius inclusio est alterius exclusio) ut ipse Carpzovius fateri debet, cùm nolit tales pœnâ culei puniri, etiamsi sint sponsi per verba de præsenti: Et tamen tales inter parricidas numerantur. *l.* 3. *ff. h. t.* ibi. *Sed & Novercæ, & sponsæ personæ omissæ sunt,* (in lege Pompeia) *sententiâ tamen legis continentur.* hoc est, ut ipse Carpzovius n. 39. interpretatur, inter parricidas numerantur.

499. Quarta denique species Parricidii committitur à consanguineis lateralibus & affinibus, si se invicem occidant, ut patet ex textibus allatis. Quænam autem illius pœna sit, an ordinaria, hoc est, culei, vel legis Corneliæ de sicariis, cum proportionata exasperatione, facilè ex hactenus dictis concludi potest, contra severiores DD. Constat enim ex hactenus dictis, tales quidem numerari inter parricidas, sed pœnam culei esse restrictam ad solam affectionem, quæ est inter conjunctos in linea recta. Concludo igitur cum Carpzovio, tales sufficienter puniri si pœna legis Corneliæ exasperetur, v.g. per tractionem ignominiosam ad locum supplicii, per adustionem, per cadaveris dissectionem, aut Rotæ impositionem, pro diversitate gradûs in quo conjuncti sunt. Sic testatur Farinacius *q.* 120. *n.* 13. Romæ quendam fratricidam capite obtruncatum, & postea in frusta scissum fuisse.

Regula autem est, ad eos solùm gradus extendi hanc parricidii speciem, & pœnæ exasperationem, in quibus est impedimentum dirimens matrimonium, id est, ad quartum inclusivè, secundùm canonicam computationem. His ità præmissis, restant aliqua dubia expedienda.

500. Quæritur itaque II. An, & quomodo puniendus sit, qui non ex proposito & dolo malo, seu cum intentione directa parricidium commisit. Nam talem non teneri pœnâ ordinariâ certum est ex juribus adductis, ubi dolus malus & propositum requiritur, & in eo gravitas ac enormitas hujus delicti consistit. ℞. Quandoquidem variis modis potest parricidium, sicut quodvis homicidium, præter intentionem operantis accidere, generalis regula est, ad Judicis arbitrium, consideratâ facti qualitate, pertinere, an & quanta pœna sit infligenda. Pro instructione Judicis ponit Carpzovius varios casus.

501. Primus casus est, quando parricidium non quidem intenditur, sed ex actu doloso immediatè sequitur, v.g. si quis liberos vel conjugem castigando talibus instrumentis utitur, quibus communiter solet homicidium perpetrari. quo casu tenebitur pœnâ leg. Corn. de sicar. hoc est gladii. Ratio est, quia ut suprà de homicidio dictum est, talis præsumitur prævidisse, non esse in sua potestate, ità moderari hujusmodi arma, ut non infligantur vulnera lethalia: quod sufficit ad pœnam legis Corneliæ, quia censetur implicitè & indirectè in secuturam necem consentire. Imò mihi nullum dubium est,

posse

posse pœnam gladii exasperari, quia talis graviùs delinquit, quàm si v. g. famulum ità percuteret, & tamen in casu de quo loquimur, puniretur ità percutiens pœnâ gladii, nisi aliquæ circumstantiæ excusent. ergo & pœna exaspetari posset. Quod si tamen ex aliis circumstantiis moraliter constaret Judici, reum nullo modo ità percussurum fuisse, si periculũ inferendæ mortis apprehendisset, non credo, quòd talem posset pœnâ gladii punire. Ratio est, quia, ut suprà cum communi sententia, contra Carpzovium defendi, ad hanc pœnam requirur saltem animus taliter percutiendi, non curando quid sequatur, quamvis fortè mallet mortem non sequi. Videantur ibi dicta.

502. Secundus casus est. Quando parricidium neque ex proposito committitur, neque etiam ex actu doloso (modo descripto) immediatè provenit, ex deviatione tamen incitcumspecta, imprudentia, & stultitia, actuque illicito causa parricidio præbetur. v. g. si fæmina partum occultè enixa, in abscindendis vasis umbilicalibus imperita, ea non ligat, unde infans sanguinando moritur præter intentionem matris, quæ tamen culpabilis est, quòd occultè hæc fecerit, & ideo Scabini pœnam fustigationis dictârunt.

Aliud exemplum esset, si quis uxorem aut filium in præcipiti ira, circa præcordia pugno vel alio instrumento ità vehementer percuteret, ut præclusâ respirandi facultate suffocaretur, vel vena rumperetur, unde moriendum esset. Item qui ex lata culpa medicinam ineptam daret, unde moriendum erit.

503. Tertius casus est, quando quis neque in dolo neque in culpa lata versatur, incircumspectè tamen agendo & faciendo, aut omittendo id, quod diligens & circumspectus non solet, parricidio causam præbet, v. g. si infans à matre dormiente in lecto opprimatur, cùm non soleant considerate matres infantem secum in lecto collocare, talis posset puniri vel relegatione ad tempus, vel carcere, vel in pecunia. Quòd enim talis præsumatur non omni culpâ carere, colligitur ex *cap. fin. de his qui fil. Occid.* ibi. *Non debent inde securi esse parentes, nec etiam sinè pœna. sed tamen consideratio debet esse pietatis, ubi non voluntas, sed eventus mortis causa fuerit.*

504. Quæritur III. An etiam in hoc parricidii crimine debeat constare de corpore delicti, nec sufficiat confessio rei. ℞. Affirmativè, per regulam generalem, quòd in illis delictis, quæ sunt facti permanentis, & de cujus effectu seu consummatione quoad substantiam effectûs potest aliunde constare, ad pœnam ordinariam infligendam requiratur, ut constet de corpore delicti, ut suprà traditum est. Aliquando tamen sufficit constare per conjectutas legitimas & probabiles, quando reus fatetur delictum ità perpetratum esse, v. g. cadaver in mare abjectum esse, ut inspectio corporis haberi non possit. Aliquando etiam satis est, apparere corpus occisum, etiamsi nullum vulnus aut aliud signum in corpore appareat, v. g. si mater fateatur, se infantem occidisse suffocando per immissum in os digitum: tunc enim sufficit, apparere cadaver infantis. Ità reipsâ ex communi DD. Carpzov. q. 16. ubi etiam recenset indicia sufficientia. v. g. si occisus paulò antè sanus à pluribus visus est, & deinde non ampliùs comparuit. Imò sufficit unus testis de cadavere viso, si per torturam accedat confessio. ejusmodi etiam indicium sufficiens esse judicârunt Scabini, si testes viderunt Secundinas, & vestes mulieris sanguine conspersas, cum aliis adminiculis probantibus, quòd secundinæ non fuerint ejectæ sine infante. Et hæc quidem indicia videntur sufficere ad pœnam ordinariam parricidii: minora verò, sed probabilitatem aliquam & præsumptionem facientia possunt sufficere ad pœnam gladii, v. g. si ex inspectione juratarum obstetricum habetur, fuisse gravidam, & repentè desiit venter, & infans non apparet, præsumitur esse enixa vivum infantem, & accedente confessione infanticidii, fuit à Scabinis dictata pœna gladii. Omnibus hujusmodi indiciis deficientibus cessat pœna mortis, & alia arbitraria est infligenda. denique Judex dubius de sufficientia indiciorum, tutè benigniorem sententiam sequetur, & in favorem rei pronuntiabit.

505. Quæritur IV. An etiam conscii criminis committendi, nec illud manifestantes, cùm possent, sint puniendi pœnâ ordinariâ. ℞. Affirmativè, ità tamen, si sint cooperati. alioquin extra ordinem puniendi. Et ità intelligenda est *lex 6. & 7. ff. h. t.* [Utrum qui occiderint parentes, an etiam conscii pœnâ parricidii afficiantur, quæri potest. & ait Mæcianus, etiam conscios eâdem pœnâ afficiendos, non solùm parricidas: proinde conscii etiam extranei eâdem pœnâ afficiendi sunt.] Intelligenda, inquam si cooperatus fuerit, juxta *legem 2. eod. tit. Frater autem ejus qui cognoverat tantùm, nec patri indicaverat, relegatus est. & Medicus supplicio affectus.* Unde inferunt DD. Medicum, Pharmacopolam, Chirurgum vel quemcunque alium liberis aut parentibus scienter & dolosè ad parricidium committendum venenum, vel pecuniam quâ venenum compararent, vel latrones constituant (ut habetur in l. 7. eod.) suppeditantem, eôdem cum ipsis parricidis supplicio afficiendum esse.

506. Quæritur V. An in hoc crimine puniatur conatus seu attentatum, non secuto effe-

effectu. Rationem dubitandi facit imprimis *lex 1. in fine ff. h. t. t.* ibi. *Et præterea qui emit venenum, ut patri daret, quamvis non potuerit dare.* Ex quibus verbis inferunt innumeri DD. talem conatum esse puniendum pœnâ ordinariâ culei, vel quæ per consuetudinem illi in parricidio strictè sumpto substituta est. Deinde, hoc videtur probari ex regula generali, quòd in atrocioribus delictis conatus æquè puniatur, ac crimen consummatum. Quod attinet ad hanc regulam generalem, testantur ferè communiter DD. eam saltem in aliis criminibus in desuetudinem abiisse, & ideo aliqui idem dicunt esse in parricidio. Julius Clarus §. fin. q. 29. *n.* 2. (cujus sententiam verissimam judicat Carpzov.) rem ità definit. [Aut lex vel statutum in hujusmodi atrocissimis expressè punit solum conatum, & servanda est: aut non punit expressè conatum, & standum est generali consuetudine, ut conatus non puniatur nisi sequatur effectus. (*intellige pœnâ ordinariâ*) & hæc opinio, meo Judicio tutior est. Nihilominus, quia pluries vidi, in his casibus diversimodè judicari, quandoque puniendo Conatum in atrocissimis pœnâ ordinariâ, & quandoque pœnâ extraordinariâ, crederem in practica posse Judicem adhærere, cui opinioni maluerit, inspectâ facti & personarum qualitate: consulo tamen, ut semper in mitiorem partem inclinet.] Verùm, per hæc quæ solùm dicta sunt de generali consuetudine, non est expedita difficultas præsens. Nam adhuc quæritur, an adductus textus legis 1. reverà statuat expressè pœnam ordinariam culei filio volenti patrem occidere veneno, sed non danti, quia non potuit. Ad hoc tamen responderi potest cum Carpzovio n. 8. illam totam legem nullam facere mentionem specialem pœnæ culei, sed solius pœnæ legis Corn. de Sicariis. Quæ responsio sustineri potest, sed difficultate non caret, quatenus videtur velle, eâdem pœnâ teneri talem filium, atque tenetur mater occidens filium, de qua uno contextu loquitur. Sed quia in re obscura, dubia & odiosa, licet sequi, & etiam oportet, partem mitiorem, ideo pro majori distinctione, cum citato Auctore

507. Dicendum videtur I. Quando reus per attentatum actum eò progressus est, ut jam ingens damnum in alterius valetudine vel mortis acceleratione causaverit, vel conatum suum aliquoties iteraverit, potest Judex dictare pœnam gladii. Ratio est, quia licèt intentio inferendi mortem non sit plenè effectui data, animus tamen non defuit, & insuper effectus notabilis secutus est: ergo licèt pœna ordinaria remittatur, eo quòd dubium sit, an eam sit promeritus, pœna tamen gladii, quæ longè mitior est, non potest censeri nimia respectu tam gravis delicti, prout Scabini dictârunt puellæ projicienti infantem in latrinam, animo occidendi, quamvis evaserit infans usque ad sextum diem, & viro qui per venenum ter uxori præbitum, graves dolores causavit in capite & ventriculo.

508. Dicendum videtur II. Si ad actum proximum nullum notabile damnum secutum est, non est pœna mortis decernenda, sed mitior, v. g. fustigatio cum relegatione. Ratio est, quia Ordinatio Carolina art. 178. permittit Judicis arbitrio punitionem parricidii attentati. Atqui Judicis arbitrium non nisi lege expressâ usque ad mortem extendenda est, non item quàdo ex probabili DD. auctoritate potest salvâ lege mitiorem partem eligere, prout in præsenti posse constat ex suprà dictis.

509. Dicendum III. Quando parricidium quidem attentatum est, sed non nisi per actum remotum, v.g. si quis leviter cœpit percutere, vel emit venenum, sed non præparavit ad propinandum, fortè quia pœnitentiâ ductus, poterit talis relegatione, vel carcere, aut multâ pecuniariâ plecti. Sic punivère Scabini aliquem, qui privignam infantem sesqui anni circa umbilicum & pectus digitis & unguibus constringendo occidere tentaverat, ut ejus hæreditatem lucraretur.

510. Quæritur VI. An ab Ordinaria pœna excuset iracundia vehemens, quâ reus ad parricidium perpetrandum commotus est. Affirmant communiter DD. per rationem. Quòd difficillimum sit justum dolorem temperare, & ideo ira, utpote mentis turbativa, minuit delictum etiam in foro conscientiæ, quia minuit libertatem. Existimarem tamen, esse distinguendum inter iram & iram. Si enim excitata est ira ab aliquo actu occisi, & tali quidem, qui spectatâ communi hominum complexione, solet ad gravem iram commovere, v.g. si maritus occidit uxorem in adulterio deprehensam (quod est exemplum Julii Clari §. *fin. q.* 60. *n.* 19.) vel si uxor maritum invasisset, & verbis injuriosis, fortè in præsentia viciniæ, vel etiam verberibus pulsâsset, tali casu concederem communi sententiæ, suffecturam pœnam gladii præcisè, & fortè etiam, Judicis arbitrio, mitiorem, si de animi nimia perturbatione illi constaret. Si verò ira potiùs proveniret à consueta petulantia rei, qui seipsum ex quavis levi causa solitus est ad vehementẽ iram commovere, vix mihi persuadeo, ratione talis iræ recedendum esse à pœna ordinaria, alioquin facilè poterunt parricidia ab ordinaria pœna liberari. Unde non satis percipio, quòd fuerit sufficiens causa liberandi ab ordinaria pœna (ut liberârunt Scabini apud Carpz. q. 18. n. 13.) maritum, qui uxorem occidit, præcisè, quòd ad ejus mandatum noluerit accendere candelam. Sed de hoc aliorum esto judicium.

511. Quæ-

511. Quæritur VII. An ut Parricida puniendus sit, qui præter intentionem patrem occidit, volens occidere alium, fortè quia parens intervenit non advertente filio. ℞. Talem non nisi ut simplicem homicidam puniendum esse. Ratio est, quia circumstantia parricidii, utpote ignorata invincibiliter ignorantiâ antecedente, ut Theologi loquuntur, non est illi voluntaria, sed potiùs simpliciter involuntaria esse præsumitur. Quia tamen supponitur illi esse voluntarium in ratione Homicidii, erit obnoxius pœnæ legis Corn. de sicariis, nam, ut suprà dictum, & explicatum est, in tali casu error in persona non excusat.

512. Quæritur VIII. An mitiganda sit ordinaria pœna, quando ante ipsam mortem ex actu secutam, delinquens pœniteat desistendo ab actu, sed nimis serò, & mors adhuc secuta sit. Scabini Lipsienses pronuntiârunt sufficere pœnam gladii, quam dictârunt fœminæ nobili, quæ volens occidere infantem eum comprimendo, infante ejulante destitit, desiderans eum non mori. Itaque licèt pœnitentia sera non liberet ab omni pœna, quia non ab omni culpa, meretur tamen pœnitentiæ mitigationem: ut patet in eo, qui contra statutum recipiens bannitum, deinde pœnitentiâ ductus eum prodit, cui pœna mitigatur de jure communi.

513. Quæritur IX. An etiam in hoc crimine mitigetur pœna ordinaria ob defectum ætatis majoris. ℞. Ex communi DD. affirmativè, saltem si non excessit delinquens Decimumsextum annum, prout jam suprà ex Carpzovio retuli, qui n. 28. quædam præjudicia refert: inter quæ tamen illud quod ex Menochio refert, de adolescente 16. annorum qui patrem occiderat, & ad perpetuas triremes condemnatus est, mihi suspectum est, ex aliis causis à pœna ultimi supplicii fuisse recessum.

514. Quæritur X. An ab ordinaria pœna recedendum, si filia v. g. jussu matris occidat infantem. DD. communiter affirmant, quos sequitur Carpzov. n. 46. substituens pœnam gladii. Ratio esse videtur, quia apprehensio debitæ reverentiæ mandatis paternis aut maternis, minuit in talibus malitiam animi, per regulam 4. ff. de R. J. ubi dicitur: *Velle non creditur, qui obsequitur imperio patris.*

515. Quæritur XI. An excusetur ab ordinaria pœna, puella infantem suum necans ex metu parentum. Affirmat iterum Carpzovius substituens pœnam gladii. Quod quidem difficultatem habet: hac enim ratione poterunt hujusmodi infanticidia pleraque ab ordinaria pœna excusari, cùm vix unquam fiant, nisi ex vehementi metu confusionis aut pœnæ, sive à parentibus, sive à Magistratu infligendæ. Nihilominus censeo, hoc prudenti Judicis arbitrio relinqui posse, & pro majori Securitate gratiam à Principe petendam, prout etiam Scabini videntur insinuâsse in casu quem refert citatus Author. n. 52.

De excusatione per Ebrietatem vel Melancholiam quid dicendum sit, constat ex alibi dictis, & est excusatio generalis ad alia delicta, de qua dicetur infrà *tract. seq. cap. 11. contr. 5.* Et hæc de Parricidio.

Partûs Expositio.

SUMMARIUM.

Quæ sit pœna constituta exponenti prolem alienæ misericordiæ. 516.
An educator acquirat jus patronatûs. eod.

516. De hoc crimine dictum est præcedente titulo, in quantum potest habere rationem parricidii, si infans exponatur in loco solitario, ubi necessariò perire debet. Cæterùm exstat in Codice titulus 52. lib. 8. de infantibus expositis. Nunc autem

Quæritur I. Quâ pœnâ plectatur à Jure, qui prolem exponit alienæ misericordiæ. ℞. Si exposuit, nullâ ad id necessitate egestatis compulsus, amittit Jus patriæ potestatis, & extra ordinem, Judicis arbitrio punitur. *arg. l. 2. C. tit. cit.* [Unusquisque sobolem suam nutriat, quod si exponendam putaverit, animadversioni quæ constituta est, subjacebit. Sed nec dominis, vel patronis repetendi aditum relinquimus, si ab ipsis expositos quodammodo ad mortem voluntas misericordiæ amica collegerit: nec enim suum quis dicere poterit, quem pereuntem contempsit.] Quæ ratio cùm etiam procedat in parente, rectè infertur, amissam esse patriam potestatem. Neque tamen educator acquirit ullum Jus patronatûs, ut habetur in lege finali. eod. ibi. *iis modis omnibus liberi sint.* Quòd autem pœnâ arbitrariâ puniantur, habetur etiam in Ord. Carol. art. 132.



Z Pecu-

Peculatus. Ubi de Sacrilegio, & Residuis.

SUMMARIUM.

Peculatûs definitio. 517.
Quid hìc nomine Pecuniæ publicæ intelligatur. 518.
An Peculatus sit furtum pecuniæ publicæ alicujus civitatis. 519.
Item furtum rei sacræ. 520.
Furtum sacrilegum quomodo sumatur Jure Canonico. eod,
Quænam sit pœna peculatûs non sacrilegi. 521.
Quænam Peculatûs sacrilegi. 522.
Quid sit Judicium de Residuis. 523.
Furti Residuorum pœna. eod.

517. De crimine Peculatus, Sacrilegii,& Residuorum, est titulus 13. libri 48. Digestorum, & lex unica C. lib. 9. tit. 28. Definitur Peculatus, *Pecuniæ publicæ aut sacræ furtum, non ab eo factum cujus periculo fuit. l. 9. §. 2 ff. ad L. Jul. Pecul:* unde infertur ibid. *& ideo æditum, in his quæ ei tradita sunt, peculatum non admittere,* nempe quia ejus periculo fuit. Nam si furetur quis pecuniam publicam, cujus periculo fuit, is delinquit in legem Juliam de residuis, de qua agitur eodem tit. *Peculatûs.*

518. Quæritur I. Quid hìc nomine Pecuniæ publicæ intelligatur. ℞. Intelligi illam, quæ ad Rempublicam seu Urbem Romanam, sive, ad Cæsarem spectat. accipiendo vocabulum *Pecunia* largè, pro quacunque re, sive in corpore, sive in quantitate consistat. ut colligitur ex lege 4. §. *fin.* [Sed etsi de re civitatis aliquid subripiatur, constitutionibus Principum cavetur, peculatûs crimen committi, & hoc Jure utimur.] Hinc

519. Quæritur II. An crimen peculatûs committatur, si quis, cuicunque civitati ex pecunia publica furetur. Rationem dubitandi facit adductus textus, per verbum, *Civitatis.* Nihilominus communi DD. sensu contra Alciatum & Duarenum negandum est, quia per illud vocabulum denotatur Civitas Romana. Et ideo talis solummodo de simplici furto tenetur, per expressum textum in lege 82. *ff. de furtis. Ob pecuniam civitati subtractam actione furti, non crimine peculatûs tenetur.* Ratio est, quia aliæ civitates non gaudent publico Jure, sed privatorum Jure censentur, ut habetur, *l. 15. & 19 ff. de V. S.* [Bona Civitatis abusivè publica dicta sunt, sola enim ea publica sunt, quæ populi Romani sunt. Eum qui vectigal populi Romani conductum habet, Publicanum appellamus, nam publica appellatio in compluribus causis ad Populum Romanum respicit: Civitates enim privatorum loco habentur.]

520. Quæritur III. An qui furatur Rem sacram, committat crimen Peculatûs. ℞. Affirmativè. ut patet ex definitione allata. Vocatur autem furtum hujusmodi *Sacrilegium.* Circa quod

Advertendum est, Sacrilegium seu furtum Sacrilegum latiùs accipi Jure Canonico quàm Jure Civili. Jure Canonico Sacrilegium est furtum vel rei sacræ, vel ex loco sacro factum, adeoque alterutrum sufficit, nempe etiamsi res sacra ex loco profano surripiatur, vel ex loco sacro res profana: *can. 20. ca. 17. q. 4.* ubi charactere diverso dicitur: [Sacrilegium igitur est, quoties quis sacrum violat, vel auferendo sacrum de Sacro, vel Sacrum de non Sacro, vel non Sacrum de Sacro.] & repetitur in can. 21. sequente. Quod ipsum amplectitur Ord. Carolina a. 171. & ideo in Imperio hodie sunt tres species Sacrilegi furti, de quarum pœnis infrà dicetur.

Jure Civili verò, ut Sacrilegium, tanquam Species peculatûs committi dicatur, duo copulativè requiruntur, sc. ut res Sacra sit sublata de loco Sacro. Alterutro deficiente punietur ut simplex furtum. arg. legis 5. ff. h. t. [Divi Severus & Antoninus rescripserunt, res privatorum si in ædem sacram depositæ subreptæ fuerint, furti actionem, non sacrilegii, esse.] Verùm, in Imperio Romano observanda est triplex species secundùm Jus Canonicum, ex Ord. Carol: citata.

521. Quæritur IV. Quænam sit pœna Peculatûs non Sacrilegi. ℞. Esse Deportationem. *l. 3. ff. h t.* [Peculatûs pœna aquæ & ignis interdictionem, in quam hodie successit deportatio, continet. Porrò qui in eum statum deducitur, sicut omnia pristina Jura, ità & bona amittit.] Et hæc lex est accipienda de personis privatis, & patitur duas exceptiones, quarum prima habetur *lege 6. §. 2.* nempe, si quis ex metallis Cæsarianis aurum, argentumve furatus fuerit, ex edicto D. Pii exilio vel metallo, prout dignitas personæ, punitur &c. si conflaverit, in quadruplum condemnatur. Secunda habetur lege 13. ff. eod. [Is qui prædam ab hostibus captam subripuit, lege peculatûs tenetur, & in quadruplum damnatur.] De Judicibus & Magistratibus est lex unica *C. De crimine peculat.* [Judices, qui tempore administrationis publicas pecunias subtraxerunt, lege Juliâ peculatûs obnoxii sunt, & capitali animadversioni eos subdi jubemus. his quoque nihilominus, qui ministerium eis adhibuerunt, eâdem pœnâ

pœnâ percellendis.] Et quamvis Decianus, & Gilhusius velint, per pœnam *capitalem* intelligi ultimum supplicium, mihi tamen hoc est dubium, nam in superioribus dictum est, etiam Exilium & Deportationem, quâ quis capitis diminutionem patitur, inter pœnas capitales numerari. & ecce! postquam hæc scripsi, invenio eandem hujus legis interpretationem apud Carpzovium *p. 2. q. 89. n. 11.* & satis clarè colligitur ex *lege 6. pr. ff. h. t.* [Sacrilegii pœnam debebit Proconsul pro qualitate personæ, proque rei conditione, & temporis, & ætatis, & sexûs, vel severiùs vel clementiùs statuere, & scio multos & ad bestias damnâsse sacrilegos: nonnullos etiam vivos exussisse: alios verò in furca suspendisse. Sed moderanda pœna est usque ad bestiarum damnationem eorum, qui manu factâ templum effregerunt, & dona Dei noctu tulerunt: cæterùm NB. si quis interdiu modicum aliquid de templo tulit, pœnâ metalli coërcendus est, aut si honestiore loco natus sit, deportandus in Insulam est.]

522. Quæritur V. Quænam sit pœna Peculatûs Sacrilegi. ℞. Loquendo de prima specie, quâ res sacra de loco sacro aufertur, Jure Civili exstat lex jam relata. Verùm, Ordinatio Carolina art. 172. statuit, ut is, qui vas sacrum, Ciborium, vel Monstrantiam, cum sacra hostia ibi asservata furatus fuerit, vivus exuratur. qui verò aliquid aliud, auteum vel argenteum vas, sive cum, sive sine reliquiis, vel calicem, aut patenam, sive fuerit furatus in loco sacro, sive non sacro, item si quis animo furandi in sacratum templum vel sacrarium, vel sacristiam perfringat, aut dolosis instrumentis aperiat, talis ad mortem, pro qualitate rei, & cum consilio Jurisperitorum puniendus est. Qui verò, quocunque modo ex arca, in quam fideles pecunias offerre solent pro templi usibus, furatus fuerit, potest etiam pœnâ mortis, ex consilio Jurisperitorum puniri. art. 173. Res minoris pretii sacras, ex ædibus sacris interdiu furto auferens, aut alias res privatorum in ædem sacram depositas sine fractura surripiens, pro ratione circumstantiarum eâ plecti pœnâ debet, quæ suprà in profanis furtis statutua legitur, ità tamen, ut ejusmodi sacrilegia minùs misericordiæ mereantur, quàm furta rerum profanarum.

De pœna aliarum specierum sacrilegi furti, nempe rei sacræ in loco non sacro, vel econtra, dicendum est, esse pœnam furti, sed cum aliqua exasperatione pro arbitrio Judicis, ut ex dictis liquet. Et hæc de furto sacrilego, ac Peculatu.

523. Affine Peculatui est Furtum seu Judicium *de Residuis.* quo tenetur is, qui pecuniam delegatam in usum aliquem retinuit, neque in illum consumpsit, aut erogavit; item ille, penes quem ex locatione, emptione, alimentaria ratione, aliavé causa, pecunia publica resedit, si eam ad ærarium non est professus, aut, si professus quidem, ultra annum tamen penes se retinuit. habetur in lege 2. & 4. §. 3. & 4.

Pœna hujus delicti ponitur in lege 4. §. 5. his verbis non nihil obscuris. [Quâ lege damnatus ampliùs tertiâ parte, quàm debet, punitur.] Sensus est, ut præter pecuniam quam debet, tertiam partem ejusdem pecuniæ pendat. v. g. qui 300. debet, centum ultra pendere teneatur: an autem fisco, vel ei, cui principale debetur, non satis est expressum. Perez vult, esse fisco inferendum. Gilhusius videtur contrarium supponere.

Perjurium.

SVMMARIVM.

Definitio Perjurii purè assertorii, ejusque discrimen à Perjurio commisso per omissionem rei juramento promissæ. 524.
An Jure scripto Perjurium sit à pœna immune. 525.
De consuetudine punitur perjurium etiam in foro civili. 526.
Quâ pœnâ afficiendus, qui suo perjurio facit alium pœnâ capitali puniri, vel alium ad hoc induxit. 527.
Item qui in judicio lucri causâ perjurium commisit. eod.
Item qui cautionem juratam (urphedam) de non redeundo violaverit. eod.
An universim Perjuri fiant Infames. 528.
An Clericus Perjurus privetur Beneficiis. 529.

524. Quæ de Juramento & Perjurio disputant Theologi, tractavi ex professo tomo præcedente, agens de Modo probandi per Jusjurandum. Nunc ea tractanda sunt, quæ Processui Criminali propriè inserviunt.

Definiri solet Perjurium, quòd sit Mendacium Jurejurando firmatum. Ità cum aliis Carpzovius. Verùm, hæc definitio in rigore non convenit nisi Perjurio purè Assertorio, quodque est propriè, ac præsè Perjurium, non item Perjurio quod committitur non servando promissum, si quidem, dum juraret, habuit animum servandi promissum. est enim discrimen inter Perjurium, quod committitur dum quis scienter aut dubitanter asserens falsum, jurat id esse verum, & inter Perjurium, quod committitur violando seu non servando; quod quis Jureju-

rando promisit. Nam, ut eleganter declarat nuperrimè R.P. Georgius Gobat in Alphabeto quadruplici casu 18. n. 580. perjurus primo modo constituit Deum testem falsitatis, propriè enim & jurat, & falsum jurat, adeoque peccat mortaliter, etsi rem minimam falsò asserens, seu dubitans seu sciens esse falsum: secundo verò modo perjurus non constituit Deum testem falsi, quia reverà tunc non jurat, quando non stat fide juratâ, esto priùs juraverit, juravit enim tunc juxta suam, ut supponimus conscientiam, nempe juxta propositum, quod habebat in animo: ergo non est, cur dicatur constituere Deum testem falsitatis. Ità citatus Auctor, sed de hoc pluta dixi loco citato. In præsenti etiam erit sermo de Perjurio, prout abstrahit ab utroque, dum quæritur, quæ sit pœna Perjurii. Pro cujus resolutione,

525. Advertendum est, inter DD. valde controversum esse, an inspectò Jure Scripto Codicis, possit ob commissum Perjurium à Judice pœna decerni. Ratio dubitandi, & negandi sumitur ex *lege 2. C. de rebus creditis & Jurejurando.* ubi Alexander Imp. ità rescripsit. [Jurisjurandi contempta religio satis Deum Ultorem habet. Periculum autem corporis, aut Majestatis crimen, secundùm constituta Divorum Parentum meorum, etsi per Principis Venerationem quodam calore fuerit pejeratum, inferri non placet.] Ubi ponderandum est vocabulum *Satis.* Nam licèt alioquin esset mala consequentia: Deus punit; ergo non est cur leges puniant. Quia tamen Lex dicit, Deum *satis* ulcisci perjurium, videtur dicere velle, quòd ulterior pœna non sit addenda. Ob hanc rationem plures DD. quos refert, & sequitur Carpzovius *q. 46. n. 22.* contra non paucos, tenent, in hoc textu concedi Perjurii impunitatem. De quo punctò minùs utiliter litigatur. Nam

526. Dicendum est I. Jure saltem consuetudinario rectissimè introductum est, ut perjurium extra casus, quibus per Constitutiones est certa pœna constituta, (de quibus paulò pòst) pœnâ extraordinariâ & arbitrariâ puniatur etiam in foro civili. Ratio est, quia per se absurdum est, puniri à Jure Perjurium commissum contra Jusjurandum factum per Principem terrenum, & non puniri factum contra Jusjurandum per Deum. Unde & secundùm Canones punitur excommunicatione *can. fin. ca. 22. q. 1.* ibi. [Si quis verò, perpetrato perjurio, aut quolibet criminali peccato timens pœnitentiam longam ad confessionem venire noluerit, ab Ecclesia repellendus est, sive à communione & consortio fidelium.] Conclusio procedit etiam de Perjurio contra præteritam promissionem juratam commisso. Sic Scabini Jenenses responderunt in causa cujusdam Judicis, qui contra præstitum Juramentum homicidam in domum suam, tectum & mensam receperat, eundemque rursus impunè à se dimiserat, responderunt inquam, Judicem pœnâ arbitrariâ carceris, vel relegationis temporalis, aut mulctâ pecuniariâ coercendum esse.

527. Dicendum II. Qui suo perjurio alium ad pœnam capitalem fecerit damnari, afficiendus est in Imperio illâ eâdem pœnâ, quam perjurio alteri intentavit. Eâdem pœnâ afficiendus & ille, qui dolo malo ad tale perjurium alterum induxit. Ità statutum est in Ord. Crim. Carol. ar. 107.

Dicendum III. Eodem articulo constitutum est. Si quis in Judicio juramento à Judice delato conceptis verbis, pecuniæ nomine, vel alterius lucri causâ, in suum commodum pejerat, talis imprimis cogendus est restituere pecuniam vel rem aliam quam suo perjurio adeptus est, deinde ignominiâ notandus: ac tandem digiti duo quibus juramentum præstitum est, (saltem quoad exteriora membra) amputandi sunt.

Dicendum IV. Eâdem digitorum amputatione puniendus est, qui cautionem juratam, vulgò *Vrphedam*, de non redeundo (si fuerit relegatus) vel de non ulciscendo carceris injuriam ruperit, fregerit, nec se priùs absolvi fecerit.

528. Quæres. An universim Perjuri fiant infames. ℟. De hoc jam alibi dixi (et est communis DD. apud Julium Clarum & Carpzovium) de Jure communi non fieri infames infamiâ Juris, sed tantùm infamiâ facti, nisi talem pœnam sustinerent, quàm per se comitatur infamia, qualis est fustigatio, quæ infligitur in lege *13. in fine ff. de jurejur.* illi, qui juraverit in te pecuniaria per genium Principis, dare se non oportere, & pejeraverit. Cæterùm, infamiam hanc facti putat Carpzovius cum pluribus aliis, sufficere, ut talis sit intestabilis, & ei ne quidem juranti ampliùs credatur, & à limine judicii repellatur, etiam parte non opponente. Quamvis P. Georg. Gobat. casu 19. n. 687. cum Zahnnio & pluribus aliis non improbabiliter putet, perjurum repelli solùm ab illo judicio, & in illa causa, in qua pejeravit, non autem in aliis, saltem in eo casu quo jam pridem contigit illud perjurium, & interea vixit ille ut bonus Christianus, & in tali non habere locum regulam Alciati. *Perjurus semel, semper præsumitur pejeraturus.*

529. Clericus perjurus ex quorundam opinione est incapax omnium Beneficiorum Ecclesiasticorum, habitisque privatur. Ità P. Georg. Gobat. *lo. cit. casu 19. n. 688.* primam partem colligit ex can. 3. dist. 81. ibi. *Facilius est, ut hanc*

ut hanc dignitatem tali (perjuro) *ipse amiserit ordinator, quàm eam obtineat ordinatus.* Secundam probat ex cap. Pervenit. *de Jurejurando.* Duo sunt in hoc titulo capitula, quæ incipiunt *Pervenit.* Secundum & tertium: ex neutro video claram consecutionem, quòd perjurus privetur beneficiis. In hoc ergo consuetudo aut stylus Curiæ erit attendendus.

Plagium.

SVMMARIVM.

Quid sit Plagium, & quando committatur. 530.
Quænam sit illius pœna. 530.
Duo casus in Codice contenti, ubi pœna gladii constituta. 531.
Quando puniatur mitiori pœnâ quàm ultimo supplicio. 532.

530. Plagium est species furti, nempe est furtum hominis, & committitur, quando servus surripitur domino, vel filius familias patri: nam licèt filius familias non sit in Dominio propriè dicto patris, fingitur tamen quasi esset in dominio, quatenus leges illi concedunt filii vindicationem.

Quæritur I. Quænam sit pœna Plagii. ℞. Si consideretur Plagium præcisè in ratione furti, & non ut qualificatum, (de quo mox) pœna illius non est suspendium, quia liber homo non recipit æstimationem quinque solidorum. Quam rationem reddit Carpzovius, quæ tamen non est satis universalis, quia non procedit in furto quo quis servum furatur, qui utique potest æstimari etiam ultra quinque solidos. Deinde possunt æstimari operæ & servitia filii familias, quæ etiam possunt excedere quinque solidos, & potest esse evidens, quòd plùs valeant. Itaque non apparet alia ratio, quàm quia leges de hac specie furti agentes, non constituunt pœnam ultimi supplicii, nisi in casu legis Fabiæ seu Flaviæ, aut Faviæ de plagiariis: imò nec in ipsa lege Fabia fuit constituta alia pœna, quàm pecuniaria & arbitraria. *l. fin ff. ad legem Fabiam de plagiar.* [Pœna pecuniaria statuta lege Faviâ in usu esse desiit: nam in hoc crimine detecti pro delicti modo coërcentur, & plerumque in metallum damnantur.]

531. Verùm, Jure Codicis lege 7. & fin. *C. h. t.* duo casus habentur expressi, quibus pœnâ gladii puniuntur Plagiarii. Prior est, si Plagiarii vendant servum vel liberum suppressum emptori ut eum aliò asportet. l. 7. ibi. [Si quem in hujusmodi facinore deprehenderis, capite reum plectere non dubitabis, ut pœnæ genere detineri cæteri possint, quominus istiusmodi audaciâ vel servos vel liberos ab urbe distrahere atque alienare audeant.] Secundus casus est. Si viventium filiorum fiat hujusmodi distractio, & parentes orbentur. *l. fin.* [Plagiarii, qui viventium filiorum miserandas infligunt parentibus orbitates &c. Si quis hujusmodi reus fuerit oblatus, posteaquam super crimine claruerit, servus quidem, vel libertate donatus, (*i.e. libertus*) bestiis subjiciatur, ingenuus autem gladio consumatur.] Carpzovius, nescio quo jure, requirit, ut hoc fiat in eum finem, ut parentes urgeantur ad liberos magnâ pecuniæ summâ redimendos, nam Jura quæ citat, hoc non habent.

532. Quæritur II. Quibus modis Plagium committi possit, ut minore, quàm ultimi supplicii pœnâ puniatur. ℞. Qui sciens dolo malo liberum hominem surripit: invitum in servitutem redigit, donat, vendit: item & qui talem scienter emit: aut in fuga datum suscipit, occultat, & proprium asserit: item qui servo alieno persuadet, ut à domino fugia: denique & ipse dominus lege Fabiâ tenetur, qui servum suum in fuga constitutum alienat. Ut habetur *l. 6. pr. C. h. t.* quod cùm meritò possit alicui exoticum videri, ejus tamen elegantem rationem reddit Cujacius: ut à fuga servi deterreantur, si intelligant, se à nemine recipi posse, vel celari impunè, vel acquiri alteri ullo legitimo titulo. De his plures leges C. h. t. videri possunt, quæ hodie vix ullum habent usum.

Prævaricatio.

SVMMARIVM.

Quis in Jure dicatur Prævaricator. 533.
Quâ pœnâ puniendus. eod.
Item Advocati adjuvantes dolo malo partem adversam. eod.
Quid Ord. Carolinâ constitutum. eod.

533. Ille in Jure dicitur Prævaricator, qui, proditâ suâ causâ partem adversam dolo malo adjuvat, aliquem accusando, vel simulatas probationes adducendo, & veras de industria prætermittendo. Propriè prævaricator est, qui publico judicio dolosè, & simulatè accusavit, diciturque Prævaricationis talis judicium Publicum, quia agitur de corruptela publici judicii, &

 quia

quia talis prævaricator eâdem pœnâ publicâ afficitur, à qua reus per prævaricationem absolutus est, quamque subire debuisset si ipse in legem comisisset; ut habetur lege 6. ff. *de Prævaricatione.* Advocati adjuvantes dolo malo partem suo clienti adversam, extra ordinem puniuntur, & hodie universim Prævaricatores, ut notat Corvinus in hunc tit.

De Prævaricatoribus exstat in Carolina Ord. Criminali a. 115. Si Procurator ex proposito dolo malo in præjudicium partis suæ, & in favorem partis adversæ gerit, & de hoc convictus fuerit, talis parti suæ imprimis pro damno causato omni possibili modo satisfaciat, deinde ad numellas positus virgis cæsus relegetur, vel alio modo pro qualitate commissi delicti puniatur.

Proditio.

SUMMARIUM.

Quid requiratur, ut quis sit & dicatur Proditor. 534.
Quæ pœna sit constituta in Ord. Carolina. 535.
Quæ pœna in Jure Civili. eod.

534. UT quis dicatur Proditor, requiritur, ut vel debitam alteri fidem frangat, vel simulando unum facere, cùm aliud habeat in mente, alteri insidias struat. Hinc Proditor dicitur (exempli causâ) qui tela hostibus dat, contra fidem patriæ debitam. Et tales supplicio ultimo & bonorum confiscatione puniuntur. *l. 2. C. Quæ res exportari non deb.* ibi. [Perniciosum namque Romano Imperio, & proditioni proximum est, Barbaros quos indigere convenit, telis eos, ut validiores reddantur, instruere. Si quis autem aliquod armorum genus, quarumcunque nationum Barbaris alienigenis contra pietatis nostræ interdicta ubicunque vendiderit, bona ejus universa protinus fisco addici, ipsum quoque capitalem pœnam subire decernimus.] Item qui patriæ vel Principis sui milites in hostium inducit insidias. Item qui ad hostes litteras mittit in præjudicium patriæ vel Principis, vel secreta revelat: qui locum sibi concreditum deserit, aut hosti tradit, vel ad hostem deficit. Qui permittit hostem per suum territorium transire: qui secretum sibi commissum in præjudicium committentis revelat. Qui aliquem dolosè circumvenit, inopinantem, simulatâ amicitiâ lædit &c.

535. Proditionis pœna traditur in Ordin. Criminali Carolina a. 124. Qui proditionem malitiosam fecerit, secundùm consuetudinem in quatuor partes secandus morte punietur. Si fuerit fœmina, submergetur. Et, si proditio magnum damnum aut scandalum dare posset, veluti. si quis provinciam, civitatem, suum dominum, conjugem, vel sanguine propinquum prodiderit, pœna exasperari potest, tractione ad locum supplicii, vel adustione per forcipes. Judicio tamen Jurisperitorum posset quandoque decapitatio præcedere sectionem in quatuor partes. Ab hoc tamen proditionis crimine ejusque pœna immunis est, qui crimen & criminosos deferunt ad Magistratum, à quo ad explorandum destinati sunt.

In Jure Civili exstant & aliæ pœnæ. Nam filii proditorum sunt incapaces successionis, tam ex testamento quàm ab intestato, ut notant DD. in leg. 5. *C. ad L. Jul. Majest.* Deinde Proditor non habet potestatem faciendi testamentum, ut tradit Baldus in *l. & militibus C. de testam. milit.* De Vasallo prodente suum dominum dixi *in tract. de Feudis.*

Rapina.

SUMMARIUM.

Quæ pœna Rapinæ constituta in Ord. Carol. 536.
An sufficiat unus Rapinæ actus. 537.
An ob superadditam vulnerationem pœna sit exasperanda. eod.
An Nobilitas, vel materiæ parvitas excuset ab ordinaria pœna. 538.
An rapina sit, incusso metu obtinere, ut alter rem sponte tradat. 539.
An eâdem pœnâ plectendus, qui non in via publica rapinam exercet. 540.

536. DE Rapina, prout fundat Actionē civilem, egi tract. 2. à n. 263. Deinde remitto lectorem ad ea, quæ suprà de Latronibus & Grassatoribus dicta sunt. Nam ex ibi dictis constat, Rapinam quidem semper esse contentam in latrocinio, sed non econtra latrocinium esse contentum in rapina. Grassatores enim seu raptores sunt, qui vi adhibitâ spoliant, sed non occidunt; latrones autem qui occidunt, ut spolient, vel à spoliato non prodantur.

Rapinæ supplicium statuitur in Ord. Carol. a. 126. ubi indifferenter Raptores malitiosi ac convicti mortis pœnâ affici jubentur, sed quoad genus mortis & supplicii observatâ regionis consuetudine: & solet in Imperio esse pœna gladii,

gladii, & quandoque etiam, ut cadaver Rotæ imponatur.

537. Dubitatum est I. An ad hanc pœnam infligendam sufficiat, semel rapinam exercuisse. Negant aliqui, sed affirmat Carpzovius, idque probat ex art. 126. Ord. Carol. ubi dicitur. Quivis malitiosus prædator secundùm communia Jura Imperialia gladio puniatur. Atqui semel exercens deprædationem, rectè prædator dicitur, sicut, qui semel peccat, peccator.

Dubitatum est II. An, si deprædator insuper vulneret, sed sine animo occidendi, pœna sit exasperanda. Negat Carpzovius *p. 2. q. 90. n. 30.* putans minus delictum à majore absorberi, & pœnam gladii sufficere. Ego jam suprà insinuavi, contrarium mihi probabilius videri, non enim in spoliatione ità involvitur & includitur vulneratio, sicut in homicidio. Imò sæpè graviùs dolet vulneratio quàm deprædatio: sed de hoc iterum in seq. tract. c. 11. controv. ult. ubi dicetur, quid in hoc puncto habeat consuetudo.

538. Dubitatum est III. An Nobilitas, vel Parvitas Materiæ excuset à pœna ordinaria. ℞. Ex communi DD. neutrum excusare, tum ob generalitatem verborum Ordin. Carolinæ, tum quoad parvitatem materiæ ex ratione speciali, ob quam tam severè punitur Robbaria seu prædatio, nempe quia intenditur securitas viarum publicarum, quæ non minùs turbatur, si homines intelligant, aliquem esse spoliatum parvâ re, fortè quia plùs non habuit, quàm si multum ablatum sit: semper enim manet metus incidendi in talem grassatorem, & sic pax publica est turbata, & securitas ablata. Ex qua valida ratione etiam de rigore juris non est parcendum illi, qui fortè post factam rapinam pœnitentiâ ductus rem ablatam restituit. Per hoc enim in aliis metus non tollitur, nec securitas ablata restituitur aliis, quia non constat de talis hominis motivo restituendi, & seria ac constanti pœnitentia. Quamvis Carpzovius suadeat, ut tali non difficulter gratia fiat, & pœna gladii in mitiorem commutetur.

539. Dubitatum est IV. An ad delictum Rapinæ spectet, si quis non quidem vi adhibitâ viatori suum eripiat, sed solo incusso metu adigat, ut ipse sponte tradat. Ratio dubitandi est, quia videtur pertinere ad speciem Concussionis, (de qua suprà actum) quæ fit, quando Judex vel Magistratus metu suæ auctoritatis extorquet injustè pecuniam. ℞. Posse esse quæstionem de vocabulo, an talis debeat dici prædo, an concussor. Loquendo verò de re, & de pœna, dicendum est cum Carpzovio p. 2. q. 90. n. 68. talem eâdem prædationis pœnâ plectendum esse, quia continet totam formalem malitiam prædationis, nempe turbationem pacis & securitatis publicæ.

540. Dubitatum est V. An eâdem prædationis pœnâ ordinariâ sit afficiendus, qui non quidem in via publica, sed in villis, aut privatis ædibus rapinam exercet. Negat Carpzov. nisi magnam vim, & domûs devastationem adhibuisset. Ratio esse posset, quia licèt unicuique domus sua debeat esse tutissimum asylum, quia tamen quivis potest se in sua domo aliis modis faciliùs tueri, quàm in via publica, non videtur opus esse tantâ pœnâ ad absterrendum à tali domestica rapina, quàm à publica.

Raptus.

SUMMARIUM.

541. Crimen Raptûs committitur, quando fœmina honesta libidinis explendæ causâ vi de loco in alium locum moraliter diversum, (non de camera in camerâ) abripitur: etiamsi eam non cognovit carnaliter, quia fortè non potuit, aut impeditus fuit. ut tradit Julius Clarus hoc. §. qui insuper notat, quòd etsi non possit propriè dici raptor, qui commodioris coitûs causâ puellam in aliam ejusdem domûs cameram abripit, vel in campo deprehensam ad aliquot passus abducit, ut occultetur oppressio, nihilominus talis ob vim illatam morte mulctandus sit, ut habet communis praxis.

542. Quæritur I. Quæ sit pœna Raptûs. ℞. De hac exstat lex unica. *C. de Raptu virig. num*

seu viduarum nec non Sanctimonialium. pr. [Raptores virginum honestarum, vel ingenuarum, sive jam desponsatæ fuerint, sive non, vel quarumlibet viduarum fœminarum, licèt libertinæ, vel servæ alienæ sint, pessima criminum peccantes capitis supplicio plectendos decernimus, & maximè si Deo fuerint virgines vel viduæ dedicatæ. &c. sancimus per hanc generalem constitutionem, ut hi qui hujusmodi crimen commiserint, & qui eis auxilium invasionis tempore præbuerint, ubi inventi fuerint in ipsa rapina & adhuc flagranti crimine comprehensi, & à parentibus virginum, vel ingenuarum, vel viduarum, vel quarumlibet fœminarum, aut earum consanguineis, aut tutoribus vel curatoribus, vel dominis vel patronis vel dominis convicti, interficiantur. Quæ multò magis contra eos obtinere sancimus, qui nuptas mulieres ausi sunt rapere, quia duplici teneotur crimine, & adulterii & rapinæ: & oportet acerbiùs adulterii crimen ex hac adjectione puniri. Quibus annumeramus etiam eum, qui saltem sponsam suam rapere ausus fuerit &c. Quibus, si appellare voluerint, nullam damus licentiam. &c. Sin autem in ingenuam personam tale facinus perpetretur, etiam omnes res mobiles seu etiam immobiles, & se moventes, tam raptorum quàm eorum sodalium, comitum vel sequentium, qui eis auxilium præbuerint, ad dominium raptarum mulierum liberarum transferantur &c.]

543. Concilium Tridentinum sess. 24. de Reform. Matr. cap. 6. statuit, ut inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum consistat matrimonium. Raptor dotet raptam, sive eam ducat, sive non. Excommunicantur consentientes raptui. [Decernit sancta Synodus, inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quodsi rapta, à raptore separata, & in loco tuto & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat, & nihilominus raptor ipse, ac omnes illi auxilium & favorem præbentes, sint ipso Jure excommunicati, ac perpetuò infames, omnimòque dignitatum incapaces. & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare.] Circa quod decretum, quando, & in quo raptu locum habeat, videantur Theologi allegati *in Remissionibus.*

544. Ordinatio Criminalis Carolina a. 118. sic statuit. Si quis alicui suam uxorem, aut honestam virginem contra mariti aut legitimi patris voluntatem inhonestè abduxerit, liceat marito & patri, non obstante quòd uxor aut filia consentiat, accusare: & reus secundùm Constitutiones nostrorum Antecessorum (*jam relatas*) & nostrorum Jurium Imperialium puniatur, adhibito desuper consilio Jurisperitorum.

Denique Novella 150. sic statuit. [Præsens constitutio confirmat pœnas in constitutione ipsam præcedente prædictas. Jubet enim ne puella raptum passa raptori suo nubat. Sin verò hoc fecerit, non succedit ei, cujuscunque tandem sectæ & ætatis sit. Nam si ipsi conjuncta non fuerit, capiet omnia bona ejus. Si parens cōsenserit in raptum passæ filiæ suæ, ut raptori suo copuletur, mittetur in exilium. Si mortuus est non præbito consensu, tunc raptoris bona confiscantur, videlicet cum nefariæ sint ejusmodi nuptiæ, si denuo raptori suo raptum passa puella copuletur.] Verùm, ubi Tridentinum qoad reformationem de Matrim. receptum est, illi, ut antè relatum, standum est. Sed insuper notandum ex Antonio Perez, quòd Matrimonii approbatio post factam puellæ in loco libero restitutionem, & privatus consensus mulieris, non impediat, quominus vindicta sumatur de crimine Raptûs, ejusque pœnis subjiciatur: quia non punitur matrimonium, sed modus illud illicitè aucupandi. Etenim per matrimonium satisfactum quidem est honori raptæ puellæ, sed non Reipublicæ læsæ, cui satisfaciendum per pœnam hac lege Nov. præscriptam, ut etiam tradit Clarus. n. 8. (quamvis referat præjudicia quædam in oppositum) dicens, Regem Hispaniæ jussisse decapitari raptorem etiam post contractum matrimonium. Cæterùm, quidquid sit de pœna corporali, procul dubio aliæ pœnæ v.g. ablatio & translatio bonorum, locum habet non obstante matrimonio etiam de Jure Canonico. Et hoc benè confirmat Perez ex decreto relato Concilii Tridentini: quia post contractum matrimonium decernit illum non evitare excommunicationem, & infamiam, quam comitatur incapacitas dignitatum.

545. Circa raptam Sanctimonialem illud insuper observandum, raptorem capite plecti, & ejus bona adscribi monasterio, in quo stuprata morabatur. Quodsi consenserit in stuprum, de proprio monasterio extruditur, & in arctius detruditur. Illud habetur cap. pen. Nov. 123. ibi. [Hujus res ex talis sceleris participio jubemus venerabili loco in quo talis fœmina habitat, per locorum SS. Episcopos & Oeconomos eorum, nec non etiam cujuslibet provinciæ judices & eorum officia vindicari.] Utrumque verò habetur in can. 30. ca. 27. q. 1. ubi recitatis verbis allatis ex Novella, adjungitur. *Mulier autem ubique investigetur, & cum suis rebus cautiori Monasterio tradatur.*

546. Quæritur II. An Raptor à pœna ordi-

ordinaria excusetur, si fœmina rapta dicat se consensisse, nec invitam raptam esse. ℞. Affirmativè ex communi DD. & in praxi observata sententia apud Julium Clarum, qui dicit, secundùm aliquos etiam illos dici raptores, qui blandimentis & verbis deceptoriis puellas, nullâ vi adhibitâ, libidinis causâ abducunt. Responsio colligitur ex legis unicæ C. de raptu virg. illis verbis: *sive volentibus sive nolentibus*. Et ex Ord. Cat. a. 118. ibi. *non obstante quòd mulier vel virgo consentiat.*

547. Dices. Volenti non fit injuria. ℞. 1. Præsumi, virginem non fuisse consensuram, nisi verbis & artibus dolosis, adeoque injustis modis fuisset persuasa: & ideo contra mulieris confessionem admittuntur testes de credulitate ad probandum, quòd mulier non sponte consensit, ut ait Perez. Ego verò existimo, tali probatione non esse opus, inspectâ Ord. Carolinâ, sed potiùs raptori incumbere probare, quòd mulier sponte, & absque dolo consenserit: quo casu censet Decianus, in tali casu non committi raptum, nec talem mortis pœnâ puniendũ, etiamsi parentibus & cognatis invitis & reclamantibus abducta fuerit, quod probabiliter defendi posse opinatur etiam Perez & absolutè tenet Gilhusius. De quo vehementer dubito, ob verba generalia & rotunda tum legis unicæ, tum Ord. Carolinæ. & quia tùc gravis injuria & vis fit parentibus & cognatis, quibus rapitur fœmina. Nolo tamen adductæ auctoritati me opponere: quæ saltem tunc procedit, quando non libidinis causâ, sed pro matrimonio ineundo puella abducitur consentiens, præsertim si jam est desponsata. prout apertè habetur *cap. 6. de raptorib.* [Respondemus, quòd cùm ibi Raptus dicitur admitti ubi nil antea de nuptiis agitur: iste raptor dici non debet, cùm habuerit mulieris assensum, & priùs eam desponsaverit, quàm cognoverit, licèt parentes reclamarent.] Unde etiam ex communiore Theologorum, *Sanchez, Lessius, Valentia, Reginaldus, Coninck*, docent, Decretum Tridentini irritans matrimonium, non procedere, quando puella sponte consensit, etsi repugnantibus parentibus. Et similiter docent, non habere locum, quando raptus fit præcisè causâ libidinis exercendæ, sed solùm, quando fit ad matrimonium obtinendum, cujus libertati vult favere Concilium.

548. Quæritur III. An Juribus allatis comprehendatur, si mas marem rapiat, explendæ libidinis causâ. ℞. Quamvis hic casus non comprehendatur in Juribus adductis, (quæ videntur loqui de explenda libidine per naturalem copulam) committitur tamen vis publica, & ex lege Julia C. de vi publ. (de qua pluribus infrà) punietur. *l. 3. C. dicto tit.* [Si confidis sponsam filii tui raptam esse, vel filium tuum inclusum, instituere solenni more legis Juliæ de vi accusationem apud Præsidem provinciæ non prohiberis.] Tradit etiam Decianus ex Baldo & aliis quòd si quis rapuerit masculum novitium à religione, capite punietur. Sed lex *pen. C. de Apostatis*, quam adducunt, loquitur in casu speciali. [Eum qui servum sive ingenuum invitum, seu suasione plectendâ ex cultu Christianæ Religionis NB. in nefandam sectam ritúmve traduxerit, cum dispendio personarum, capite plectendum esse censemus.]

549. Quæritur IV. Quid Juris, si fœmina virũ libidinis causâ rapiat? Decianus *lib. 8. c. 7. n. 27.* in fine tenet cum quibusdã aliis, quòd non comprehendatur dictis legibus & pœnis. quia, inquit, masculus, & ejus parentes & consanguinei non patiuntur eam injuriam, quam patitur mulier, & ejus parentes, nec tanta est infamia, super quibus rationibus se fundant leges adductæ. Verùm, si vilis meretricula rapuisset nobilem adolescentem, vel ipsum malis artibus subduxisset, putarem (inquit Decianus) eam gravissimis pœnis, arbitrio Judicis pro facti circumstantiis puniendam. Ità Decianus, & ferè etiam Perez.

Mihi tamen iste discursus non probatur. Si enim gravitas principalis hujus delicti desumenda esset ex conditione personæ rapientis & raptæ, & quarum honestas in communi hominum æstimatione in pretio est, sequi videtur, quòd non esset ordinariâ pœnâ plectendus vir nobilis, si puellam honestam quidem, sed plebejæ conditionis raperet: quasi verò honestas alicujus juvenis non valde nobilis, qui tamen ex bonitate indolis possit aliquando in virum emergere, non tanti pretii sit, quàm alicujus plebeiæ puellæ, quæ semper plebeja ex sexûs conditione mansura est. cur ergo, minùs punienda sit fœmina non omnino propudiosa, rapiens honestum juvenem non nobilem, quàm homo nobilis rapiens puellam plebejæ conditionis? & tamen omnes DD. dicunt, Nobilitatem rapientis, & ignobilitatem raptæ, non excusare à pœna ordinaria, ob generalitatem verborum legis.

Mihi ergo magis placet sententia Tiraquelli, apud eundem Decianum, & aliorum, volentium, quòd pœnæ legis allatæ habebunt locum etiam in muliere rapiente virum. Nec refert quòd lex hoc non in specie ponat, fortè quia est casus rarò contingens, ratio enim legis in hoc pariter urget. Sanè Angelus scribit, se vidisse in civitate Florentiæ quandam meretricem comburi, quòd rapuisset pulchrum juvenem. Itaque hanc sententiam tenet etiam Baldus, & Hippolitus communem vocat.

550. Quæritur V. An Ordinaria pœna locum habeat, si raptor fœminam non cognovit.

vit. Negat Harpprecht, Gilhusins, & alii. Alii affirmant, qnibus tum demum accedit Clarus, (ut suprà memini) si vel non potuit, vel impeditus fuit. Huic sententiæ ego indubitanter adhæreo, quia fundamentum adversariorum planè nullum est. Dicunt, in tali casu non procedere rationem à lege allatam, nempe quia Virginitas vel castitas ablata restitui non potest. Verùm, isti AA. non satis sincerè adducunt rationem legis, ut legenti patet, & sic habet. [Capitis supplicio plectendos decernimus, & maximè si Deo fuerint virgines vel viduæ dedicatæ, quod non solùm ad injuriam hominum, sed etiam ad ipsius omnipotentis Dei irreverentiam committitur: maximè NB. cum virginitas vel castitas corrupta restitui non possit.] ubi illa repetita particula *maximè*, est ponderanda: Nam sicut ex priore malè inferretur, quòd raptus alicujus non Monialis non sit puniendus pœnâ capitis, ità nec ex posteriore rectè infertur, quòd non violata virginitate & castitate non sit eâdem pœnâ puniendus. Itaque sensus legis potiùs est iste, quòd actualis violatio longè magis mereatur illam pœnam, & talis minùs sit dignus Principis clementiâ. Ratio Conclusionis hæc mihi esse videtur, qnia per hanc legem non punitur principaliter ablatio Castitatis, (sic enim Raptus cum Stupro confunderetur) sed punitur maliriosa intentio & conatus ille violentus, privandi fœminam tanto castitatis decore, quod rapiens scit à se restitui non posse.

551. Confirmo hanc declarationem ex eo, quòd tum in lege unica citata, tum in lege anteriore, quæ est 54. C. de Episcopis & Clericis, (in qua eadem reliqua verba habentur, sed ratio illa ablatæ virginitatis est omissa) detur privatis personis quibusdam facultas occidendi raptorem in flagranti crimine raptûs, adeoque ante violationem deprehensum, ut omnes DD. intelligunt, his verbis. [Qui itaque hujusmodi crimen commiserint, & qui eis auxilium tempore invasionis præbuerint, nbi NB. inventi fuerint in ipsa rapina, & adhuc flagrante crimine deprehensi, à parentibus Sanctimonialium virginum, vel viduarum, vel Diaconissarum, aut earum consanguineis, vel tutoribus seu curatoribus convicti interficiantur.] in lege unica C. h. t. extenditur etiam ad raptores aliarum fœminarum. Si tales ergo à parentibus aut tutoribus occidi possunt, ante violationem perfectam, quidni à Judice? Imò in lege 54. subjungitur, quid agendum sit Judici, si raptor per fugam aut potentiam evasit. Legatur utraque lex (quæ valde longæ sunt) & apparebit pœnam imponi Raptui seu violentiæ cum intentione violandi, præscindendo ab actuali violatione.

552. Quæritur VI. An rapiens meretricem, semper excusetur ab ordinaria pœna. Ratio asserendi est, quia lex expressè mentionem facit honestarum fœminarum. Respondeo tamen, meretricem posse desinere esse meretricem, & agere pœnitentiam vitamque honestam, ut constat de S. MARIA MAGDALENA, MARIA Ægyptiaca, Aglaide & aliis. quare, qui sciens talem ad vitam honestam rediisse, eam raperet libidinis explendæ causâ, non dubito quin pœnâ gladii puniendus esset, quod etiam sentire videtur Decianus *c. 7. n. 14.*

Cæterùm, qui raperet publicam meretricem, sed invitam, ob vim punitetur, non ob raptum de quo hìc agitur, & quidem, teste Claro, pœnâ arbitrariâ. Unde, qnod apud eundem legitur, aliquem Florentinum ob raptam ex prostibulo meretricem fuisse suspensum, mihi persuadeo, ex aliis circumstantiis vim illam aggravantibus, ità judicatum fuisse.

Repetundarum Crimen.

553. COmmittitur à Judicibus recipientibus munera, ut aliquid faciant vel non faciant, de quibus est titulus ff. ad *l. Juliam repetundarum*, ubi lege 7. §. fin. statuitur, quòd damnati extra ordinem, puniri soleant, & plerumque vel exilio, vel duriùs. & lege 6. prohibentur testimonium dicere, judices esse, & postulare. De his alibi egi, & dolent multi, quòd hodiernis moribus hoc crimen pro non crimine habeatur apud non paucos, nec facilè contingat, ullum ex hoc crimine condemnari. de quo videatur Decianus *lib. 8. c. 35.*

Sacrilegium.

554. DE Sacrilego furto actum est suprà, sub titulo *Peculatus*. & sic etiam de aliis speciebus sacrilegii sub aliis titulis incidenter agitur, ubi legi possunt.



Scor-

Scortatio.

Vide superiùs *Fornicatio.*

Seditio.

SVMMARIVM.

QVinam dicantur Seditiosi. 555.
Refertur aureæ Bullæ titulus 15. eod.
Refertur Ordinatio Carol. Criminalis. 556.
Refertur Constitutio Juris Civilis quæ est in Codice. eod.
Quænam sint Causæ excusantes à pœna ordinaria. 557.

555. SEditiosi dicuntur, qui illicitas congregationes & conventicula à Jure reprobata furtim parant, cives, populumque comotionibus turbant, de quibus est titulus 15. aureæ Bullæ, & sic habet. [Detestandas præterea, & sacris legibus reprobatas conspirationes & conventicula, seu colligationes illicitas, in civitatibus & extra, vel inter civitatem & civitatem, inter personam & personam, seu inter personam & civitatem, prætextu parentelæ, seu receptionis in cives, vel alterius cujuscunque coloris conjurationes, insuper confœderationes & pacta, necnon & consuetudinem circa hujusmodi introductam, quam censemus potiùs corruptelam, reprobamus, damnamus, & ex certa scientia irritamus, quas civitates, seu personæ cujuscunque conditionis aut statûs sive inter se, sive cum aliis absque auctoritate dominorum, quorum subditi vel ministeriales, seu in quorum districtu consistunt, eisdem dominis nominatim non exceptis fecerint hactenus, & facere præsumpserint in futuro, sicut per sacras Divorum Augustorum Prædecessorum nostrorum leges prohibitas non ambigitur, & cassatas, illis confœderationibus & ligis duntaxat exceptis, quas Principes & civitates, ac alii super generali pace provinciarum atque terrarum inter se formâsse noscuntur. Illas enim nostræ declarationi specialiter reservantes, in suo decernimus vigore manere, donec de his aliquid duxerimus ordinandum, personam singularem, quæ de cætero contra tenorem præsentis constitutionis ac legis nostræ antiquæ, super hoc editæ confœderationes, colligationes, conspirationes, & pacta hujusmodi inire præsumpserit, ultra pœnam legis ejusdem pœnam infamiæ, & pœnam decem librarum auri, Civitatem verò, vel Universitatem in hanc legem nostrã similiter comittentem, centum librarum auri; necnon amissionis & privationis libertatum & privilegiorũ Imperialium pœnas incurrere decernimus, eo ipso medietate pœnæ hujusmodi pecuniariæ Fisco Imperiali, reliqua verò domino districtûs, in cujus præjudicium factæ fuerint, applicanda.]

556. Ordinatio Criminalis art. 127. statuit. Quisquis talis Seditionis contra Magistratum auctor fuerit convictus, is quandoque pro gravitate delicti gladio puniri, nonnunquam si levius sit delictum, Virgis, vel fustibus cædi, & in perpetuum exilium, ex urbe, territorio, & provincia, pro ratione personarum, temporum aut locorum, arbitrio Judicis expelli potest, adhibito Jurisperitorum consilio, ne cui injuria irrogetur ab hujusmodi seditiosis.

In Codice exstat titulus de Seditiosis, constans duabus Legibus. [l. 1. Si quis contra evidentissimam jussionem suscipere plebem, & adversûs publicam disciplinam defendere fortasse tentaverit, mulctam gravissimam sustinebit. l. 2. In nullis locis aut civitatibus, tumultuosis clamoribus, cujusquam interpellatio contumeliosa procedat, nec ad solam cujusquam invidiam petulantia verba jactentur, sciturus his, qui hujusmodi voces emiserint, moverintque tumultus, se quidem fructum ex his quæ postulant, nullatenus habituros, subdendos autem pœnis iis, quas de seditionis & tumultûs auctoribus vetustissima Decreta sanxerunt.] Hujusmodi decretum habetur *l.* 38. §. 2. *ff. de pœnis.* [Auctores seditionis & tumultûs populo concitato, pro qualitate dignitatis aut in furcam tolluntur, aut bestiis objiciuntur, aut in insulam deportantur. Deinde ex *l.* 6. §. 9. habetur, quòd auctoribus non indulgeatur appellatio, sed statim fiat pœnæ executio. Auctores autem censentur principales illi, quorum auctoritate cæteri moventur. Et lege 5. *C. de his qui ad Eccles. confug.* dicitur. [Quòd si quis contra hujus edicti normam aut agere aliquid, aut seditionem movere tentaverit, ultimo supplicio subjacebit.] Huc etiam facit legis 28. §. 3. *ff. de pœnis.* [Solent quidam, qui vulgò juvenes se appellant, in quibusdam civitatibus turbulentis se acclamationibus populárium accommodare: qui si ampliùs nihil admiserint, nec antè sint à Præside admoniti, fustibus cæsi dimittuntur, aut etiam spectaculis eis interdicitur: quodsi ità correcti in iisdem deprehendantur, exilio puniendi sunt, nonnunquam capite plectendi. Scilicet cùm sæpiùs seditiosè & turbulentè se gesserint, & aliquoties deprehensi tractati clementiùs, in eadem temeritate propositi perseveraverint.]

557. Causas excusantes à pœna ordinaria Seditionis, plurimas refert Decianus, & ex eo describens Gilhusius. Sed pleræque earum ipso naturæ lumine claræ sunt. Una vel altera est nota-

notabilis. 1. Si quis propter privatam inimicitiam ulciscendam tumultum excitâsset (ut solet quandoque fieri à Studiosis in Academiis, præsertim ubi etiam milites sunt) non ità graviter puniretur, arg. *legis 11. §. 1. ff. de captivis.* [In civilibus dissensionibus, quamvis sæpè per eas Respublica lædatur, non tamen in exitium Reipublicæ contenditur, qui in alterutras partes discedent.] 2. Si seditio ad alicujus seditiosam acclamationem non est secuta; solus enim conatus non punitur pœnâ ordinatiâ.

Simonia.

SVMMARIVM.

Origo nominis Simoniæ, & ejusdem definitio. 558.
An in hoc delicto detur parvitas materiæ. 559.
Divisio simoniæ in eam quæ est Juris naturalis, & quæ divini. 560.
Divisio in Mentalem, Conventionalem, & Realem. eod.
An donatio rei temporalis, accedente obligatione dandi spirituale, constituat ex natura rei contractum simoniacum. 561.
Cur non simonia, matrimonii contractus cum pacto dotis certæ, venditio Calicis consecrati &c. Item pactum pro sepultura. 562.
An sit simonia, accipere pretium pro resolutione casus conscientiæ. 563.
An possit accipi merces propriè dicta pro labore in actionibus spiritualibus. 564.
Item pro licentia concionandi, benedicendi nuptias, audiendi confessiones &c. 565.
Item accipere aliquid prætextu sustentationis pro dispensatione in Juramentis, votis, impedimentis &c. 566.
An fructus Beneficii possint à Beneficiario locari alteri ad tempus vitæ. 567.
An absque Simonia possint propriâ auctoritate redimi pensiones habentes annexum onus recitandi officium B. V. eod.
An absque Simonia possit res spiritualis commutari cum alia spirituali. 568.
Quomodo facienda resignatio Beneficii, absque Simonia. 569.
An liberè resignans beneficium in manibus Ordinarii, rogans absque pacto, ut conferatur certæ personæ, faciat contra Constit. Pii V. de Censibus. eod.
An prohibitæ sint Resignationes Beneficiorum confidentionales: cum accessu, regressu, ingressu. 570.
Quænam pœnæ sint Simoniacis in Jure impositæ, vel imponendæ. 571. *& seq.*
Quæ restitutio facienda eorum quæ per Simoniam acquisita sunt. 537.
Quis cum Simoniacis dispensare, aut eos absolvere possit. 574.
In crimine Simoniæ quivis, etiam alioquin prohibitus, accusare potest. eod.

558. DE hoc delicto apud Civilistas, præsertim heterodoxos, altum silentium. Canonistis verò materia est celeberrima. Originem nominis habet à Simone Mago, de quo act. 8. volente pecuniâ emere potestatem dandi Spiritum Sanctum. Est vitium Religioni oppositum, & Sacrilegium.

Definitur Simonia: Studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid Spirituale, vel annexum Spirituali, ut sunt Beneficia Ecclesiastica. In qua definitione Emptio & Venditio sumuntur largè, pro quocunque pacto non gratuito sed oneroso, interveniente pretio temporali, seu muneris, seu linguæ, seu obsequii. Per Spirituale intelligitur omne quod aliquo modo supernaturale est quoad sui comparationem seu acquisitionem, hoc est, quod præcisè viribus naturalibus comparari non potest, ut Gratia Dei, Sacramenta, Consecrationes, Benedictiones Ecclesiæ, & omnis usus potestatis supernaturalis. Annexa Supernaturalibus sunt triplicis generis: Antecedentia, ut Jus Patronatûs, Electio, Præsentatio, Collatio. Concomitantia, ut labor in administratione Sacramentorum, aliorumque officiorum divinorum. Consequentia, ut Beneficia Ecclesiastica, supponentia Officium.

559. Quæritur. An in hoc crimine detur levitas Materiæ, excusans à peccato mortali, sicut datur in transgressione voti. R. Ex certa Theol. sententia negativè. Sicut nec datur in blasphemia, perjurio assertorio, infidelitate. Non enim potest provenire hæc parvitas ex vilitate ipsius rei spiritualis, quia quantumcunque hæc in suo genere videatur exigua, ut aqua benedicta, agnus cereus &c. est tamen gravis injuria & irreverentia, eam pretio temporali tanquam proportionato & æquali æstimare. Neque potest provenire ex parvitate pretii quod datum est, quia quò minùs datur, eò major est irreverentia.

560. Dividitur Simonia I. In eam quæ est Juris divini & naturalis, & eam quæ est Juris humani. Prior est, quando aliqua res de se Spiritualis venditur, vel emitur, ut Sacramenta, Benedictiones &c. Posterior est, quæ à sola lege Ecclesiastica ortum habet, cujus statuto seclusò talis res benè vendi posset. Talia sunt Statuta, quæ prohibent beneficiorum commutationem sub peccato Simoniæ. In priore non potest Pontifex dispensare, benè tamen in posteriore.

Divi-

Dividitur II. In Mentalem, Conventionalem, & Realem. Mentalis est propositum internum, quo quis, dum confert alteri spirituale, intendit illum obligare ad reddendum temporale, vel econtra, sine pacto tamen externo. Conventionalis est, quando insuper proceditur ad externam conventionem, sine executione tamen utrinque facta: quodsi ex una tantùm parte facta est executio, vocatur mixta. Realis est, quando saltem quoad inchoatam solutionem ex utraque parte completa est. Hinc sequitur, non esse Simoniam, pro beneficio temporali accepto gratitudinem exercere per collationem muneris spiritualis.

561. Quæritur I. An Donatio rei temporalis, accedente obligatione & pacto dandi spirituale, constituat ex natura rei, & seclusâ lege probibente contractum Simoniacum. ℞. Negativè. Ità communis, & ipsâ praxi approbata sententia. Nam absque scrupulo fiunt hujusmodi pacta cum beneficiatis de stipendio pro Missa. Item fructus beneficii, ut decimæ, & oblationes eâ lege donantur, ut beneficiatus præstet ministeria spiritualia. Ità relinquuntur annui reditus in anniversariis, & fundatione capellæ, cum obligatione ad certum numerum Sacrificiorum. Ratio autem est, quia in hujusmodi casibus non intervenit voluntas tanti æstimandi donum temporale, ut adæquet in pretio rem spiritualem, ad quam exhibendam alter obligatur, sed ille se sponte obligat ex justitia, prout se posset obligare, si nihil acciperet.

562. Quæritur II. Quomodo à Simonia defendatur, qui contrahit matrimonium cum pacto tantæ vel tantæ dotis dandæ, vel donationis propter nuptias. ℞. Illam dotem non offerri nec exigi ut pretium matrimonii quâ Sacramentum est, sed quâ contractus civilis est, & ut sic ad æqualitatem reduci potest.

Idem cum proportione dicendum est de Venditione calicis consecrati, Ecclesiæ & similium, quæ antecedenter ad consecrationem vel benedictionem, & seorsim considerata, habent in se valorem pretio æstimabilem, nec consecratio accedens impedit, quominus illud pretium exigatur, modò nihil ampliùs exigatur intuitu consecrationis. Ratio est, quia si accedens consecratio impediret venditionem, sequeretur, nec servum baptizatum, utpote charactere spirituali baptismali insignitum, vendi posse, quod ridiculum est. Quodsi tamen calix & similia venduntur ad usus profanos, fractione priùs profananda sunt.

Pro sepulturis solet quandoque aliquid exigi: quod ut excusetur à Simonia, dicendum est, consuetudine factum esse, ut aliquid hujusmodi debeatur & detur in partem sustentationis, sicut datur stipendium pro Missa, & administratione Sacramentorum, donando quidem, sed sub modo, & cum obligatione ad actionem sacram.

563. Quæritur III. An sit Simonia, accipere pretium pro resolutione casûs conscientiæ. Affirmat Lessius. Rectiùs negant Suarez & Palao cum S. Thoma. Ratio est, quia illa instructio est naturalis, & humano modo acquisita, nec per se ordinatur ad finem supernaturalem. Ergo sicut Canonistæ pretium accipere solent pro suis consiliis & responsis, cur non possit Theologus? Unde à fortiori non erit Simonia emere gradum Doctoratûs Theologici, electionem ad Cathedram Theologicam. Erit tamen Simonia, concionari pro pretio, quia concio refertur per se primò ad movendos auditores ad bonum, & Ministerium Concionatoris divinum est, de quo Christus Matth. 10. dicit: *Gratis accepistis gratis date*. Quomodo autem in sustentationem accipere possit Concionator aliquid temporale, patet ex stipendio pro Missa.

564. Quæritur IV. An possit accipi merces propriè dicta pro labore adhibendo in actionibus spiritualibus. ℞. 1. Pro labore intrinseco, & essentialiter in illis operibus incluso, non potest accipi merces. Ità contra Lessium & alios Juristas, Valentia, Toletus, Suarez, Guttier. Palao. Ratio, quia hujusmodi labor nullam aliam æstimationem habet præter ipsum opus. Ergo si opus de se vendi non potest, neque labor illi intrinsecus. Confirmatur exemplo. Sicut lapis pretiosus habens in se certam virtutem, si prohibeatur vendi, etiam illa virtus vendi prohibetur: Atqui ità se habet labor essentialiter inclusus in opere spirituali. Ergo &c. ℞. 2. Labor accidentalis, & extrinsecus operibus sacris, v.g. Iter unius leucæ ad dicendum Sacrum, studium longum præmittendum concioni, (nisi sint annexa beneficio) item exspectare per notabile tempus, dicere Missam certo loco & tempore, &c. mercede æstimari possunt, quia sunt onera temporalia, privantia laborantem aliis commodis temporalibus.

565. Quæritur V. An pro licentia concionandi, benedicendi nuptias, audiendi confessiones &c. possit absque Simonia accipi pretium. ℞. Negativè. Quia illa licentia procedit ex potestate spirituali. Quodsi tamen concedendo alteri talem licentiam, carere deberes aliquo lucro, alioquin tibi obventuro, potes accipere tantundem ab altero, ut te indemnem conserves.

566. Quæritur VI. An sit Simonia, accipere aliquid prætextu sustentationis pro dispensatione in Juramentis, votis, impedimentis consanguinitatis. &c. Dixi: Prætextu sustentationis: si enim acciperetur aliquid titulo

titulo mercedis, esset utique Simonia, & quidem Juris divini. Ad quæsitum ergo respondetur, non esse quidem Simoniā Juris divini, esse tamen Simoniam Juris humani, expressi in Tridentino *sess. 25. c. 18. de reform.* ibi. [Quodsi urgens justaque ratio, & major quandoque utilitas postulaverint, cum aliquibus dispensandum esse, id causâ cognitâ, ac summâ maturitate, atque gratis, à quibuscunque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum: aliterque facta dispensatio surreptitia censeatur.] In hoc ipso tamen potest Pontifex dispensare, & de facto dispensat, quando in sui & suorum officialium sustentationem petitur pecunia pro hujusmodi dispensationibus à Curia Romana.

567. Quæritur VII. An fructus Beneficii possint à Beneficiario locari alteri pro tempore vitæ. ℞. Ex communiore DD. quòd licèt in Extravag. *Ambitiosæ. de reb. Eccles. non alien.* solum triennium concedatur, eam tamen restrictionem non esse communiter receptam, & ideo, ubi recepta non est, posse fieri.

Quæritur VIII. An absque Simonia possint propriâ auctoritate redimi pensiones, habentes annexum onus recitandi Officium B. Virginis. ℞. Affirmativè. Non enim emitur aliquid spirituale, sed temporale, nempe libertas & deobligatio ab onere solvendi fructus per quandam anticipatam solutionem. Solet tamen, pro majori securitate, & ex stylo Curiæ adhiberi auctoritas Summi Pontificis.

568. Quæritur IX. An absque Simonia possit res spiritualis cum alia spirituali commutari. ℞. 1. Loquendo de Beneficiis, talem commutationem absolutè factam, esse Simoniam Juris humani, si fiat auctoritate privatâ Beneficiatorum, & esse omnino irritam, imò Beneficiati amittunt Beneficia: Auctoritate tamen Episcopi, & (sede vacante) Capituli, ac probabiliter etiam auctoritate Prælatorum habentium Jus conferendi Beneficia, id fieri potest, exceptis specialiter reservatis Pontifici. *c. 5. de rerum permut.* ibi. [Generaliter itaque teneas, quòd commutationes præbendarum de Jure fieri non possunt, præsertim cum pactione præmissa, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem continet semper Simoniæ. Si autem Episcopus causam inspexerit necessariam, licitè poterit de uno loco ad alium transferre personas: ut quæ uni loco minùs sunt utiles, alibi se valeant utiliùs exercere.] De amissione Beneficii, non quidem ipso Jure, sed per sententiam, habetur in cap. 7. eod. ibi *& hunc præpositura, & illum archidiaconatu curavimus spoliare, super hoc definitivam sententiam contra eos ferentes.* ℞. II. Aliæ res spirituales possunt privatâ auctoritate commutari, ut calix cum calice, quia nullibi prohibetur. Imò & proprietas & possessio Ecclesiarum potest permutari, & excessus unius suppleri pecuniâ, ut habetur c. 6. eod. ibi. [Respondemus, quòd cùm de dictis Parœcialibus Ecclesiis per se queat permutatio celebrari, & in permutatione possessionum per se non sit inhibitum, si altera ratione possessionum alteri præponderet, pecuniam posse refundi de ipsarum possessionibus ad invicem, prout visum fuerit expedire: refusâ certâ pecuniæ quantitate poterit contractus permutationis iniri, sic tamen, quòd illi contractus nequaquam sibi invicem misceantur.]

569. Quæritur X. Quomodo facienda sit resignatio seu Renuntiatio Beneficii, ut absit labes Simoniæ. Pro resolutione

Advertendum est I. Ad hoc ut resignatio valida sit, & Beneficium vacet, requiri acceptationem Superioris, nisi Beneficium sit litigiosum, aut nondum possessum, sed tantùm per electionem aut præsentationem aut nominationem Jus ad illud quæsitum.

Advertendum II. Neminem, præter Summum Pontificem, posse admittere resignationes factas sub hac conditione aut modo: *ut alteri conferatur.* Nam Episcopus non potest conferre de novo beneficium, nisi priùs vacet, qualiter tamen non vacaret per illam resignationem conditionalem.

Dubium ergo præsens est, an resignans liberè Beneficium in manibus Ordinarii, & ab illo supplicando petens, ut alicui certæ personæ conferat, vel eâ intentione resignans, sed sine pacto, faciat contra Constitutionem Pii. V. de Censibus, ubi dicitur. [Caveant autem Episcopi & alii prædicti, itemque omnes Electores, & Patroni tam Ecclesiastici, quàm Laici quicunque sint, ne verbo quidem aut nutu futuri in hujusmodi beneficiis & officiis successores, ab ipsis resignantibus aut aliis eorum significatione vel hortatu designentur, aut de iis assumendis promissio inter eos aut intentio qualiscunque intercedat.] Ex quibus verbis non pauci DD. colligunt, in hujusmodi resignatione committi Simoniam. Verùm, Castro Palao cum pluribus aliis negat, quia in prædicta constitutione solùm prohibetur designatio cum intentione in conventionem tacitam vel expressam deducta.

570. Quæritur II. An prohibitæ sint Resignationes Beneficiorum Confidentiales. ℞. Prohiberi in Bulla Pii IV. incip. Romanum, & est in Bull. 109. in qua prohibentur Resignationes cum *accessu, regressu, vel ingressu* ad beneficium, & quælibet aliæ resignationes & receptiones beneficii cum reservatione pensionis vel fructûs. *Accessus* vocatur, si mihi impedito ob ætatem, vel alia de causa Prælatus conferat jus, ut,

ut, quamprimùm capax fuero, ingrediar beneficium, quod interim confertur Petro. *Regressus* dicitur, quando beneficium à me possessum cedo alteri, servato jure regrediendi ad illud, si fortè ille pensionem non solverit, aut Religionem ingrediatur, aut Episcopus fiat, aut præmoriatur. *Ingressus* denique dicitur, si beneficium mihi collatum ante captam ejus possessionem alteri resignem, reservato mihi jure ingrediendi possessionem illius, si ille præmoriatur, aut fiat Episcopus. De his plura videri possunt apud Lessium *lib. 2. c. 35. dub. 16. n. 98.* Suar. *lib. 4. cap. 43.* Palao *disp. 3. puncto* 18. quæ ad meum intentum non faciunt.

571. Quæritur XII. Quænam pœnæ sint à Jure impositæ, vel ex Juris dispositione imponendæ. ℞. 1. Pro triplici speciali Simonia, scilicet, ingressu in Religionem, Ordinis susceptione, & circa Beneficia commissa, sunt pœnæ certæ à Jure constitutæ, quas ipso facto Simoniacus incurrat. Pro ingressu Simoniaco in Religionem, habentur in Extravag. 1. de Simonia, quæ ità summantur. [Pastus vel jocalia exigentes & etiam dantes pro Religionis ingressu, si sint singulares personæ, excommunicationis, si Conventus vel Capitulum, suspensionis sententias ipso facto incurrunt: cujus utriusque vinculi absolutio soli Papæ reservatur, aliis pœnis in suo robore duraturis, nisi ingredientes aliquid sponte, & sine pactione obtulerint.] Pro collatione Simoniaca Ordinum & beneficiorum, feruntur pœnæ in extrav. 2. cujus summa est. [Omnes Simoniaci, cujuscunque dignitatis, aut status, sunt ipso facto excommunicati, nec habent simoniacè ordinati Ordinis executionem. & electiones aut aliæ provisiones per simoniam factæ non valent, nec Jus percipiendi fructus tribuunt. Mediatores etiam Simoniæ eâdem Censurâ ligantur, qui à solo Papa absolventur. & omnes prædicti sunt Summo Pontifici revelandi.]

572. ℞. II. Pro Simonia alio modo commissa, non est ulla pœna lata, sed pro qualitate criminis ferenda. Quædam tamen pœnæ veniunt ex ipso Jure imponendæ. v. g. Simoniacus in beneficio, deponendus est ab officio & beneficio. c. 11. de Simon. ibi. [Respondemus, quòd si manifestum est, eundem Archidiaconum & Clericum ob causam illam promissa recepisse, aut ex inde confessi fuerunt in Jure, vel legitimè convicti, ab Altaris ministerio sunt perpetuò deponendi. Si tantùm publicâ laborant infamiâ, eis canonica purgatio debet indici.] Et universaliter loquitur cap. 6. eod. [Sicut Simoniaca pestis suâ magnitudine alios morbos vincit, ità sine dilatione mox, ut ejus signa per aliquam personam claruerint, de Ecclesia Dei debet eliminari atque repelli.] & can. 110. ca. 1. q. 1. [Erga Simoniacos nullam misericordiam in dignitate servanda habendam esse decernimus, sed juxta Canonũ Sanctiones, & decreta Sanctorum Patrum eos omnino damnamus, ac deponendos esse, Apostolicâ auctoritate sancimus.] Quodsi delictum sit secretum, quamvis Judici constet, non est deponendus, sed secreta pœnitentia injungenda. c. 20. de Simon: ibi. [Alioquin non erit tutum (cùm sit secretus excessus) ipsum invitum ab eodem officio coërcere, cui tamen secretam pœnitentiam, secundùm quod tibi visum fuerit, injungere non postponas.]

573. Quæritur XIII. Quæ restitutio facienda eorum, quæ per Simoniam acquisita sunt. ℞. 1. Res spiritualis (exceptis beneficiis) cùm reverà acquiratur illius dominium, non est restituenda ante Judicis sententiam. v. g. Jus patronatûs: ℞. 2. Pretium acceptum pro beneficio ipso Jure restituendum est, & quidem Ecclesiæ in qua est beneficium, vel pauperibus ex arbitrio Superioris: quamvis probabile sit, posse ante sententiam restitui ei qui dedit. cap. 11. in fine. de Simon. [Regem autem, & Principes ejus debes inducere, ut si qua receperint à præfato Episcopo, ut ejus electioni præstarent assensum, Ecclesiæ Exoniensi sine diminutione restituant, cùm ea sine gravi suæ salutis periculo retinere non possint.] ℞. 3. Pretium acceptum pro qualibet alia Simonia, nõ est restituendum ante Judicis sententiam, nisi recipiens contra Justitiam peccâsset, v. g. accipiendo ultra condignam sustentationem pro administratione Sacramentorum, casu quo illa esset Simoniaca. Tunc enim ipso Jure naturæ, & ex radice injustæ acceptionis restituere tenetur.

574. Quæritur XIV. Quis cum Simoniacis dispensare, aut eos absolvere possit. ℞. 1. In pœnis ex genere suo perpetuis, cujusmodi est infamia, depositio, excommunicatio, si ab ipso Jure latæ sunt, solus Pontifex absolvere potest, de Jure communi. Episcopus verò & Mendicantes possunt ex specialibus privilegiis absolvere, si non sit excommunicatio publica, & ad forum contentiosum deducta. A suspensione suscipiendi ulteriorem Ordinem, non nisi Pontifex absolvere potest, & probabiliùs etiam à suspensione Ordinum susceptorum. quamvis Suarez putet, etiam Episcopum posse absolvere. Idem de Interdicto dicendum. Ab omnibus tamen his Censuris absolvere potest Episcopus, si publicæ non sint, nec ad forum contentiosum deductæ, virtute Tridentini *Conc. sess. 24. c. 6. de Reformat.* [Liceat Episcopis in Irregularitatibus omnibus, & Suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad fo-

ad forum contentiosum, dispensare, & in quibuscunque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscunque sibi subditos in Diœcesi sua per seipsos aut Vicarium ad id specialiter deputatum, in foro conscientiæ gratis absolvere, impositâ pœnitentiâ salutari. Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantùm, non eorum Vicariis sit permissum.] Et hæc pro nostro instituto de Simonia satis, quæ rarò est Judiciorum Criminalium materia, cùm sæpiùs esse deberet. Solùm addo, quòd Simonia sit crimen exceptum, hoc est, in quo quivis, alioquin prohibitus, accusare potest. c. 7. de Simon. *Tanta est labes hujus criminis, quòd etiam servi adversùs dominos, & quilibet criminosi admittuntur ad accusationem.*

Sodomia.

SUMMARIUM.

Quanam peccata ad crimen sodomiæ reducantur. 575.
Quâ pœnâ plectendum sit hoc crimen. 576.
An, reo frequentiam confitente, pœna sit exasperanda. 577.
Qualiter constare debeat de corpore delicti, ut pœnæ ordinaria locus sit. 578.
An in hoc crimine puniatur conatus, opere solùm inchoato. 579.
Quid si Judæus cum Christiana, vel è contra, peccet carnaliter, quomodo puniendi. 580.

575. Omnium criminum Venereorum gravissimum est peccatum quod vocatur Sodomiticum, eo quòd propter illud Sodomitæ fuerint igne de cælo misso consumpti. Reducitur autem ad hoc crimen omnis actus Venereus contra naturam commissus, saltem unius suppositi cum alio supposito, sive sit homo, sive brutum, sive humanum cadaver, & sive in eodem, sive in diverso sexu. Dixi *saltem*. Nam non desunt DD. qui mollitiem, quam homo secum ipse exercet, & Latini *Masturpationem vocant*, etiam Sodomiticum peccatum esse velint: quamvis comunior opinio sit, nō comprehendi illis legibus, quibus pœnâ mortis statuitur peccato Sodomitico, & mox referentur, sed velit, esse puniendum pœnâ extraordinariâ, v. g. relegatione, vel fustigatione: communiter etiam DD. post Damhouderum observant, vix unquam hoc delictum ad forum externum pervenire.

De variis modis delinquendi sodomiticè legatur Damhouderus, quos explicare verecundus calamus abhorret: unde & ipsæ leges, ut videbimus, terminis utuntur quàm fieri potest modestissimis, sicut & ipsa Sacra scriptura in pluribus locis, nisi quòd S. Paulus ad Romanos scribens, utpote qui in hoc crimine obsorduerant, meritò illis suam turpitudinem in gentilibus explicatiùs exprobaverit c. 1. v. 26. & seq. *Nam fœminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam. Similiter autem & masculi relicto naturali usu fœminæ, exarserunt in desideriis suis ad invicem &c.*

576. Quæritur I. Quâ pœnâ plectendum sit hoc crimen. ℞. De hac exstare Novellam 77. §. 2. [Præcipimus, permanentes in prædictis illicitis & impiis actibus post hanc admonitionem nostram comprehendere, & ultimis subdere suppliciis.] Et lege 31. *C. ad L. Jul. de adult.* [Cùm vir nubit in fœminam viris porrecturam, quid cupiatur, ubi sexus perdidit locum? ubi scelus est id, quod non proficit scire? ubi Venus mutatur in alteram formam? ubi amor quæritur, nec videtur? jubemus insurgere leges, armari jura gladio ultore, ut exquisitis pœnis subdantur infames, qui sunt, vel qui futuri sunt.]

In Imperio Romano ex Carol. Ord. art. 116. sic habetur. Si homo cum bruto, mas cum mare, fœmina cum fœmina luxuriam exercent, rei sunt mortis, & ex recepta consuetudine comburendi. Quibus verbis indicatur, esse consuetudinem observandam. Ea autem ferè ubique est, ut priùs capite plectantur (nisi vel ætas vel alia circumstantia excuset) & deinde concrementur cadavera tam agentis quàm patientis. Si cum bruto, vivus ipse (nisi ob animæ periculum vel ob aliam causam delictum extenuantem gratia fiat) & etiam brutum comburitur; cujus ratio reddi solet, ne ulla tam abominandi flagitii memoria apud homines exstet: quod & Sacræ Scripturæ consentaneum est, *levit.* 20. *v.* 15. *Qui cum pecore coierit, morte moriatur, pecus quoque occidatur. Mulier quæ succubuerit qualicunque jumento, simul interficietur cum eo, sanguis eorum sit super eos.*

577. Quæritur II. An, si reus confiteatur, se sæpiùs hujusmodi flagitium commisisse, pœna vivæ combustionis sit exasperanda per antecedentem aliquam corporis afflictionem. ℞. Ex communi DD. apud Carpzovium *q.* 76. *à n.* 40. Negativè. Nam quando infligitur pœna atrocissima, qualis est combustio, non solent pœnæ ob repetitum delictum exasperari, nisi expressâ lege id constitutum sit, ut fit in crimine latrocinii, Veneficii, parricidii: Atqui nihil hujusmodi legitur constitutum in hoc delicto. Et

ità

ità in facti contingentia non semel pronuntiârunt Scabini Lipsienses. Quòd autem iidem Scabini noluerint pœnam exasperare illi, qui insuper suam privignam necaverat, quòd ab ea fuerit proditus, mihi non probatur, quia concurrerunt duo gravissima delicta, Sodomia & Parricidium.

578. Quæritur III. An, & qualiter constare debeat de corpore delicti, ut pœna ordinaria infligatur. ℞. Si in flagranti deprehensus est reus, hoc ipso satis constat. Si homo cum homine confiteatur se peccâsse, utriusque confessio sufficit, nam in occultis vix potest aliter constare. Si reus confessus sit cum bruto se deliquisse, tunc ex quibusdam indiciis Judex poterit arbitrari, quæ tamen difficulter haberi poterunt, nam quæ refert Carpzovius n. 53. non plùs probant, quàm crimen attentatum. Rarò hujusmodi rei puniuntur, aut ad Judicium veniunt, nisi in flagranti deprehensi, & per testes convincendi, saltem per unum, qui accedente confessione rei sufficiet, alioquin tarò posset hujusmodi crimen pœnâ ordinatiâ puniri. Imò Farinacius tenet, in hoc crimine non debere constare de corpore delicti, quod fortè dixit de corpore delicti consummati, quia præsumitur, nisi contrarium constet.

579. Quæritur IV. An in hoc crimine puniatur conatus, opere non consummato, sed solùm inchoato. Affirmant cum Jo. Damhoudero aliqui, quibus assentitur Gail. *l. 1. de pace publ. c. 14. n. 26.* saltem si opus perfecisset, nisi impeditus aut impotens fuisset. Benignior tamen est sententia negans, quam cum Julio Claro tenent Jacobus Menoch. Farinac quos refert & sequitur Carpzovius. Pro qua sententia videtur esse textus efficax *l. 1. §. fin. ff. de extraordinar. crimin.* [Qui puero stuprum, abducto eo, vel corrupto comite, persuaserit, aut mulierem, puellamvé interpellaverit, quidvé impudicitiæ gratiâ fecerit, donum præbuerit, pretiumvé, quo is persuadeat, dederit: perfecto flagitio punitur capite, imperfecto in insulam deportatur.] cui deportationi hodie relegatio vel bannum successit. Deinde, licèt regula generalis olim fuerit, ut in atrocissimis criminibus etiâconatus puniatur, ab ea tamen per consuetudinem generalem eatenus recessum est, nisi expressâ lege caveatur, & ad summum iis etiam exceptis, quæ immediatè Reipublicæ sunt perniciosa, ut jam semel iterumque suprà memini: atqui in hoc delicto non reperitur expressè statutum, nec immediatè est Reipublicæ perniciosum: ergo nisi alicubi usus habeat contrarium, videtur ordinariæ pœnæ non esse locus; Boërius testatur, aliquem talem fuisse morte punitum.

Consuetudo etiam habet, ut casu quo Sodomita bestialis ex aliqua causâ mitiùs quàm igne puniatur, neque brutum comburatur, sed occisum è medio tollatur.

580. Solet hic incidens Quæstio moveri, an si Judæus cum Christiana, vel Christianus cum Judæa carnaliter peccet, puniendi sint ut Sodomitæ. & si Boërio credimus, Parisiis talis est combustus. Sed communiter DD. & rectè negant, quamvis puniendus sit talis pœnâ illâ, quæ apud veteres fuit adulterii, non quidem semper mortis, sed mitiore: & numeratur inter publica Judicia, ut cuivis liceat accusare. *l. 6. C. de Judæis.* [Nequis Christianam mulierem in matrimonium Judæus accipiat, neque Judææ Christianus conjugium sortiatur. nam si quis aliquid hujusmodi admiserit, adulterii vicem commissi hujusmodi crimen obtinebit, libertate ad accusandum publicis quoque vocibus relaxatâ.] Inter hos est impedimentum ditimens, quod dicitur: *Disparitas cultûs.* sed hæc aliò pertinent.

Sortilegium. Superstitio.

Vide suprà sub titulo. *Magia.*

Stuprum.

SUMMARIUM.

Bb *Ad*

581. DE Stupro varia dubia pro foro Conscientiæ expedivi *to. 1. tr. 2. à. n. 686.* *sed* hîc aliqua addenda pro foro Externo. Stuprum absque raptu factum, in genere, & prout præscindit à Voluntario & Violento, est Defloratio illicita Virginis. Quod extenditur ad violationem Viduæ honestè viventis. §. 4. *Inst. de publ. Jud.* postea referendo.

Stuprum aliud est Voluntarium etiam stupratæ, aliud Violentum. De voluntario priùs agendum, deinde de violento, quod quidem aliqui, sed malè, confundunt cum Raptu, ut benè notat Farinacius.

582. Quæritur I. Quænam sit pœna Voluntarii Stupri. R. 1. Jure Canonico confirmatur pœna, quæ in antiquo Testamento lege divinâ constituta erat *Exodi 22. Deutr. 22.* ut stuprator stupratam dotet, & ducat. Sed est intelligendum, si stuprator puellam seduxit. Ità habet *cap. 1. de Adulteriis.* [Si seduxerit quis virginem, nondum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit uxorem. Si verò pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt.] Et quamvis in textu fermo sit copulativus, copula tamen, &, per usum resoluta est in alternativam, ut nempe stuprator teneatur puellam vel dotare vel ducere, ità ut electio sit penes illum.

Ex eo autem quòd non ampliùs stuprator teneatur copulativè, colligitur, non ampliùs esse in usu pœnam, quâ Jus canonicum plecti vult illum, qui ducere non vult stupratam, esto velit dotare. & habetur in cap. 2. eod. ibi. [Nos aliquatenus legis duritiem mollientes hoc modo disponimus, ut aut quam stupravit, uxorem habeat, aut, si renuendum putaverit, corporaliter castigatus, excommunicatusque in Monasterium, in quo agat pœnitentiam, detrudatur, de quo nulla sit egrediendi, sine præceptione licentia.]

583. Circa hoc Capitulum dubitatur, an pœna legum Civilium (de qua mox) sit correcta. Aliqui dicunt, obtinere solùm in terris Ecclesiæ: alii, obtinere quidem universaliter, sed solùm in foro Ecclesiastico. Alii, quos sequitur Carpzovius, *p. 2. q. 68. n. 6.* putant, correctas esse etiam pro toto Imperio, ità ut etiam in terris Imperii stuprator non aliâ pœnâ plectatur, nisi ut stupratam vel ducat uxorem, vel dotet. & ità in praxi observari, etiam in foro Saxonico. Solet tamen quandoque reus (quia Actrix aliud non petit, ut ipse practicari vidi) condemnari, ut infanti ex stupro procreato alimenta præstet, certam pecuniæ summam solvendo, & insuper vel pœnâ pecuniariâ, vel carcere puniatur; ideo consuetudo locorum observanda est.

Cæterùm, ut insinuavi, Jure Civili aliter puniebatur stuprum, ut colligitur *ex §. 4. Inst. de publicis Judiciis.* ibi. [Sed eâdem lege Juliâ (*de Adulteriis*) etiam stupri flagitium punitur, cùm quis NB. sine vi vel virginem, vel viduam honestè viventem stupraverit. Pœnam autem eadem lex irrogat stupratoribus, si honesti sunt, publicationem partis dimidiæ bonorum, si humiles corporis coërcitionem cum relegatione.] Ratio autem, cur Jura statuerint, etiam in vidua honestè vivente stuprum committi in ordine ad pœnam ordinariam incurrendam, hæc redditur, quia reputatur adhuc in priori matrimonio esse, unde & privilegiis defuncti mariti gaudet, & forum ejus sequitur, ut colligitur *ex lege 19. ff. de Jurisdict.*

584. Quæritur nunc II. An sufficiant pœnæ hucusque relatæ, si puella Blanditiis, persuasionibus, promissionibus, & dationibus munerum, aliisque fraudibus & fallaciis ad stuprum inducta est. Bajardus ad Jul. Clarum *lib. 5. §. stuprum* n. 38. existimat, hoc casu locum habere pœnam capitis non minùs quàm si vis adhibita esset, quia talis deceptio est instar violentiæ. Nec multùm abest Jus Bavaricum, prout retuli loco citato. n. *698.*

Communis tamen & vera sententia affirmat sufficere pœnam adductam ex Jure Canonico. Nam ibi expressè requiritur Seductio. & in cap.

in cap. sequente requiritur expresse Deceptio. Unde non improbabiliter quis inferret, quòd cessante omni seductione (quæ tamen vix unquam deest respectu Virginis, ut notat Berlichius conclus. 38, n. 27.) cessaret etiam hæc pœna, quia non videntur Jura loqui de casu metaphysico, & quia non apparet sufficiens culpa in eo, qui virginem ultrò se offerentem ad stuprum violavit, nam volenti nulla fit injuria: pœna autem, ut vel dotetur vel ducatur, est introducta ad compensandam injuriam factam per deceptionem & seductionem. & ità video sentire aliis relatis Berlichium n. 31.

Objiciunt I. *l. 1. §. 2. ff. de extraord. criminib.* quem paulò superiùs *tit. Sodomia.* retuli. Sed ex contextu patet esse sermonem de violento stupro.

Objiciunt II. Persuasio subdola habet vim coactionis, ut ex variis Juribus evincere conantur. ℞. Cum Berlichio, procedere illam comparationem solùm in civilibus, ad hoc, ut deceptus restituatur in integrum; quantùm fieri potest; non item in criminalibus.

585. Quæritur III. Si stuprator afferat, puellam ultrò, absque dolosa seductione consensisse, puella verò dicat, se fuisse dolosè seductam, cui credatur. ℞. Præsumi pro puella, id enim præsumitur, quòd plerumque contingit: adeoque nisi stuprator probet, condemnabitur.

Quæritur IV. Si puella quidem nullam passa est injuriam, an pater puellæ possit injuriarum agere. Affirmant communiter DD. posse petere æstimationem damni, & illius quo ob illatum stuprum caret, quatenus majorem dotem dare debet, quàm si filia stuprata non esset. Hoc tamen procedit, si stuprator potuit hoc damnum prævidere.

586. Quæritur V. Quandonam reus dotem, ad quam solvendam condemnatus est, solvere debeat. Putârunt aliqui, non antè solvendam esse, quàm puella nupserit. ex quo sequeretur, quòd si puella maturè moriatur, vel maritum non inveniat, aut nubere nolit, reus penitus à solutione dotis liberetur. Vera tamen, & recepta sententia est, teneri statim post condemnationem (non statim post illatum stuprum, ut loquitur Carpzovius n. 32.) arg. *l. un. C. de raptu virg. §. 1. ibi, sive maritum nolentes accipere, in sua pudicitia manere voluerint, pleno dominio eis sancimus applicari.* Ratio etiam est manifesta, quia imponitur absolutè, ut pœna, & quidem sub disjunctione. ergo sicut si eligeret matrimonium, deberet statim ducere, ità, si eligat solutionem dotis, debebit statim solvere. eámque puella transmittet ad suos hæredes, etiamsi innupta moriatur.

587. Quæritur VI. Quanto tempore duret actio civilis puellæ ad obtinendam dotem. Videri posset durare solùm quinquennium, sicut actio criminalis descendens ex lege Julia de Adulteriis, præscribitur quinquennio. Nihilominus comunis habet sententia esse perpetuam, sicut aliæ actiones civiles, quia tamen fundatur in criminali, extenditur solùm ad 20. annos, etiamsi ipsa actio criminalis solùm duret quinquennium, quia solutio dotis non habet præcisè rationem pœnæ, sed etiam satisfactionis pro injuria. Ità videtur reipsâ sentire Carpz. q. 7.

588. Quæritur VII. An quæ dicta sunt, procedant etiam, quando puella est vilis conditionis quoad originem, & inops. Card. Thuscus & Jacob Menoch. *lib. 2. arb. q. casu 294. n. 17.* putant cessare obligationem ducendi vel dotandi, & puellæ solùm competere actionem injuriarum. Fundantur *in lege 13. §. 2. ff. ad L. Jul. de Adult. & in l. 29. in fine C. eod.* Verùm, Farinacius, Berlichius, Carpzovius, benè advertunt, has leges non esse ad rem, quia loquuntur de fæmina vulgari, hoc est, meretricio more vivente. quod colligitur ex illis verbis: *quas vitæ vilitas dignas legum observatione non credit.* Unde in oppositum facit *lex 7. C. de incestis nupt.* ubi dicitur: [Humilem vel abjectam fæminam minimè eam judicamus intelligi, quæ NB. licèt pauper, ab ingenuis tamen parentibus nata sit. Unde licere statuimus, Senatoribus, & quibuscunque amplissimis dignitatibus præditis, ex ingenuis parentibus natas, quamvis pauperes, in matrimonium sibi accipere, nullámque inter ingenuas, & opulentiores ex divitiis, & opulentiore fortunâ, esse distantiam.]

589. Quæritur VIII. Si homo conjugatus stupret (interveniente deceptione & seductione per blanditias, promissa &c. ut suprà diximus requiri) puellam, an eam teneatur dotare, quandoquidem matrimonium eligere non potest. Respondendum mihi videtur (salvo meliore aliorum Judicio) si puella vel vidua scivit esse conjugatum, adeoque ad matrimonium sibi omnem viam præclusam esse, tali nec ad exigendam dotem Jus esse, sed solùm actionem injuriarum. Ratio est, quia debitum dotis substituitur in casum, quo stuprator non vult stupratam ducere, & non in casum quo eam ducere non potest, & hoc sciebat stuprata, nempe ad matrimonium sibi non patere viam. & hujus sententiæ videtur esse etiam Carpzovius, qui n. 73. dicit, stupratam hoc damnum suâ culpâ sentire: sibi enim, inquit, imputet, quòd cum tali rem habuerit, quem scivit, maritum sibi esse non posse. igitur damnum sentire non videtur, l. 203. ff. de R. J. *Quod quis ex culpa sua*

damnum sentit, non intelligitur damnum sentire. Aliud utique dicendum esset, si vel se solutum simulâsset, vel fæmina talem inculpabiliter judicâsset, vel si dotem promisisset. Ad alimentationem etiam prolis teneri stupratorem, non est dubium. Idem dicendum est, si stuprator esset stupratæ in eo gradu conjunctus, quo matrimonium subsistere non potest.

590. Idem mihi dicendum videtur, si puella nollet stupratorem (qui eligit matrimonium) habere conjugem. hoc ipso enim censebitur amittere Jus ad dotem. supponendo, quòd ex consuetudine (de qua suprà) non teneatur stuprator copulativè ad ducendam uxorem & dotandam, sed solùm disjunctivè, ad ducendam, vel dotandam: tollit enim stupratori potestatem eligendi, & consequenter illi censetur pœnam in suum favorem introductam remittere: quod tamen iterum limitandum puto; nisi haberet justam causam recusandi matrimonium, tunc enim puto, eum teneri ad dotandum (quia ob illatam injuriam tenetur eam servare indemnem) saltem eo usque, ut acquirat tam bonum matrimonium, ac si non fuisset stuprata.

591. Quæritur IX. Si stuprator cum puella de certo precio convenit, an adhuc teneatur vel ducere, vel dotare. ℞. Negativè. Nam in hoc casu puella non decipitur, nisi volens, & quæ suam virginitatem ultrò venalem habet, ac proinde nulla illi fit injuria, nec talis inter honestas puellas numeranda est, sed potiùs pro meretrice, hoc est, eligente vitam meretriciam, & sic in effectu renuntiat juri & favori à lege pro se introducto, in cujus locum eligit pretium.

592. Quæritur X. An stuprator habeat electionem vel ducendi, vel dotandi, si puellæ matrimonium promisit, & sic ad stuprum induxit. ℞. Negativè, sed tenetur determinatè ad eam ducendam, si quidem puella velit. Nam hanc obligationem sibi suâ promissione imposuit. quod verum est, etiamsi animo simulato promisisset; tenetur enim vi illatæ injuriæ ad animum serium substituendum, ut patet ex disputatis to. 2. de Jure privat. tract. 2. & ex disputatis tomo 3. de Promissione. Et ideo potest ad matrimonium contrahendum à competente Magistratu (qui est Ecclesiasticus) compelli sicut quivis alius, qui sine justa causa recusat implere sponsalia.

Sed, quidsi sponsa asserat sibi promissum matrimonium, stuprator verò neget? ℞. Præsumptionem stare pro stuprata, & contra stupratorem, quòd puella non censeatur suam virginitatem jactâsse. An autem in hoc casu sit deferendum juramentum purgatorium stupratori, vel potiùs sponsæ suppletorium, decidendum est ex dictis præcedente tomo de Præsumptionibus & de Juramento: Et videndum, an pro stupratore sit aliqua præsumptio, v.g. ex dispari conditione.

593. Quæritur XI. Ad quam prolis ex stupro natæ alimentationem teneatur stuprator. Est multorum opinio, quòd stuprator non teneatur alere infantem nisi post triennium. Fundant se in lege 9. *C. de patria potest.* in illis verbis: *& remedium alimentorum apud Præsidem majori trimo petenti nomine ejus monstratum jure manifesto declarant.* Verùm, Carpzovius benè notat, ex hac lege non probari, quia est textus intelligendus de alimento lactis, cùm ante triennium non solebant infantem mammâ depelli. Proinde benè resolvit, quòd si infans intra triennium ablactatus fuerit, stuprator alimenta, aliosque sumptus, si quos præter ablactationem infans desiderat, suppeditare debeat. Addo ego, quòd si mater fortè non posset proprium lac præbere, sed esset alia fæmina conducenda, sumptus hos stuprator pati debeat. Tenetur autem alimenta subministrare proli tamdiu, donec Judicis arbitrio videbitur proles posse ipsa sibi alimenta procurare. Quodsi maturiùs moriatur, ulteriùs intuitu alimentorum ad nihil tenetur, quia obligatio est affixa personæ, ut habetur lege 8. §. 10. ff. de transact. ibi. *constat enim alimenta cum vita finiri.* In defectum stupratoris, si fortè tantum in ære non habeat, mater tenetur infantem alere, sicut tenetur alere prolem incertam. Quodsi mater tam inops sit, ut & ipsa egeat alimentis, tenetur stuprator & matrem alere, ex regula, quòd qui tenetur procurare aliquem finem absolutè, teneatur & media necessaria procurare ad illum finem. Et ità in facti contingentia judicatum est in Senatu Pedemontano.

594. Quidsi autem matri aliqua certa summa (prout fieri solet) per transactionem soluta, vel adjudicata, vel promissa est, & infans maturiùs moriatur? ℞. Ex consuetudine non redire ad patrem, sed matri relinqui, tum ob solarium, tum quia certum pro incerto solutum est; & hoc ex natura transactionis.

Quidsi stuprator neget prolem esse suam, eo quòd non fuerit virgo tempore copulæ habitæ, quam fatetur, & hoc in judicio probare contendat, quis interim pendente processu super virginitate, debet alere prolem? ℞. Debere alere stupratorem, quia quamdiu non probat suam intentionem, stat præsumptio pro Virginitate, & quòd ipse sit pater.

595. Quæritur XII. An Magistratus debeat esse contentus; nec possit ad ulteriorem pœnam procedere contra stupratorem, si is pœnam Juris Canonici sustineat, & stupratam ducat, vel dotet. ℞. In hoc esse consuetudinem

asten-

attendendam: Plures enim DD. quos refert & sequitur Berlichius concl. 38. n. 113. affirmant, integrum esse magistratui, non quidem condemnare in pœnam Jure civili statutam, quæ in multorū sententia deinde in Canonicam comutata est, ut suprà dixi, sed tamen posse insuper punire pœnâ carceris, aut pecuniariâ. Illud certum est, ob varias circumstantias posse superaddi pœnam, v. g. si homo ignobilis nobilem stupràsset, si tutor pupillam suæ tutelæ aut curæ commissam. Jure Bavarico ex circumstantiis valde aggravantibus, præsertim ob conditionem personæ violatæ, vel criminis frequentiam, potest stuprum dolo obtentum etiam pœnâ mortis puniri. *O. P. lib. 5. tit. 9. a.* 18.

596. Quæritur XIII. An puella ità dolo seducta, puniri debeat aliquâ pœnâ arbitrariâ; quandoquidem in Jure nulla est constituta. ℞. In hac re fuerunt variæ DD. sententiæ, quarum aliquæ sunt per se absurdæ, ut, quòd debeat in monasterium detrudi, quod cum aliis videtur sentire Tuschus concl. 709. pugnat enim cum eo, quòd stupratoris sit electio, ut eam ducat, vel dotet. Aliæ sunt nimis duræ, ut quòd debeat media pars bonorum confiscari. Itaque dicendum, eam ad summum puniri posse pœnâ observari solitâ in simplici fornicatione: sed in hoc iterum consuetudo locorum observanda est.

597. Quæritur XIV. An super stupro liceat transigere. Non est autem quæstio an liceat transigere stupratori cum stuprata, nam hoc habet quotidiana praxis, & credibile est, aliquando gratum fore Magistratui, factam esse transactionem, quando puella fuit imprægnata; sed quæstio est, an cum accusatore transigi possit. Ratio dubitandi est, quia ut in tract. *de Transactionib.* dictum est, super crimine publico non capitali, nec sanguinis pœnam ingerente, (quale est stuprum) non licet per jura transigere. Nihilominus affirmandum est cum Julio Claro §. *fin. q.* 58. *n.* 14. & communi sententia. Rationem reddit Berlichius, quia hodie pœna stupri est mutata in pœnam Juris Canonici, & in materia transactionis potiùs qualitas pœnæ, quàm titulus criminis (quod sit publicum) attendi debet; unde fit, quòd cognitio & pœna stupri ad inferiorem Jurisdictionem pertineat.

598. Quæritur XV. An parens possit filiam stupratam stupro voluntario, saltem si sine dolo factum esset, exhæredare. Ratio dubitandi est, quia in Nov. 115. alibi relata, inter causas exhæredandi numeratur luxuriosa vita filiæ. Nihilominus respondetur negativè, loquendo de jure communi. Nam dicta Novella requirit vitam luxuriosam electam à filia, (ad quod non sufficit, semel iterumque ex fragilitate sexus lapsam esse) & insuper requirit, ut, si parens filiæ offerat matrimonium, illa recuset. Denique illa pars Novellæ communiter intelligitur de illa, quæ elegit vivere vitam meretriciam, adeoque ex libidine vaga quæstum facere constituit, & actu ingressa est. Et hæc de stupro voluntario.

Nunc de Violento videndum; ac denique de stupro puellæ adhuc impubertis, seu necdum viri potentis, sive illud fuerit voluntarium, sive violentum.

599. Quæritur ergo I. An Stuprum per vim puellæ invitæ illatum, puniatur pœnâ Mortis. Et quidem in Imperio, ubi observanda est Ordinatio Carolina, omnino est affirmandum. a. 119. ubi sic statuitur. Si quis honestam personam conjugatam, viduam aut virginem, per vim & invitam actu violaverit, morte puniendus est, & ad accusationem violatæ, probato delicto instar prædonis gladio feriendus. Quodsi contra vim & conatum se fæmina defenderit, vel alio modo evaserit violationem, pœnâ arbitrariâ pro qualitate delicti, ex Jurisperitorum consilio plectetur. Jus Bavaricum lo. cit. etiam pœnam mortis statuit in eum, qui poculo amatorio ad violationem induxerit.

600. Difficultas est, quid sit secundùm Jus Civile dicendum. Prima sententia docet, non esse constitutam pœnam mortis, sed solam pœnam legis Jul. *de vi.* quæ est deportatio (cui hodie successit relegatio) & publicatio omnium bonorum, si violentia fiat cum armis, si verò sine armis, publicatio tertiæ partis: ut infrà suo loco dicetur. Ità habet valde communis sententia, quam etiam sequitur Fachinens *lib. 9. contr.* 101. Myns. Menoch. Farinacius, Decianus, & novissimè Ludwel. *in §. 4. Inst. de publ. Jud.* quorum auctoritatem secutus sum *to. 1. tr. 2. n.* 697. & ob tantorum virorum gravissimam auctoritatem est utique sententia probabilis, & securè eam Judex sequi potest, ubi in hoc puncto Juri civili statur.

Affirmativa tamen sententia est æquè communis, cujus AA. videre licet apud Berlichium *concl.* 41. *n.* 10. Inter quos sunt Clarus, Thuscus, Gilhusius, Harpprecht, Berlichius, & RR. communiter. In referendis argumentis utriusque partis (quæ apud Berlichium videri possunt) non immoror, quia habemus rem in Imperio decisam. Extra Imperium suaderem Judici, ut mitiorem sequeretur, quia non exstant textus satis clari, nam intelligi possunt de stupro conjuncto cum raptu.

601. Dubitari potest, an sicut auxiliatores Raptoris pari pœnâ cum raptore puniuntur, ità etiam auxiliatores stupri violenti sint pari pœnâ puniendi cum ipso stupratore, qualis casus non ità pridem ad Senatum Academicum delatus est. Af-

firmat Berlichius n. 29. adducens legem 34. *C. de Episc. & Cleric.* suprà relatam. Verùm, illa lex expressè loquitur de Raptu, & ipse Berlichius prius n. 13. rectè docuerat, argumentum affirmativum à Raptu ad Stuprum non valere, ità ut quæ obtinent in raptu, procedant etiam in stupro violento, quia Raptus est majus delictum. Quare in hoc non videtur loqui consequenter. Nec Ordinatio Carolina suam pœnam extendit ad auxiliatores.

602. Quæritur II. An censendum sit stuprum violentum, si quia non ipsi personæ, sed v.g. ædibus vim inferat, irrumpendo & perfringendo, ut ad puellam perveniat, quam tamen non invitam cognoscit. Affirmat Isernias; & aliqui etiam hoc extendunt ad eum, qui honestæ matronæ fenestris scalam applicat. Negandum tamen ex comuni DD. Nam jura loquuntur de casu, quo puella est invita, & reluctando se defendere non potest.

Quæri posset III. An violentum censeri debeat stuprum, si fœmina fuit in hunc finem inebriata, ut stuprator faciliùs admitteretur. Videtur Jus Bavaricum hoc potiùs adnumerare stupro non violento. Sed, meo judicio, est intelligendum de ebrietate non penitus impediente apprehensionem naturalem honestatis, nec potestatem omnimodam resistendi. Nam talem ebrietatem, quæ hanc potestatem tolleret, & puellam quasi dormientem redderet, si quis procurarct in puella honesta, de qua moraliter certò constaret, eam omni conatu restituram fuisse, nil dubito, quin stupro violento esset annumerandum, & hoc vel maximè Jure Bavarico, quod poculum amatorium numerat inter stuprum violentum, sive, ad puniendum stuprum eo modo quo punitur violentum.

603. Quæritur IV. An pœnâ capitis puniendus sit, qui publicum scortum violenter cognoscit. Et imprimis loquendo de illa, quæ quidem publicum scortum fuit, sed ad frugem rediit, & notoriè honestam vitam instituit, meritò ex communi DD. talis stuprator pœnâ capitis puniretur. Nec quemquam movere, meo judicio, debet, quòd in Ordinatione Crim. Carol. fiat solùm mentio *conjugatæ, viduæ, & virginis*. Nam talis potest annumerari ex mente Imperatoris viduis.

604. Loquendo verò de ea, quæ adhuc in quærendo quæstu ex scortatione perdurat, vel, quod pejus est, gratis se omnibus exponit. Attentâ Ordin. Carolinâ talis stuprator, vel violator violentus, non puniretur pœnâ capitis, quia requiritur ex parte violatæ, ut non laboret infamiâ. Spectato etiam Jure Civili id ipsum dicendum est per legem 39. *ff. de furtis.* ibi. [An tamen vel Fabia (*lege*) teneatur, qui suppressit scortum libidinis causâ, & non puto teneri.] Et *L. 29. in fine. C. ad L. Jul. de Adult.* ibi. [Hæ autem immunes à Judiciaria severitate, & stupri, & adulterii præstentur, quas vitæ Vilitas, dignas legum observatione non credidit.] Sed non est, cur pluribus in hoc probando laboremus, cùm vix contingat, ut scortum publicum resistat amore honestatis, sed solùm amore majoris fortè quæstûs obtinendi. Hinc autem mihi non probatur extensio, quam facit cum aliis à se citatis Berlichius, n. 61. ad eam, quæ non est publica meretrix, ab alio tamen jam cognita in secreto, reverà enim talis necdum laborat infamiâ, ut supponitur: quod secundùm Ord. Carol. sufficit, ut stuprator puniatur pœnâ mortis, si per vim oppressit. quod ipsum etiam Juri communi conforme est, per argumentum à contrario sensu. cùm loquatur de notorio scorto, ut patet ex lege relata.

605. Quæritur V. An ex eo quòd fœmina ex coïtu conceperit, præsumatur indubitatè, fœminam non fuisse invitam, adeoque nec vi oppressam. Affirmat cum quibusdam Berlichius n. 74. & hanc dat rationem, quia ad conceptionem requiritur emissio spermatis utriusque, quæ fieri non solet, nisi voluntas & appetitus mulieris accedat: Hæc tamen ratio etsi aliquid habeat probabilitatis, non tamen potest facere indubitatam (ut loquitur auctor) præsumptionem: nam stante omnimodâ reluctantiâ voluntaris rationalis & liberæ, potest excitari appetitus irrationalis & sensitivus, illámque emissionem etiam in invita causare. Si ergo pro fœmina starent alia indicia honestatis constantis, non dubito quin esset admittenda ad Juramentum, sicut alia, quæ non concepit.

606. Quæritur nunc specialiter, quomodo puniendus sit, qui puellam necdum viri potentem, hoc est, necdum duodecim annorum stupraverit rupto virginali claustro. absque violentia tamen, hoc est, non invitam. R. De hoc exstare textum apertum *in lege* 38. §. 3. *ff. de pœnis.* [Qui nondum viripotentes virgines corrumpunt, humiliores in metallum damnantur, honestiores in insulam relegantur, aut in exilium mittuntur.] Quia verò hodie damnatio in metallum non est in usu, ejus loco qui humilioris est conditionis, fustigatur, & in perpetuum relegatur. Quo textu rejicitur distinctio Julii Clari inter conatum & inter effectum seu stuprum consummatum, ità ut in priori casu sufficiat condemnatio ad triremes usque ad decennium v.g. posteriore casu pœna ultimi supplicii locum habeat. Sed non adducit aliquod Jus, nec etiam asserit hoc esse Juris, vel solùm, hoc esse suum votum. Deinde non satis se explicat, an loquatur de stupro non violento, vel violento. Unde etiam affert valde diver-

diversa præjudicia: nam Consilium Neapolitanum condemnavit ad triremes in septennium, & ad dotandum. item alius fuit capite plexus, qui fregit pudibunda puellæ necdum quatuor annorum. econtra alius qui puellam quinque annorum violaverat, fuit condemnatus ad triremes in decennium. Jo. Faber dicit, quòd de consuetudine tales suspendantur, quod etiam dicit Zœsius.

607. Minor est difficultas, quâ pœnâ sit afficiendus, qui impuberem violenter & reluctantem stuptavit. Rejectis variis nec benè fundatis opinionibus, adeoque nec probabilibus, cum communi asserendum est, talem esse pœnâ mortis plectendum. Probatur. A minore ad majus. Nam, ut vidimus, qui violenter stuprat viripotentem, ultimo supplicio punitur. ergo multò magis, qui impuberem. Nam hujusmodi stuprum, experientiâ teste, non raro est conjunctum cum periculo vitæ stupratæ. Confirmatur exinde. quia utique multò majore pœnâ afficiendus est, qui stuprat cum violentia, quàm qui sine violentia: atqui iste punitur damnatione in metallum: & proximus huic pœnæ gradus in Jure est pœna mortis. ergo &c. Sed hæc satis in hac materia, in qua plura investigent alii, quibus lubet. præsertim an requiratur fractura, quod negat Berlichius n. 41. nec malè. quia leges maximè volunt punire violentiam, adeoque conatum.

Terminus motus.

Vide suprà tit. *Limitum translatio.*

Vis publica atque privata.

SVMMARIVM.

608. Qvamvis, ut suprà dixi, omnis violatio pacis publicæ sit etiam vis publica, non tamen econtra. Nam plura requiruntur ad incurrendam pœnam violatæ pacis, quàm vis publicæ, ut ex ibidem dictis liquet.

Loquendo ergo de Vi publica prout minus est, quàm violatio pacis publicæ, ejus differentia à vi privata est, quòd sit vis armis seu armatâ manu illata, vis privata autem sine armis. De vi publica & privata exstant tituli ff. & C. ad leg. Jul. de vi publica & privata, ubi variæ species referuntur.

Accuratiùs distinguit vim publicam & privatam Ant. Perez. Vis publica, inquit, est, quæ cum armis & violentia committitur vel à persona publica, vel in personam publicam, vel quæ violat Jus publicum. Vis privata est, quæ sine armis patratur à privata persona, in privatam, sine Juris publici violatione. Hodie tamen, teste Carpzovio, Vis publica à privata ex armis discernitur.

609. Quod ad pœnam attinet, in Jure Vi publicæ constituta erat pœna deportationis, cum bonorum publicatione. Vi privatæ verò confiscatio tertiæ partis bonorum, quam comitabatur privatio omnium bonorum & dignitatum. Sed hodie ex consuetudine pœna utriusque est arbitraria, nisi concurreret alia species delicti ex suprà recensitis, ut rapina, homicidium, &c. tunc enim hujus specialis criminis, in quo vis tanquã quid generalius, imbibitur, pœna locum haberet: his autem seclusis, poterit Judex pro qualitate delicti infligere pœnam v. g. fustigationis, relegationis, amputationis manûs, pecuniariam; imò, si Perezio credimus, etiam ad ultimum supplicium perveniri potest, quod tamen non cuivis Magistratui competere potest, sed cui jus gladii & Imperium competit.

610. Exempla vis privatæ in allegatis titulis varia referuntur. v. g. si quis ex naufragio dolo quid rapiat, lucrandi scilicet animo: si nautis vim faciat: si convocet homines ad aliquem percutiendum, vel ad aliquid auferendum ex alterius bonis: si quis vi impediat, ne quis in jus producatur: si quis Servum alienum torqueat: si quis aliquem privatâ auctoritate è possessione dejiciat, bona debitoris occupet. &c.

611. Exempla vis publicæ sunt. Si quis turbæ faciendæ causâ consilium ineat, & armatos domi teneat: aut convocatis hominibus armatis vim faciat alicui ad eum pulsandum: si villas expugnet, & armis bona rapiat: si quis aliquid ex incendio rapiat: si quis armis metum incutiat ad aliquid faciendum, aut Justitiam impediat: si quis nova vectigalia exerceat &c. quorum exemplorum Jura non refero, quia facilè per se intelliguntur & hæc & his similia, quale est, si quis armis aggrediatur aut invadat Vigiles nocturnos, vel diurnos, & in excubiis stantes: (quod in Academiis non est infrequens) si quis armis in alterius ædes irruat. Item si quis hostili animo aliquem adoritur, & percutit armis in loco publico seu privilegiato, veluti in castro, palatio Principis, in Curia civitatis:

tis: quales solent quandoque manûs amputatione puniri.

611. Circa manûs amputationem solet dubitari, quænam manus amputanda sit. Et communis habet sententia (nisi vel Jus vel consuetudo aliud habeat) illam esse amputandam, quæ minùs utilis est reo.

Dubitatur ulteriùs: quid si jam unam manum antè amisisset. Aliqui rigidi volunt, nihilominus alteram esse amputandam. Alii distinguunt, an priorem manum ex culpa amiserit, vel sine culpa. & si quidem ex culpa, esse alteram manum quoque amputandam, ne ex suo delicto lucrum reportet. Quæ tamen sententia mihi etiam dura videtur. Nam secundæ manûs amputatio est pœna longè gravior, quàm unius & primæ manûs amputatio, ut per se pateret, & declarari posset in oculis. cùm ergo pro primo delicto manûs amputatio fuerit pœna proportionata, non debet ob secundum delictum majorem pœnam pati quàm alius. Quare verior & mitior, adeoque in re dubia semper Judici suadenda sententia est, tunc abstinendum esse à manûs amputatione, & hanc pœnam in aliam commutandam.

Usura.

De hac plenè actum est in to. 3. tract. 9. de Jure privat. cap. *de Mutuo.*

Atque hæc de Generibus Delictorum, quæ ad Causas Criminales in Foro puniendas spectant, eorumque Pœnis.



R. P. CHRI-



R. P. CHRISTOPHORI HAUNOLDI
E SOCIETATE JESU

CONTROVERSIARUM DE JUDICIIS ET PROCESSU IN CAUSIS CRIMINALIBUS

TRACTATUS III.

DE PROCESSU CRIMINALI.

CAPUT I.

DE PROCESSUS CRIMINALIS OBIECTO ET DIFFERENTIIS.

CONTROVERSIA I.

Quanam Causa seu Delicta ad Processum Criminalem pertineant.

SVMMARIVM.



Tilitas Controversiæ proponitur. 1.
Quando ex crimine civiliter agitur, non nisi largè dicitur Causa criminalis. 2.
Quodnam Judicium dicatur Criminale, inspecto Jure scripto. 3.
Sex modi exercendi Judicium criminale. 4. *& seq.*
An consuetudo immutaverit naturam Judiciorum Criminalium. 6. *& seqq.*

MUltiplex est ntilitas hujus Quæstio-
1. nis. Primò enim, ex eo cognoscere potest Judex; v g. Larrunculator vulgò, Bann-Richter/ seu Judex maleficiorum, quænam causæ ad ipsius Judicium spectent, & e contra, si cui generaliter Causæ Civiles commissæ sunt, quousque se sua Jurisdictio, & cognoscendi potestas extendat, cujusmodi sunt Vicarii Prætorum. Secundò. In Criminalibus plerumque proceditur per capturam, secùs autem in civilibus regulariter. *l. 1. pr. ff. de Quæstionib. In criminibus eruendis quæstio adhiberi solet.* Tertiò. In criminalibus causis non admittitur Procurator, sicut in civilibus etiam illis, quando agitur ad pœnam civilem. *l. 1. pr. ff. de pœnis. Absentem in criminibus damnari non debere D. Trajanus rescripsit.* Quartò. In criminalibus ad condemnationem, ex communi DD. requiruntur regulariter indicia indubitata, imò aliqui DD. apud Jul. Clar. *§. fin. q. 20.* volunt nunquam posse fieri condemnationem ad pœnam corporalem ex indiciis quantumvis indubitatis. Dixi *regulariter.* excipiuntur tamen apud cit. A. crimen hæresis, Assassinii, & Simoniæ, & insuper quando præsumptio est posita à lege tanquam sufficiens ad condemnandum. Secùs est in causis civilibus quando agitur ad pœnam pecuniariam. Quintò. In criminalibus non dimittitur facilè incarceratus, etiamsi cautionem fidejussoriam offerat, in civilibus autem oblatâ cautione fidejussoriâ dimittendus est. *l. 3. ff. de Custodiâ & exhib. reorum.* [Divus Pius rescripsit, non esse in vincula conjiciendum eum, qui fidejussores dare paratus est, nisi si tam grave scelus admisisse eum constet, ut neque fidejussoribus, neque militibus committi debeat: verùm, hanc ipsam carceris pœnam ante supplicium sustinere.] Sextò. In Criminalibus Judiciis repelluntur aliqui testes, (ut constabit ex dicendis,) qui tamen admittuntur in civilibus. Hæc de ntilitate quæstionis; pro cujus resolutione,

2. Observandum est, solere quidem quandoque etiam illam causam vocari Criminalem, in qua agitur ad pœnam civilem, sed esse modum loquendi minùs proprium minusque Juridicum, & valde largum, quatenus omnis cognitio de aliquo crimine potest vocari criminalis, etiam tunc, quando agitur civiliter, sed actione pœnæ persecutoriâ, ut actione furti in duplum vel quadruplum. Hoc animadverso, videndum restat, quid vel de Jure, vel de consuetudine in præsenti quæstione dicendum sit.

3. Dicendum est, inspecto Jure scripto, illud dici Judicium criminale, in quo agitur ad commodum publicum, sive sit imponenda pœna corporalis ad publicam vindictam, sive sit ex delicto imponenda pœna pecuniaria, applicanda fisco. Illud verò erit Judicium Civile, quando agitur ad commodum privatum, etiamsi causa descendat ex delicto. Hæc est communis sententia DD. Ità Interpp. *in §. 10. Inst. de Injuriis.* & exprimitur in *lege 9. §. 5. ff. de Publicanis.* [Quod illicitè publicè privatimque exactum est, cum altero tanto passis injuriam exsolvitur, per vim verò extortum cum pœna tripli restituitur, amplius extra ordinem plectuntur, alterum enim N.B. utilitas privatorum, alterum vigor publicæ disciplinæ postulat.] Hinc si delinquens est pauper, pœna pecuniaria commutatur in corporalem, juxta *l. 1. §. ult. ff. de pœnis.* Qui non in ære habet, luat in corpore.

4. Pro declaratione hujus Conclusionis ponit Julius Clarus sex casus benè notandos. Primus est, quando agitur ad pœnam Ordinariam corporalem, nullâ factâ mentione privati interesse. tunc Judicinm est Criminale, ut per se patet.

Secundus: quando agitur ad pœnam pecuniariam tantùm, fisco applicandam, & tunc etiam est Judicium Criminale, ex communiore sententia, & attentis Juribus.

Tertius: Quando simul cum pœna corporali sive pecuniaria fisco applicanda, proponitur etiam interesse partis offensæ, ut ei pars applicetur, vel agitur ad rei ablatæ restitutionem, ad refusionem expensarum, damnorum &c. & hoc Judicium erit simpliciter dicendum Criminale, si ex natura condemnationis necessariò simul cum pœna publicæ vindictæ venit etiam interesse partis, quia lex vel statutum jubet da utroque

simul

simul pronuntiari. Si verò interesse partis venit tanquam quid separatum, & non de necessitate connexum vigore statuti, tale Judicium posset dici Mixtum. quamvis addat Clarus, in Senatu suo Mediolanensi semper rejici appellationes à condemnatione damnorum vel expensarum litis, sive venirent ex eadem lege, sive ex diversa, sed solummodo admitti revisionem respectu excessûs. quod est signum, quòd tale judicium adhuc sit simpliciter criminale.

5. Quartus casus est, quando solummodo agitur ad Interesse partis, & est Judicium merè Civile, etiamsi causa descendat ex delicto.

Quintus. Quando agitur ad pœnam Extraordinariam, v.g. ad privationem officii, seu beneficii, & nihil applicatur fisco. Et tunc etiam dicitur Judicium civile, (secùs esset, si esset pœna ordinaria.) etiamsi officium esset publicum. sed de hoc dubitari posset, ob communem tamen auctoritatem censet Clarus ità esse tenendum, ut etiam tradit Maranta.

Sextus. Quando agitur per viam Exceptionis, objiciendo testi crimen, non ad effectum, ut puniatur, sed ut ejus testimonium non recipiatur, vel receptum non noceat, & ex hoc non evadit Judicium criminale, sicut evaderet, si proponeretur ad puniendum.

6. Dixi in Conclusione: *Inspecto Jure Scripto*. Nam Carpzovius contendit, hodiernis moribus Causas Criminales esse illas solas, in quibus agitur ad pœnam corporis afflictivam, ut est pœna mortis, fustigatio, manûs amputatio, reliquas verò, quæ ad pœnas leviores, ut mulctam pecuniariam, carcerem, aut relegationem tendunt, esse causas Civiles. Pro qua sua sententia adducit alios AA. Deinde, refert argumenta, quæ Gothofredus Antonius olim objecerat huic sententiæ suo affini Theodoro Reinkingk, Regis Daniæ Cancellario, sed meo Judicio illa sunt satis efficacia, quidquid ea contemnat Carpzovius, qui tandem pro foro Saxonico evincit suum intentum, de quo nobis non est laborandum. De cætero

7. Argumentatur Gothofredus Antonius I. Pœna Infamiæ dicitur Criminalis in pluribus articulis Ord. Criminalis Carolinæ. Atqui hæc non est corporis afflictiva, ut per se patet. ergo datur aliqua pœna criminalis, & per consequens causa criminalis, quæ non agit ad pœnam corporis afflictivam. Quod autem respondet Carpzovius, vocari Criminalem minùs propriè, est impropriare verba sine fundamento.

Secundò. Pœna relegationis etiam non est corporis afflictiva: atqui est criminalis, si ex causa doli, & in publico Judicio, veluti falsi commissi &c. irrogatur. *Ord. Crim. art.* 113.

Tertiò. Pœna privationis dignitatis non est utique corporalis. atqui hæc ex hodierna consuetudine est criminalis, si ex causa publici Judicii infligatur, quia semper conjunctam habet infamiæ pœnam.

Quartò. Pœna confiscationis non est corporis afflictiva, & tamen in Judicio publico irrogata, v.g. ex Lege Julia, de Vi privata, etiam hodierno Jure est criminalis.

Denique confirmat Gothofredus suam sententiam ex Ordinatione Cameræ Imperialis p. 2. *tit.* 28. §. *item postquam.* ibi. *ut deinceps in Causis Criminalibus.* NB. *quæ ad corporalem pœnam tendunt.* quorsum enim opus fuisset istâ restrictione per particulam relativam: *Quæ*: Si omnes Causæ Criminales pœnam criminalem continerent? ulteriùs & adhuc clariùs ex illis ejusdem §. verbis id colligitur. ibi. *ut in Criminalibus causis, etiam corporalem pœnam concernentibus*: nam particula: *etiam*: est implicativa, & ostendit, criminales causas esse etiam alias, quæ nullam corporis pœnam efflagitant.

8. Quibus argumentis meritò cessit Reinkingk, & intulit, etiam leviores pœnas corporali, non per quandam analogiam (ut vult cum suis Saxonibus Carpzovius) & convenientiam, sed propriè criminales esse & appellari. Neque enim verba sunt impropriandа, præsertim toties iterata, & tot locis à legislatore repetita, si non expressè constet, legislatorem aliud voluisse, aut aliud absurdum sequeretur.

Unde tandem infertur, illum cui generaliter Causæ Civiles committuntur judicandæ, non accipere potestatem super hujusmodi causis vindictam pro commodo publico requirentibus per pœnas quæ non sunt corporis afflictivæ; sed solùm super dijudicandis causis in quibus ad privatum esse agitur, quæ est communis Sententia in Conclusione posita.



CONTROVERSIA II.

Quænam Causæ Criminales sint & dicantur in Iure Capitales.

SVMMARIVM.

Publicorum Judiciorum divisio in Capitalia & non Capitalia. 9.
An Deportatio seu Confinatio sit pœna Capitalis. 10.
Pœna sanguinis malè confunditur cum pœna capitali. 11.

9. Publicorum Judiciorum, inquit Paulus *JC. in lege* 2. *ff. de publ. Jud.* quædam Capitalia sunt, quædam non capitalia. Capitalia sunt, ex quibus pœna, mors aut exilium est, hoc est: aquæ & ignis interdictio: per has enim pœnas eximitur caput de civitate. Nam cætera non exilia, sed relegationes propriè dicuntur: tunc enim Civitas retinetur. Non capitalia sunt, ex quibus pecuniaria, aut in corpus aliqua coërcitio pœna est.] ex quo textu clarè etiam confirmatur sententia præcedenti controversiâ contra Carpzovium defensa. Deinde lege 103. ff. de V. S. dicitur. [Licèt *Capitalis* latinè loquentibus omnis causa existimationis videatur, tamen appellatio *Capitalis*, mortis vel amissionis civitatis intelligenda est.]

10. Ex hac doctrina resolvi in superioribus dubium, an, si Statutum aliquod imponat pœnam Capitalem alicui delicto, vel aliquam causam dicat esse Capitalem, an inquam Judex statuto satisfaciat, si decernat pœnam Deportationis, (cui successit hodie Confinatio) quâ quis membrum Reipublicæ esse desinit, & Mediam capitis diminutionem patitur, ut videre est apud Hæppecht. §. 2. *Inst. de Capit. dimin.* & ex communi DD. respondendum est affirmativè, ob textus allatos, & quia in dubio mitior pœna est eligenda: quod tamen limitandum est, nisi ex praxi & consuetudine, vel ex adjunctis legis aut statuti verbis aliud colligeretur. v. g. si dicatur *Pœna Capitis in sensu proprio & recepto*: Videtur accipiendum non de Capite civili (quod est Status hominis in libertate, civitate, & familia consistens) sed de capite naturali, adeoq. de pœna mortis intelligendum puto.

11. Solet à quibusdam hæc eadem divisio Pœnæ, & Causæ Criminalis aliis terminis efferri, quòd alia sit Causa Sanguinis (à quibus dijudicandis Clerici arcentur) & alia, quæ sanguinem non attingit, nempe quæ caput civile aufert, ademptâ Civitate vel libertate. Minima Capitis diminutio, quâ præcisè familia mutatur, huc non pertinet, quia non est pœna, nec capitis amissio, sed potiùs mutatio.

Verùm, in hac divisione videtur confundi pœna Sanguinis cum pœna capitali, quasi inter se converterentur, quod tamen falsum est. Nam imprimis non omnis pœna capitalis est pœna sanguinis, ut patet ex dictis de maxima & media capitis diminutione. Deinde nec econtra omnis pœna sanguinis est capitalis, quidquid dicat Carpzovius q. 102. n. 11. dicens, quòd pœna sanguinis aliud non sit, quàm pœna ultimi supplicii. Hoc inquam non est verum, & est contra communem doctrinam. Nam membri abscissio, est pœna sanguinis, ut tradit Zasius, Vultejus, Sichardus, Gilkenius, Bocerus, Farinacius, Jul. Clarus, & tamen non est pœna capitalis, ut ipse Carpzovius fatetur. Et quamvis citati AA. velint etiam esse capitalem, hoc tamen communiùs alii negant: Et sanè mallem cum his AA. abscissionem manûs vocare capitalem, (quia saltem uni membro mortem infert) quàm negare esse pœnam sanguinis, ut negat Carpzovius.

CONTROVERSIA III.

Quomodo differant Causæ Criminales ex atrocitate Criminis.

SUMMARIUM.

Divisio Delictorum in atrocia & atrocissima. 12.
Quæ sit aliorum Regula cognoscendi, an crimen sit Atrox vel Atrocissimum. 13. *& seq.*
Mens Auctoris. 15.

12. Notandum est. Crimina in Jure alia dici Atrocia, alia Atrocissima, neque fieri tertiam classem *Atrociorum*, sed hæc reduci à plerisque ad atrocia, ut fit in *lege* 7. §. 8. *ff. de Injuriis.* [Atrocem autem injuriam aut personâ, aut tempore, aut re ipsâ fieri Labeo ait. Personâ atrocior injuria fit, ut cùm magistratui, parenti, patrono fiat. Tempore, si ludis (*i. e. in theatro*) & in conspectu. Nam Prætoris in conspectu

an in

an in solitudine injuria fiat, multùm interesse ait, quia atrocior est, quæ in conspectu fiat.] Julius Clarus *lib.* 5. §. 1. *n.* 9. atrociora reducit ad atrocissima. Duæ ergo classes constituuntur, & quæritur, quæ sit Regula discernendi delictum Atrox & Atrocissimum.

13. Utilitas autem hujus Quæstionis est magna. Nam plerumque Statuta (eodem Auctore teste) concedunt Judicibus latiores habenas in atrocissimis, imò ex communi DD. etiam secundùm Jus commune licitum est Judici transgredi jura, quod quidem aliqui restringunt ad hoc, ut solùm in puniendo possit pœnam in jure statutam ex certis causis transgredi; alii tamen etiam volunt hoc licitum esse in procedendo, v. g. perveniendo ad torturam, non habitis adhuc plenè indiciis alioquin requisitis. Hoc posito

Julius Clarus, & cum eo Carpzovius, statuunt hanc regulam. Omnia delicta, pro quibus à Lege vel statuto imponitur simpliciter & nudè pœna mortis naturalis, vel civilis (ut perpetua condemnatio ad triremes, confinatio, vel bannum) dicuntur, gravia, & atrocia. Atrocissima verò dicuntur, pro quibus lex vel statutum imponit pœnam graviorem, quàm simplicis mortis, in ipso genere mortis, puta quia v.g. jubet reos insui culeo: igne comburi: in frusta discindi, Rotâ contundi, ad candam equi trahi: quando extendit pœnam ad filios: &c.

14. Duo possent huic regulæ objici. Primò. Furtum non numeratur inter delicta atrocissima, & tamen videtur puniri pœnâ graviore, quàm simplicis mortis in ipso genere mortis, nempe suspendio, quod est longè gravius decapitatione, aut archibusatione.

Secundò. Regula hæc non declarat discrimen atrocis delicti ab atrocissimo ex natura delicti, & per prædicatum aliquod intrinsecum, sed per aliquid merè extrinsecum & accidentale, quod quidem defacto pro praxi potest esse sufficiens, sed theoria videtur exigere declarationem magis ex natura rei: Non enim ideo delictum est atrocissimum, quia talis pœna imponitur, sed econtra, ideo talis pœna imponitur, quia est atrocissimum: ergo antecedenter ad actualem legem debet inesse discrimen aliquod ipsis generibus delictorum: nam ipsi Legislatores debuerunt habere regulam aliquam, antequam suas leges constituerent.

15. Posset ergo dici, illa delicta esse atrocissima, à quibus, quamvis natura per se ità abhorreat, ut ob hunc solum horrorem rarò fiant, nihilominus etiam ad hanc raritatem magis impediendam necesse sit supplicium mortis speciali modo exasperare. Hujusmodi autem non est furtum, nam à furto Natura non ità abhorret, ut seclusâ pœnâ suspendii nō fieret frequentissimè. De simplici homicidio dici potest, quòd quidem ex naturali quodam vindictæ impetu frequentissimum esset, nisi pœnâ gladii puniretur: hac tamen pœnâ statutâ, jam videtur contra tantam frequentiam esse positum sufficiens frænum, & motivum absterrens. Econtrario se habent Hæresis formalis, Sodomia, Incendiū, Sortilegiū, Falsificatio monetæ, Veneficium, Assassinium, Latrociniū, Sacrilegium, Parricidium, Infanticidium, Læsæ Majestatis, Rebellio, Raptus, & si quod aliud est ex enumeratis præcedente tractatu, à quibus natura adeo abhorret, ut mereantur pœnam acerbiorem, ad hoc ut homines adhuc magis absterreantur, & quantùm interest Reipublicæ, ut quàm rarissimè fiant, alioquin frequentiora futura, nisi acerbiùs punirentur.

CONTROVERSIA IV.

Quotuplex sit Modus procedendi in Criminalibus.

SUMMARIUM.

Duplex modus procedendi. 1. per viam Accusationis. 2. per viam Inquisitionis, ad quam etiam reducitur Denuntiatio. 16.

An etiam Jure Civili approbatus sit Modus Inquisitorius. 17.

Solvuntur argumenta negantium. 18.

16. Si Julio Claro *q.* 1. *n.* 1. *& q.* 18. credimus, in Italia ferè solus Modus procedendi per accusationem in desuetudinem abiit, ejusque loco successit modus querelandi, & Judex supplet quoscunque defectus. In Germania quidem rariùs, nec tamen nunquam procedimr per accusationem, & ideo de hoc procedendi modo multa statuta sunt in Ord. Carolina Criminali. Itaque

Duplex est Modus procedendi, Ordinarius, hoc est per viam Accusationis, & Inquisitorius, seu per viam Inquisitionis. Addunt aliqui tertium, Denuntiatorium, seu per viam Denuntiationis, qui tamen tandem in Inquisitorium resolvitur, nam factâ Denuntiatione Judex procedit ad Inquisitionem: quamvis ex parte denuntiantis aliqua sint specialia, quæ tractantur à Theologis, & in decursu insinuabuntur.

Processus Ordinarius est, In quo contra Reum proceditur secundùm Juris formam, oblatione libelli, litis contestatione solenni &c. Inqui-

quisitorius est, quando nullo existente Accusatore, Judex per viam inquisitionis summariè & de plano procedit, & ex officio adversùs delinquentem inquirit, eique pœnam commeritam imponit. Et quia in defectum Accusationis Inquisitio inventa & instituta est, ne scilicet ex accusatorum defectu delicta maneant impunita, adeo solet etiam vocari Extraordinarius.

17. Dubitatum est. An non solùm in Jure Canonico, (quod extra controversiam est, nam exstat titulus de accusat. & Inquisit.) sed etiam in Jure Civili approbatus sit Processus Inquisitorius. Negârunt aliqui, quos tacito nomine allegat Fachineus *lib.* 1. *cap.* 34. inter quos (non rectè) ponit S. Thomam 22. *q.* 67. *a.* 3. *in Corp.* quod ità summatur. [Non potest in criminibus Judex quemquam judicare, vel condemnare, nisi habeat accusatorem, cùm, ut Justitiæ interpres, non nisi inter duos Justitiam administrare possit.] Verùm, ex responsione ad argumenta nimis clarum est, S. Thomam non accipere accusationem in rigore Juridico, dum ad 2. fatetur, infamiam esse loco Accusatoris, quæ etiam requiritur in Inquisitione. Itaque

Dicendum est cum communi Interpp. etiam in Jure Civili agnitum & approbatum esse Processum Inquisitorium. Probatur. 1. Ex Nov. 128. cap. 21. [Jubemus autem omnes Judices, tam militares quàm civiles, per se requirere eos, qui latrocinia, aut violentias, aut rapinas rerum, aut fæminarum, aut alia qualibet in provinciis illicita committunt, & supplicia eis legitima inferre.]

Secundò, & Jure Digestorum idipsum probatur. Nam *lege* 13. *ff. de Off. Præsidis* ità habetur. [Congruit bono & gravi Præsidi curare, ut pacata atque quieta sit provincia quam regit, quod non difficilè obtinebit, si sollicitè agat, ut malis hominibus provincia careat, eosque conquirat. Nam & sacrilegos latrones, plagiarios, fures conquirere debet, & prout quisque deliquerit, in eum animadvertere.]

Tertiò, ex Jure Codicis *l.* 7. *de accusat.* id clarè habetur. [Ea quidem quæ per officium Præsidibus denuntiantur, & citra solennia NB. accusationum posse perpendi, incognitum non est.]

Quartò, & eleganter in *l.* 1. *C. de Custod. reorum.* [In quacumque causa reo exhibito sive accusator existat, sive eum publicæ sollicitudinis cura produxerit, statim debet quæstio fieri, ut noxius puniatur, innocens absolvatur.]

18. Objiciunt I. Ex lege 6. §. *si quis, ff. de Muner. & honor.* [Si quis accusatorem non habet, non debet honoribus prohiberi, quemadmodum non debet is, cujus accusator destiterit.] ℞. Hoc esse intelligendum, quando ne quidem à fama quis accusatur, nam & fama est instar accusatoris, ut etiam notavit *S. Th. lo. cit. ad* 2. Inquisitio autem non fit nisi præcedente fama vel indiciis, ut dicetur.

Objiciunt II. Per Inquisitionem aliquis sine legitima causa infamatur, & ansa præbetur hominibus, malam existimationem concipiendi de inquisito. ℞. Quinimò Inquisitio præsupponit jam sinistram famam, cui inquisitus causam dedit plerumque. Quodsi in aliquo casu famæ sinistræ vel indiciorum causam nullam dedisset, & ad tempus innocenter ipsius existimatio pateretur apud aliquos; ob hunc rarum eventum non debet universim illicita esse Inquisitio, utpote medium summè necessarium. Sicut ex eo quòd rarò fiat, ut etiam per viam accusationis innocens traducatur, non propterea admittent Adversarii, illicitum esse processum per viam accusationis.

19. Alias Objectiones non refero: nec est operæ pretium litigare pluribus de proposita quæstione, postquam toto terrarum orbe Inquisitorius Processus frequentatur, & in Ord. Carol. art. 214. approbatur, adeo quidem, ut si Judex in inquirendo negligens esset, officio suo non satis faceret, & ideo reprehensibilis esset, imò, ut aliqui volunt, in Syndicatu respondere deberet.

Moventur hic à Theologis aliqua dubia, an & quando detur obligatio accusandi in personis, quæ ex officio publico ad hoc non sunt obligatæ. Illas prætermitto, quia non procedunt de obligatione ex Justitia, sed de obligatione ex Charitate, quæ videri possunt apud Card. de Lugo, & alios ab eodem citatos, & facilè resolvi possunt ex dictis de Obligatione Charitatis in genere.



CA-

CAPUT II.

DE ACCUSATORE, ET ACCUSATIONE.

20. Quamvis videri posset, primo loco agendum esse de Judice & Foro Competente, de hoc tamen statim à principio hujus Tomi actum est. ea verò quæ de Judice in genere tam in causis civilibus quàm criminalibus tractari solent, expedivi Tomo præcedente, tract. 2. Quare, statim ad Personam Accusatoris accedo, per quem principaliter & fundamentaliter differt Processus Ordinarius ab Inquisitorio.

CONTROVERSIA I.

Quænam Personæ ab accusando arceantur, & Exceptione repelli possint.

SUMMARIUM.

Quinam veniant nomine Suorum, quorum injuriam quivis accusando prosequi potest. 21.
Exclusi ab accusando summatim recensentur. eod.
Quousque Clericus non admittatur ad accusandũ. 22.
An hodiernus milites arceantur ab accusando. 23.
An Laicus possit accusare Clericum. eod.
An filius fam: sine consensu Patris possit agere Personam accusatoris. eod.
In quibus criminibus admittatur servus. 24.
In qua ætate admittatur Minorennis. 25.
Quando mulier possit accusare non persequendo suam aut suorum injuriam. 26. *& seq.*
Quando possit Infamis. 28.
An accusare possit qui ipse accusatus est. 29.
Quo Jure admittatur ad accusandum Inimicus. 30.
Quinam ex causa reverentiæ arceantur ab accusando. 31.

21. Observandum est, ex communi DD. neminem ab accusando arceri posse, si suam vel suorum, hoc est, ascendentium, descendentium, patroni, patronæ, & libertorum, fratris, sororis, uxoris, soceri, socrûs, generi, nurûs, vitrici, novercæ, injuriam prosequatur, arg. legis 11. ubi post enumeratos qui non admittuntur, (& de quibus hac controv. dicetur) subjungitur: *Hi tamen omnes, si suam injuriam prosequuntur, mortemvè propinquorum defendant, ab accusatione non excluduntur.* Imò in delictis privatis nemo ad accusandum admittitur, nisi qui suam aut suorum injuriam prosequitur. *gl. in l. fin. ff. de privatis delictis.* nisi agatur ad pœnam fisco applicandam, tunc enim quivis admittitur, ut tradit Farinacius *q. 12. n. 9.*

De reliquo exclusi ab accusando summatim recensentur à Julio Claro *q. 14. n. 1.* Aliqui enim repelluntur propter dignitatem, ut Clericus & Miles: alii propter defectum concernentem statum personæ, ut filiusfam. servus. alii propter defectum ætatis, ut pupillus & minor. alii propter imbellicitatem sexûs, ut mulier. alii propter indignitatem personæ, ut criminosus, infamis, damnatus, excomunicatus &c. alii propter defectum integræ fidei, ut inimicus, pauper: alii propter debitam reverentiam illi qui esset accusandus, ut servi, liberti, vasalli. Verùm, de his est enucleatiùs dicendum. Itaque

22. Quæritur I. Quousque Clericus non admittatur ad accusandum. Rationem dubitandi, & opinandi, quòd universaliter prohibeatur, facit *can. 51. ca. 2. q. 7. Sacerdotes (ut antiquâ tradit auctoritas) criminari non possunt.* Hoc non obstante cum distinctione respondendum est, & Dicen-

fin. *ad L. Jul. de annona.* ibi. [Etsi non solent hoc genus nuntiationis mulieres exercere, tamen quia demonstraturam te, quæ ad utilitatem annonæ pertinent, polliceris, præfectum annonæ docere potes. [*& lege* 13. *ff. de Accusat.* [Mulierem propter publicam utilitatem ad annonam pertinentem audiri à Præfecto annonæ deferentem, Divi Severus & Antoninus rescripserunt.] 3. In accusatione suspecti tutoris. *l.* 1. §. 6. *ff. de Suspecto tut. & sciendum est, quasi publicam esse hanc actionem, hoc est, omnibus patere.* 4. *In* Accusatione falsi testamenti, ut colligit gl. ex *l.* 2. *ff. de Accusat.* ibi. *Sed & de testamento paterni liberti vel materni mulieribus publico Judicio dicere permissum est.* 5. In Crimine hæresis. quia est etiam crimen exceptum, & læsæ Majest. divinæ. *c.* 10. *de hæretic.* & *l.* 4. *C. de hæret.* 6. In crimine Sacrilegii. *l.* 10. *C. de Episc. & Cler.* ibi. [Sitque cunctis laudabile, factas atroces Sacerdotibus aut ministris injurias veluti crimen publicum persequi, ac de talibus reis ultionem mereri.] 7. In crimine Simoniæ, l. 31. eod. ibi. in fine. ad instar publici criminis & læsæ Majestatis accusatione proposita &c.] 8. In dilapidatione bonorum Ecclesiæ, quia est instar criminis læsæ Majest. ut colligitur ex cap. 31. de Simonia. quamvis Decianus putet, hoc solùm procedere, quando interest mulieris, quia scilicet dissipator est ejus Superior. 9. In accusatione occisoris compattis sui, etiamsi non prosequatur suorum injuriam. Ità quidem Farinac. sed Jus non allegat, imò Baldus apud Decianum fatetur se textum nescire, sed Decianus probat ex eo, quia conjunctio spiritualis æquiparatur conjunctioni sanguinis.

27. Quia ergo exceptio firmat regulam in contrarium, hoc ipso quòd in certis causis mulieri conceditur, rectè inde colligitur, in aliis non admitti ad accusandum, nisi suam suorúmque injuriam prosequatur, ut dicitur in can. 1. *ca.* 15. *q.* 3. [De crimine, quod publicorum fuerit Judiciorum, mulieri accusare non permittitur, nisi certis ex causis &c. Unde aditus Præses provinciæ examinabit imprimis, an tale sit crimen, cujus accusationem mulier subire non prohibeatur.] Ex quo textu probatur, quòd Judex mulierem volentem accusare in casu non concesso, etiam parte non opponente, ex officio debeat removere, quamvis non alios, si contra illos non excipiatur, quod benè notandum est.

28. Quæritur VIII. De Infamibus. de quibus est textus in *cap.* 17. *ca.* 6. *q.* 1. ubi in fine leguntur hæc verba: (quamvis in aliquibus exemplaribus expuncta, quia in manuscriptis non leguntur, uno excepto, ut ibi notatur) *Homines* (infames ibi enumerati) *nec ad accusationem seu ad testimonium ullatenus justè possunt recipi.* & *lege* 8. *ff. de Accusat.* ibi. [Itaque prohibentur accusare alii propter sexum vel ætatem, (*de quibus jam dictum*) ut mulier, ut pupillus: alii propter sacramentum, ut qui stipendium merent. &c. alii propter delictum proprium, ut infames.] Hæc quidem per se loquendo vera sunt, recipiunt tamen hanc limitationem, quòd etiam infamis, ex communiore sententia, ad suam suorumque injuriam vindicandam possit accusare, item in criminibus exceptis: ac denique qui tantùm est infamis infamiâ facti, non repellatur in foro civili ab accusatione.

29. Quæritur IX. An accusatus de aliquo crimine, possit admitti ad accusandum. Quæstionem hanc omnium exactissimè resolvit Decianus *lib.* 3. *c.* 24. cum quo ℞. 1. Accusatus, antequam nomen ipsius inter reos receptum est, (de quo infrà) potest accusare suum accusatorem (imò & quemcunque alium) de majore crimine, quàm est illud, de quo ipse est accusatus, (non tamen de pari vel minore, nisi suam suorumque injuriam prosequatur) quia nullibi prohibetur. ℞. II. Post relatum nomen inter reos, potest extraneum adhuc accusare de majori crimine, non de pari aut minore, nisi vel prosequendo suam suorumque injuriam, vel in hunc finem, ut accusatio sit inchoata, sicque interrumpatur præscriptio sen tempus concessum ad accusandum: prosequi tamen non potest, antequam causa absolvatur. *l.* 19. *C. de his qui accusare non possunt.* [Neganda est accusatis, qui non suas suorumque injurias exequuntur, licentia criminandi in pari vel minori crimine, priusquam se crimine, quo premuntur, exuerint: ità tamen, ut & ipsi inscriptiones contra eos etiam pendente accusatione deponere possint.] ℞. 3. Suum tamen accusatorem recriminari non potest, donec absolvatur. *l.* 5. *ff. de publ. Jud.* [Si quis reus factus est, purgare se debet, nec ante potest accusare, quàm fuerit excusatus: constitutionibus enim observatur, ut non relatione criminum, sed innocentiâ reus purgetur.] Posset tamen inchoare accusationem, eamque, post terminatam priorem accusationem, etiamsi in eo Judicio condemnaretur, & fieret infamis, prosequi, ut tradunt interpretes in adductum textum, & habetur *can.* 2. *ca.* 3. *q.* 11. [Neganda est accusatis licentia criminandi, priusquam se crimine, quo premuntur, exuerint, secundùm scita veterum Jurisconsultorum: ità tamen NB. ut & ipsi inscriptiones contra eos etiam pendente accusationa deponere possint.] Item posset per viam Exceptionis tantùm crimen accusatori opponere, quo casu non arctaret Judicem, sed ejus officium imploraret: plures fallentias conclusionis positæ vide apud Decianum, quibus non est immorandum, cùm sint da rarissimè, & fortè nunquam contingentibus.

30. Quæritur X. De Inimicis. De quibus exstant plures textus in Jure Canonico, quo Jure, ut DD. unanimiter tradunt, inimicus capitalis non admittitur ad accusandum. *can.* 3. *ca.* 3. *q.* 5. [Accusatoribus verò inimicis, vel de inimici domo prodeuntibus, vel qui cum inimicis immorantur, aut suspecti sunt, non credatur, ne irati nocere cupiant, ne læsi ulcisci se velint.] Jure Civili non prohibetur, suspectus tamen est, ut ex eo patet, quòd à testimonio dicendo repellatur.

31. Quæritur XI. Quinam ex causa reverentiæ accusare non permittantur illos, quibus debent reverentiam. ℞. 1. Libertus patronum, & à fortiori filius patrem. *l.* 8. *ff. de accus. in fine.* Discipulus præceptorem, servus dominum, Vasallus seniorem. Consanguinei in levibus, non tamen in gravibus admittuntur, nisi in crimine læsæ Majest. aut in prosecutione propriæ injuriæ. De quibus plura videri possunt apud Farinacium, & in foro rarò occurrunt, vel certè ex alio capite modicam habent utilitatem: nam ut monet Jul. Clarus, & approbat Carpzovius n. 45. cùm hodie Judex possit in quovis crimine procedere per Inquisitionem, nunquam ferè disputatur, an accusator sit idoneus nec ne.

32. Quæritur XII. An qui semel ab accusando destitit, vel interrogatus dixit, se nolle accusare, possit deinde accusare. ℞. Negativè. *l.* 2. *ff. ad S. Cons. Turpill. Qui destiterit agere, amplius & accusare prohibetur.* & meritò, nam Jure suo censetur cessisse: & per vulgaria, remittentibus actiones suas, non est dandus regressus.

CONTROVERSIA II.

Quando plures eundem ex eadem causa accusare nituntur, quinam admittantur vel excludantur.

SUMMARIUM.

An accusatus ab uno, possit de eodem delicto accusari ab alio. 33.
Concurrentibus pluribus accusatoribus, Judicis est electio. 34.
Inter conjunctos præferendi sunt proximiores. 35.
Religioso occiso cuinam competat jus accusandi. 36. *& seq.*
An in accusanda nece patris inter conjunctos veniant etiam spurii. 38.

33. Dicendum I. Quando delinquens ab uno jam est accusatus, non potest postea de eodem facto ab alio accusari, nisi in casu *legis* 9. *C. de accusat.* [Qui de crimine publico in accusationem deductus est, ab alio super eodem crimine deferri non potest. Si tamen NB. ex eodem facto plurima crimina nascuntur, & de uno crimine in accusationem fuerit deductus, de altero non prohibetur ab alio deferri. Judex autem super utroque crimine audientiam accommodabit. Nec enim licebit ei separatim de uno crimine sententiam ferre, priusquam plenissima examinatio super altero quoque crimine fiat.] Item quando prior accusator desisteret vel impediretur. *l.* 11. §. 2. *ff. eod.* [Ab alio delatum alius deferre non potest, sed eum qui abolitione publicâ vel privatâ interveniente, aut desistente accusatore de reis exemptus est, alius deferre non prohibetur.]

34. Dicendum II. Concurrentibus pluribus accusatoribus, Judicis est eligere. *l.* 16. *ff. eod.* [Si plures existant, qui reum in publicis Judiciis accusare volunt, Judex eligere debet eum qui accuset, causâ scilicet cognitâ, æstimatis accusatorum personis, vel dignitate, vel ex eo quod interest, vel ætate, vel moribus, vel alia justa de causa.] & hoc, per se loquendo. Nam

35. Dicendum III. Quando plures in diverso gradu conjuncti alicujus injuriam prosequuntur, v. g. alicujus ex sua familia occisi, tunc non Judex eligit, sed de Jure admittendi sunt proximiores, exclusis remotioribus. Ità communiter DD. quamvis Jura quæ ad hunc finem adducit Farinac. & ex eo Carpzov. hoc non dicant. Sed ratio esse videtur, quia propinquiores supponuntur majori fervore prosecuturi injuriam, & eorum etiam magis interest, ob quam causam in accusatione adulterii præfertur maritus patri uxoris, ut habetur *l.* 2. §. 9. *ff. ad L. Jul. de adult.* [Si simul ad accusationem veniant maritus & pater mulieris, quem præferri oporteat, quæritur: & magis est, ut maritus præferatur, nam NB. & propensiore irâ, & majore dolore executurum eum accusationem credendum est: in tantum, ut, etsi pater prævenerit, & libellos inscriptionum deposuerit, marito non negligente, nec retardante, sed accusationem parante, & probationibus instituente ac muniente, ut faciliùs judicantibus de adulterio probetur, idem erit dicendum.] Unde infero, idem esse dicendum de propinquioribus, qui etiamsi essent à remotioribus præventi, tamen ipsi præferendi essent, si non fuerunt negligentes.

36. Ex hac Conclusione inferunt communiter DD. apud Farin. *q.* 13. *n.* 19. quod si Religio-

ligiosus sit interfectus, non Monasterio, sed defuncti seu occisi Religiosi consanguineis, Monasterio excluso, competat Jus accusandi, vel si alicujus Religiosi pater occidatur, non Religioso (qui pro mortuo reputatur) nec Monasterio, sed aliis filiis vel consanguineis defuncti, competat. Verùm, quia hæc Illatio patitur aliquas difficultates, ad eas declinandas

37. Docet Farinacius I. Quòd Religiosus ante factam Professionem (vel religiosa vota) potest accusare, transigere, ac pacem facere, tam de injuria sibi illata, quàm suis. 2. Quòd post facta vota Religiosi non admittatur ad accusandum, quia comparatur Servo: (qui accusare non potest) intellige, nisi accusaret pro Beneficio Ecclesiæ, vel ex consensu Abbatis. 3. Quòd de reliquo præferantur consanguinei excluso Monasterio, quod probat ad longum: sed absque utilitate, nam in tali casu Monasteria non affectant accusationem.

38. Dubitatum est, ân inter consanguineos etiam spurii veniant, ut in accusanda morte patris aliis præferantur. R. Breviter affirmativè, si quidem patrem suum nominent & agnoscant: attenditur enim conjunctio naturalis, quæ eadem est in spurio, ac legitimo.

CONTROVERSIA III.

Quænam personæ accusari non possint.

SUMMARIUM.

Quando possint accusari Magistratus majores. 39.

An absolutus ab unius accusatione, possit de eodem ab alio accusari. 40.

An condemnatus ad pœnam minorem possit iterum accusari, ut puniatur pœnâ ordinariâ. 41.

An absolutus à delicto quoad substantiam, possit denuo accusari de qualitate. 42.

An absolutus vel condemnatus in foro Ecclesiastico, possit iterum accusari in seculari. 43.

An relaxatus sub fidejussione de se præsentando possit iterum accusari. 44.

39. Dicendum I. Magistratus majores quamvis accusari possint propter delictum tempore Magistratûs commissum, vel antè quidem commissum, sed accusatione post magistratum finitum instituendâ, de delicto tamen ante Magistratum commisso, tempore durantis magistratûs accusari non possunt. arg. *l. 12. pr. ff. de accus.* [Hos accusare non licet, legatum Imperatoris, id est Præsidem provinciæ: item legatum provincialem, ejus duntaxat criminis, quod antè commiserit, quàm in legationem venerit. item Magistratum populi Romani, eumque, qui Reipublicæ causâ absfuerit.] & arg. *l. 3. & 4. ff. ad L. Jul. repetund.* [Lege Juliâ repetundarum tenetur, qui cùm aliquam potestatem haberet, pecuniam ob judicandum decernendumvé acceperit, vel quò magis aut minùs quid ex officio faceret.] Ratio esse videtur, quia tempore Magistratûs delinquendo inhonorat ipsam suam dignitatem, & offendit supremum Principem aut Rempublicam, à qua Magistratum accepit, modo speciali, dignus proinde qui etiam durante Magistratu accusari & puniri possit, & ut ex hoc capite frænum habeat, ritè suum munus administrandi.

40. Dicendum II. Qui semel de aliquo crimine accusatus, & absolutus est per Judicis sententiam, de eodem crimine ampliùs accusari non potest; exceptione rei judicatæ securus, nisi fortè magna ex causa, ob quam secundo accusatori non videtur debere nocere, quod inter alios judicatum est, ut habetur *lege 7. §. 2. ff. de accus.* [Iisdem criminibus quibus quis liberatus est, non debet Præses pati eundem accusari. Sed hoc utrum ab eodem, an nec ab alio accusari possit, videndum est. Et puto quoniam res inter alios judicatæ alii non præjudicant, si is qui nunc accusator exstitit, suum dolorem persequatur, doceatque, ignorâsse se, accusationem ab alio institutam, magna ex causa admitti eum ad accusationem debere.] Et lege 9. *C. eodem* dicitur absolutè. *Qui de crimine publico in accusationem deductus est, ab alio super eodem crimine deferri non potest.* Circa hoc tamen

41. Dubitatur I. An si accusatus fuit quidem condemnatus, sed non ad pœnam ordinariam, sed ad minorem, possit iterum accusari, ut puniatur pœnâ ordinariâ. R. Ex mente DD. tunc posse, quando illa minor pœna fuit ideo imposita, quia Judex ille non habebat Jurisdictionem ad imponendam pœnam ordinariam, vel si (quod non facilè præsumitur) fuisset aliqua collusio facta. Non tamen, si potuit imponere pœnam ordinariam, nec collusio aut fraus intercessit: tunc enim habetur à pœna ordinaria pro absoluto, etiamsi constaret, quòd ille Judex non voluerit facere gratiam, adhuc enim ipsius sententia transit in rem judicatam.

42. Dubitatur II. An absolutus à delicto simpliciter seu quoad substantiam in judicium deducto, sine ulla qualitate, possit postea mo-

molestari & accusari de aliqua qualitate aggravante illud delictum. v. g. fuit absolutus ab accusatione stupri, & postea aliquis vult accusare de stupro eodem, quòd fuerit violentum. ℞. Si nova qualitas proponatur ante latam sententiam, etiamsi post nomen inter reos receptum seu litis contestationem, tunc super hujusmodi qualitate procedendum est, & secunda accusatio tanquam gravior & præjudicialis, & comprehendens omnes circumstantias delicti est præferenda. Si verò nova qualitas proponatur post sententiam & absolutionem vel condemnationem secutam, tunc aliqui distinguunt. Si enim qualitas diversificat delictum, ità ut inducat delictum genere diversum, v.g. absolutus de homicidio imputatur de parricidio, potest iterum accusari, quia tunc non est qualitas propriè, sed diversum delictum. Secùs si non diversificat, esto pœnam illius augeat. Ità cum quibusdam aliis Farinacius: quod posterius clarum quidem est, quando fuit absolutus in priori judicio, nam qui simpliciter absolvitur & pronuntiatur, quòd non commiserit stuprum, quomodo, stante hac sententiâ, poterit prætendi, fuisse stuprum violentum, cùm non entis nullæ sint qualitates? Sed quando est condemnatus; profectò Farinacii opinio est difficilis, & mihi contrarium verius videtur.

43. Dubitatur III. An in delicto Mixti fori absolutus vel condemnatus in foro Ecclesiastico, possit iterum accusari in foro Sæculari. ℞. Si absolutus est non præcisè ab observatione Judicii, (nam hæc absolutio non impedit novam accusationem, cujuscunque fori fuerit) sed tanquam innocens, tunc non potest iterum accusari in ullo foro, ut patet ex dictis. Difficultas ergo solùm est de condemnato, & tunc diversis modis pro diversitate condemnationis respondendum est. Primò enim si solùm punitus est aliquâ pœnâ extraordinariâ medicinali, seu monitoriâ, ut excommunicationis, tunc apud omnes certum est, posse in sæculari foro iterum puniri pœnâ ordinariâ. Idem dicendum, si pœna Ecclesiastica fuit solùm præparatoria, ut est degradatio, in hũc finem, ut tradatur potestati sæculari. Deinde etiamsi fuerit punitus pœnâ aliquâ aliâ, si tamen delictum est tale, ut pœna illi competens non possit ab Ecclesiastico Judice infligi, adeoque pœna illa non est ordinaria simpliciter, sed tantùm ordinaria respectu talis fori, tunc potest reus iterum à Judice sæculari capi, & puniri. *arg. cap. 5. de pœnis in 6.* quod quidem loquitur specialiter de offendente Cardinalem, sed est eadẽ ratio de aliis, & ità practicatur, sed cum hac observatione, ut non puniatur reus ultra condignum, quod fieret, si à secundo judice puniretur pœnâ ordinariâ, & tamen priùs jam fuisset punitus pœnâ extraordinariâ. Debet enim prior pœna quantùm fieri potest secundùm moralem æstimationem computari in secunda; in quo Judicis prudentiâ opus est.

44. Dicendum III. Si quis non quidem absolutus, sed relaxatus sub fidejussione de se præsentando fuerit, poterit iterum molestari, si nova indicia, & quidem prægnantia, ac ad torturam sufficientia apparuerint. Ratio est, quia hæc absolutio est instar absolutionis ab observatione judicii præcisè, qualis etiam est absolutio illius qui indicia purgavit per torturam, quamvis hoc ipsum multi DD. negent, velintque talem esse definitivè absolvendum; sed hoc tandem arbitrio Judicis relinquendum monet Farinacius, considerando, an sit aliqua spes deprehendendi nova indicia necne; sed de hoc iterum infrà, quando agetur de tortura.

CONTROVERSIA IV.

An possit Judex aliquando judicare in causa Criminali ipsum Judicem tanquam læsum concernente.

SVMMARIVM.

R*Esolutio Quæstionis in titulo positæ.* 45.
An in tali casu Judex judicet in propria causa. eod.

45. DIcendum est, posse Judicem seu Magistratum crimẽ adversùs seipsum commissum quà Magistratum aut Judicem agit, vindicare & punire. Ità Carpzovius *p. 3. q. 104. n. 66.* allegans communem praxin, præsertim si crimen notorium sit, & accusatione non egeat, & pœna ad Reipublicæ vindictam, non ad privatam tendat. Ratio est, quia talis punitio est Magistratûs ipsius, ejusque dignitatis & auctoritatis defensio, & nimis incommodum esset, si Magistratus alium Judicem adire deberet. Unde & lege 1. *ff. Si quis jus dicenti &c.* dicitur: *Omnibus Magistratibus secundùm jus potestatis suæ concessum est, jurisdictionem suam defendere.*

Objici posset id quod triti Juris est, neminem in causa propria Judicem esse posse. ℞. Negando suppositum, quòd nempe in tali casu judicet in propria causa; judicat enim in causa Reipublicæ, ne Respublica impunè lædatur, & ideo

in

in tali casu consideratur illius persona quasi extranea. Sicut ergo non obstante quòd accusator sit membrum Reipublicæ, potest tamen causam agere Reipublicæ, ità etiam hic numero Judex etiamsi sit membrum Reipublicæ, potest tamen nomine & auctoritate Reipublicæ vindicare delictum commissum in se, ut gerentem publicam Reipublicæ personam; neque opus est aliâ distinctione inter Judicem & læsum. Imò Deus vindicat delicta in se ut supremum dominum commissa, ubi inter Judicem & læsum nulla intercedit distinctio.

CONTROVERSIA V.

An, & quatenus admittatur in Judicio Criminali Procurator.

§. I.

De Procuratore Accusatoris.

SUMMARIUM.

Accusantis Universitatis Syndicus admittitur. 46.
Inspecto Jure nemo alieno nomine accusare potest. 47.
Benè tamen hodiernis moribus. 48.
De Jure Canonico adhuc requiritur Inscriptio ad pœnam talionis. eod.
An accusatus possit se per procuratorem defendere. 49.
An absentis procurator admittatur ad defendendum quoad merita causæ. 50.
An ad opponendas Exceptiones declinatorias. 51.
An in Judiciis tendentibus ad pœnam pecuniariam. 52.
Ad quot actus admittatur procurator præsentis. 53.
Solvuntur argumenta contraria. 54. *& seqq.*
An aliquando rejici possit accusatio legitimè facta. 57.

46. Dicendum I. Si aliqua Universitas accusat, admittitur ejus Syndicus ad accusandum. *l. 1. §. 1. ff. Quod cujusque Universitatis nomine &c.* [Quibus autem permissum est, corpus habere collegii, societatis, sive cujusque alteriùs, eorum nomine: proprium est ad exemplum Reipublicæ habere res communes, arcam communem, & actorem sive syndicum, per quē tanquam in Republica, quod communiter agi fierique oporteat, agatur fiat.] Ratio est, quia non apparet alius modus, quo Universitas litigare possit, quàm per procuratorem, non enim omnes convenire, & coram Judice comparere poterunt. Unde idem dicendum est, quando Universitas accusatur, ut per Procuratorem respondere possit.

47. Dicendum II. Inspecto Jure Civili nemo alieno nomine & tanquam procurator accusare potest, quando agitur ad pœnam relegatione majorem: (quod benè addit Andreas Gail *l. 1. de pace pub. c. 10.*) Sed observatur *lex 13. §. 1. ff. de publ. Jud.* [Ad crimen Judicii publici persequendum frustrà procurator intervenit, multoque magis ad defendendum, sed excusationes absentium ex Senatusconsulto Judicibus allegantur, & si justam rationem habeant, sententia differtur.] *l. 16. C. ad L. Corn. de falsis.* ibi. *Quamvis ità per procuratorem accusationem persequi non potes.* Ratio ità statuendi tunc erat. Quia tunc accusator compellebatur ad inscriptionem, hoc est ad pœnam talionis subeundam, si delictum non probaret. *l. 7. pr. ff. de Accusat.* [Si cui crimen objiciatur, præcedere debet in crimen subscriptio, quæ res ad id inventa est, ne facilè quis prosiliat ad accusationem, cùm sciat, inultam sibi accusationem non futuram.] Et clariùs in *l. fin. C. eod.* ibi. Sed quisquis ille est, qui crimen intendit, in judicium veniat, custodiæ similitudinem (habitâ tamen dignitatis æstimatione) patiatur, nec impunitam fore noverit licentiam mentiendi, cùm calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii.] Jam si posset accusatio fieri per procuratorem, non caderet pœna in procuratorem condemnatum, & accusator esset absens, & sic multi possent impunè calumniari. Et hæc quidem Jure Civili.

48. Dicendum tamen est III. Hodiernis moribus in quavis causa criminali admittitur Accusatoris procurator ad accusandum, & accusationem prosequendam. Ità supponitur in Ord. Crimin. Carol. art. 12. ibi. *quamprimum accusatus in custodiam positus est, accusator, vel ipsius procurator &c.* Ratio est, quia cessante causâ dispositionis, cessat dispositio: atqui inscriptio ad pœnam talionis hodie cessat, & ab aula recessit. Ergo &c. Hodie ergo accusator deficiens solummodo condemnatur in sumptus, & mulctam pecuniariam, si in accusando defecerit. Et ex *S. C. Turpill.* in quinque libras auri, si ab accusando desistat. Notat etiam Corvinus, quòd an accusator bonâ fide accusaverit, Judex inquirit: Et si quidem justum ejus errorem repererit, eum absolvit, si verò in evidenti calumnia de-

prehendit, legitimam pœnam irrogat. Et hac ratione pulchrum moderamen adhibitum est, ut neque inscriptionis periculo homines ab accusando amplius absterreantur, neque tamen calumniandi licentia fiat.

Cæterùm, in foro Ecclesiastico & de Jure Canonico adhuc requiri inscriptionem ad pœnam talionis, tradit Clarus *q. 12. n. 18.*

§. II.

De Procuratore Accusati.

49. AN Accusatus possit se per Procuratorem quoad merita causæ defendere? Si Juris textus inspicias, intricata quæstio est, eo quòd aliqui affirmare, alii negare videantur, ut ex postea referendis apparebit. Quibus Interpretes varias conciliationes adhibuerunt, sed non satis feliciter, ut videre est apud Fachineum *lib. 1. c. 24.* qui aliorum conciliationibus rejectis, ipse sic conciliari posse existimat, quòd jura, quæ dicunt posse admitti procuratorem, loquantur de tali accusato, qui non potest in auditorio comparere; ea verò quæ negant admittendum esse procuratorem, sint intelligenda de accusato, qui potest esse præsens in auditorio.

Hæc conciliatio mihi difficilis est, ob textum paulò antè relatum, ex lege 13. §. 1. *ff. de publ. Jud.* ubi dicitur: [Sed excusationes NB. absentium Judicibus allegantur, & si justam rationem habeant, sententia differtur.] Ergo verba præcedentia, negantia procuratorem absenti, sunt intelligenda, quoad merita causæ, nam solùm ad excusandam absentiam dicitur admitti procurator. Deinde obstat *lex 11. §. 2. ff. ad L. Jul. de adult.* ubi dicitur. *Ea quæ inter reas adulterii recepta esset, absens defendi non potest.* Respondet quidem Fachineus ex Cujacio, Adulterium tunc temporis non fuisse crimen capitale: adeoque illam legem non obstare, quominus in capitalibus possit absens per procuratorem defendi. Verùm, si in non capitalibus non admittitur procurator, meo judicio, multò minùs in capitalibus, nam rationes potissimùm militant in criminibus capitalibus, nempe, quia sententia potest reddi illusoria, quia reus nõ detinetur, & in procuratorem non datur executio: Deinde quia præsentia rei requiritur, ut ex vultu, propriisque responsionibus appareant indicia reddentia ipsum suspectum &c. Itaque

50. Dicendum videtur I. Et generaliter. In causis criminalibus Rei absentis, procurator seu defensor ad merita causæ tractanda non admittitur. Ità communior sententia, secundùm quam etiam Scabini pronuntiàrunt. Probatur I. ex textu *legis penult. ff. de publ. Judic. §. 1.* jam antè relato. Ad quem ab adversariis non sufficienter responderi, jam ostendi.

Probatur II. In criminalibus absens condemnari non potest. *l. 5. pr. ff. de pœnis.* Atqui posset absens condemnari, si posset per procuratorem defendi: nam procurator ipse condemnari in sua persona non potest, quia innocens est. Ergo &c.

Probatur III. Si admitteretur Procurator loco absentis, deberet ipse cautionem præstare, judicio sisti, & judicatum solvi: atqui in criminalibus ad aliam quàm pecuniariam pœnam tendentibus, non potest hæc cautio à procuratore præstari, ut patet. Major suo loco probata est, & ratio est, quia alioquin talia Judicia possent frustratoria reddi. Ergo &c.

Omitto alias rationes adductas à Carpzovio, quæ non probant intentum, sed solummodo, quòd bonum sit, reum esse præsentem, & quòd rationabiliter posset lex ferri, ut non admittatur procurator. Nempe quia potest Judex multa colligere ex vultu, trepidatione, variatione, tergiversatione &c. item quòd ipsius rei intersit esse præsentem, qui diligentiùs suam causam defendet. item quia si non admittatur procurator, homines magis absterrebuntur. item, quia causæ hoc modo citiùs expediuntur, nam Procuratorum vitio & astutia protelantur.

51. Dicendum II. Non solùm ad absentiam excusandam admittitur absentis procurator, (per Jura allegata) sed etiam ad opponendas Exceptiones declinatorias Judicii, v. g. quòd Judex sit suspectus, aut dilatorias, ut petendo salvum conductum, vel de nullitate processûs, vel contra Accusatoris personam. Ratio est, quia in his non militat ratio, cur non admittatur ad defendenda causæ merita.

52. Dicendum III. In publicis Judiciis non tendentibus ad pœnam corporis afflictivam, sed solam pecuniariam, potest admitti procurator. Ratio est, quia in tali casu potest cautio præstari, judicatum solvi. item potest executio fieri in bonis rei etiam absentis: denique quia in levioribus criminibus non est ità durè procedendum, cùm causis civilibus sint similiores, adeo ut multi DD. tales vocent Causas Civiles, ut suprà retuli.

53. Dicendum IV. Quando Reus est in Judicio præsens, tunc permittitur, ut illi assistat Procurator, non quidem ad respondendum accusationi vel inquisitioni, & ad interrogationes à Judice factas (nam reus ipse personaliter respondere debet) sed ad alios actus, v. g. ad respon-

ſponſionem à reo datam concipiendam formaliter in ſcripto, ad opponendas exceptiones, ad producenda capitula, ad reum, uno verbo, inſtruendum & conſilio juvandum: quæ non ſunt propria Procuratoris prout hic differt ab Advocato, nec ad hæc opus eſt, ut fiat dominus litis. Nunc ad argumenta contrariæ ſententiæ reſpondendum.

54. Objiciunt ergo I. *Lex 33. §. 2. ff. de Procurat.* [Publicè utile eſt, abſentes à quibuscunque defendi; nam & in capitalibus Judiciis defenſio datur. Ubicunque abſens quis damnari poteſt, ibi quemvis verba pro eo facientem, & innocentiam excuſantem audiri æquum eſt.] item *lex 3. C. de Accuſationib.* [Reos capitalium criminum abſentes etiam per procuratorem defendi leges publicorum judiciorum permittunt.] ℞. Has leges eſſe interpretandas per illas leges ad quas ſe referunt ultima verba, nempe quæ extant in titulo Digeſtorum de publicis Judiciis, & ſunt lex 10. & 13. ex quibus conſtat eſſe ſermonem de defendendo accuſato abſente ſolùm per excuſationem abſentiæ, nempe ne vel ejus bona annotentur, fortè fiſco applicanda, vel ne (poſt litem conteſtatam) contumax declaretur, quæ eſt utique propriè defenſio. lex 10. ſic habet. [Inter accuſatorem & reum cognitione ſuſceptâ NB. excuſatio pro abſente juſtis rationibus admittitur.] & lex 13. §. 1. jam ſuprà eſt relata. [Ad crimen Judicii publici NB. fruſtra procurator intervenit, multòque magis ad defendendum: ſed NB. excuſationes abſentium &c.] Adde, quòd lex ab adverſariis primo loco allata à multis corrigatur, ut pro *Innocentia* legatur ∴ *Abſentia*. Innocentia enim non dicitur excuſari, ſed debet probari. Abſentia autem excuſatur.

55. Objicitur II. *Ex lege 28. ff. de appellat.* ad quam duplex eſt reſponſio. 1. Quòd inde ad ſummum probetur, poſſe pro reo condemnato appellationem ab alio interponi, quod eſt probabile, de quo infrà. Secunda reſponſio eſt, quòd ſolùm probet, poſſe dominum (cujus intereſt) appellare pro ſervo, ſicut poteſt tutor aut curator defendere cauſam ſui pupilli, quod utique licet. Lex ità habet. [Lucius Titius pro ſervo ſuo, qui ad beſtias, datus eſt, provocationem interpoſuit, quæro an hujusmodi appellationis cauſas per procuratorem reddere poſſit. Modeſtinus reſpondit, poſſe.] & ratio eſt, quia ſervus tenebatur: & ſi dominus per Procuratorem proſecutus appellationem ſuccumberet, poterat prior ſententia executioni mandari, ſicut ſi nunquam appellatum eſſet: ergo non eſt periculum, quòd Judicium reddetur illuſorium.

56. Objicitur III. Quidquid ſit de Jure ſcripto, quia tamen, ut dictum eſt §. præcedente, hodiernis moribus licet accuſatori agere per procuratorem, debet hoc ipſum etiam licere accuſato per regulam: actori non licere, quod reo non permittitur, ſed pari jure gaudere debere. *l. 41. ff. de R. J.* Accedit, quòd in multis benigniùs agitur cum reo, quàm cum actore, per vulgaria; quòd potiùs favendum ſit Reo. ℞. Negando paritatem. Nam ideo accuſatori permittitur procurator, quia hodie ceſſat cauſa negandi, nempe in ſcriptio, ut ibidem dictum eſt. Atqui in Reo non ceſſat hodie cauſa negandi procuratorem, quia adhuc intereſt Reipublicæ, judicia non reddi illuſoria, ſed delicta competenti pœnâ puniri. Regula itaque intelligenda eſt de illis, in quibus eſt par ratio. Ad Confirmationem optimè reſpondet Carpzovius, non in omnibus faveri reo præ actore, ſed ſolùm in certis caſibus, maximè in deciſione cauſæ, ut in dubio abſolvatur reus potiùs, quàm condemnetur in favorem actoris, item in pœnis dictandis, in re dubia potiùs mitior pœna dictanda eſt. Econtra in præparatoriis Judiciorum potiùs favetur actori quàm reo, ut exemplis oſtendit Gail *lib. 1. obſ. 22. n. 4. in medio.*

CONTROVERSIA VI.

An aliquando poſſit à Iudice Accuſatio cæteroquin legitimè facta non admitti.

57. Dicendum breviter cum Petro de Aragon *q. 68. a. 3.* & Card. de Lugo *diſp. 37. ſ. n. 74.* Principem ſupremum poſſe accuſationem non acceptare, & etiam acceptatam reſcindere, quando id ad bonum commune judicaverit expedire, procurando, ut accuſatori aliter ſatisfiat, ſi accuſat ob proprium intereſſe: deinde Judicem inferiorem poſſe reſcindere non ſolùm accuſationes vitioſas, ſed etiam aliàs quæ non ad intereſſe accuſatoris, ſed ad bonum commune primariò ordinantur, non quidem de jure, ſicut Princeps, ſed per Epiikeiam, quando certum eſt, accuſationem noxiam fore bono communi, v.g. ob periculum proximum & moraliter certum ſecuturæ ſeditionis aut publicarum turbarum ob conditionem perſonæ accuſandæ. Ratio eſt, quia in tali caſu ceſſat finis accuſationis, cùm, ut ſupponitur, plùs mali quàm boni ex tali admiſſa accuſatione ſequeretur in Republica, cujus bono invigilare Judex ex officio debet.

CA-

CAPUT III.

DE FORMA PROCESSUS ORDINARII.

58. IN processu Criminali observatur pleraq; quæ in Processu Judicii Civilis, & ideo remitto lectorem ad Tomum præcedentem, ubi ea, quæ utrique Processui cōmunia sunt, expedivi: specialibus in Processu Criminali ordinario huc reservatis.

CONTROVERSIA I.

Quænam in Accusationis libello proponenda & exprimenda sint.

SUMMARIUM.

Recensentur septem exprimenda regulariter in libello. 59.
Duplex est accusatio. prior quæ durat per processum. posterior in fine Iudicii. 60.
Ratio, cur illa septem sint exprimenda. 61.
Cur dies non sit exprimendus. 62.
Quid si reus petat assignari diem commissi delicti. eod.
Quid si Accusator diem assignatum non possit probare. eod.
An in libello accusationis ponenda Conclusio. 63.
Ordinatio Carolina informans accusatorem in secunda accusatione. 64.
Formula primordialis accusationis in causa injuriarum. 65.
An Accusator possit in libello ponere indicia commissi delicti. 66.
An Accusatori detur regressus ad indicia & præsumptiones probandas, delicto non probato. 67.
Posità Qualitate, & non probatà, an reus absolvendus. 68.
Qualitate aut delicto non inserto, si deinde probetur, an ideo reus condemnandus in pœnam talis qualitatis vel delicti. 69.

59. IN libello accusatorio rectè formando magna cautelâ & diligenti animadversione opus esse monent communiter DD. ne eo ineptè formato, Reus ab accusatione absolvatur cum damno accusatoris & Reipublicæ.

Dicendum est, in Accusatorio libello regulariter exprimenda esse sequentia. 1. Nomen accusatoris. 2. Accusati. 3. Judicis coram quo fit accusatio. 4. Narratio maleficii commissi cum gravitatis explicatione. 5. Circa quam personam (si est relativum, ut adulterium, homicidium &c.) 6. Locus in quo commissum. Tempus quo est commissum. Ità colligitur ex lege 3. *ff. de accusat.* Ubi formula talis ponitur. [Apud illum Prætorem, vel Proconsulem Lucius Titius professus est, se Mæviam lege Juliâ de adulterio Ream deferre: quòd dicat, eam cum Cajo Sejo in civitate illa, domo illius, mense illo, Consulibus illis, adulterium commisisse. Utique enim & locus designandus est, in quo adulterium commissum est, & persona, cum qua admissum dicitur, & Mensis. Hoc enim lege Juliâ publicorum cavetur, & generaliter præcipitur omnibus, qui reum aliquem deferunt. Neque autem diem, neque horam invitus comprehendet.] Pro declaratione hujus legis.

60. Notandum est ex Casparo Manzio, in *art. 89. Carol. Ordin. Criminalis* duplicem esse accusationem, unam, quæ fit ab initio Judicii, & continuatur per totum processum. Alteram verò, quæ fit post processum jam absolutum in fine

sine Judicii in illo solenni Judicum consessu, quando reo ultimus dies capitalis est designatus, quando mox sententia, jam antè concepta, publicanda, & executioni danda est. De priore loquitur adducta lex, de posteriore verò Ordinatio Carolina loco cit. de qua postea. Nunc circa priorem

61. Ratio cur nomen Judicis sit exprimendum, est hæc, ut sciatur, an Judex competens sit necne, & locus sit exceptioni contra Judicem. Ratio, cur nomen accusatoris, & accusati, ut habeatur notitia earum personarum, an sint legitimæ, hoc est, an accusare & accusari possint. Ratio, cur Species criminis ejúsque gravitas exprimenda sit, quia absque hoc non potest ferri certa sententia quoad pœnam, & ejus gravitatem, exasperationem, vel mitigationem. Ratio, cur tempus & locus, quia debet reus pro sua defensione posse probare negativam, quod non posset, nisi esset coarctata, (alioquin enim negationes probari non possunt, ut suo loco dictum.) v.g. debet illi integrum esse probare per testes, se tali tempore fuisse alibi, non fuisse in tali loco &c. & in hoc est notabile discrimen inter accusationem, & actionem famosam civiliter institutam, nam in hac, si omittatur tempus & locus, & adversarius non opponet, non vitiatur libellus, at verò in criminali vitiatur accusatio, & est ipso Jure nulla, etiamsi non opponatur de tempore & loco omisso, ut tradunt Julius Clarus, & cum eo Gaill *lib. 1. obs. 64. n. 9.*

62. Quæres: cur non etiam sit exprimendus dies. R. Regulariter esset valde difficile, recordari semper diei, sicut & horæ. imò si accusator diem exprimeret quidem, sed non probaret, non propterea esset absolvendus reus, sicut esset absolvendus, & ejus nominis abolitio facienda, si alia substantialia, & enarrata non probarentur.

Sed quid si accusatus petat assignari diem, eo quòd fortè dies posset esse talis, quo factum non esset punibile, vel certè mitiùs puniendum. R. In tali casu diem esse exprimendum, quia interest accusati, ob rationem adductam, & quia fortè reus se poterit defendere, probando, quòd illo die non fuerit in tali loco. Quod si accusator dicat, se non ampliùs recordari diei, & hoc habet aliquam credibilitatem, standum est ejus assertioni; (donéc contrarium probetur.) ità tamen ut juramento confirmet. Quia verò contingere solet, ut accusatus inutiliter petat & malitiosè, assignari diem, ideo tenent DD. (ut videre est apud Guazzinum) quòd Judicis arbitrio sit relinquendum, an ad instantiam accusati sit urgendus accusator ut diem assignet; & ità practicatur Romæ.

Quid si accusator assignavit diem, sed eum nō potest probare, an tunc succumbet, non obstante, quòd testes deponant de crimine? Affirmat Bartolus, & Augustinus de Angelis, ac Bertrandus, asserentes esse communem in praxi. Sed Julius Clarus *q. 12. n. 14.* meritò tenet, hoc solùm procedere in casu quo dies determinatus esset de substantia delicti, v.g. quia statutum prohibet tali die aliquid fieri. Si tamen factum haberet eandem rationem delicti, sive hoc sive illo die sit perpetratum, tunc etiamsi dies assignatus non probaretur, reus non esset absolvendus: securius tamen est, ut adjiciatur clausula salutaris: *Non se adstringendo.*

63. Quæres, an in hoc libello requiratur etiam, ut ponatur conclusio, & petenda pœna. Respondet Carpzovius *q. 106. n. 14.* affirmativè. addit tamen, sufficere, ut in genere fiat mentio saltem pœnæ legalis, & ut delictum puniatur officio Judicis ex legis præscripto, cujus auctoritati reservatur pœnæ perlocutio. Alii tamen simpliciter negant, requiri conclusionem. & rationem reddit Julius Clarus, ac ex eo Menzius, cur in Civilibus, non item in Criminalibus requiratur conclusio: quia in civilibus pars potest diversis modis concludendo libellum concipere, ut diversis modis sequi possit sententia. In Criminalibus verò ex narratione facti oritur certa Juris dispositio, quæ pro eo delicto pœnam imponit, quæ ex diversitate concludendi variari non potest. Isti tamen AA. tandem idem dicunt quod Carpzovius, dum requirunt, ut libellus ità concludatur: *Quare peto reum puniri juxta formam Juris & statutorum.* Vel similibus: ut: Peto mihi super his omnibus & singulis justitiam administrari: delictum ex justitiæ debito severè plecti, ut alii deterreantur. &c. Et hæc de primordiali accusatione.

64. De secunda accusatione solenni, quæ fit reo præsente compedito, in conspectu Judicis, Assessorum, & totius populi, ab eo, qui vel à primo accusatore, vel à Magistratu ex officio constitus, & quandoque ex ipso gremio Assessorum desumptus, loquitur Ordinatio Carolina art. 89. eúmque informat, quomodo accusationem instituere debeat, his vel similibus verbis. [Domine Ju[illegible]: Accusator A. accusationem instituit cont[illegible] Malefactorem B. in hoc Judicio præsentem &c. ob delictum C. prout hæc accusatio jam antè in Judicium deducta fuit: & petit, ut omnia acta & actitata juxta Caroli V. Imperatoris, Sacrique Imperii Romani Ordinationem criminalem jam antè legitimè & sufficienter discussa, diligenter examinetis, reúmque de isto maleficio convictum, ultimâ sententiâ, quemadmodum ex debito Justitiæ & ordine Judiciorum fieri debét, condignâ pœnâ afficiatis.] Quod si Accusator malit scripto facere accusationem, sufficiet, si eâ exhibitâ dicat: [Domine Judex, rogo & peto, ut per Actuarium vestrum accusato-

ris petitionem ex hac schedula vobis insinuata publicè recitari curetis.] Quia verò Causidici solent suas formulas elegantiùs & pleniùs concipere, ideo ejusmodi formulam exhibet Manzius ex Mezgero, in causa Incestûs. [Coram vobis, Domine Judex, cæterique DD. Assessores propono contra Sempronium, qui præsens coram Tribunali vestro sistitur, sequentem accusationem criminalem, dicendo. Quamvis detestabile crimen Incestûs omni Jure, Divino, Naturali, Positivo, præsertim verò Caroli V. & S. Romani Imperii Sanctione criminali, sub gravissima pœna prohibitum, ac proinde in eos, qui se huic crimini obnoxios reddunt, severissimè animadvertendum sit, multò magis quando hoc enorme delictum à conjugatis committitur: quamvis etiam quilibet pater, juxta præscriptum omnium Juriū obstrictus sit, suos tam naturales, & ex se genitos liberos, quàm privignos ad omnem honestatem educare, ac proinde ab omni crimine vel maleficio dehortari, & delinquentes debito modo corripere: hoc tamen non obstante Sempronius coram vobis accusatus, tam parùm hoc observavit, ut se cum privigna sua N. sæpiùs carnaliter comīscuerit, atque Incestum comīserit. Cùm antè istud scandalosum & grave delictum in exemplum aliorum minimè impunitum manere debeat, ideo à vobis, Domine Judex, cæterique DD. Assessores, instanter peto de jure pronuntiari, & declarari, quòd prædictus Sempronius in hoc Incestu committendo graviter peccaverit, ac proinde juxta tenorem Imperialium Constitutionum, præsertim verò juxta Carolinam, condignè puniri debeat.] Et hæc de secunda Accusatione, de qua tamen admodum pauci AA. mentionem faciunt, fortè quia non est in usu: imò Jure Bavarico sublata *tit. 6. Ord. Process. Crim. a. 4.* Sed in Ord. Carol. art. 88. tolerata, & alicubi adhuc practicari solita, ut iterum infrà dicam.

65. Lubet nunc addere formulam Primordialis accusationis in causa Injuriarum ex Emerico Rosbach. quæ in foro frequentiùs occurrit. [Coràm vobis, venerabili viro D. N. Judice &c. ponit, & in vestra curia asserit, & in jure proponit N N. Accusator contra M. [illegible] malæ fidei Notarium ejusdem curiæ, Reum [illegible]cens in medio, & proponens dictus Accusator contra dictum Reum, quòd dictus Reus malitiosè & injuriosè, & animo injuriandi & conviciandi, in præsentia plurium honestarum personarum, in curia præsenti vobis prædicto D. Judici N. pro tribunali sedente & jus reddente & dicente, vocavit dictum Accusatorem Falsarium, Lenonem, Furem, & Latronem: & non contentus de præmissis, sed mala malis augmentando, prædictus reus irruit contra accusatorem cum suo gladio seu pugione evaginato, & cum eo dictum accusatorem in maxilla ejus dextra percussit, & atrociter vulneravit: & ipsum interfecisset, nisi per circumstantes prohibitus fuisset, & suum posse fecit, occidendo eundem. Quas injurias tam verbales, quàm reales, illico ipsis dictis & factis dictus accusator ad suum animum revocavit, & adhuc revocat, & nollet ipsas sibi fuisse factas & dictas per dictum Reum in loco prædicto, & in præsentia tot bonarum & ingenuarum personarum pro centum libris M. S. R. T. F. imò plùs, vellet dictas 100. libras de suo patrimonio amisisse, & eas tanti æstimat, salvâ judiciali taxatione. Unde cùm dictus reus dictam emendam & satisfactionem eidem accusatori facere omiserit, & omittat, & indebitè recuset, petit & requirit dictus Accusator prædictū reum ad dandum & solvendum dictas 100. libras pro satisfactione & emenda dictarum injuriarum, vel in id, quod vestrâ judiciali taxatione declarandum & judicandum seu æstimandum dixeritis, finaliter condemnari, & condemnatum compelli per vos antè dictum D. Judicem NN. in omnibus, justitiâ mediante. Et prædicta petit etiam unà cum expensis pro hac lite factis & faciendis: item solenniter protestatur & petit, ut in hisce omnibus & in alijs, in quibus decet, ut oportet, vestrum officium nobile interponatis, haud astringens se ad ea duntaxat probanda, quæ prædixit, sed & ea quæ præsumpta vel confessata sibi sufficienter videbuntur ad suum propositum consequendum. Cui petitioni petit per partem adversam responderi coram vobis &c.]

66. Quæritur nunc I. An Accusator possit in libello ponere indicia commissi delicti, in hunc finem, ut libelli petitio evadat alternativa, nempe ut reus pro delicto puniatur, casu quo sufficienter probatum fuerit, vel si non, ut probatis indiciis torqueatur. R. Cùm Carpzovio affirmativè. Nam licèt hujus formulæ & positionis nec in Carolina, nec in Jure civili *l. 3. ff. de accusat.* mentio fiat, ea tamen non prohibetur, & ut patet, suam habet utilitatem.

67. Quæritur tamen II. An, si Accusator in libello omisit indicia, detur illi regressus ad indicia & præsumptiones probandas, casu quo delictum non probavit. Ratio dubitandi est, quia regula generalis est, Actore non probante Reum esse absolvendum. R. Tamen, hanc regulam procedere in causis civilibus, quæ non sunt tanti præjudicii, non in criminalibus, in quibus expedit, omni modo veritatem delictorum manifestam fieri, reosque ad aliorum terrorem puniri. Itaque dicendum (cum Reusnero & Carpzovio) accusatore in probatione criminis succumbente, concedendum illi esse, ut ad indicia, præsumptiones, & conjecturas confugiat, in hunc finē, ut illis probatis reus torqueatur ad eruendam confessionem, si quidem talia indicia allegentur, quæ probata sufficiant ad torquendum,

De

De quibus indiciis infrà pluribus agendum erit. Ratio à priori est. Quia non obstante, quòd actor non probaverit, potest tamen Judex ex novis indiciis supervenientibus inquisitorio processu uti: ergo accusator probando indicia poterit Judicem ab Inquisitione sublevare, & ad torturam viam aperire. Et ità, teste Reusnero, etiam olim à Collegio Jurisconsultorum Ingolstadiensium & Tubingensium, ac denique à Scabinis judicatum est.

68. Quæritur III. Si in libello est expressa aliqua Qualitas delicti, quæ deinde non est probata, an propterea reus sit absolvendus. Multi affirmant. Æquè multi, & meo judicio rectiùs negant, & dicunt esse condemnandum secundùm probata. Ratio est, quia alioquin maneret delictum aliquod verè probatum impunitum; Ergo non minùs debet delictum puniri, quàm puniretur, si Judex per Inquisitionem cognovisset substantiam delicti, non cognitâ ejus qualitate. Cæterùm, ad majorem securitatem solent in libello apponi clausulæ salutares: *super quibus omnibus & singulis &c.* item: *non se adstringens.* item. *salvo jure:* item: *omni meliore modo.* Quæ clausulæ si essent omissæ, non dubito quin tanquam subintellectæ deberent ex officio Judicis suppleri, quia accusatori competit jus eas addendi. Sed hinc

69. Quæritur IV. Si in accusatione aliqua qualitas, vel etiam delictum aliquod, non fuit deducta aut deductum, & tamen postea in processu fuit talis qualitas probata, an debeat reus condemnari, etiam in pœnam ordinariam talis qualitatis. Negant aliqui. Sed communis, & in praxi observata sententia, est affirmativa, ut tradit Gomez de *delictis c. 11. n. 8.* Ratio est, quia in processu criminali, in odium delinquentium, non requiritur scrupulosè, ut sententia sit conformis libello: unde etiam quando accusator peteret certam pœnam, potest Judex aliam, quam Juri conformem videt, decernere, ut suprà dictum. Unde etiam crederem dicendum, quòd ea, quæ traduntur de libelli emendatione (de qua priori tomo actum) non ità scrupulosè sint observanda in processu Criminali, ex eo fundamento, quia accusatio potest suppleri per inquisitionem, quæ ratio cessat in civilibus.

CONTROVERSIA II.

Qualem Cautionem, loco Inscriptionis ad pœnam Talionis, hodie accusator præstare, & quomodo satisdare debeat.

SVMMARIVM.

Quid circa quæstionem tituli constitutum sit in Ordinatione Carolina. 70. *& seqq.*

An Reus absolutus habeat actionem adversùs accusatorem, si probabilem accusandi causam habuit. 74.

Quidsi Accusator non inveniat fidejussores, nec habeat alium modum præstandi satisdationem, quæ loco inscriptionis requiritur in Carolina. 75.

Accusator debet cavere, de lite usque ad finem prosequenda, etiamsi reus crimen confessus esset, aut esset notorium. eod.

70. ORdinatio Carolina art. 12. statuit, quòd, postquam reus est incarceratus (de qua incarceratione infrà) accusator vel ejus procurator aut mandatarius etiam custodiæ tradendus, & tamdiu corporaliter in custodia detinendus sit, donec cautionem fidejussoriam præstiterit in eam summam, quam Judex cum quatuor Assessoribus pro gravitate causæ, & qualitate utriusque, tam accusatoris quàm accusati sufficientem esse æstimaverit: sicque accusator custodiam non minùs quàm reus pati debet, donec de expensis, & injuriæ nomine per fidejussores idoneè caverit. Quod etiam est conforme Juri communi. *l. 3. C. Qui accusare non poss.* [Qui crimen publicum instituere properant, non aliter ad hoc admittantur, nisi priùs inscriptionis pagina præcesserit, & fidejussor de exercenda lite adhibitus fuerit.] Et *l. 7. §. 1. ff. de accusat. Cavent itaque singuli, quòd crimen objiciant, & præterea perseveraturos se in crimine usque ad sententiam.* Corrigitur tamen Jus commune in hoc, quòd Jure tam civili (*l. fin. C. de accusat. sup. relata*) quàm jure Can. (*cap. quisquis 2. q. 8. c. fin. 3. q. 9.*) debuerit accusator stare in carceribus, donec causa per sententiam terminaretur, vi Carolinæ autem solùm tamdiu, donec prædictam cautionem præstiterit, & rationabiliter, ne Accusatores horrore carceris absterreantur ab accusatione, ob quam causam inscriptio ad pœnam talionis sublata est.

71. Subjungitur deinde in Carolina, ad quæ se cautio extendat. Nempe, quòd si litem ad finem usque non prosecutus fuerit, aut accusationem ad exitum non perduxerit, aut in probatione defecerit, crimen objectum, vel ejus legitima indicia & præsumptiones seu conjecturas intra tempus à Judice assignandum non ità sufficienter probaverit, ut major pars Assessorum acquiesceret, & pro sufficiente judicaret, vel aliàs in causa deficeret, aut succumberet; tunc omnes expensas in eam rem ab accusato factas refundere, & reo ratione injuriæ & damni satisfacere velit. Nam sicut in civilibus actor Eremoditium contrahens, hoc est à Judicio cœpto desistens, litem amittit, sic in criminalibus ab accusatione desistens fit tergiversator, & ex Senatûs Consulto Turpill. (de quo suprà) puniri & exerceri potest.

72. Pergit Carolina, & assignat Judicem coram quo accusator ab accusato absoluto conveniendus est ratione & vi præstitæ cautionis ad obtinendam emendam seu reparationem. Nempe, ut in arbitrio accusati sit, accusatorem coram ipsius Judice Ordinario, vel (si is est alius) coram eodem Judice apud quem causa criminalis agitata fuit, convenire, & quidem summariè & de plano procedere, sublata omni potestate appellandi accusatori. Et meritò, quia petitur executio illius, de quo cautum est, ab executione autem non appellatur.

73. Censet tamen Casparus Manzius, (& est rationi consentaneum ex eo etiam capite, ne alioquin homines ab accusando absterreantur, imò & convenit Carolinæ Ordin. art. 201. & art. 166. ubi ponitur pulchrum exemplum) quòd sicut in civilibus Victus victori ad expensas non tenetur, si justam litigandi causam habuit, ut tradit Gail. *l.1.ob.* 152. *n.* 3. *&* 6. ità in criminalibus absoluto Reo actio contra Accusatorem denegetur, si accusator justam & probabilem accusandi causam habuit. Ratio mihi videtur efficax. Nam cautio solùm requiritur ex ea causa (ut habetur in lege. 7. cit.) ut absterreantur homines à calumniando, & temerè ac malitiosè accusando: atqui hæc ratio cessat in eo, qui ex probabilibus argumentis & bonâ fide accusavit: & expedit Reipublicæ, esse homines, qui accusent ex probabilibus argumentis. Ergo non debet contra talem dari actio: & si Judex actorem admitteret, & accusatorem condemnaret, posset appellare: quia appellatio non est prohibita nisi temerè litiganti: sicut quando Jura negant alicui Exceptiones, sunt intelligenda de frivolis exceptionibus. Porrò, Guazzinus defens. 3. c. 13. refert vigintiquinque modos liberandi accusatorem à pœna calumniæ. Sed ipse tandem fatetur, ad Judicis arbitrium spectare, an habuerit probabilem rationem accusandi.

74. Satisdationem accusatoris expositam non solùm requirit Ordinatio Carolina, quando Reus negat factum delicti accusati, v.g. quando negat se occidisse, se rem alienam attrectâsse, sed etiam quando fatetur quidem factum, sed excipiendo se defendit, & dicit, se occidisse cum moderamine inculpatæ tutelæ, se rem alienam accepisse propter inevitabilem necessitatem, in qua jus naturale vult omnia esse communia, & tamen accusator instat, & offert se ad contrarium probandum, adhuc enim cavere debet.

75. Sed quid si accusator non inveniat fidejussores, nec habeat alium modum præstandi satisdationem? Ordinatione Carol. art. 14. statuitur, quòd debeat juxta qualitatem personæ & rei vel causæ usque ad finem processûs vel carceri, vel custodiæ mandari: quod tamen aliqui restringunt, nempe, quamdiu delictum vel indicia urgentia non probaverit.

Denique art. 15. jubetur accusator etiam tunc, quando reus crimen fatetur, vel in se notorium & innegabile est, cavere, quòd velit litem usque ad sententiam prosequi: nempe ne fortè vana ex causa desistat, & crimen maneat impunitum. Verùm, in Notorio posset utique Judex etiam absque Accusatore procedere? ità est: sed fortè non faceret.

CONTROVERSIA III.

De Litis Contestatione ab Accusato facienda, & Responsione reddenda.

SUMMARIUM.

76. Reus

76. Reus legitimè citatus (de qua citatione actum est to. præced.) vel comparet: vel non comparet: si non comparet, quomodo contra eum procedendum sit, & quâ pœnâ afficiendus sit contumax, infrà dicetur, agendo de Banno. Si verò reus in Judicio comparet, (sive sponte, sive per capturam, de qua infrà) exigenda est ab eo litis contestatio, (de qua etiam in superioribus actum est.) Nisi velit opponere Exceptiones declinatorias vel dilatorias, quæ ante litis contestationem opponendæ sunt: quæ verò illæ sint, in cap. de Exceptionibus abundè declaratum est.

Exceptiones Peremptoriæ possunt & solent cum ipsa litis contestatione opponi, quamvis reus ad hoc non teneatur, sed sufficiat, si eas ante sententiam opponat, quousque illas sibi in litis contestatione reservare potest.

77. Deinde requiritur à Reo, ut ad singula puncta & membra accusationis respondeat, ità ut Judici constare possit, quid accusatori sit probandum. Unde notant benè DD. quòd sicut Juramentum debet habere tres Comites, Justitiam, Judicium, & Veritatem, ità & Responsio Rei ad articulos accusationis tres debeat habere Qualitates, nempe ut sit ad rem pertinens, absoluta, & clara. Quodsi accusatus in uno horum deficiat, vel impertinentia respondendo, vel conditionatè & per ambages, vel obscurè, urgendus est à Judice per sententiam interlocutoriam, ut aliter respondeat, clarè, in specie, affirmando, vel negando: *Ità*, vel, Non. Hinc

78. Quæritur I. Si Accusatus renuat respondere, vel non velit respondere præcisè, hoc est, absolutè, clarè & categoricè, an habendus sit pro confesso, & possit condemnari: vel si hoc non: quomodo cum illo sit procedendum. Ad hanc Quæstionem admodum præcisè, hoc est, jejunè respondet Carpzovius *q. 106. n. 74.* his verbis. [Placuit Scabinis, hoc casu denuò litis contestationem illi imponere, additâ clausulâ comminatoriâ, quòd si in contumacia non respondendi perseveret, pro confesso & convicto haberi debeat. Cujus clausulæ effectus hic non est, ut Reus pro confesso & convicto habitus statim condemnetur, nam in Criminalibus ex præsumpta & ficta confessione Reus ad mortem non condemnandus est *rd. fin. C. de probat. l. absentem. de pœnis. c. 14. de præsumpt.* sed præsumpta hæc confessio indicium tantumodo facit ad torturam, adeoque Reum hoc casu pro confesso habitum torturæ subjici posse ad eruendam veritatem, non dubito. Secùs enim si diceremus, quilibet delinquens litem contestari recusando pœnam effugere, Judiciumque elusorium reddere posset.] Ità quidem Carpzovius: à quo quæri posset cur non fiat potiùs comminatio clara & rotunda adhibendæ torturæ, quàm ut verbis æquivocis & simulanter dicatur, habendum pro confesso. Pleniùs ergo rem indagando,

79. Non defuerunt graves DD. qui judicârunt, posse talem haberi pro convicto & confesso, & etiam condemnari. Ità Milleus, & Casso. in tit. de torment. *c. 3. n. 2.* & alii apud Scaccia *lib. 1. cap. 86. n. 49.* qui adducit Auctoritatem Bruti, qui quosdam reos, eò quòd interrogati non responderunt, statim condemnavit, ut refert Plutarchus.

Hæc tamen sententia non est in praxi tuta: nam ad condemnandum reum in gravibus delictis, requiruntur probationes luce meridianâ clariores, & ideo communissima est sententia, talem reum, universim loquendo non posse ob contumaciam in non respondendo condemnari.

80. Itaque Sigismundus Scaccias respondet distinguendo. Aut sumus in delictis gravibus, pro quibus venit imponenda pœna corporalis: aut in delictis levibus, pro quibus non imponitur. Si in gravibus, concludit, reum posse torqueri pro responsione habenda; & ità servavit Consilium Neapol. & Senatus Mediol. & in terris Ecclesiæ. Et quia ista tortura non datur (ut volebat Carpzovius) ad eruendam veritatem, sed solùm responsionem, ideo poterit dari etiam non præcedentibus indiciis, ut cum Baldo tradit Jul. Clarus. Debet autem esse tortura levis, major tamen aut minor, secundùm quod magis vel minùs verisimiliter debet reus recordari, si diceret, se non recordari: vel si nullo modo vellet respondere, secundùm quod id de quo interrogatur magis vel minùs est substantialiter delicto annexum. Aliqui dicunt, non debere excedere quartam partem horæ, sed Scaccia relinquit hoc arbitrio Judicis, quem monet, ut protestetur expressè, quòd torqueat illum non ad eruendam veritatem, sed responsionem, citra præjudicium eorum, de quibus jam esset convictus vel confessus.

Si verò sumus in his, in quibus pœna corporalis non imponitur, potest reus cogi ad respondendum, vel indictâ mulctâ pecuniariâ, vel captis pignoribus, præmissis tamen, ut aliqui volunt, trinis monitionibus.

81. Quæres I. Quænam in specie, & exempli causâ, sint responsiones non præcisæ, & non admittendæ. ℞. à DD. has afferri, si dicat: *Credo.* vel. *Non credo.* *Non recordor.* *Nescio.* Nisi ex circumstantiis esset responsio probabilis. Verùm, apud Germanos verbum *Credo*, solet in Judicio haberi pro confesso, ut patet ex formulis respondendi apud Rosbach *tit. 3. c. 1.*

Quæres II. Si Reus petat dilationem ad respondendum affirmativè, vel negativè, an sit concedenda. ℞. Negativè, ut tradit Clarus, Farinacius, Guazzinus & alii, quia dolò petit, cùm statim respondere possit.

Quæres III. An, antequam deveniatur ad torturam, debeat constare de corpore delicti. Responsio communis est affirmativa. Puto tamen hoc pendere à locorum consuetudine, vel Judicis arbitrio. Non enim video rationem, cur non teneatur legitimè interrogatus respondere, etiam antequam constet de corpore delicti, cùm in multis, ut quæ fiunt occultè, non possit constare, de quo cap. seq. contr. 3.

82. Cæterùm, Guazzinus insinuat n. 7. aliam praxin in hoc negotio, quam dicit, se semper observâsse. Nempe nolenti respondere poterit Judex dicere, quòd hanc ipsius taciturnitatem velit connumerare inter indicia super delicto vel negotio principali, quæ tandem sufficient ad torquendum ad eruendam veritatem. Nam, ut ipse benè monet, tortura ad eruendam responsionem, cùm, ut dictum est, debeat esse levis, per eam non erit satis consultum Justitiæ: quid si enim eam perferat? numquid processus vulnerabitur? hoc sanè absurdum foret.

83. Et hæc de Processu Ordinario per Accusationem dicta sufficiant. Nam cætera sunt communia Processui in Civilibus, de quo to. 1. hoc tamen excepto (de quo infrà) quòd in causis criminalibus etiam post publicationem processûs & attestationum, & conclusionem in causa, tam in ordinario, quàm inquisitorio processu, non tantùm Judicis officio, sed & ad rei instantiam, pro ipsius defensione, in favorem innocentiæ, novi testes produci & examinari possint, & aliæ novæ probationes recipi. *l. 18. §. 9. ff. de Quæstionib.* ibi. [Quamvis defensionem quocunque tempore, postulante reo, negari non oportet, adeo ut propterea & differantur, & proferantur custodiæ.]

CAPUT IV.

DE FORMA PROCESSUS INQUISITORII.

CONTROVERSIA I.

Quid, & Quotuplex sit Inquisitio.

SUMMARIUM.

Inquisitionis definitio. 84.
Divisio ejusdem in Generalem & Specialem. 85.
Praxis instituendi Inquisitionem utramque. 86.
Ad Inquisitionem Generalem instituendam sufficiunt levia indicia. 87.

84. INQUISITIO definitur. Delicti informatio Judicis Officio & auctoritate facta. Vel: Legitima Judicis ex officio procedentis super delicto informatio. Consistit ergo Inquisitio, formaliter non, ut aliqui putârunt apud Julium Clarum, in transmissione inquisitionis ad reum, sed in primo actu, quo Judex contra reum procedit; qui consistit in assumendis de delicto informationibus, & non in aliis actibus subsequentibus.

85. Dividitur Inquisitio in Generalem & Specialem. Generalis est, quæ incerto adhuc delicto vel delinquente per Judicem fit generaliter se informando, an verè delictum perpetratum sit, & quisnam illud commiserit. De hujusmodi generali Inquisitione loquitur Innoc. 211. in cap. 25. de accusat. [Sicut olim à SS. PP. noscitur institutum, Metropolitani singulis annis cum suis Suffraganeis Provincialia non omittant Concilia celebrare: in quibus de corrigendis excessibus, & moribus reformandis, præsertim in

Clero

Clero diligentem habeant cum Dei timore tractatum. &c.] Et lex 13. pr. *ff. de Off. Præsid.* ibi, *ſi ſollicitè agat, ut malis hominibus provincia careat, eoſque conquirat.* Ad hoc membrum reducitur illa Inquiſitio, quam Damhouderus & alii Generaliſſimam vocant, quâ inquiritur ſuper ſtatu alicujus civitatis, arcis, Caſtri, vel loci. Huc etiam revocari debet, quâ inquiritur in certum aliquod genus delicti & delinquentium, ut, an in civitate ſint aliqua ſcorta, per quæ Juventus ſcholaſtica corrumpatur. Denique etiam huc revocatur illa, quam aliqui vocant Mixtam, ex ſpeciali & generali, quando ſe generalitas tenet ex parte perſonæ, & ſpecialitas ex parte delicti, v.g. quando inquiritur an Titius ſit occiſus, ut fama fert, & à quonam, quando necdum ullius particularis fama laborat. Vel econtra, quando laborat fama perſonæ particularis, & inquiritur in genus delicti, an commiſſum ſit, v.g. an Titius Judex falſa Judicia exerceat. Sanchez *lib. 6. Conſiliorum c. 3. dub. 16.* vocat Specialem. Sed meliùs

Specialis Inquiſitio eſt, (de qua in præſenti capite agitur) quæ ſit per Judicem contra particularem perſonam, de cujus delicto jam Curia notitiam habet, vel quâ in delicti modum & auctorem, perſonam certam, in inquiſitione generali ſuſpicionibus gravatam, in ſpecie Judex inquirit. Ità Carpzovius. Breviùs alii: quâ inquiritur de aliquo delicto in particulari, an à Titio ſit commiſſum.

86. Praxis ergò ſic habet, teſte Carpz. n. 19. Si Judici non liquet, an & à quo certò delictum commiſſum ſit, inſtituitur ab eo Generalis Inquiſitio, per informationis aſſumptionem generalem, ex depoſitione teſtium ſummaria, abſque Juramento, ſuper ipſum factum, perſonas, famam, aliaſque circumſtantias & qualitates. Quæ Inquiſitio eſt quaſi præparatoria ad inveniendum delictum & delicti auctorem, de quo Curia nondum habet notitiam. Quodſi poſtea ex inquiſitione generali Judex tū de delicto tum de auctore delicti notitiam aliquam conſecutus eſt, (intellige adhuc dubiam) ſolet adverſùs illam perſonam ſingulariter & in ſpecie ex officio inquirere, ne maleficium hoc ei ſit impune. Et hæc deinde eſt ſpecialis Inquiſitio, & nō convenit niſi habenti Merum Imperium, cū illa generalis conveniat etiam inferiori Magiſtratui habenti ſolam baſſam Juriſdictionem, quamque quilibet Judex facere poteſt, ut ait Berlichius *in ſuis aureis deciſ.* 110. & plerumque ab his non ſolet fieri niſi in levibus delictis. Quodſi præter intentionem aperiantur gravia delicta, ea debet inferior denuntiare ſuperiori, ut in ea inquirat, & animadvertere poſſit.

87. Illud adhuc obſervandum eſt, ad Inquiſitionem generalem ſpectare, ut Judex acquirat aliquam non temerariam ſuſpicionem, non ſolùm de corpore delicti, ſed etiam de perſona delinquente, ut magis infrà declarabitur. Unde fit, quòd per ſe loquendo generalis inquiſitio præcedat ſpecialem, nam ad generalem inſtituendam (cùm ea non tendat ad puniendum, ſed ſolùm ad comparandum fundamentum ſpecialiter inquirendi) ſufficiunt levia indicia, fundantia probabilem aliquam ſuſpicionem de delicto commiſſo, de quo debet eſſe moraliter certus Judex, antequam ad Inquiſitionem ſpecialem perveniat.

CONTROVERSIA II.

Quanam ſint Requiſita ad Inquiſitionem legitimè perſiciendam.

SVMMARIVM.

Ad Inquiſitionem ritè inſtituendam requiritur, ut ſaltem in genere conſtet de corpore delicti, niſi ſit facti tranſeuntis. 88.

Hodie non requiritur Accuſator, cùm ſit Ordinarium remedium. 89.

Referuntur cætera Requiſita. 90. *& ſeqq.*

Referuntur Requiſita in Inquiſitione ipſa obſervanda. 93.

88. Diſtinguendum eſt inter Requiſita, ſeu Prærequiſita ad Inquiſitionem ritè inſtituendam, & inter requiſita quæ in ipſa Inquiſitione ſunt obſervanda. Priorum Carpzovius ſolùm recenſet tria. Sed Farinacius decem, quæ lubet hìc ſummatim referre, nam ſpeciales eorum difficultates commodiùs poſtea expedientur.

Primum Requiſitum eſt. Ut ſaltem in genere conſtet de corpore delicti. arg. *l. 1. §. 24. ff. ad S. C. Syllanian. Item illud ſciendum eſt n. 1. niſi conſtet aliquem eſſe occiſum, non haberi de familia quæſtionem, liquere igitur debet, ſcelere interemptum.* Niſi delictum eſſet facti tranſeuntis, nulla veſtigia poſt ſe relinquentis, ut eſt adulterium, nam tunc ſufficeret querela, ut notat Julius Clarus. q. 4.

89. Secundum requiſitum (quod tamen hodie non eſt in uſu, ut jam ſuprà dictum) Ut interveniat accuſator; quod ideò hodie ceſſat, quia Inquiſitio non eſt ampliùs remedium extraordinarium, ſed ordinarium, quod etiam notavit Proſper Fagnanus in cap. *Qualiter & Quando* 2. n. 19. in fine. Unde neque hodie ampliùs neceſſe eſt, ut ante Inquiſitionem certus offen-

offensus, vel ejus propinqui, quibus Jus est suam suorumque injuriam persequi. An autem possit processus Ordinarius seu per accusationem cumulari cum Inquisitorio, est quæstio parùm utilis, & de Jure communi affirmat Clarus & Nicolaus Reiffner, quos refutat Carpzovius in favorem sui Juris Saxonici, de quo nobis non est curandum.

90. Tertium Requisitum. Ut Inquisitio sit certa, specifica, & clara, continens in se omnes delicti qualitates & circumstantias, taliter, ut reo defensio non tollatur. Verùm, hoc requisitum potiùs observandum est in Inquisitione præsupponente Accusationem, quæ debet habere illas qualitates, ut suprà dictum.

Quartum Requisitū. Ut præcedant Indicia, de quibus infrà erit tractandū. Neque hoc requisitum est universale pro omni Inquisitione, ut patebit ex dicendis.

Quintum Requisitum. Ut præcedat fama. De quo, an sit universale, infrà videbimus.

Sextum Requisitum. Ut ille, contra quem Judex vult inquirere de certo delicto, non fuerit aliàs de eodem absolutus: nam semel absolutum ampliùs molestari non debere, suprà declaratum est, agendo de iis qui accusari non possunt.

91. Septimum Requisitum. Ut Inquisitio fiat à Judice competente, & est ille ipse coram quo possit institui accusatio, de quo actum tract. 1. hujus tomi & præced. quod tamen limitationem recipit, nisi in causa civili coram Judice causæ civilis de crimine incidente ageretur, v. g. de crimine falsi à teste commissi, de quo etiam aliquid superiùs me dixisse memini, & videri potest Menoch. de arbitr. q. 91. lib. 1. & Farinac. hic n. 59.

Octavum requisitum. Ut non sint elapsi anni, quibus suprà diximus delictorum accusationem præscribi: quamvis non desint, qui negent Officium Judicis præscribi nisi spatio longissimi temporis, hoc est. 30. annorum.

92. Nonum Requisitum. Ut inquirendus sit præsens, hoc est, ejus copia haberi possit. Nam contra absentem, nisi per contumaciam absens sit, de jure procedi non potest. Sed consuetudo habet contrarium teste Claro; non tamen ubique, sicut nec in Foro Saxonico teste Carpzovio, nisi in levioribus, si reus habeat patrimonium, tunc enim contumax & fugitivus pro convicto habitus in mulctam pecuniariam condemnatur, applicandam Fisco.

Decimum Requisitum. Ut non supervenerit nova qualitas aggravans, v. g. mors vulnerati, tunc enim cessat Inquisitio de vulnere: sed hoc requisitum non est universale, cujus limitationes vide apud Faria.

93. Requisita secundi generis, hoc est, in ipsa Inquisitione observanda, non traduntur in Jure, sed ex locorum consuetudine pendent. In Saxonia (& fortè in pluribus aliis provinciis) sunt hæc, & hoc ordine peraguntur.

Primò, instituitur generalis inquisitio de corpore delicti, & ut Judex ex indiciis certus fiat, in quam determinatam personam inquirere debeat: quibus habitis capitur & incarceratur Reus, ne processus inquisitorius eludatur. Postea formantur articuli Inquisitionales, & annotantur responsiones ab inquisito redditæ, ut constet an reus crimen fateatur, vel si neget, ut probationi locus detur. Itaque negante reo delictum, Judex testes sub juramento producit. Quibus peractis, crimineque vel indiciis ad torturam sufficientibus probatis, confrontatio testium cum inquisito fieri debet, admissâ rei defensione, ejusq; deductione & probatione. Deniq; transmittuntur Acta Inquisitionalia ad Collegiū Jurisperitorum, eorúmque Consilium desuper imploratur, & quæ à Scabinis judicata fuerint, tum ratione condemnationis, tum ratione juramenti purgatorii, vel etiam torturæ, strictè exequenda sunt. Et hæc ex Carpzovio annotata possunt & extra Saxoniam pro Instructione Judicibus deservire. Nunc omnia magis in specie discutienda.

CONTROVERSIA III.

Quando & quatenus debeat constare de corpore delicti.

SVMMARIVM.

Doctorum inconstans loquendi modus refertur. 94.

Tres gradus Notitiæ circa delicta, de quibus certò constare potest. 95.

Ad primam indagationem & capturam sufficiunt probabilia indicia. 96.

Ad torturam sufficiunt minus evidentia indicia, quàm ad condemnationem, quæ tamen sint moraliter certa. 97. & seq.

Confessio & convicto non est infligenda pœna ordinaria mortis, nisi constet de corpore delicti, saltem per testes. 99.

Potest tamen infligi ordinaria, si non sit pœna mortis. 100.

94. HAnc Quæstionem magnâ confusione tractant DD. utentes terminis adeo æqui-

æquivocis, ut lectorem non solùm perplexum reddant, sed etiam in erronea judicia facilè abducant, dum sæpè dicunt, debere Judici certò constare de corpore delicti, & hoc pronuntiant universaliter, cùm tamen sint delicta, quæ nunquam possunt in se, & seclusâ confessione rei, certò constare, utpote quæ sunt facta in occulto, & nullum post se vestigium relinquunt, v.g. Sodomia bestialis, & plura alia, in quibus quandoque nec indicia probabilia haberi possunt. Unde non immeritò de talibus loquens Clarus q. 4. (quidquid illi contradicat Farinacius *q. 2. n. 13.*) ait, in hujusmodi criminibus ad procedendum non requiri aliam Investigationem delicti; sed statim porrectâ querelâ posse ac debere Judicem inquirere contra delinquentem delatum, & habitis indiciis illum incarcerare: & hoc ait in practica nullam habere difficultatem. secutâ autem confessione rei, junctâ præcedente querelâ, deveniri ad condemnationem. Ità Clarus. Deinde DD. qui sæpè dixerunt, debere Judici certò constare de corpore delicti, in progressu dicunt, debere habere suspicionem ex indiciis; atqui suspicio non est notitia certa, imò strictè loquendo non est Judicium probabile seu opinativum, sed actus quidam formidolosus, qui solet exprimi per particulam: *forte; fortè hoc contigit: fortè est verum quod fama fert &c.*

95. Loquendo itaque de illis delictis, de quorum corpore potest haberi immediata & certa notitia, v.g. quòd Titius, cujus corpus cum vulnere lethali conspicitur, sit occisus, de his inquam loquendo, semper existimavi Tres gradus Notitiæ faciendos esse, quorum unus sufficiat ad inquirendum, & capiendum, sed nondum ad torquendum; alterum, qui sufficiat ad torquendum, sed non ad condemnandum; tertium, qui sufficiat ad condemnandum. Hoc ipsum videtur sibi velle Carpzovius q. 108. n. 9. dum ait, in foro Saxonico indagationem corporis delicti, suâ quidem opinione, Triplicem esse: unam ad effectum inquirendi contra certam aliquam personam: alteram ad effectum torquendi reum: (& per consequens jam ex priore indagatione captum) tertiam ad condemnandum.

96. Dicendum itaque I. Cum citato Auctore, ad primam indagationem sufficere probabilia indicia criminis commissi. Nam ad inquirendum seu processum inchoandum, sufficit sola querela, diffamatio publica, vel denuntiatio: quâ positâ non solùm potest, sed etiam ex officii debito tenetur Judex processum instituere & inquirere: & Baldus dicit, se vidisse condemnari Judicem, qui portaverat ad Cameram accusationem sibi delatam, & noluerat super ea procedere. Itaque ad effectum inquirendi sufficit, ex conjecturis & indiciis de corpore delicti constare: alioquin plurima delicta evaderent impunita. In exemplo. Puella vaga & levicula visa est noctu aliquid in flumen projecisse, & ejus venter repentè evanuit, cùm antè intumuisset, & vicinis quòd gravida esset, suspecta erat, ex his habet Judex indicia sufficientia ad capiendam puellam, & inquirendum in illam, etiamsi necdum repertus sit infans in flumine. Concordat articulus 6. Ordin. Carolinæ, ubi jubetur Judex diligenter inquirere, an delictum, ob quod reus incarceratus est, sit liquidum, aut suspectum, contigerit, necne. ergo supponit Ordinatio, posse aliquem in vincula conjici, ob delictum, de quo necdum certò constat esse perpetratum.

97. Dicendum II. Cum eodem auctore, non esse verum, quod communiter ab aliis traditur, quòd ad torturam non minor, sed eadem evidentia delicti sufficiat & requiratur, quæ ad condemnationem, si accedat rei confessio: sed dicendum, sufficere minùs evidentia indicia, quæ tamen sint moraliter certa & prudenter indubitabilia, esto non intervenerit ocularis inspectio. v.g. in casu posito, si prope flumen, ubi puella visa est aliquid projicere, reperirentur linteamina sanguine vel secundinis infecta, quod quidem exemplum Carpzovius non habet, sed non dubito fore concessurum, nam hujusmodi Indicium videtur proximum esse illi evidentiæ, quæ habebitur infante ibidem reperto. Sed quia, ut Philosophi loquuntur, ad stabiliendam conclusionem in exemplis non requiritur veritas, per me licet, ut alii aliter sentiant quoad allatum exemplum: nam in aliis delictis v.g. homicidio, poterunt faciliùs hujusmodi indicia haberi, antecedenter ad omnimodam & ocularem vel Judicis vel testium evidentiam.

98. Probatur I. Toties torturæ locus est, quoties posset reo imponi pœna corporis afflictiva, v.g. amputatio manûs, fustigatio, etiamsi ea non sit ultimi supplicii, ut patebit ex dicendis. atqui hujusmodi pœna potest imponi reo confesso etiam tunc, quando non habetur evidentia physica corporis delicti, dummodo habeantur indicia moraliter indubitata: ergo existentibus talibus indiciis (si delictum sit proportionatum) poterit reus torqueri. & consequenter si accedat confessio, extra ordinem puniri, esto, non pœna capitali.

Probatur II. Ex verbis apertis Ord. Carol. art. 8. ubi dicitur. Si delictum capitale & ultimo supplicio punibile, est notorium, vel indicia fuerint indubitata & probata, torturæ, & omni possibili inquisitioni ad inveniendam veritatem subjectus erit.

Probatur III. A Carpzovio hoc discursu. Sæpissimè accidit, ut corpore delicti occultato, veluti cadavere hominis occisi in terram defosso, Reus neque delictum confiteri, neque cadaver exhibere velit, ut maximè probabilissima (nos voca-

vocamus moraliter certa) & indubitati criminis commissi indicia appareant. Aune ergo hoc casu delinquens à pœna immunis erit? Iniquissimum certè hoc esset, quod ne asseramus, omnino videtur dicendum, torturæ locum esse, non solùm ut confessio delinquentis eruatur, sed & veritas delicti, & ubinam locorum cadaver defossum aut projectum sit, extorqueatur: quod (inquit) sæpissimè factum memini.

Probatur IV. Ex communi DD. sententia potest quandoque reus in pœnam extraordinariam, etiam relegationis aut fustigationis, condemnari, etiam si crimen confessus non sit, & hoc ex solis conjecturis, indiciis & præsumptionibus. ergo multò magis poterit ex certis & indubitatis indiciis torqueri. Antecedens tradit Clarus §. *fin. q.* 2. *n.* 5. in fine, his verbis. [Et hæc opinio apud nos servatur, quantùm ad hoc, ut ex præsumptionibus deveniatur ad condemnationem: nam quotidie ex indiciis & præsumptionibus Rei per Senatum condemnantur, non quidem in pœnam mortis, (quod tamē apud eundem aliqui asserunt) neque pœnam ordinariam ipsius delicti, sed in pœnas etiam corporales, pura triremium, fustigationis, ictuum funis, & hujusmodi, & in specie ità servatum fuit in quodam, qui cùm esset indiciis indubitatis gravatus de homicidio, fuit per decennium ad triremes condemnatus.]

99. Dicendum III. Delinquenti confesso aut convicto, pœna ordinaria mortis non est infligenda, antequam de corpore delicti & veritate criminis commissi liquidò & certò, per testes vel per evidentiam facti, constet. Ità Carpzovius, nisi quòd ipse non posuerit vocem: *Ordinaria.* sed quòd eam subintelligat, colligo ex præjudicio quod affert n. 29. ubi expressè dicitur, quòd nulli delinquenti præcisè ob ejus confessionem, absque notitia delicti, Ordinaria pœna decernenda sit. In delicto homicidii per vulnerationem facti insuper requiritur, ut Judicio Medicorum vel Chirurgorum constet de lethalitate vulneris, ut constat ex dictis præced. tract. de Homicidio, & ratio est, quia veritas homicidii consistit in hoc quòd homo sit mortuus ex vulnere, seclusis aliis accidentibus, seu, quòd vi vulneris debuerit mori. Conclusio sumitur ex *l.* 1. §. 24. *ff. ad Syll.* suprà allata, ex verbis illis. *liquere igitur debet scelere interemptum.*

100. Ex dictis deducitur, in illis delictis, quorum pœna ordinaria non est ultimum supplicium, posse reum puniri etiam pœnê ordinariâ, si reus sit confessus, & de delicto reverâ commisso ex prægnantibus & probabilibus præsumptionibus, etiamsi non indubitatis, Judicium fieri possit. Nam ut ex Julio Claro retulimus, etiam absq; confessione posset ad talem pœnam procedi, ergo multò magis si confessio accedat.

CONTROVERSIA IV.

An ad Inquisitionem specialem debeat semper præcedere Infamatio, seu fama de certa persona.

SUMMARIUM.

NOn est Juris naturalis aut divini, ut præcedat publica fama de certa persona, ut possit ad capturam & inquisitionem procedi. 101.

Sufficit disjunctivè vel fama, vel indicia æquivalentia famæ. 102.

Quid in hoc puncto obtineat in Bavaria. 103.

Solvuntur argumenta sententiæ requirentis determinatè famam. 104. *& seq.*

Solemnitas Infamationis etiam alibi non requiritur ad specialem Inquisitionem. 106.

Casus duo, in quibus nec adversarii requirunt famam præcedentem. 107.

Adversarii non videntur doctrinæ consequentiam tenere. 108.

101. PRima sententia affirmat. Ità aliis Theologis & Canonistis relatis tenet Thomas Sanchez *lib.* 6. *Consil. cap.* 3. *dub.* 17. *n.* 5. ex quibus tamen pauci sunt, qui se sufficienter explicent, quòd non sufficiant indicia, sed requiratur publica fama.

Secunda sententia docet, non requiri determinatè famam, sed disjunctivè vel famam, vel indicia. Ità S. Th. 22. *q.* 69. *art.* 2. *in C.* Sotus, Alciatus, Gomez, Bartolus, Angelus, Palacios, apud eundem.

Dicendum I. Non est de Jure divino aut naturali, ut præcedat infamia, seu publica fama de certa persona, ut in eam possit specialiter inquiri, & ad capturam procedi. Ità sentit ipse Sanchez dub. 18. Quia nullum exstat tale præceptum in sacris litteris, & testimonia tantùm explicant factum divinum, ut Genes. 18. *Descendam & videbo, utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint.* & Lucæ 16. *Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ.* Itaque nihil obstat, eodem Sanchez fatente, quo minùs lex ferretur, ut testimonium duorum vel trium vicem gereret accusatoris, sicut id lex de facto statuit de fama. Imò, ut statim dicam, de facto in Imperio Romano exstat talis lex. Itaque

102. Dico II. In Imperio Romano sufficit ad inquirendum, & ad capturam, disjunctivè vel

vel fama, vel indicia æquivalentia famæ, hoc est, quæ æquè raro fallunt, ac fama. Ità habetur artic. 6. ubi statuitur: Si quis ob delictum publicè sit diffamatus, vel NB. aliis verisimilibus indiciis suspectus, & ità oneratus, ut propterea per magistratum ex officio capiatur, quòd istamen non priùs torturæ subjici debeat, quàm legitima & sufficientia indicia & præsumptiones illius delicti contra ipsum probentur. Ecce 1 distinctionẽ inter famam & indicia, & inter indicia sufficientia ad capturã, & sufficientia ad torturam.

Rationem reddit Bernardus Zietix, & ex eo Casparus Manzius, quia utique non semper exspectandum est, an & quid fama publica loquatur, sed etiam indicia & præsumptiones interdum sunt loco diffamationis. addo ego, & illi æquivalent in ordine ad movendum Judicem. Nam sicut ideo fama sufficit, quia plerumque non fallit, si habeat originem à viris probis, non suspectis &c. prout declaravi *tomo* 1. *tract.* 4. *cap. de fama.* ità etiam verisimiles præsumptiones & indicia plerumque non fallunt, alioquin si fallerent plerumque, non essent verisimilia: nam ut Aristoteles definit, probabile dicitur, quod plerumque non fallit.

103. Circa hunc articulum advertit Jus Bavaricum *Proc. Crim. tit.* 2. *a.* 2. eum intelligendum esse de personis aliàs levibus & suspectis: honestas autem personas & minimè suspectas, noluit capi nisi præcedant indicia etiam ad torturam sufficientia. Unde Ferdinandus VVaizenegger testatur, usu obtinuisse, ut nemo facilè in Bavaria priùs in carceres compingatur, quàm indiciis ad tormenta sufficientibus urgeatur per rationem, quia solus carcer vehementer infamat, & sunt, qui mallent vitæ, quàm hujusmodi famæ jacturam facere. Hoc tamen iterum limitatur, nisi periculum fugæ subsit.

104. Sed videamus quibus Juris textibus Sanchez suam sententiam stabiliat, ex quorum solutione magis confirmabitur nostra sententia, quæ videtur vera, etiam præscindendo ab auctoritate Carol. Ordin.

Objicit ergo I. c. 19. *de accusat.* ꝑ. Ibi nulla exstitisse indicia verisimilia, sed potiùs præsumptio erat pro innocentia. Sic habet. ibi. [Verùm, dictus Episcopus antequam ad ipsum vestra citatio pervenisset, ad præsentiam nostram accedens proposuit, quòd illi, qui enormia de ipso suggesserant, typho malitiæ potiùs, quàm justitiæ Zelo ducti, nobis hujusmodi intimârunt, cùm ipsi ejus sint inimici manifesti, & cum ejus hostibus conversentur, consanguineosque suos ac complices intendant ad testificandum producere contra ipsum, qui ad denuntiandum seu testificandum non debent admitti: utpote juramenti præstiti transgressores, & aliis criminibus irretiti. Discretioni vestræ mandamus, quòd nisi super prædictis famam ipsius læsam esse noveritis, vos ad inquisitionem illorum non NB. subitò procedatis.]

105. Objicit II. Ex cap. 21. eod. Ad quod respondetur, eodem modo esse intelligendum, quando non adsunt indicia æquivalentia famæ: & præterea ibi solùm dicitur, quòd ad [illegible]lationem duorum non debeat infligi p[illegible] habet. [Respondemus, nullum esse pro [illegible] ne, super quo aliquâ non laborat infamiâ, seu clamosa insinuatio non præcesserit, propterea [illegible] hujusmodi puniendum. Quin imò super hoc depositiones contra eum recipi non debere, cùm Inquisitio fieri debeat solummodo super illis, de quibus clamores aliqui præcesserunt.] Itaque nullibi dicitur, quòd si adessent verisimilia indicia delicti commissi, non posset inquiri, nisi accederet infamia. Sanè, meo judicio, raro contingit, ut ad Judicem deveniant indicia verisimilia de commisso delicto gravi, quin priùs in populo serantur de illo sermones: priùs enim innotescunt indicia communitati, quàm Judici, & proni sunt homines ad sermocinandum de hujusmodi inter se, non item, ut ea deferant ad Judicem, ut experientia docet: hoc tamen est per accidens: nam si priùs ad notitiam Judicis pervenirent, quàm exorta inde esset fama, hoc satis esset ad inquirendum.

106. Unde, quidquid sit de sensu adductarum Decretalium, Julius Clarus *q.* 6. *n.* 8. asserit, solennitatem Diffamationis hodie in Inquisitionibus ab aula recessisse, ex aliis etiam indiciis & præsumptionibus apparentibus, famâ licèt deficiente, specialiter contra aliquem inquisitionem formari posse. Ratio etiam ulterior hæc assignari potest. Quia raro instituitur Inquisitio specialis, nisi præcedat generalis, quæ fundat specialem. Atqui, ut omnes fatentur, ad generalem inquisitionem non requiritur ulla fama, Ergo nec ad specialem subsequentem.

107. Quin imò etiam illi AA. qui mordicùs tenent, requiri semper præcedentem infamiam, adhuc aliquos casus admittunt & admittere debent exceptos. Omitto illos quos probabiliter rejicit Sanchez. duos referam ex Card. de Lugo *disp.* 17. *Sect.* 6. *n.* 63. Primum quidẽ, cum Suarez, nempe, quando delictum est enorme, & publicum, & Judex sciret, esse indicia sufficientia contra aliquam personam, & aliunde esse moraliter necessarium ad bonum commune, quòd auctor delicti puniatur, vel propter imminens periculum ex illo delicto, vel quia talis conditionis est, ut nisi cum illis indiciis inquiratur, facilè serpet in Republica, nec publicè poterit puniri.

Secundò, ab omnibus excipitur, quando Inquisitio non fit ad punitionem, sed ad malum impediendum; ut quando inquiritur ad eligendum aliquem in Episcopum vel Parochum: tunc

enim potest inquiri de delictis secretis, de quibus nulla præcedit infamia, pertinet enim ad bonum commune, ut non eligantur indigni.

108. Denique vix video, quâ ratione Suarez & Lugo consequenter ad suam sententiam loquantur. Nam, ut tradit Lugo n. 64. Nunquam potest Judex ex se ipso incipere Inquisitionem, sed semper præcedere debet aliqua denuntiatio, vel aliquid æquivalens denuntiationi: atqui (subjungit idem auctor) existente denuntiatione seu denuntiatore, non requiri infamiam præcedentem fatetur etiam Suarez, ergo (concludo ego) non requiritur semper infamia, imò nunquam, nisi tunc, quando ipsa infamia est loco denuntiationis. Eodem loco fatetur Lugo & Lessius, praxin Judicum non requirentium infamiam non esse damnandam.

CONTROVERSIA V.

De Indiciis sufficientibus ad inquirendum.

SVMMARIVM.

Ob criminum diversitatem Judicis arbitrio relinquendum, quænam indicia sint sufficientia ad capiendum vel torquendum. 109.

In Ordinatione Carolina per Indicia intelliguntur quæcunque conjecturæ, quæ in aliquam probabilem opinionem commissi delicti ducere possunt, ubi rejiciuntur, quæ à Magis vel Astrologis proferuntur. 110.

109. Quænam & quanti momenti indicia debeant præcedere ad inquirendum, secundùm diversam inquisitionem, hoc est, vel ad capiendum, vel ad torquendum, declarant Interpretes terminis nimis generalibus, & obscuris; nempe, modò sufficere *levia*, modò requiri *gravia*, & hoc ideo, quia propter nimiam delictorum diversitatem non possunt aliquæ clariores regulæ constitui.

Hinc Prosper Farinacius, eumque laudans Carpzovius n. 49. id totum volunt Judicis arbitrio committendum, qui ex inquisitione generali de indiciis & præsumptionibus informatus, an ea pro qualitate criminis & personæ inquirendæ sat prægnantes sint ad formandam inquisitionem specialem, facilè arbitrabitur. Sicut enim diversa sunt crimina, diversæque conditionis homines delinquentes, ità & præsumptiones atque indicia quibusvis in casibus indifferenter uniformia non sunt, sed unum idemque indicium pro ratione criminis & conditione inquirendæ personæ, modò erit sufficiens, modò insufficiens.

110. Nihilominus Ordinatio Carolina ab art. 19. per aliquot subsequentes, diligenter tractat de Indiciis, ubi tamen ex art. 19. ante omnia advertendum est, non accipi in hac tractatione significatum *Indicii*, in eo rigore, prout subtiliter distinguitur *Indicium* à Præsumptione, Conjectura, signo, suspicione, sed per *Indicia* hæc omnia intelligi, adeoque universim argumenta omnia, quæ in delicti aliquam probabilem & non temerariam opinionem ducere possunt. Deinde art. 20. statuitur de indiciis ad torturam prærequisitis: de quibus commodiùs infrà agetur cap. 10. Art. 21. rejicit indicia quæ ab Astrologis vel Magis proferuntur. Art. 22. Ut ad indicia criminis tortura tantùm, non condemnatio vel pœna sequatur. Quæ porrò in seqq. articulis traduntur, expedientur infrà loco citato, ubi ex professo de Indiciis ad torturam requisitis est agendum, de quibus est specialis difficultas. Quamvis etiam in his æstimandis Ordinatio Carolina plurimùm tribuat & relinquat Judicis arbitrio *art.* 18. *&* 24. 25. *&* 27.

Hìc ergo monuisse satis est, ad specialem Inquisitionem sine præcedentibus indiciis (inter quæ etiam est fama) non esse procedendum, & ad illa acquirenda servire maximè Inquisitionem generalem. Redeamus nunc ad ea, quæ sunt communia Processui tam Ordinario, hoc est per Accusationem, quàm Inquisitorio.

CA-

CAPUT V.

DE CAPTURA ET INCARCERATIONE, ET SALVO CONDUCTU.

111. SUperiùs dictum est, ad Inquisitionem requiri, ut inquirendus sit præsens, ità ut illius copia pro libito Judicis haberi possit, & patebit ex dicendis de Examine, & formatione articulorum inquisitionalium. Ad hujus autem præsentiæ securitatem sæpè opus est custodiâ, ne Reus aufugiat, & se inquisitioni subtrahat, quæ tamen temerè arripienda non est, & cum injuria inquisiti, ob gravissima incommoda quæ secum affert carcer & custodia. Sit ergo

CONTROVERSIA I.

In quibus Delictis Incarcerationi sit locus.

SUMMARIUM.

SEntentiæ diversæ Doctorum referuntur. 112. *& seqq.*
Argumentum Carpzovii pro sententia Clari ostenditur esse fallax. 115.
Sententia Auctoris. 116.

112. PRima sententia est, Capturæ non esse locum nisi in illis delictis inquirendis, quorum pœna ordinaria à Jure constituta est corporis afflictiva, alioquin Judex tenebitur in Syndicatu. Ità tenet Julius Clarus §. *fin. q.* 28. *n.* 1.

Secunda sententia est, posse reum incarcerari etiam quando solùm venit imponenda pœna pecuniaria. Ità tenet Farinac. *q.* 27. *n.* 39. Modernus Roman. & Bajardus ac Bossius, qui dicunt, in practica ità servari, ut etiam in delicto, pro quo tantùm pœna pecuniaria infligenda venit, reus possit capi & detineri in carceribus, sed deinde completo processu relaxari sub fidejussoribus.

113. Mediam viam ingreditur Goazzinus, *defens.* 5. *c.* 3. *n.* 14. ubi dicit, quòd si persona inquisita esset dives, vel honesta, & in aliqua dignitate constituta, ut plurimùm in istis causis solet procedi non per capturam, sed per citationem, vel monitorium; & si inquisitus comparuerit, solet statim examinari, & deinde relaxari sub cautione, vel per seipsum factâ obligatione de se præsentando: quod si non possit unico examine perfici processus, tunc solet detineri in aliquo loco honesto, vel Camera in Prætorio, vel dimitti ut habeat domum pro carcere, injuncto ei præcepto de non alloquendo cum aliquo, ne instruatur, quid dicere debeat in suis examinibus. Ità etiam sentit Scaccias *lib.* 1. *c.* 42. *n.* 15. alios allegans. Ab hac media via non videtur reipsâ differre Carpzovius, q. 111. ubi docet, sententiam Julii Clari esse veram regulariter loquendo: postea autem ponit limitationes, mox referendas.

114. Probat sententiam Clari Carpzovius hoc argumento. Incarceratio est quædam corporis afflictio: ergo non potest adhiberi tanquam medium ad obtinendam vindictam de delicto promerente meram pœnam pecuniariam. Probatur consequentia. Quia non debet medium esse gravius quàm sit ipsa pœna Rei confessi vel convicti. Atqui pœna corporis afflictiva est gravior quàm pœna pecuniaria: ergo si delictum solùm promeretur pœnam pecuniariam, non potest incarceratio, utpote corporis afflictiva, adhibe-

hiberi ut medium. Ad hoc argumentum postea respondebitur. Nunc autem

Limitat Carpzovius I. Si delinquens sit vilis persona aut vagabunda; quæ nec immobilia possideat, nec quidquam in bonis habeat: quæ aliò demigrando pœnam facillimè effugere, & Judicium elusorium reddere posset, quod nec præsumendum, nec metuendum in eo, qui honestæ aliàs conditionis est, aut bona possidet, unde Judicis decreto satisfieri potest.

Limitat II. Quando res dubia est, num corporis afflictiva aut mitior aliqua pœna infligenda veniat, puta, si vulneratus nondum convaluerit, & chirurgi de reconvalescentia dubitent, vel si tale sit commissum delictum, cujus coercitio arbitraria est, & ad pœnam corporalem extendi potest.

115. Antequam in hac controversia meam mentem aperiam, ostendo argumentum Carpzovij esse fallax, & Sophisticum. Est, inquam, argumentum simile illi, quo aliquis Theologus conabatur probare, omnem famæ Detractionem etiam levissimam, esse gravius peccatum, quàm furtum cujuscunque summæ pecuniariæ. quia fama est bonum Superioris ordinis quàm bonum fortunæ, ergo læsio famæ etiam minima, gravius malum infert, quàm furtum mille, & plurium florenorum. ergo est gravius peccatum. Simili modo Carpzovius, ex eo quòd bonum corporis superioris ordinis quàm bona fortunæ, videtur inferre vel supponere, quòd omnis pœna corporis afflictiva, sit gravior quàm quæcunque pœna pecuniaria; quod est falsissimum. nam quis nescit, in æstimatione morali rem aliter se habere? quis nescit, in Academiis pœnam carceris unius diei solere commutari in pœnam unius Imperialis? quis nescit vulgare illud Juris. Qui non habet in ære, luat in corpore? potest ergo pœna pecuniaria adæquare pœnam corporis afflictivam, & consequenter etiam excedere.

Ad argumentum ergo negatur consequentia. Ad cujus probationem negatur universaliter minor: quam esse universaliter falsam ostensum est, & probat quotidiana praxis, & sensus omnium hominum, faciliùs tolerari carcerem à communi hominum etiam honestorum conditione, quàm gravissimam pœnam pecuniariam.

116. Dicendum ergo videtur, & pro Regula tenendum: Tunc posse Judicem adhibere carcerem, & custodiam, quando delicti pœna ordinaria, est in æstimatione hominum notabiliter gravior quàm molestia carceris, neque potest Judex per alia media obtinere debitam delicti vindictam; prout potest in personis opulentis, & habentibus bona immobilia.

Unde infero, quòd nec tunc universim verum sit, posse Judicem adhibere carcerem, quoties delicto respondet pœna corporis afflictiva, (inter quas numeratur à Carpzovio ipse carcer) nempe quando Reus est persona ita opulenta, & pœna infligenda esset adeo modica, vg. incarcerario in pane & aqua ad aliquot dies, ut non sit periculum, quòd reus ad talem pœnam evitandam sit posthabiturus sua bona immobilia, & fugam arrepturus. Quo casu censeo, durum futurum Judicem, qui à carcere inchoaret inquisitionem, quantacunque haberet indicia præcedentia, aut famam.

Accedit, quòd non semper sit opus carcere afflictivo, sed possit finis Inquisitionis sufficienter obtineri per custodiam honestam, vel arrestationem, sub interminatione gravis pœnæ, quâ reus sufficienter coërceatur à fuga, & hoc etiam quandoque in gravibus delictis, prout cum nobilibus personis practicatur; & ideo locorum consuetudo est attendenda, ad quam etiam se referunt Farinacius, Guazzinus & alii. & confirmabuntur hæc in Contr. 4. ubi dicetur, Carcerem non debere, per se loquendo, esse afflictivum, prout ipse Carpzovius docet *q. 106. à. n. 45.* nescio quàm consequenter, & declarabitur controv. 4.

CONTROVERSIA II.

An, & qualia Indicia præcedere debeant, ut Incarceratio possit decerni in casibus præcedentis controversiæ.

SVMMARIVM.

Sententia Doctorum spectato Jure communi. 117. *& seq.*
Qualia indicia requirantur ex Ord. Carol. & sufficiant ad capturam. 119.
Quænam sint hujusmodi indicia. 120.
An fuga rei sit sufficiens indicium. 121.

117. Prima Opinio est, posse Judicem etiam nullis priùs exploratis indiciis procedere ad capturam: quæ tamen opinio non ità crudè accipienda est, ut eam proponit Farinacius n. 115. sed, ut eam proponit Julius Clarus, q. 28. n. 2. his verbis. [Scias autem quòd in hoc puncto aliqui tenuerunt, quòd ex

eo

eo solo, quòd contra aliquem porrecta sit accusatio criminis, pro quo pœna sanguinis ingeratur, debet reus detineri, etiam quando nulla contra eum adsunt indicia.] AA. hujus opinionis refert Farinacius, inter quos est Bartolus & Baldus, & Marsilius, quorum aliqui testantur de praxi, quòd post factam capturam fiat primùm informatio super indiciis.

Hanc opinionem improbat Julius Clarus & Carpzovius, quia sic esset in potestate cujuscunque vilis personæ, carcerari facere quemlibet probum & insignem virum. Verùm, pace horum DD. hæc sequela non urget AA. illius opinionis, tum quia non dicunt, ad cujuscunque vilis personæ accusationem posse decerni carcerem, sed, intelligendi sunt de personis quæ ab accusando non repelluntur, sicut repelluntur viles & pauperes & nullius æstimationis homines, de quibus suprà. Accedit, quòd Accusator debeat & ipse simili cum accusati carcere detineri: atqui non facilè inveniuntur, qui præcisè ad alium vexandum velint & ipsi incarcerari, & si in accusatione succumbant, pro merito puniri. ergo prædicta opinio non affert illud periculum.

118. Secunda Opinio requirit, ut præcedant indicia legitima: Verùm, de quibus legitimis loquantur, non declarant. Nam, ut suprà vidimus, sunt indicia sufficientia ad capturam, & non ad torturam. hi ergo termini nihil declarant. Quodsi intelligantur Indicia urgentissima & indubitata, nimis multùm exigitur, & multa Judicia reddentur elusoria, ut benè arguit Julius Clarus, quia se subducent Rei, antequam illa innotescant.

119. Dicendum est, in Imperio requiri indicia facientia aliquam probabilem conjecturam & suspicionem de crimine à tali persona patrato. Colligitur imprimis ex articulo 11. Ord. Crim. Carol. ubi statuitur: quòd ante incarcerationem debeat accusator delictum ipsum, & NB. legitima ejus indicia, & suspiciones, quæ publicam pœnam post se trahant, imprimis Judici exponere. adeo, ut etiamsi se accusator ad satisfactionem offerret, & ad parem carcerem, hoc non esset sufficiens. Hoc tamen limitatur de Jure Bavarico *tit.* 2. *a.* 2. nisi accusator ostendere possit, periculum fugæ subesse, quo in casu Judex petitioni accusatoris in apprehendendo reo satisfacere jubetur, dummodo caveat, si reus innocens fuerit repertus, quòd ratione damni & injuriæ satisfacere velit, in quem eventum etiam Judicis pœna accusatori infligenda reservata erit.

Colligitur deinde ex art. 218. ubi reprehenduntur Judices, qui absque præcedente informatione, fama vel indiciis incarcerant, & per ejusmodi præcipitantiam & inconsiderantiam incarceratorum honor & fama periclitatur. Et hæc Ordinatio est consentanea communi DD. apud Farinacium. Sed jam ulteriùs


120. Quæritur, quænam sint hujusmodi indicia ad capturam sufficientia, in illis casibus, in quibus præcedente controversia diximus posse inquisitionem specialem & solennem inchoari per capturam.

Dicendum est, non posse hujus rei fixam regulam tradi, sed esse Judicis arbitrio relinquendum, ut is consideret, quæ monentur in lege 1. *ff. de Custod. & Exhibit. reorum.* [De Custodia reorum Proconsul æstimare solet, utrum in carcerem recipienda sit persona, an militi tradenda, vel fidejussoribus committenda, vel etiam sibi. Hoc autem vel pro criminis quod objicitur qualitate, vel propter honorem, aut propter amplissimas facultates, vel pro innocentia personæ, vel pro dignitate ejus qui accusatur, facere solet.] Et hæc sit prima Conclusionis probatio.

Probatur II. Ex Ord. Carol. ar. 18. ubi dicitur, quòd impossibile sit omnia hujusmodi indicia enumerare, & certis legibus definire: quod iterum repetitur in art. 24. Atqui, quæ in Jure non sunt determinata, & multò magis quæ non possunt ob nimiam casuum diversitatem determinari, relinquuntur Judicis arbitrio. Ergo &c.

121. In specie tamen quæri solet, an fuga illius, qui v. g. delatus est ad Judicem, præbeat sufficiens indicium ad capiendum. Et respondetur affirmativè, adeo ut sufficiat, ex certis indiciis esse suspectum de fuga. Ratio est, quia fuga facit quandoque sufficiens indicium ad ipsam torturam: ergo multò magis ad capturam. Ratio à priori, quia plerumque ejusmodi fuga assumitur impellente ad eam conscientiâ criminis. atqui id quod plerumque est, etiam in quovis casu particulari probabile est esse. Ergo.

Hinc usus habet, ut Officiales à Magistratibus ablegentur cum commissione capiendi delinquentem fugitivum etiam in alieno territorio, cum permissu tamen Judicis illius territorii, traditis litteris incarcerationis patentibus, quibus requiritur facultas & auxilium alienæ Jurisdictionis.





CON-

CONTROVERSIA III.

An aliquæ Personæ gaudeant privilegio immunitatis à Carcere.

SUMMARIUM.

122. Dubitatur I. An Mulieres possint incarcerari, saltem Jure civili inspecto. ℞. De hoc exstare Auth. *sub tit. de Custodia reorum*, desumptam ex Nov. 134. *c. 9.* & sic habet [Hodie novo Jure in nullam mulierem pro pecunia fiscali seu privata causa; aut pro crimine, quolibet modo in carcerem mitti aut includi concedimus &c. Si verò tale sit crimen, ut necesse sit eam custodiri, si quidem fidejussorem dare potest, ipsi credatur: si verò juraverit fidejussorem se dare non posse, juratoriam cautionem præstet de Judicii observatione: Sed si crimen gravissimum sit, de quo accusatur, in Monasterium vel Asceterium mittatur, vel mulieribus tradatur, per quas custodiatur.] Verùm, consuetudo est contraria, nam quando est crimen gravissimum, mulieres etiam honestæ non in monasterio, sed in publico carcere, separato tamen à conversatione virorum, includuntur. Monet tamen Julius Clarus, & ex eo Farinacius, ut Judex sit valde circumspectus. Nam si mulier sit Nobilis, vel honestæ conditionis, non debet illam cum dedecore curare ad se adduci, nec statim in carcerem conjicere, sed poterit ei dare pro carcere domum alicujus nobilis & honestæ matronæ, sub idonea fidejussione, nisi delictum sit atrox, nam tunc esset detrudenda in carcerem, vel in Monasterium, vel in Prætorio in aliquo cubiculo sub honesta custodia & fidejussione, retinenda arbitrio Judicis, inspectâ qualitate delicti & personæ. De Meretrice est aliâ ratio, quia non est digna favore Juris, & Auth. *Nulla mulier*, est intelligenda de fœmina honesta, cujus verecundiæ vult Imperator favere. & huc facit *lex 3. C. eod.* [Quoniam unum carceris conclave permixtos secum criminosos includit, hac lege sancimus, ut etiam, si qualitas pœnæ permixtione injungenda est, sexu tamé NB. dispares diversa claustrorum habere tutamina jubeantur.] Causam hujus non est necesse explicare, cùm per se cuivis occurrat.

123. Dubitatur II. De Clericis, an pro delicto possint incarcerari. ℞. Quod attinet ad Judicem sæcularem, quid in aliquibus casibus possit circa Clericum delinquentem, dixi suprà to. 1. agens de Immunitate Ecclesiastica, & etiam tract. 1. hujus 2. tomi. Breviter ex Julio Claro scias, quòd si Clericus inveniatur in flagranti crimine, possit capi à Laico, non quidem ut ab ipso puniatur, sed ut tradatur Judici Ecclesiastico, & ità habet consuetudo, præsertim si suspectus sit de fuga. Loquendo verò de Judice Ecclesiastico, constat Clericum posse & quotidiè detineri ob crimina de quibus Judex habet sufficientem notitiam ad inquirendum. Et quidquid sit de Jure (inquit Clarus *q. 28. n. 5. in fine*,) consuetudo est, ut incarcerentur etiam ad pœnam, fortè, quia multùm crevit malitia Clericorum.

124. Dubitatur III. De Doctoribus actu applicatis ad docendum. ℞. In lege *6. C. de Professoribus*, prohiberi, ne ad judicium deducantur. Sed hanc legem intelligunt Interpretes, in causa civili. In causa Criminali verò posse eos capi non est dubitandum, modò Judex cum debito moderamine procedat (quod etiam de personis Nobilibus est intelligendum) de quo Carpzovius monet Judicem n. 42. Primò, ut Nobiles, Doctores, Clerici, aliæque personæ honestæ, & in dignitate quadam constitutæ, non ponantur vel custodiantur in Carceribus subterraneis, sed in palatio vel Camera aliqua, aliové loco editiore, sub custodia militum vel Commentariensium, quos eorum lateri adjungit Judex, asserventur. Quod maximè verum est in iis, qui nondum sunt convicti. Generale enim est, quòd in materia Carcerum, multùm deferatur Nobilitati. Secundò, rationem quoque habeat Judex criminis in his personis. Nam licèt, perpetrato delicto atrociore vel atrocissimo, ejusmodi persona in crimine notorio deprehensa, in carcere rectissimè detineatur, cùm ij qui adversùs Jura delinquunt, nullo Juris beneficio se tueri possint, *l. 37. ff. de Minorib.* ob crimen tamen levius non facilè incarceret Judex nisi convictum. Quin & præsumptionibus validis existentibus, custodiæ ministrorum potiùs tradat. Uno verbo, hæc ad prudens arbitrium Judicis spectant.

125. Dubitatur IV. De infirmis. ℞. Non posse incarcerari, si infirmitas sit gravis, sed Judex debet petere assecurationem fidejussoriam, vel adhibere custodiam sumptibus ipsius infirmi. Ità Farinac. n. 87.

CON-

CONTROVERSIA IV.

De Qualitate & Duratione Carceris, & segregatione Carceratorum.

SUMMARIUM.

Carcer, per se loquendo, non debet afferre alias accidentales molestias. 126.
Incarceratio non est extendenda ultra tempus latæ sententiæ. 127.
Plures ejusdem delicti complices ab invicem separandi. 128.
Quomodo puniendus Judex, indebitò modo incarcerans. 129.

126. Dicendum I. Locus Carceris, per se loquendo, non debet ratione inhabitationis afferre extrinsecas molestias, distinctas ab ea quæ est de essentia detentionis. Hæc est mens Imperatoris Caroli V. in sua Ord. Crim. a. 11. ubi dicitur, Carcerem debere esse ad continendos & custodiendos homines, non verò ad cruciandos vel puniendos. Hoc etiam est conforme legi 1. *C. de Cust. reorum.* [Nec verò sedis intimæ tenebras pati debebit inclusus, sed usurpatâ luce vegetari ac sublevari. Et ubi mox geminaverit custodiam, in vestibulis carcerum, & salubribus locis recipi, ac revertente iterum die ad primum solis ortum illico ad publicum lumen educi, ne pœnis carceris perimatur, quod innocentibus miserum, noxiis non satis severum esse dignoscitur.]

Hinc improbantur carceres subterranei & tenebricosi in turribus, & veteribus arcium ruderibus exstantes.

Dictum est in conclusione: *Per se loquendo.* Nam ob varias circumstantias potest arbitrio Judicis carcer exasperari. v.g. quando delinquens est persona vilis, à qua effractio & fuga timeri posset. Tunc enim posset in abstrusiorem locum detrudi, atque etiam applicatis ferramentis vel compedibus custodiri, secundùm qualitatem personæ & delicti, pro Judicis arbitrio, consideratis etiam indiciorum momentis.

127. Dicendum II. Incarceratio non debet extendi ultra tempus latæ sententiæ. Ratio est, quia vel incarceratus absolvitur, vel condemnatur: si absolvitur, non est opus, ut diutius custodiatur: Si condemnatur, sententia non debet differri notabiliter, sed executioni mandari, & iterum cessat ratio carceris, nisi pœna ipsa esset ulterior incarceratio. Nam hodie Carcerem etiam sæpè habere rationem pœnæ ob delictum infligendæ, constat ex eo, quòd sæpè, quando non potest reus solvere pœnam pecuniariam, incarceratur duriùs, ut luat in corpore, qui non habet in ære. Quod est conforme Carolinæ Ord. *art.* 157. & *art.* 216.

128. Dicendum III. Quando plures ejusdem delicti complices incarcerandi sunt, ab invicem segregandi sunt, & in diversis mansionibus collocandi. Ità habet Ord. Carol. art. 11. Ratio redditur ibidem, ne de confictis vel falsis confessionibus edendis conspirare, aut de supprimendo crimine, vel etiam de vinculorum ruptura, & carcerum effractione deliberare, & se invicem juvare possint.

Cæterùm, alicubi, ut in Anglia, quandoq; solent hujusmodi complices per astũ admitti ad colloquia inter se instituenda, abscondendo in propinquo aliquos auscultatores colloquiorum, qui deinde testentur de sermonibus habitis, si inde fortè rei convinci possint.

129. Quæres, quomodo puniendus sit Judex, indebitè, vel modo indebito incarcerans reum. ℞. Si animo injuriandi id fecisse probari potest, tenebitur Actione Injuriarum: absque hoc tenebitur de Syndicatu, arbitrio Syndicatorum, & ultra pœnam ordinariam etiam tenebitur incarcerato ad interesse. Sed de hoc attendenda est locorum consuetudo, ubi nulla certa pœna constituta est, prout est constituta in Saxonia. Videatur Farinacius *q.* 27. *à n.* 142.

CONTROVERSIA V.

Quomodo peccet, aut sit puniendus, qui ex carcere fugit, aut effringit carcerem.

SUMMARIUM.

An damnato legitimè ad mortem, liceat fugere absque vi & effractione. 130.
An obligaret lex condemnans ad non fugiendum. 131.
An fugiendo posset omni conatu non resistitivo se extricare à ministris. eod.
An licitè fugere posset condemnatus ad mitiorem pœnam mutilatione. 132.
An liceat effringere carcerem, rumpere vincula. 133. & *seq.*

An vi legis 1 ff. de Effractorib. *possint effractores puniri pœnâ mortis.* 135.

An Religiosi à Superioribus incarcerati possint licitè fugere. 136.

Quidsi quis jurejurando se adstrinxit ad non fugiendum. 137. *& seq.*

An liceat juvare incarceratum ad fugiendum, subministrando instrumenta. 139.

Cur liceat dare instrumenta ad perfringendum, & non liceat ipsimet adjuvanti perfringere. 140.

Duplex limitatio Conclusionis affirmativa. 141.

An possint in foro externo tales adjutores puniri, 142.

An in Jure constituta sit aliqua pœna in effractores carcerum, ut liberent captivos. 143.

130. DUbitatur I. An liceat damnato legitimè ad mortem, fugere, nullâ illatâ vi custodibus, nec effringendo carcerem, nec rumpendo vincula.

Prima sententia est negativa, quam tenet Abbas c. 1. *de testib. cog. n.* 3. Bartol. *in l. relegati ff. de interdictis & relegat* Fundamentum est, quia damnatus ad mortem, est etiam justè damnatus ad carcerem.

Secunda est affirmativa. Ità D. Thomas 2.2. *q.* 69. *a.* 4. *ad* 2. & cum eo Theologi communiter omnes. Probatur ex fundamento opposito. Qui condemnatur ad mortem, non hoc ipso condemnatur ad manendum in carcere, sed solùm ad sustinendam patienter mortem sibi inferendam, si eam declinare non possit. arg. *legis* 1. *de bonis eorum qui sibi &c.* ibi. *Nam ignoscendum censuerunt ei, qui sanguinem suum qualiter qualiter redemptum voluit.*

Neque refert, quòd ex tali fuga fortè incómodetur custodibus, ob commissam negligentiam in custodiendo. Nam hoc non debet imputari reo, qui dedit operam rei licitæ, unde per accidens secutum est alteriua damnum, sicut si fugiens suum hostem per accidens obtereret equo infantem in via jacentem, ut alibi declaratum est, *to.* 1. *tract.* 2. *quando liceat indirectè nocere innocenti.*

131. Hinc contra Cajetanum benè docet Sotus, injustam fore legem, quæ decernet damnatum ad mortem damnari simul, ut in carcere maneat, licèt fugiendi copiam habeat: quæ sanè esset lex inutilis, quia à nemine observaretur, & ultra humanam conditionem gravaret conscientiam.

Infertur hinc à fortiori, eum qui quæritur à Ministris, ut legitimè in carcerem detrudatur, non posse quidem Ministris vim inferre, positivè resistendo & pugnando; (ne detur bellum utrinque tam formaliter, quàm materialiter justum, & quia Ministri non sunt injusti aggressores) benè tamen posse fugere cum omni conatu, etiamsi jam apprehensus post se traheret ministrum. Ità Sanchez, Lugo, & alii.

132. Dubitatur II. An legitimè detentus, nec tamen ad pœnam Sanguinis vel mutilationis, sed ad mitiorem, v.g. pecuniariam, relegationem, vel fustigationem condemnandus, possit licitè fugere. Negant aliqui Summistæ. Affirmativa est verior & communis, quia non est condemnatus in hanc pœnam, ut maneat in carcere: utitur ergo Jure suo, quod habebat à principio, declinandi carcerem per fugam.

133. Dubitatur III. An liceat Reo carceres effringere, vincula disrumpere, ut effugiat. Negant gravissimi DD. quos sequitur Covarruvias *lib.* 1. *var. resol. c.* 2. *n.* 14. damnans hujusmodi ad restitutionem damni quod dedit. Ratio hujus sententiæ est, quia talis infert Reipublicæ damnum, & etiam aliis, v.g. si vincti alii ob æs alienum fugiant. Accedit, quòd à Jure pœna mortis statuta sit hujusmodi carcerum effractoribus, quam tamen non nisi pro gravissimo crimine licet inferre, aut minari. Est autem *lex* 1. *pr. ff. de effractorib. & expilator:* quæ sic habet. [De his, qui carcere effracto evaserunt, summum supplicium Divi Fratres Æmilio Titrani rescripserunt. Saturninus etiam probat, eos, qui de carcere eruperunt, sive effractis foribus, sive conspiratione cum cæteris, qui in eadem custodia erant, capite puniendos. Quodsi per negligentiam custodum evaserunt, leviùs puniendos.]

134. Affirmativa sententia negat peccare, & est probabilior. Ità tenent communiter Theologi, quos refert & sequitur Sanchez *lib.* 6. *Consil. cap.* 4. *dubio* 9. & Lugo *disp.* 40. *n.* 44. Ratio est, quia cui licita est fuga, licitum etiam est, removere impedimenta ad fugam. neque enim in hoc resistit formaliter Judici, sed fugit periculum: sicut qui damnatur ad bestias, potest defendere se à Leonibus, eos occidendo: hoc enim non est resistere Judici, sed fugere mortem, quamdiu potest. Ità Lugo, addens limitationem, nisi damnum emergens Reipublicæ vel Custodi esset adeo magnum, ut debeat præferri damno privato ipsius rei. quod raro continget.

135. Ad Argumentum contrariæ sententiæ respondet Sanchez, concedendo quòd reus fugiens teneatur de damno directè dato, nempe solvere vinculorum rupturam, parietis destructionem. De Damno verò secuto indirectè, nempe si puniantur custodes, vel fugiant alii vincti ære alieno gravati, non tenetur. Ad Auctoritatem legis adductæ respondet, vel illas leges præsumere, vim esse illatam ministris, vel fundari in probabilitate contrariæ sententiæ. Card. de Lugo respondet, illas leges esse injustas, & ideo non esse in usu, quoad pœnam mortis. Quoad alias pœnas mitiores, ait, admitti posse,

v.g. quo-

v. g. quoad flagellationem, hæc enim non tam esset pœna in vindictam criminis, quàm terror, ne iterum audeant id facere: sicut dominus punit servum fugitivum, qui tamen juxta probabilem sententiam aliquando fugere potest. Sicut equum baculo ferimus quando cecidit, ne iterum cadat, non in pœnam propriè dictam, sed in monitionem. Sic dominus sicut posset servum deinde cautiùs custodire, & vinculis strictioribus tenere, sic potest eum verberare, non in pœnam, sed ut verberum metus servum loco vinculorum teneat, ne fugiat. Sic etiam Judex propter eandem causam potest verberare reum fugitivum, & carceris effractorem, ut metus verberum quasi vincula reum contineat, ne fugiat.

Carpzovius n. 94. existimat, vi illius legis effractores ultimo supplicio afficiendos esse, si propter commissum delictum, quod mortis pœnam meretur, fuerint incarcerati, modò tamen NB. confessio criminis (quæ vel ob solam effractionem, ceu sufficiens indicium ad torturam, quæstionibus extorquenda est) accedat. Quodsi verò delictum tale non sit, tunc non ob solam effractionem & fugam reos morte plectendos, sed arbitrariâ solummodo pœnâ afficiendos putat cum Farinacio q. 30. Graviori ergo quàm fustigationis pœnâ (& sic convenit cum Lugo) Reum incarceratum ob effractionem carceris puniendum non esse, existimat. Quæ tamen pœna multis casibus mitiganda est: veluti quando per negligentiam custodum, vel aliorum opem & auxilium evasit, aut quando injustè est incarceratus. Denique Judicis arbitrio relinquit, & meritò, quia ex circumstantiis variis variari etiam potest medium ad reum absterrendum.

136. Circa Religiosos specialiter notandum est, eos, si justè in carcere suorum Prælatorum detineantur, non posse licitè fugere, nec à tali loco sibi præfixo abire. Ratio est, quia per votum Obedientiæ privavit se naturali libertate Religiosus veniendi contra voluntatem Superioris. Hoc ipsum tamen limitant Theologi 1. Quando Religiosus timeret pœnam capitis vel mutilationis, adeo enim est naturale Jus tuendi vitam & membra, ut nunquà censeatur illi sufficienter fuisse renunciatum. Limitant 2. Quando injustè esset condemnatus ad carcerem: quod tamen debet illi esse certum, & non ipsius opinioni relinquendum, nam pro sententiæ justitia stat præsumptio. Limitant 3. Quando sententia justa modo injusto mandatur executioni, v. g. si custos neget illi cibum, vestitum, vel alia necessaria. Imò, secundùm Suarez & Lugo, posset licitè fugere, si fuisset justè condemnatus ad perpetuum carcerem, sed ità incommodum, ut æquivaleat damnationi ad mortem paulatim subeundam. Limitatur 4. Si esset damnatus ad Triremes, posset fugere, non quidem, ut vagetur, sed ut se sistat Superiori vel Pontifici, supplicando & petendo veniam. rationem reddit Lugo, quia sic damnatus jam videtur æquiparatus esse sæcularibus ad triremes damnatis, atque adeo subire eorum conditionem quoad licentiam fugiendi. & ità etiam tenet Granadus 1. 2. *de Legib. tr. 3. d. 13. n. 28.*

137. Dubitatur IV. Quid possit ille, qui se Jurejurando adstrinxit ad non fugiendum. Et quidem si carcer justè illatus est, certum est obligari ad manendum, imò & ad redeundum, si contra Juramentum fugit. Difficultas & Dissensio est inter DD. si carcer est injustus. Multi concedunt posse non obstante Juramento eum fugere. Alii limitant hanc sententiam, ut vera sit, quando est periculum pœnæ mortis aut mutilationis injustè inferendæ. Aliqui hoc extendunt, quando timetur injustum damnum etiam in re familiari, vel fama, etiamsi carcer esset justus. Ità Vasquez. Alii ut Navarrus, volunt eum obligari, si carcer sit justus, etiamsi timeatur pœna injusta. Denique Vasquez addit, eum qui timet mortem injustam, non solùm non teneri, sed nec posse licitè redire ad carcerem, quia offerret se temerè morti. Sed de hoc ultimo non puto multùm esse laborandum, quia vix erit, qui sciens se justè fugisse, sit rediturus sponte ad carcerem.

138. Probabilius est, illud Juramentum, regulariter loquendo, obligare ad non fugiendum, quamdiu non relaxatur, etiamsi & carcer est injustus, & injusta pœna timetur. ità aliis relatis Sanchez, Suarez, Salas, Lugo. Ratio est, quia hoc Juramentum est de re licita, & præstitum in favorem tertii. ergo servandum per regulam, quòd sine dispendio salutis servari possit. Antecedens probatur. Nam licèt Judex peccet detinendo, reus tamen non peccat permittendo se detineri. sicut latro vel Usurarius peccat exigendo pecuniam vel usuras, tu tamen non peccas solvendo, & ideo debitum religionis & reverentiæ Deo debitæ petit, ut quantùm in nobis est, non reddamus eum falsum fidejussorem aut testem.

Dictum est in Conclusione; regulariter loquendo. quia, ut notat Lugo, tunc non obligabit, quando jurans reditum, vel permanentiam in carcere, non existimavit tantum esse periculum: cognito enim postea periculo poterit licitè fugere, quia ad hunc casum non se extendit intentio jurantis.

139. Dubitatur V. An licitum sit juvare incarceratum ad fugiendum ex carcere, subministrando illi instrumenta ad fugam parandam, ut funes, limas, malleos, scalas & hujusmodi. Non est

est autem sermo de Officialibus Justitiæ, qui ex officio tenentur providere bono publico, tales enim certum est, nec ope nec consilio posse juvare, nisi vellnt esse proditionis rei. Deinde certum est, quòd non liceat aliis à reo distinctis effodere muros carceris, quia aliis hoc non est medium ad conservandam suam vitam, sicut est ipsi reo, & ideo huic, non aliis natura hoc indulget, quibus ne quidem muros privatæ domûs licet perforare, ne dum custodiam publicam. His positis, in casu dubii,

Negant licere Sotus, Valentia, Navarrus, & alii. Affirmant licere Aragon, Ledesma, Vasq. Salas, Malderus, Lessius, Lugo, qui omissis aliorum probationibus, meliùs probat ex eo, quia sicut possum reo consulere fugam, quia ipsi licita est fuga, & per consequens possum illi consulere, ut perfringat muros, quia ipse licitè hoc facit, ità possum subministrare instrumenta, quia ille licitè potest illis uti, nisi mihi ex alio capite, v.g. quia sum custos, sit prohibitum. Probatur paritas exemplo. Si aliquis haberet Jus piscandi ex certo flumine, vel lacu alieno, vel jaculari feras in sylva aliena, possum ego licitè illi subministrare retia, hamos, bombardas. Rationē à priori reddit, quia qui solùm cōcurrit mediatè ad aliquem actum, qui prout immediatè ab agente est licitus, non potest in ordine ad illum contrahere malitiam, nisi aliunde habeat specialem prohibitionem.

140. Dices. Non est major ratio cur sit prohibitum immediatè cum reo perfodere parietem, & non sit prohibitum subministrare instrumenta. ℞. Negando paritatem, quia qui subministrat instrumenta, solùm concurrit mediante causâ cui licitum est perfodere, sicut licet illi ex hac causa dare consilium ut perfodiat. Sic licet mihi gladium subministrare carnifici, ut suum officium exequatur, sed non licet mihi immediatè concurrere cum carnifice, si hoc non est mei officii: sic licet mihi dare funes lictori ut capiat reum, sed mihi non licet immediatè, ne quidem unà cum lictore capere. ratio est, quia immediatè concurrens læderet sine jure lædendi; sed non qui subministrat instrumenta habenti jus lædendi, quia non determinat illum ad lædendū, sed relinquit in libera illius voluntate, an velit uti jure suo necne. Hinc etiam non liceret mittere famulum ad hoc ut juvet in perforando, quia famulus esset instrumentum animatum, habens obligationem non lædendi immediatè domum publicam.

141. Limitat tamen Card. Lugo hanc Conclusionem dupliciter. Primò, quòd non liceret petere ab artifice, ut faciat clavem adulterinam, quâ possint portæ aperiri, quia artifex sine crimine falsi non posset facere talem clavem, sicut delinqueret, qui subscriptionem falsam Principis submitteret, quâ possit decipere custodem carceris, ut eum dimitteret.

Limitat II. Ut non habeat locum in delinquente, cujus fuga perniciosa esset, v.g. si esset latro & grassator viarum: ex quo capite etiam non licet juvare hæreticum ad fugiendum ex carcere Inquisitionis.

142. Cum doctrina hactenus tradita ex probabili Theologorum doctrina benè stat, posse tales adjutores puniri in foro externo, sicut ipse fugiens potest puniri, nempe, ut suprà declaratum est, ad absterrendos alios ne juvent. Quodsi legislator pœnarum ex rationabili causa (ut posset) vellet obligare in conscientia, tunc certum est, quòd tales adjutores peccarent. Sed defacto non constat de tali intentione, & hujusmodi leges statuentes pœnas adjutoribus, habentur pro merè pœnalibus.

143. Dubitatur VI. An in Jure constituta sit aliqua pœna in effractores carcerum, ut liberent captivos. ℞. Si in tali effractione vis publica committeretur, suprà dictum est, hujusmodi vim publicam gladio puniri. De reliquo pœna est arbitraria, consideratâ personarum conditione, tum effringentis, tum rei liberati, tum Judicis, cujus Jurisdictio violatur.

Neque audiendi sunt, qui conantur ex *l. 1. C. de his qui latrones occultaverint*. probare, esse hujusmodi effractorem puniendum pœnâ illâ, quâ puniendus fuisset ipse incarceratus: nam lex illa loquitur de occultante delinquentes: imò de ipsis latronum receptoribus statuit pœnam arbitrariam, ibi. [Et latrones quisquis sciens susceperit, & eos offerre Judicibus supersederit, supplicio corporali, aut dispendio facultatum, pro qualitate personæ, & Judicis æstimatione plectetur.]

CON-

CONTROVERSIA VI.

Quomodo evitari poßit Incarceratio per Salvum Conductum.

SVMMARIVM.

Qua ratione ad evitandam capturam possit impetrari salvus conductus. 144.

Duplex est salvus Conductus. Veniendi. & Recedendi. & Jure communi posterior includitur in priore. Vbi quid Jure Bavarico. 145.

Potest Salvus conductus Veniendi *concedi absque Recedendi.* 146

Salvus conductus veniendi & recedendi dicitur Generalis. & quis ejus effectus. 147. *& seq.*

Quid favoris contineat Salvus conductus specialis. 149.

A quo nam concedi possit Salvus conductus. 150.

An notoriè reo concedendus. & an conductus specialis possit concedi ab inferiore Judice. 151

An absenti petenti, & offerenti se ad probandam innocentiam, sit concedendus. 152.

An reo præsenti & offerenti fidejussoriam cautionem sit concedendus salvus conductus, vel carcer relaxandus. 153.

Cur Infirmo sit relaxandus carcer offerenti cautionem. 154.

Quid si Judici ex actis constet, reum esse absolvendum. 155.

An virtute salvi conductûs concessi, posset de novo impunè delinquere offendendo adversarios. 156.

An Judex alterius territorii posset transeuntem capere, si cæteroquin vi Jurisdictionis jus capiendi habet. 157.

Si salvus conductus concessus est cum clausula; donec res decisa fuerit. *vel* donec condemnatus fuerit. *an secutâ condemnatione possit statim incarcerari, vel exspectandum decendium appellationi datum.* 158.

Quid si intra decendium fugiat reus. 159.

Quomodo puniendus, qui violat securitatem per salvum conductum concessum. 160.

Si reus in Judicio delictum confitetur, an possit non obstante salvo conductu, incarcerari. 161.

Quæ nam sit obligatio fidejussorum datorum, ante concessum salvum conductum. 162.

An cautio fidejussoria possit omitti, si reus habet in immobilibus. 163

Si nec in bonis habet, nec fidejussores habere potest, an recipienda cautio juratoria. 164.

An & quomodo condemnandi fidejussores, si reus omisit comparere in terminis juridicis, comparuit tamen ad audiendum sententiam. 165.

An concedatur fidejussoribus, ut morem rei purgare possint. 166.

Quomodo procedendum ad Bannum per novam citationem, reo non comparente ad publicationem sententiæ definitivæ. 168.

An Salvus conductus prosit etiam familiæ ipsius rei quam secum ducit. 169.

An Salvus conductus intuitu unius delicti concessus extendatur ad non expressa. 170.

An concessus generaliter ad delicta, extendatur ad futura. 171.

An revocari possit salvus conductus, absque culpa assecurati. 172.

An salvus conductus exspiret morte concedentis. 173.

Judex inferior specialiter prohibetur concedere salvum conductum in causa fractæ pacis publicæ. 174.

144. MOdus evitandi Incarcerationem, & impunè apud Judicem in causa criminali comparendi, est Fides publica, seu salvus conductus, ab eo concessus, qui concedendi habet potestatem. Quando enim Reus accusatus metu alicujus offensæ sibi vel ab inimicis, vel à Judice imminentis, ad tribunal venire detrectat, potest à Judice petere securitatem veniendi, quæ prævia cautione illi concedi solet, ut à metu liber commodiùs se defendere in Judicio possit.

145. Duplex autem est salvus Conductus: Unus *Veniendi*. Alter *Recedendi*. Et potest concedi solus Veniendi, vel simul etiam Recedendi. Et quidem spectato Jure communi quando datur salvus conductus *Veniendi*, censetur etiam inclusus *Recedendi*. Ut tradit Mynsinger *cent. 1. obs. 82. in fine*. Verùm, Jure Bavarico statutum est, quòd in factis notoriis & temerariis cuiquam salvus conductus veniendi & recedendi simul concedendus non sit, sed in iis tantùm casibus concedi possit, in quibus quis innocentiam suam verisimiliter purgare potest, quod etiam affirmat Besoldus in thesauro Juris.

Est autem hoc notabile discrimen: quòd si quis solummodo salvum conductum Veniendi habeat, ac proinde ad carceres deduci non possit, is post lapsos dies juridicos diutiùs quàm Judex ei permiserit, in Bavaria non commoretur, aliàs ad carceres deducatur, & ibi donec finiatur processus, detineatur. Si quis autem tam veniendi quàm recedendi salvum conductum habeat, is donec processus finiatur, in Bavaria securus degat, succumbens verò ex Bavaria recedat. *tit. 5. a. 1.* Deinde art. 3. habetur. Impetrans salvum conductum litteras salvi conductûs Judici præsentet,

& diem Juridicam, quæ ipsi decernatur, petat, eâdemque die Juridicâ, accusatio ex inquisitione formata, & à Procuratore Fisci constituto exhibita, ipsi communicetur: quo facto 14. dierum, vel ad summum trium septimanarum terminum, pro quo rursus dies juridica decernatur, petere possit, sicque omnia in Judicio peragantur.

146. Hoc ergo Jure potest concedi salvus conductus Veniendi, absque salvo conductu recedendi, ut proinde verum non sit, quod tradit Carpzovius *q.* 112. *n.* 8. dicens, quòd salvus conductus veniendi nullum effectum operaretur, nisi implicaret seu includeret etiam securitatem recedendi. Quamvis concedam, quòd quando non expresse limitatur solùm ad veniendum, etiam extendendus sit salvus conductus, & interpretãdus ad recedendũ, quia hæc videtur fuisse intentio petentis, & per consequens secundùm eam intentionem concessus, ità etiam decet fidem Principum & Magistratuum interpretari, ne falaciter egisse videantur, quo pertinet illa Mauritii Electoris Saxoniæ querela seu replicatio, ad quasdam subtiles interpretationes Caroli V. adversùs Landgravii Liberationem (ut ipse Carpz. refert) dicentis: *At ego te tanquam Imperatorem, non tanquam Legistam volo pactiones & fœdera interpretari.* Quibus verbis supposuerat, non repugnare ex natura rei, concedi securitatem veniendi sine securitate recedendi.

147. Salvus conductus veniendi & recedendi dicitur *Generalis*, & hoc operatur, ut quolibet die juridico Reus securè in Judicio comparere, ac inde recedere possit, imò eo elapso recedere debeat, sed cum securitate. Quapropter ulteriùs commorandi securitatem non habet. Ac proinde si citatus extra diem juridicum ibidem inveniatur, in carcerem recipi potest, ex quo respondere cogatur. Neque audiretur accusatus, si excipetet, sibi hac securitate satis cautũ nõ esse in locis per quæ necessariò cogitur transire ad locum judicii, sibi enim imputet (inquit Jo. Zanger *p.* 2, *c.* 5. *n.* 26.) cur hoc à Judice, cujus in illis locis jurisdictio est, vel à Superiore non petierit. Index tamen, qui concessit securitatem, eam non solùm in suo territorio, sed etiam in altero servare debet.

148. Monet insuper Carpzovius, nimis rigidum & severum futurum Judicem, si ob modicum temporis intervallum, intra quòd reus pro sua & suorum, quos secum adduxit, alimentatione, in diversorio vel alibi commoratur, statim ad compedes procedere vellet, cùm tempus in dubio relinquatur arbitrio boni viri. Hinc observari solet, ut quovis die Juridico generalis salvus conductus securitatem per triduum fermè præstet, quorum primus est ad comparendum, alter ad disceptandum in judicio, tertius ad redeundum, nisi dies juridicus ultra diem extenderetur, tunc enim & securitas extenditur. Et hæc de salvo conductu generali.

149. Salvus conductus *Specialis* est, quando citato, præstitâ ab ipso cautione (de qua postea) plena datur securitas, sub publico Judicis sigillo, ut per totum tempus litis durantis liceat ipsi in loco Judicii inter suos commorati, & de libertate cum amicis & cognatis super defensione suæ innocentiæ. Cautio autem præstanda est, de stando juri usque ad determinationem litis, adeoque de *Judicio sisti.* De qua infrà. Definit hunc salvum conductum Carpzovius n. 21. quòd sit Legitimum præsidium citato, præstitâ ab ipso cautione sufficiente, pro aversione periculi carceris, aut alterius offensionis à Magistratu concessum. Circa hunc salvum conductum,

150. Quæritur I. A quonam concedi possit Salvus conductus. Rationem dubitandi præbet *lex* 4. *in fine ff. de Pœnis,* ubi dicitur: Et nemo potest commeatum, remeatumvé dare exuli, nisi Imperator ex aliqua causa. Hinc multi Legistæ simpliciter statuunt, solum Principem supremum posse eum concedere. Verùm, lex adducta non est ad rem, loquitur enim de remissione & relaxatione pœnæ relegationis & condemnationis in certum locum, ut patet ex toto contextu, quod utique nemo alius potest præter Principem. Deinde in Ordin. Camal. ar. 156. jubentur Judices eum concedere. Ergo supponitur posse ab aliis concedi.

Dicendum itaque est, ab omni illo Magistratu concedi posse, qui habet Merum Imperium, hoc est, qui in causis criminalibus judicare potest vi superioris Jurisdictionis. Ratio est, quia cui competit finis alicujus procuratio, debent competere media necessaria ad illum finem: atqui ad judicandas causas criminales sæpè est necessarius salvus conductus. Ergo. Advertendum tamen est discrimen inter salvum conductum immediatè à Principe concessum, & ab Inferiore: quòd qui lædit assecuratum à Principe, committat crimen læsæ Majestatis, non item offendens assecuratum ab inferiore, qui proinde mitiùs punitur.

151. Quæritur II. An illi qui manifestè & notariè reus est, concedendus sit, aut etiam validè ab Inferiore Judice concedi possit salvus conductus specialis. ℞. Negativè. Ratio est, quia quando aliquod medium est inutile ad finem ad quem est unicè ordinatum, non est prudenter ponibile. Atqui quando delictum est notorium, salvus conductus non haberet suum finem, qui est, ut cognosci possit an accusatus sit condemnandus vel absolvendus: jam enim constaret esse condemnandum, & in notoriis non est opus servare Juris solennitates: ergo imprudenter

ut concederetur salvus conductus. Unde meritò infert Felinus, quòd salvus conductus in tali casu concessus possit frangi & violari, quia concessio est nulla. Quod verum est, si reo possit constare, delictum esse ità notorium, ut nullâ tergiversatione celari possit. Sibi enim imputet, quòd noluerit advertere, in tali casu non posse concedi salvum conductum. Quodsi illi non constaret, sed spem haberet, se posse defendi, credo salvum conductum concessum, quantumvis imprudenter, esse servandum; privaretur enim injustè & per fraudem jure se subducendi, quod habet, ut suprà probatum est.

152. Quæritur .III An reo absenti & citato, ac salvum conductum petenti, sit concedendus, quando se offert ad innocentiam probandam, & Judex est dubius de reatu. ℞. Affirmativè. Quia hoc exigit finis salvi conductûs, qui est, ut possit reus sine offensa se in judicio defendere, & ideo non potest illi subtrahi remedium ad hoc necessarium. Alioquin sæpè innocens cogeretur manere suspectus de crimine, quod innocentibus est summè grave. Fidejussoria tamen cautio exigenda est, de qua infrà.

Neque obstat, quòd captura in atrocioribus delictis intuitu fidejussorum relaxari non possit ab inferiore Judice, cùm fidejussor non possit obligari ad pœnam sanguinis. Nam alia ratio est in reo latitante, vel constituto in fuga, ità ut copia ejus aliis modis haberi non possit, tunc enim nulla ratio est cur ei denegandus sit salvus conductus, ut optimè notat Carpzovius: imò imprudenter negaretur, quia omni medio possibili curandum est, ut de delicto vel innocentia constet per Judicium. Quæ ratio etiam procedit, quando Judex vult inquisitoriè procedere, ut consideranti facilè liquet.

153. Quæritur IV. An Reo præsenti, & cujus copia haberi potest, vel qui jam est incarceratus, petenti salvum conductum, aut carceris relaxationem, oblatâ fidejussoriâ cautione, sit concedendus salvus conductus, vel carcer relaxandus. ℞. In delictis atrocibus neutrum rectè fieri. Ità communiter omnes DD. Ratio redditur ex dictis. Quia per fidejussores non est satis cautum, quo minùs judicium eludi possit, quandoquidem fidejussor non possit se ad pœnam corporalem obligare, nec ut sic obligatus conveniri aut puniri, si reus fortè fugiat. Aliud est in levioribus delictis, pro quibus vel pœna pecuniaria, vel carceris, aut relegationis imponenda esset; quia pœna carceris & relegationis potest à Judice in pecuniariam commutari, quæ fisco applicetur. Colligitur ex lege 3. *ff. de Custodia reorum.* ibi. [Divus Pius scripsit, non esse in vincula conjiciendum eum, qui fidejussores dare paratus est. Nisi tam grave scelus admisisse eum constet, ut neque fidejussoribus, neque militibus committi debeat.] Quodsi reus haberet bona immobilia allodialia, & non litigiosa, in territorio inquisitoris, ne quidem fidejussoria cautione opus esset, ut patet, quia in bonis posset pœnæ executio fieri.

154. Dices. Allata ratio videtur nimiùm probare, nempe quòd neque infirmo esset carcer relaxandus, datis fidejussoribus de Judicio sisti, hoc autem est contra omnem humanitatem, si infirmitas talis sit, quæ in carcere curari non possit. ℞. Negando paritatem, quia infirmus (Medicorum Judicio desuper audito) potest extra carcerem custodiri satis securè, nec est periculum ut fugiat, satis ipso morbo vinculatus. Quodsi fraus subesset, & fidejussores essent fraudis conscii, fortè quòd postea per consanguineos aut amicos sit Judicio subducendus, tunc equidem ob hujusmodi fraudem possent fidejussores etiam corporaliter puniri, instar eorum, qui carcerem effringerent, aut alio dolo reum inde liberarent.

155. Sed, quidsi Judici ex actis jam moraliter constet reum esse absolvendum, & innocentem declarandum? ℞. Hoc casu posset carcerem relaxare, etiamsi de crimine atroci inquireretur, sub cautione fidejussoria, ut tradit Clarus *q. 46. n.* 10. quod tamen Judicis prudentiæ relinquendum est, quando fortè speraret nova indicia contra reum. Talis enim relaxatio habet hunc effectum, ut ob idem crimen non possit denuo incarcerari, nisi supervenientibus novis indiciis. Addit idem Auctor, malè agere quosdam Judices, severitatis gloriam affectantes, & retinentes in carcere illos, de quibus dubitant, an fortè nova indicia superventura sint. Rectiùs enim agerent, in tali dubio sequendo magis faventem partem, ne subditos sine necessitate gravent impensis. Denique cavere jubet Judicem, ut idoneos fidejussores recipiat, vel illis petat addi fidejussores securitatis, seu reflexos fidejussores, seu approbatores, qui sint plusquam solvendo, alioquin Judex tenebitur in Syndicatu, ut ipse solvat loco fidejussorum.

156. Quæritur V. An virtute salvi conductûs concessi, posset reus in territorio concedentis impunè de novo delinquere, v.g. offendendo suos adversarios. ℞. Negativè. Ratio est, quia solùm conceditur contra vim facti, quæ redditur illicita, non contra leges alias; & ideo solent instrumentis & litteris salvi conductûs inseri hujusmodi Clausulæ: Damus tibi pacem & securitatem contra vim injustam, ità tamen ut vicissim tu quoque pacificum & modestum te exhibeas. Et utique locum habet Regula: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Et regula Juris 38. in 6. *Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit impugnare.*

157. Quæ-

157. Quæritur VI. An sicut vigore Salvi conductûs concessi, Judex concedens non solùm non potest reum capere in suo territorio, sed neque facere capi in alieno, ità nec Judex alterius territorii, per quod fortè reus vagatur aut transit, possit eum capere, si cæteroquin vi suæ Jurisdictionis Jus habet eum capiendi. ℞. Negativè, nam alteri Jurisdictioni non potest quidquam per Salvum conductum ab alio Magistratu præcisè concessum præjudicari. Quapropter, ut reus etiam in altero territorio securus esset, deberet ab illius territorii Magistratu, vel à Superiore, habente Imperium in utroque territorio, impetrare salvum conductum.

158. Quæritur VII. Si salvus conductus fuit concessus cum hac clausula & restrictione: *Donec per sententiam res decisa fuerit*: vel: *Donec in pœnam condemnatus fuerit*: an secutâ sententiâ condemnationis possit reus statim incarcerari (si quidem secluso salvo conductu incarcerari posset exigente naturâ delicti, & admittente personæ conditione) vel an exspectandum sit, donec elapso decendio transeat sententia in rem judicatam. Ad hoc respondet Carpzovius cum distinctione inter Processum Inquisitorium, & Ordinarium. In processu Inquisitionis (ubi, ex consuetudine hodierna, appellatio non admittitur, de quo infrà) Judex statim potest reum incarcerare, & sententiam executioni mandare. In processu Ordinario verò & per viam accusationis, ubi sententiæ executio per Appellationem suspendi potest, nec ante decendium transit in rem judicatam, durat salvus conductus usque ad lapsum decendii.

159. Sed quid si reus, tenorem sententiæ intelligens, fugiat? Respondet cum Mollero Carpzovius, suspicionem fugæ excludi per fidejussionem præstitam: & in omnem eventum Judici contra non comparentem vel fugientem iis remediis utendum esse, quibus uti posset, si ab initio denegatâ fortè securitate Reus ipse non comparuisset. Quare fuga intra decendium, concessum ad appellandum, non posset per incarcerationem impediri. Interpositâ autem appellatione sicut sententia suspenderetur, ità salvus conductus continuaretur; nam appellatione interpositâ nihil est innovandum.

160. Quæritur VIII. Quâ pœnâ afficiendus sit, qui violat securitatem per salvum conductum concessam. ℞. Si immediatè à Principe supremo est concessus, puniendus est pœnâ Læsæ Majestatis, ut habetur *L. 1. ff. ad L. Jul. Majest.* quæ non est extendenda ad læsionē ab inferioribus Majestatem non habentibus concessi salvi conductûs, nisi nomine Principis concessus esset. Quænam autem pœna sit læsæ Majest. suprà dictum est.

161. Quæritur IX. Si reus habens salvum conductum, in Judicio delictum confessus fuerit, an non obstante Salvo conductu possit in carcerem conjici, & latâ sententiâ puniri. ℞. Affirmativè. Ratio est, quia Salvus conductus eatenus solùm conceditur, quatenus quis innocentiam suam asserit, eámque à se defendi posse contendit: hac ergo conditione deficiente cessat vis & utilitas salvi conductûs. Aliter se res habet, si fuit solùm convictus & non confessus, nec in salvo conductu posita est clausula de qua in quæsito. 7. dictum.

162. Quæritur X. Quænam sit Obligatio fidejussorum per quos à reo cautum fuit, antequam illi salvus conductus concederetur. ℞. Obligari ad Reum Judicio sistendum, ut judicio finito, latâque sententiâ condemnatoriâ, pœna possit exacutioni mandari, & hoc vel sub summa pœnæ pecuniariæ, quæ plerumque solet in ipso fidejussionis actu taxari, vel arbitrariâ Judicis, si nulla taxata est. In qua taxatione considerandæ sunt circumstantiæ delicti, personarum, & maximè periculi fugæ, & inconvenientium inde secuturorum.

163. Quæritur XI. An hæc cautio possit omitti, si reus tantum habet in bonis immobilibus, quanta esset summa in quam fidejussores condemnandi essent. ℞. Affirmativè, juxta regulam Juris 25. *ff. de R. J.* quòd plùs cautionis sit in re, quàm in persona. Ratio ulterior est, quia fidejussores hodierno Jure (ut alibi dictum *tractatu. 9. c. de fidejussorib.*) conveniri non possunt, nisi priùs excusso Principali. Si ergo constat, ex hujus bonis posse tantum haberi, quantum tenerentur fidejussores, hoc sufficiet, nisi bona essent litigiosa, vel essent alia incommoda aut impedimenta, quo minùs fisco perinde esset, illa bona possidere, ac habere fidejussores; quod proinde Judicis arbitrio relinquendum erit. Debet tamen priùs in illis bonis hypotheca Judicialis constitui, & litteræ hypothecæ Judici insinuari.

164. Quæritur XII. Si reus neque bona immobilia habeat, neque fidejussores idoneos habere possit, an cautio juratoria sit recipienda. ℞. In levioribus delictis, si quidem accusatus non sit valde gravatus, putat Carpzovius posse recipi, & sic salvum conductum concedi, in delictis autem gravioribus negat ipse & alii DD. esse recipiendam, nec recipi posse à Judice inferiore, quandoquidem Jura fidejussoriam requirunt, nec uspiam arbitrio Judicis committitur.

165. Quæritur XIII. Si reus, qui obligatus est, toties comparere personaliter quoties citatur, adeoque in singulis terminis judicis, si fortè emaneat in terminis prioribus, sistat se tamen ad audiendam sententiam, an nihilominus ob priorem inobedientiam fidejussores in summam taxatam sint condemnandi, & per consequens, in tot summas sint condemnandi, quoties eman-

emansit. Scabini resolverunt negativè, adeoque, si ad audiendam sententiam comparuit, erunt fidejussores securi: si tunc non comparuerit, in unam tantùm summam condemnabuntur. Ratio est, quia finis fidejussionis est, ne Judicium eludatur: atqui non eluditur si reus compareat ad respondendum, & ad audiendam sententiam, etiamsi in aliis actibus non comparuerit. Ergo, cùm fidejussores solùm adhibiti sint, ne judicium eludatur, non sunt condemnandi nisi ratione illius emansionis, per quam elusorium fit Judicium.

166. Quæritur XIV. Si Reus elapso termino præfixo non comparuit, an statim ipso facto commissa sit pœna, vel concedatur fidejussoribus, ut moram purgare possint. ℞. Admitti ad moræ purgationem per *legem 26. C. de fidejussorib.* [Sancimus, si quis pro alio spoponderit, quatenus eum intra certum tempus tradat, vel certam quantitatem pro eo inferat, & tempore statuto jam effluente non poterit eum præsentare, non statim pecunias pro eo stipulatas inferre, sed competere quidem post temporis lapsum omnimodo pœnalem actionem, non autem statim summam pro qua fidejussor admissus est, profligari. Sed, si quidem usque ad sex mensium spatium (*ex causâ*) tempus statutum sit, aliud tantum ei indulgeri sancimus, intra quod si possit personam exhibere, & eam tradere, pœnâ sit liberatus. Sin autem amplius quàm sex mensium tempus ab initio constitutum est, tunc quantacunque temporis curricula data sunt, tamen post lapsum eorum semestres tantùm habere eum inducias, intra quas sit ei licentia personam & non pecunias reddere. Sin autem & secunda adjectio temporis excedat, tunc omnimodo pœnam pecuniariam persolvat.] Ex qua lege apparet, non universim indulgeri alium terminum priori æqualem, (prout dicit Carpzovius n. 129.) sed solùm, quando prior terminus non excessit sex menses.

167. Quæritur XV. Si pœna cautionis à fidejussoribus soluta est, & reus se non sistit, sed abesse pergit, an possit nihilominus accusator pergere in accusando, usque ad sententiam Banni vel proscriptionis. Ratio dubitandi est, quia videtur iniquum, idem crimen duplici pœnâ puniri, civili & criminali. Hoc tamen non obstante, tenenda est affirmativa, ne scilicet delicta maneant ad sufficientiam impunita.

Ad rationem dubitandi respondet Carpzovius, quòd pœna in cautione conventa & promissa à fidejussoribus, magis intelligitur concernere contumaciam fidejussorum, non sistentium vel exhibentium reum, quàm quòd plectat ipsum crimen facinorosi, quod hoc casu puniendum adhuc restat. & sanè iniquissimum esset, grave & atrox crimen pœnâ tantummodo pecuniariâ coërceri, cùm pœna Corporalis etiam minima major sit quâcunque aliâ pecuniariâ quantumvis magnâ. Ità Carpzovius. Quæ tamen responsio mihi difficilis est. Quia etiamsi fidejussores absque omni contumacia & culpa reum non sisterent, quia eum habere non possunt, decepti ab ipso reo, non propterea liberi essent à pecunia conventa solvenda. ergo propriè loquendo non solvitur illa pecunia ut pœna: nam ubi nulla est culpa, nulla est pœna. Deinde illi habent regressum adversus principalem pro quo fidejusserunt. Itaque non est pœna propriè dicta, sed impropriè, & conventionalis, & potiùs solvitur ex contractu stipulationis. Neque intentio Judicis fuit, ut fieret novatio per hanc obligationem pro pœna principali debita. Manet ergo adhuc principalis impunitus à Judice, & consequenter ob culpam suam adhuc est puniendus. imò etiamsi ex hac solutione aliquam pœnam paterentur, eam paterentur ob novam culpam, quâ fallit fidejussores.

168. Illud tamen ex eodem Auctore addendum & notandum est, quòd Reo, cui securitas sub cautione concessa fuit, in termino publicationis definitivæ sententiæ faciendæ non comparente, non statim ad Bannum sive proscriptionem procedatur, sed peculiaris citatio processum hunc præcedere debeat per edicta publica ad audiendum, quomodo ad Bannum contra eum agatur.

169. Quæritur XVI. An Salvus conductus prosit etiam familiæ ipsius rei, quam secum ducit, ità ut nullus illorum offendi possit, sicut Principalis. Respondet Menochius, & ex eo Gilhusius *c. 3. p. 1.* affirmativè. Nam privilegium datum personæ, extenditur etiam ad ejus familiares. Verùm, hoc ego puto intelligendum de illis, qui non sunt alicujus criminis rei. Nam alioquin possent sub præsidio unius plures criminosi venire, quod non est ex intentione concedentis salvum conductum.

170. Quæritur XVII. An salvus conductus intuitu unius delicti accusati vel inquisiti concessus, extendatur etiam ad alia ejusdem rei delicta non expressa. Respondet Gilhusius, extendi ad delicta minora illo quod est expressum, pro quo citat Baldum. videtur enim hæc esse intentio concedentis.

171. Quæritur XVIII. Si Salvus conductus fuit generaliter pro omnibus delictis concessus, an extendatur etiam ad delicta futura. ℞. Negativè: adeo ut ex novo delicto salvus conductus concessus infringatur, nec etiam quoad præcedentia delicta servandus sit, ut etiam suprà insinuavi. Quia sub hac lege concessus intelligitur, ut reus se modestè gerat; quare frangenti

fidem fides servanda non est. Quòd autem fidem non servet, inde deducitur, quia per novum delictum offendit Rempublicam, adeoque & illum à quo ut repræsentante Rempublicam salvus conductus concessus illi est.

172. Quæritur XIX. An ex aliqua superveniente causâ, quæ absque culpa assecurati emergit, possit revocari Salvus conductus concessus. Ad hoc dubium respondet affirmativè illudque exemplificat Magalotus, *de salvo conductu p. 4.* commemorat enim exemplum Ducis Mediolanensis, qui offidaverat seu assecuraverat bannitos alienigenas, & dubitatum fuit, an superveniente bello, (& sic novâ causâ) ob quod de bannitorum fide rationabiliter poterat dubitare, ipsi Duci liceret Salvos conductus revocare, & conclusum fuit, posse.

Accuratiùs tamen, meo judicio, respondet Farinacius q. 29. *n.* 64. Posse quidem Salvum conductum revocari, sed absque revocationis notificatione nõ posse assecuratum capi, sub prætextu novæ causæ supervenientis: hoc enim iniquissimum esset, nec Jura permittunt, nec rationes probant.

173. Quæritur XX. An Salvus conductus exspiret morte concedentis, vel si ejus Jurisdictio finiatur. Affirmat absolutè Gilhusius. Quod tamen, meo judicio, solùm verum est, re adhuc integrâ, & quamdiu assecuratus non est illo usus, nec in loco comparuit. Nam si jam comparuisset, iniquissimum esset, si à Successore incarceraretur.

174. Denique advertendum est, quòd Judex inferior specialiter prohibeatur concedere salvum conductum in causa fractæ pacis publicæ. hoc enim soli Judici Camerali, nomine Imperatoris & Statuum Imperii, permissum est. *Ord. Cam. parte* 2. *tit.* 10. ibi. [Simul & cum ista citatione, suspecto, nostro loco, & sacri Romani Imperii nomine, salvum conductũ pro se ac suis quibuscunque, quos ad eum diem secum adduxerit, indifferenter, & absque fraude dictâ diem adeundo, & ab ea recedendo, ad loca sua tuta præstabit in Scriptis.] Et hæc de Salvo Conductu.

CAPUT VI.

DE EXAMINE, ET RESPONSIONIBUS REI.

175. PRiusquam ad Criminis inquisiti vel accusati probationes procedatur, videndum est, an spontanea Rei confessio haberi possit, ne in examinandis testibus inutilis mora trahatur. Nam sicut convictus, ità & confessus condemnari potest, cùm Confessio judicialis & legitimè obtenta, sit probatio probata, & efficacissima, juxta Evangelicũ illum servũ, cui dictum est: *Ex ore tuo te Judico serve nequam.* Et si reus ex probationibus condemnaretur, non exploratâ priùs ejus confessione, Juris ordo inverteretur, quia reus inauditus condemnaretur, quod est contra omnia Jura, quæ continentur in titulo Digestorum & Codicis: *de requirendis Reis & c.* 1. *de causa possess.* dicitur: *Nec nos contra inauditam partem aliquid possumus definire.* Quin & apud Judæos hæc erat lex inviolabilis, Jo. 7. dicente Nicodemo, & iniquos Judices redarguente. *Nunquid & lex nostra judicat hominem, nisi priùs audiverit ab ipso, & cognoverit, quid faciat?* Ratio ulterior est; quia etiamsi probatum esset, cõmissum esse à Petro homicidium, adhuc tamen incertum est; an sit inexcusabile, & ideo Justitia requirit, ut audiatur reus; an possit factum defendere & exculpare, prout Romani supponebant, testante Portio Festo act. 5. *Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, ut pereat, priusquam is qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat, ad abluenda Crimina quæ ei objiciuntur.*

CON-

CONTROVERSIA I.

Quomodo formandi sint Articuli Inquisitionales.

SUMMARIUM.

Quomodo debeat interrogatio esse articulata. 176.
Articuli super illis tantùm formandi sunt, de quibus indicia verisimilia præhabentur. 177.
Hinc non sunt rei interrogandi generaliter, an consueverint tale crimen committere. 178.
Non sunt ponenda plura interrogatoria in uno eodemque articulo. 179.
Quandoque expedit idem interrogatorium diversis verbis repetere. eod.

176. Dicendum I. Interrogationem debere esse articulatam, hoc est, singula facta ad rem pertinentia, singulasque facti qualitates & circumstantias, certis, claris, & rotundis articulis includendo, & desuper reum examinando. Hæc conclusio est aliquo modo de Jure naturæ: hæc enim accuratio in examinando, est universaliter loquendo in causa gravissima, qualis est criminalis; necessaria, ne per confusam examinationem judicium reddatur intricatum, & periculum sit, ne vel veritas supprimatur, vel innocens gravetur, quod periculum non abesset in perfunctoria & confusa interrogatione.

177. Dicendum II. Crimina, de quibus antecedenter ad inquisitionem specialem Judex nihil est informatus, non sunt articulis inferenda, sed super illis tantùm factis formandi sunt, de quibus indicia verisimilia præhabentur. Ità habetur expresse in Ord. Crim. Carol. art. 20. Et quamvis articulus iste loquatur de examine faciendo in tortura, eadem tamen est ratio de antecedente examine.

178. Hinc malè ageret Judex, si Reum accusatum de furto v. g. examinaret generaliter interrogando, an sit solitus committere furta? sed in specie, seu, ut Logici loquuntur, in individuo, an commiserit hoc furtum, in tali loco & tempore, in tanta quantitate? Ratio est, quia generalis illa & confusa interrogatio, extenderet se ad furta de quibus nulla exstant indicia. Et insuper ratione furti inquirendi & accusati, præcluderetur reo via præparandi suas defensiones. Imò, etiamsi confiteretur se sæpè aliàs furatum esse, hæc non esset confessio illius furti de quo hic & nunc accusatus est. Simili modo inepta esset interrogatio, an vulneratus (ponamus quòd se vulnerâsse confessus sit) ex vulnere decesserit. Nam vel reus responderet affirmando: Et hæc responsio nihil probaret, quia hoc ipse certò scire non potest, sed debet constare per inspectionem vulneris, ut constet de corpore delicti. Vel responderet se nescire, & sic respondendo perinde est, ac si non fuisset interrogatus. Uno verbo, illa interrogatio, cùm eò tendat, ut reus confiteatur homicidium, & inde possit condemnari, viam sternit ad iniquam sententiã ferendam, præcludendo reo viam defendendi se, quòd vulneratus non ex vulnere decesserit. Et hoc modo peccâsse plures Judices Mediolani, asserit Signorolus, dicens esse modum examinandi Diabolicum ut refert Clarus q. 45. n. 11.

179. Dicendum III. Non sunt ponenda plura Interrogatoria in uno eodemque articulo. Ratio est, quia per hoc etiam graviter decipi posset inquisitus, qui respondendo fortè ex simplicitate ad unum interrogatorium affirmativè, notaretur in Actis quasi totum articulum confessus esset.

Dicendum IV. Quandoque expedit, unum idemque interrogatorium aliis & aliis verbis repetere, dummodo id non fiat captiosè ad reum involvendum, & ejus verba in sensum à genuino alienum interpretando, sed in eum finem, ut eò magis constet de responsionis conformitate, vel variatione, quorum primum proderit reo, alterum nocebit, quia potest variatio viam aperire ad torturam, si adsint cætera requisita.

CONTROVERSIA II.

Quâ ratione ad articulos respondendum sit Reo.

SUMMARIUM.

Responsiones extrajudiciales non haberent vim confessionis. 180.
An exigendum juramentum de dicenda veritate. 181.
Redditis responsionibus potest judex ad articulos de novo formatos exigere responsionem. 182.
Quid si reus antecedenter neget crimen, an omissis propositionibus possit procedi ad probationes, si verò fateatur, ad sententiam condemnatoriam. 183.
An liceat interrogationibus inspergere minas. 184.

Hh 2 An

180. DIcendum I. Reus non tenetur respondere ad articulos propositos, nisi in Judicio, coram Judice & Assessoribus (ubi Assessores adhibentur) proponantur: & si aliter fieret, responsiones extrajudiciales non haberent vim confessionis delicti.

181. Controversum est, an sit priùs, quàm respondeat reus, exigendum juramentum de dicenda veritate. Negat rotundè Carpzovius, & invehitur acriter in Judices Juramentum exigentes *n.* 42. *q.* 113. & rationem reddit, quòd imponentes hoc modo reis Juramentum purgationis, eo ipso viam effugiendi pœnam promeritam iis demonstrant. Nam præstito hoc juramento, inquisiti crimen diffitentes à pœna & inquisitione prorsus liberantur.

Hæc tamen ratio non stringit. Non enim verum est, quòd Juramentum *respondendorum* semper sit Juramentum purgationis, sed adhiberi potest ad conscientiam arctandam, esto non hoc ipso quòd reus juraverit, teneatur illi Judex credere: potest enim nihilominus ad probationes procedere.

Rosbachius *tit.* 3. *c.* 1. *n.* 2. rotundè dicit, responsiones ad articulos seu positiones medio juramento *respondendorum* fieri debere. Julius Clarus *q.* 45. *n.* 9. fatetur, in Italia praxin habere ut Juramentum exigatur, nec se ausurum à praxi tali recedere, quamvis fateatur eam sibi displicere, & hoc ob periculum Perjurii moraliter certi.

Ego audivi sæpius pro regula allegari, Reo non esse deferendum Juramentum, sicut solet testibus deferri, ob periculum Perjurii. Et sanè videtur parùm utilitatis habiturum, etiam in illis qui nolunt perjurium committere, si fortè sint instructi, quâ ratione, & in quibus causis possit responderi cum restrictione mentali. Consentit reipsâ Sanchez *lib.* 6. *Consil. c.* 3. *dub.* 34.

Dicendum itaque II. Nisi consuetudo aliud habeat, videtur rectiùs ab exigendo hujusmodi juramento abstineri; ob rationes allatas, & quia Jura nullibi imponunt Judici, ut ad Juramentum *respondendorum* reum adstringat.

182. Dicendum III. Redditis ad articulos propositos responsionibus, potest Judex novis formatis articulis ad eosdem exigere responsionem, non obstante, quòd cæteroquin in processu Ordinario non liceat mutare libellum post litem contestatam, & redditas responsiones. Ratio disparitatis est, quia, bono communi sic exigente, in processu Inquisitionis proceditur summariè, non servato juris ordine, ne delicta maneant impunita. Unde quando dicitur, quòd processus Inquisitorius successerit in locum Ordinarii, & per vulgaria subrogatum sapiat naturam illius cui est subrogatum, intelligendum est in præsenti materia, quoad ea quæ favent Inquisitioni, non quæ ejus finem impediunt, aut difficiliorem reddunt. Sic Judex ex officio & per Inquisitionem procedens, etiam post publicatas attestationes potest ad offensam rei novas probationes, novos testes admittere, quod non licet in ordinario processu, ut præced. to. dictum est.

183. Dubitatur I. An, si reus antecedenter ad articulos sibi propositos crimen neget, possit statim, omissâ illorum propositione, procedi ad criminis probationes: item si illud confiteatur, possit, omissâ illorum propositione, statim ad sententiam & condemnationem procedi. Affirmat Marian. in c. *Qualiter & quando de accus.* Verùm, Carpzovius ait, contrarium in praxi servari, & articulos nihilominus formari, & reum super iis examinari: quod etiam testatur Clarus *q.* 45. *n.* 5. imò ipse Marianus sibi contrarius apud eundem. Ratio est, quia sic fit clarior & apertior Rei responsio. In levioribus tamen criminibus aliud observatur.

184. Dubitatur II. An liceat Judici examinanti inspergere minas torturæ, ut sic faciliùs obtineat spontaneam confessionem. Affirmant aliqui. Sed rectiùs ab aliis negatur licere, quamdiu non habentur sufficientia indicia ad torturam. Ratio est, quia minæ essent injustæ, minaretur enim Judex aliquid, ad quod non habet Jus. Deinde talis confessio subsecuta redderetur dubia, an esset confessio spontanea, vel per torturam extorta, metu nimirum illius, cùm tamen multùm intersit inter confessionem spontaneam, & metu tormentorum factam, ut patebit. Quòd autem redderetur dubia, patet ex eo, quia sunt DD. qui dicunt paria esse, per torturam confessum esse, & metu tormentorum. Quamvis teste Claro q. 64. n. 31. praxis habeat, ut talis confessio habeatur pro spontanea, præsertim si sint minæ leves, nec confessus sit persona timida.

185. Dubitatur III. An liceat Judici fictâ impunitatis promissione elicere confessionem delicti.

delicti. Affirmârunt aliqui ex eo fundamento, quòd exemplo Salomonis constet, licere Judici aliqua simulare. Verùm, repugnat veræ Theologiæ, licere unquam, ad quodcunq; bonum obtinendum, mentiri, quod fieret in posito casu, & aliud est simulare seu fingere, aliud mentiri. Sed

186. Dubitatur IV. Et difficiliùs, an ex confessione sic obtenta liceat Judici procedere ad condemnationem. R. Theologicè certum esse, quòd non liceat. Nam Judex fraude obtinuit illam confessionem: ergo per injuriam conjecit reum in talem statum: ergo tenetur ex justitia restituere in antiquum statum, quantùm in se est. Unde mihi certum est, quòd vi talis confessionis non posset Judex ad torturam procedere, si non habeat alia indicia ad torquendum sufficientia. Accedit, quòd facilè contingere posset, ut etiam innocens promissâ impunitate alliceretur ad confitendum crimen quod nunquam commisit, nempe quia timet, ne fortè, si neget, tormentis subjiciatur, aut diuturno carcere vexetur. In facti contingentia, ut refert Clarus, quædam Catharina Candolia, quæ coram Judice confessa fuerat se partum necâsse, cùm deinde assereret, illam confessionem à se per Judicem blandis verbis, minisque extortam fuisse, idque probâsset coram Judice delegato, fuit tantummodo torturæ subjecta, & cum perstitisset in negativa, fuit absoluta.

187. Cæterùm notandum est, quòd dixerim, Judicem teneri ex Justitia, quantùm in se est, servare indemnem. Quam opinionem pluribus DD. in utramque partem relatis, Clarus *q. 55. n. 9.* tanquam æquiorem præfert, nempe impunitatem esse præstandam à Judice, si est in ejus potestate. Si verò non est in ejus potestate, tunc inquit, sibi imputet, qui credidit tali promissioni. Addit tamen statim, quasi se corrigens: *Nunquam tamen hujusmodi reum condemnarem ex tali Confessione ad pœnam ordinariam delicti, nisi esset aliis etiam indiciis gravatus.* Ego autem prorsus censeo talem confessionem, si postea à reo retractetur, habendam esse pro Nulla, perinde acsi facta non esset, quia non est legitimè obtenta. Et nunc video Farinacium ejusdem esse opinionis *q. 81. cap. 8. toto.* ubi illud ipsum advertit, *n. 280.* quod ego paulò antè notaveram: pluries (inquit) vidi, multos sub spe impunitatis confessos falsum dixisse de se & aliis. Credentes enim se confitendo liberos, non advertunt, neque curant contra se & alios mentiri. Ad hæc igitur vitanda caveas tu Judex ab hujusmodi promissionibus. Quòd si fortan inanis gloriæ cupidus & ad extorquendam confessionem impunitatem promiseris, scias te NB. nec in foro conscientiæ, nec etiam in contentioso (quidquid ibi contrari-um dixerit Bossius) posse istum reum condemnare. Ita Farinacius.

188. Dicendum III. Propositionem articulorum & Interrogationes debet comitari admonitio rei, ut in suis responsionibus diligenter deducat, quæ ad ipsius defensionem facere possunt. Ipsæ autem responsiones ab actuario seu Notario cum omni diligentia, & quantùm fieri potest, in formalibus terminis, & cum omnibus ad defensionem rei pertinentibus deductis annotandæ sunt. Hæc, junctâ praxi, habentur articulo 184. Ord. Carol. Ratio est in aperto; quia ex actis formandus est reliquus processus & sententia.

189. Dicendum IV. Admonendus insuper est reus, (nisi per se id faciat) ut responsiones reddat distinctas, & claras, ad singulos articulos & positiones, hoc est, categoricas, affirmando, vel negando, secundùm suam scientiam quam habet, omissis ambagibus, & circumlocutionibus quibus responsio involvitur: unde & interrogationes iterandæ sunt, donec obtineatur responsio talis, ex qua Judex certò cognoscere possit, quid reus neget, & quid probandum restet. Quòd si reus pergat inconvenienter respondere, aut omnino tergiversetur, cùm se reddat hoc ipso suspectum, potest in criminibus gravioribus ex hoc tanquam sufficienti indicio ad aliquam torturam procedi, ut categoricam responsionem reddat. Ratio est manifesta, quia nisi hoc liceret, esset in potestate cujusque Rei, sententiam & supplicium declinare.

190. Dicendum V. In delictis levioribus, quorum non est pœna corporalis, Reo imponitur respondendi necessitas sub pœna confessi, ut scilicet nolens respondere, convenienter habendus sit pro confesso & convicto, & in pœnam arbitrariam condemnetur ob contumaciam, quæ est ficta & imaginaria probatio, in præsumptione fundata. Ità DD. communiter.

191. Dicendum VI. Sicut non permittitur reus respondere ore alieno, v. g. Advocati, (ut suprà dictum est) ità nec scripto. (nisi mutus esset, & ipsemet scriberet in præsentia Judicis.) Ratio est eadem, quia ex vultûs constitutione & variatione, tergiversatione, intermixta revocatione seu correctione, multa indicia colligi possunt ad fundandam suspicionem delicti, & quæ Judici deserviant ad ulteriùs procedendum, & quidem ad torturam.

CONTROVERSIA III.

An ad hoc, ut Reus obligetur respondere, debeat priùs certificari à Judice de meritis, seu indiciis sufficientibus ad interrogandum.

SVMMARIVM.

Proponitur ratio affirmandi & negandi. 192.
Ex eo quòd Judex habeat jus interrogandi, malè infertur obligatio patefaciendi indicia. 194.
Modus conciliandi utriusque opinionis A A. 195.
An possit reus absque mendacio negare factum, sciens Judicem interrogare ex falsa præsumptione, vel ex responsione falsum præsumpturum. 197.

192. Respondent affirmativè Theologi, Cajetanus, Sotus, Navarrus, quos refert & sequitur Lugo *d.* 40. *n.* 2. Ratio esse potest, quia sicut ad hoc ut obligetur respondere, debet ei constare de Jurisdictione Judicis, ità & de proximo fundamento interrogandi, per quod aliquo modo completur in præsenti Jurisdictio. Nam quamdiu illi dubium est, an juridicè interrogetur, possidet suam bonam famam bonâ fide: ergo non tenetur eam prodigere.

Negativè respondent alii Theologi, Paludanus, Sylvester, Antoninus & alii, quos refert Diana 3. *p. tract.* 5. *Miscell. resol.* 91. & 106. Ratio horum est, quia in dubio tenentur subditus obedire Superiori, quamdiu non apparet manifestè peccatum.

193. Ad hanc secundæ sententiæ probationem respondet Card. de Lugo; illam procedere, quando est sermo de re præcepta, an sit licita, & subditus ignorat, an sit vel non sit licita, tunc enim debet propter auctoritatem Superioris deponere dubium, & supponere rem esse licitam. At verò in præsenti controversia est quæstio & dubium de potestate Judicis, & ideo in hoc casu speciali non tenetur reus obedire respondendo, quia Judex non habet à Republica potestatem interrogandi viâ inquisitionis subditos pro libito, sed interrogandi in certis casibus, tunc scilicet quando est publicum delictum, vel probabile saltem si procedat per accusationem: debet ergo priùs manifestare subdito potestatem quam habet, alioquin ipse subditus possidet suam libertatem: Judex autem non possidet potestatem interrogandi, nisi cum talibus circumstantiis: imò Respublica non censetur dedisse ei potestatem interrogandi, nisi ostensâ priùs probatione sufficienti ad legitimè interrogandum, propter magna inconvenientia quæ sequerentur, si posset Judex interrogare non ostensâ præviâ probatione. Jam ergo subditus non dubitat in præsenti, sed potiùs judicat prudenter, Judicem non posse hìc & nunc interrogare, donec ostendat fundamentum quod habet ad interrogandum.

194. Nisi graviter fallor, in hoc discursu confunduntur duo valde distincta, nempe, quòd Judex non habeat potestatē interrogandi, non habitis priùs sufficientibus Indiciis: (& hoc est verissimum. hanc enim potestatem non habet, & ex hac sequerentur gravissima inconvenientia, ut suprà declaratum est) Et, quòd non habeat potestatem interrogandi, nisi priùs manifestatis Indiciis: quod erat Lugoni probandum; nec enim ex priore hoc legitimè infertur. Potestque contrarium ex ipsius Lugonis doctrina probari. Nam quando reus ignorat, an Judex habeat legitima indicia, adeoque rectè præcipiat ut respondeat, deberet potiùs dubium deponere, & præsumere eum habere, & non injustè exigere responsionem. Et quia Lugo suam totam doctrinam extendit etiam ad testes, quòd ipsis debeat constare de justa causa inquirendi & interrogandi, dico hoc esse contra quotidianam praxin, vidi enim sæpè testes super delicto alieno examinari, nec unquam illis priùs fuerunt detecta indicia ex quibus inquirebatur specialiter in reum.

195. Videntur ergo mihi duæ relatæ sententiæ posse conciliari, si dicamus, quòd Judex possit absque inconvenienti interrogare reum super articulis ex præcedentibus indiciis & generali inquisitione formatis, absque eo, quòd illi manifestet indicia. Per hanc interrogationem non imponitur obligatio reo statim absolutè respondendi: Verùm, licet illi, si velit, excipere, se non credere adesse sufficientia indicia ad inquirendum in se, ac proinde, cùm sciat, non licere Judici interrogare, nec ad respondendum obligare nisi habitis indiciis, petere se, ut hujusmodi indicia sibi manifestentur; & tunc omninò credo quòd Judex teneatur illa manifestare, quia debet reo fieri facultas illa indicia purgandi. V. g. visus est reus cum gladio sanguine asperso incedere per plateam, & ex hoc indicio inquiritur in eum de homicidio commisso. potest hoc indicium purgare per testes, quòd gladium ab alio abjectum invenerit in platea, vel quòd illum extraxerit ex cadavere occisi. Quodsi Judex rationabiles causas haberet, necdum manifestandi indicia, & diceret reo, se habere abundè indicia, sed quæ hìc & nunc non expediat manifestari, nec ipsius rei interesse illa scire, puto ve-

ram eſſe ſecundam ſententiam, & reum teneri reſpondere, ſtante præſumptione pro Judice, quamdiu reus non habet probabilem rationem dubitandi.

196. Et ſanè P. Sanchez non videtur mihi conſequenter procedere, dum n. 3. limitat ſuam ſententiam ad cauſas graviores, in quibus magnum periculum ſequitur: ſecùs, inquit, in levioribus, ubi leve ſequitur periculũ. tunc enim ſi conſtet Judicem eſſe virum probum & peritum, tam reus quàm teſtis in re dubia tenetur veritatem fateri. Rationem reddit, quia injuria fieret Judici probo, ſi in his levioribus illi fides non adhiberetur. Ego autem dico, quòd imò in gravioribus illi major fieret injuria, quia ſicut in gravioribus eſſet gravius peccatũ, velle reum fallere examinando, quando non habet Jus examinandi, ità major eſt injuria, nolle viro probo credere, quia probitas magis abhorret à culpa gravi quàm à levi. Deinde probitas non tribuit Judici Jus interrogandi, ſi à Jure illud non habet: atqui ſine Jure interrogandi non datur obligatio reſpondendi: ergo ſi in levioribus non habet Jus interrogandi, probitas non obligabit reum ad reſpondendum.

197. Dubitatum eſt, an poſſit reus abſque mendacio, & etiam abſque perjurio, ſi fortè priùs præſtitit Juramentũ *reſpondendorum*, negare id ſuper quo interrogatur, ſi ſcit Judicem interrogare ex falſa præſumptione, vel quòd eſſet ex confeſſione talis rei præſumpturus delictum, v.g. ſi interrogetur, an ſtricto enſe exiverit è tali domo, in qua homicidium commiſſum eſt; & ipſe quidem exivit, ſed non occidit. R. Cum communi Theologorum, affirmativè. Ratio eſt, quia ſi Judex ſciret, eum non occidiſſe, non haberet cauſam interrogandi, & per talem negationem nemini nocet, nec facit, ut delictum maneat impunitum, ſed potiùs impedit, ne innocens præſumptione gravatus torqueatur. Ergo non negat contra mentem Judicis, qui ſanè ipſe deberet malle reum negare, quàm fateri. Itaque negationis ſenſus eſt: *Nego me exiiſſe cum gladio reum homicidii, ut tu præſumis, vel præſumpturus eſſet, ſi faterer.* Ità cum S. Thoma *q. 69. a. 1.* ſentiunt Theologi, quos refert & ſequitur Diana & Lugo. Verùm, caveat reus, ut non neget, quod fortè poterit legitimè probari, tunc enim ſibi graviùs noceret, quàm prodeſſet, niſi ſciat, quòd ſi convinceretur, adhuc haberet modum ſe defendendi ab homicidio, & tunc declaret, ſe priùs ideo negaſſe, quia habuit Jus negandi, ſciens ſe interrogari ex falſa præſumptione.



CONTROVERSIA IV.

An, quoties Reus Juridicè interrogatur, quia ſcilicet adſunt ſufficientia Indicia ad interrogandum, vel delictum ſcit eſſe ſemiplenè probatum, teneatur in conſcientia reſpondere veritatem contra ſe.

SVMMARIVM.

198. Celeberrima eſt hæc apud Theologos, ad quos ſpectat, controverſia, & practica, ſerviens pro inſtructione Confeſſariorum, ad dirigendos hujuſmodi pœnitentes, ſi ab ipſis conſulantur.

Prima & valde communis eſt ſententia affirmativa, etiamſi ultimo ſupplicio ob crimen confeſſum ſit afficiendus reus. Ità S. Thomas *2.2. q. 69. a. 1. in C.* ubi damnat negantem peccati mortalis, & quidem contra Juſtitiam. S. Thomam ſequuntur præter Thomiſtas ex noſtra religione Leſſius *c. 31. n. 12.* Sanch. *lo. cit. c. 3. dub. 29.* Toletus, Dicaſtillo *diſp. 6. dub. 3. n. 6.* & Lugo vocat probabiliſſimam.

199. Secunda ſententia negat hanc obligationem eſſe univerſalem, ſolentque ab Auctoribus hujus ſententiæ excipi varii caſus: veluti, ſi timenda ſit ſententia mortis, damnatio ad triremes, confiſcatio omnium bonorum, & univerſim in examine gravium delictorum, in quibus perveniri poteſt ad torturam, non in levioribus. Et quamvis hanc ſententiam Turrianus dixerit improbabilem, & auctoritate deſtitutam, ex tamen

men ab aliis innumeris probabilis vocatur, quos longo catalogo refert Lugo, vocans eam valde probabilem, & in praxi secutam, præsertim in causis capitalibus. Imò tandem fatetur, stando in ratione, sibi videri multò probabiliorem. Imò etiam ut probabiliorem defendunt Navarra *lib. 2. de restit. cap. 4. n. 137. & seqq.* referens Abbatem, Sylvestrum, Angelum, Armillam & alios, item Emanuel Rodriquez in suma tract. de Ordine Judiciali c. 10. n. 1. ubi pro eadem citat Salzedum. Hæc sententia reo favorabilis est. Et

200. Probatur I. De ratione Legis humanæ est, ut sit conformis humanæ conditioni & infirmitati, cujus observantia communiter spectari possit, alioquin ad aliud non serviret, quàm ad illaqueandas conscientias, & multiplicanda peccata, absque ullo emolumento Reipublicæ, cujus intuitu lex ipsa lata est. Atqui esset suprà humanam infirmitatem, & communiter inspectabile, quòd quis timore peccati dicat contra se ipsum testimonium, vi cujus condemnetur ad mortem vel aliud gravissimum damnum, quamdiu illi spes est evadendi per constantem negationem delicti, prout quotidiana experientia docet: nam vel rei defacto plerumque negantes delictum, apprehendunt & agnoscunt aliquam hujusmodi obligationem gravem fatendi crimen, vel non agnoscunt. Si agnoscunt, experientia docet, ab ea illos non absterreri à negando, & sic vera est minor propositio. Si non agnoscunt: ergo Lex est otiosa & inutilis, utpote communiter ignorata.

201. Probatur II. Delicto contra reum plenè probato, adhuc est licitum reo non comparere apud Judicem cum tanto periculo, & si jam captus est, potest licitè fugere, non obstante prohibitione, ut suprà ex hoc ipso fundamento probavimus cum communi sententia, nempe quia præponderat Jus naturale ad propriam vitam tuendam: ergo idem Jus excusabit illum à confessione criminis, quamdiu negatio criminis apparet utile medium ad conservationem vitæ, & cæterorum gravissimorum damnorum evitationem.

202. Probatur III. A minore ad majus. Quisque est sibi ipsi magis conjunctus quàm cuicunque alteri: Atqui nemo tenetur in tam periculoso examine dicere testimonium adversùs personam sibi valde conjunctam, ut suo loco ex communi dictum est, imò repelluntur à testimonio dicendo ob præsumptionem, quòd non sint sincerè testificaturi. Ergo multò magis excusabitur quis ab obligatione gravi testificandi contra seipsum, & quidem testimonio faciente plenam probationem.

203. Probatur IV. Tunc solùm potest lex humana obligare subditos ad subeundum vitæ periculum, (& aliud damnum non multò minùs grave) quando ad evitandum maximum Reipublicæ aut patriæ damnum talis obligatio & talis periculi susceptio est necessaria. Atqui confessio delicti quantumvis gravissimi, non est unquam necessaria ad evitandum maximum Reipublicæ damnum; nam omne damnum quod fortè timeri potest ex evasione & impunitione rei, sufficienter evitatur, si reus habeat propositum firmum non ampliùs lædendi Rempublicam, quale propositum utique tenetur habere, sicut & ille qui è carcere fugit, aut citatus non comparet: ergo sicut ad vitandum Reipublicæ damnum non est necessaria comparitio, ità nec confessio delicti.

204. Probatur V. Nemo potest obligari ad testificandum contra alium, quando ex tali testificatione timeret sibi grave damnum aliquod ex suprà recensitis, nisi hoc esset necessarium ad tantum Reipublicæ malum evitandum, ad quod evitandum teneretur subditus hujusmodi damnum subire: ergo à fortiori non tenebitur testificari contra se cum periculo incurrendi hujusmodi damnum. Mirabile enim esset (inquit Lugo) si testis talis excusatur, quando vidit alium delinquentem, & non excusetur, si ipsemet sit delinquens.

205. Restat, ut respondeatur ad argumentum contrariæ sententiæ, quod variis modis proponi potest.

S. Thomas loco citato sic argumentatur. Judex est Superior respectu ejus qui judicatur: Et ideo ex debito tenetur accusatus Judici veritatem exponere, quam ab eo secundùm formam juris exigit. Hoc argumentum omnibus solvendum est in licentia fugiendi, vel non comparendi post insinuatam legitimam citationem. Quomodo directè respondendum sit, patebit ex dicendis. Breviter negatur suppositum, quòd Judex posset ferre præceptum obligans supra humanam infirmitatem, & cujus observatio communiter sperari non potest.

206. P. Dicastillo tribus verbis probat sententiam contrariam, dicens. Alioquin vana esset potestas Judicis. ℟. Non esse vanam patebit ex dicendis.

207. Alii speciosiùs sic proponunt. Judex habet potestatem exigendi Juramentum à Reo, & legitimè reum interrogat: ergo reus tenetur ei respondere: alioquin daretur bellum justum ex utraque parte, si Judex justè & legitimè interrogaret, reus verò posset justè non respondere.

Ad hoc argumentum respondetur cum Card. de Lugo, imprimis, sæpè obligari reum ad fatendam veritatem, quando non est periculum tanti damni, quod humanam infirmitatem superat,

petat, modo explicato. Deinde etiam obligatur, quando moraliter certus est, delictum esse plenè probandum. Tertiò, etiam in aliis casibus habet potestas interrogandi suam utilitatem, nempe quatenus ponit reum in disjunctiva necessitate, vel fatendi delictum, vel sustinendi torturam. Sicut incarcerando cum prohibitione fugæ, imponit necessitatem vel non fugiendi, vel subeundi pœnam fugientibus statutam. Denique in casu quo dubium est, an possit crimen plenè probari, habet illa potestas interrogandi aliam utilitatem in comodum ipsius Rei, nempe, ut si sponte fateatur, mitiùs fortè puniatur, quàm puniretur convictus.

208. Urgent adversarii. Si Judex non potest obligare reum ad confessionem delicti capitalis, redditur angusta via detegendi delicta, eaque debito modo puniendi, & per consequens abundabit Respublica hominibus criminosis, cum summo detrimento. Ad hoc tamen patet responsio ex suprà dictis, nempe non magis sequi hoc incommodum ex veritate nostræ sententiæ, quàm secuturum esset, si ponamus veram esse sententiam contrariam, ut etiam hic advertit Lugo n. 16. Constat enim experientiâ, reos defacto crimina sponte communiter non confiteri (quæcunque sententia ponatur vera) nisi vel vi, vel metu tormentorum: quare illud Reipublicæ damnum meliùs & sufficienter impeditur, quantùm impedibile est, dando Judici potestatem torquendi, vel minitandi torturam.

Instabis. Tortura videtur inferri in pœnam negati delicti. ergo supponit obligationem confitendi, nam tam gravis pœna inferri non potest, nisi præsupposita culpâ. ℞. Antecedens esse falsissimum, nam, quæso, quomodo potest infligi reo pœna, ob negatum crimen, si necdum constat esse falsò negatum? Itaque sicut Jus incarcerandi est Jure gentium & naturali introductum, tanquam medium necessarium ad impediendа & punienda delicta, ità etiam Jus torquendi est Jure naturæ & gentium introductum, tanquam medium necessarium ad inveniendam sæpè veritatem. Porrò, sicut non obstante Jure incarcerandi, habet reus Jus naturale fugiendi si potest, ità etiam, non obstante Jure torquendi, habet Jus sustinendi torturam si velit, & sic in foro externo purgandi crimen, & absolutionem obtinendi.

209. Hinc autem potest reddi ratio, cur in levioribus teneatur veritatem fateri. Nempe quia in hujusmodi non est potestas veniendi ad torturam, & ideo deficiente hoc medio, debebat substitui medium obligandi ad dicendam veritatem, quia talis obligatio non excedit conditionem humanam, ut jam suprà dixi, & hoc animadverso evanescunt abusus hujus sententiæ.

210. Dubitatur jam ulteriùs. Quid si Reus, in casibus, in quibus est obligatus dicere veritatem, eam negavit injustè, & sic absolutus est, an teneatur postea hoc falsum retractare, & crimen fateri etiam non ampliùs interrogatus, sicut ampliùs interrogari non potest. ℞. Negativè. ut patebit à fortiori ex dicendis. Et hoc quidem est extra controversiam, quia supponitur, quòd nullum damnum contra Justitiam intulerit, quod aliter resarciri non possit, quàm redeundo ad Judicem, & crimen confitendo. Verùm

211. Difficulas & controversia est, an teneatur retractare, si necdum est absolutus, nec adhuc lata sententia, sed adhuc est sub Judicis potestate, & poterit iterum juridicè interrogari: controversium liquam est, an etiam non interrogatus teneatur retractare suam negationem illicitè factam contra Judicis præceptum. Affirmant Sotus, Navarrus, Salzedo, Angelus, Sayrus, Bannez, Salonius. Alii longè communiùs negant. Pro resolutione

Observandum est, dupliciter posse à Judice fieri interrogationem, primò ità, ut reo designetur certum tempus, v.g. unus dies, intra quem satisfaciat suæ obligationi, & dicat veritatem. Altero modo, & communiùs observato, si ità interrogetur, ut statim de præsenti respondeat ad interrogationem.

212. Dicendum I. Si priori modo interrogetur, tunc si v.g. negavit horis matutinis, adhuc tenebitur intra illum diem dicere veritatem. Ratio est; quia interrogatio virtualiter vel habitualiter durat per totum diem, & in singula momenta virtualiter repetitur, & perinde est, acsi realiter repeteretur interrogatio. Atqui si realiter repeteretur interrogatio, non minùs teneretur ad iteratam interrogationem dicere veritatem, quàm ad primam: ergo non obstante priore negatione, tenebitur adhuc durante die fateri crimen, & sic priorem negationem retractare. Et ità tenet Lugo n. 18.

213. Dicendum II. Si secundo modo interrogatus est, non tenetur retractare negationem malè factam, quamdiu non iterum juridicè interrogatur. Probatur. Præceptum obligans solùm ex obedientia, non urget nisi pro illo tempore, pro quo exigitur res præcepta. atqui Judicis præceptum solùm obligat ex obedientia, & ut ponimus in casu, solùm urget pro illo determinato tempore, quo fit negatio criminis: ergo illo tempore elapso, non remanet, vi illius interrogationis, obligatio confitendi crimen.

214. Confirmat Card. de Lugo à simili. quia etiam extra Judicium, si cui sub Juramento aliquid interroganti falsum responderem, peccarem

catem contra veracitatem, & tamen nemo obligabit ad retractandum: quod tamen intelligendum est, nisi aliquod damnum inde sequeretur, vel perniciosus error intellectualis tali mendacio causaretur. Simili modo, si per falsam negationem pars adversa damnum pateretur tam grave, ut illud non possim ad meam vitam tuendam causare, & non possem pro illo aliter satisfacere, vel illud aliter impedire, quàm revocando, non dubito quin tenerer revocare, ut per se patet, quia non revocando essem causa illius damni. Si tamen (ut plerumque fieri potest) possem alio modo illud damnum resarcire, non tenerer revocare.

215. Controversum deinde est, quid dicendum sit, quando, non obstante delicti negatione, reus aliis probationibus convictus est, & damnatus ducitur ad ultimum supplicium, an tunc in mortis articulo obligatus sit, & à Confessario de hac obligatione monendus ad suum crimen confitendum. Affirmant Corduba, Medina, Ledesma, Vega & alii.

Probabiliùs & communiùs alii negant. Probatur I. Quia tunc jam functus est Judex officio suo: ergo non ampliùs habet ullam vim obligandi interrogatio Judicis, imò esset inutilis & superflua, quia non serviret ad decisionem causæ, utpote quæ jam est decisa. Probatur 2. Quia ex opposita sententia arripiunt aliqui Judices occasionem iniquissimè procedendi cum reo: nempe simulant, acsi reus esset convictus, & condemnatus, ut reus in tali articulo constitutus, & nolens mori in peccato, si illi dicat Confessarius, eum esse obligatum ad fatendum crimen, illud confiteatur, quo confesso eum postea Judex tanquam confessum condemnat ad mortem: si non confiteatur, reducunt in carcerem: ergo non debet Confessarius reum in illo articulo constitutum obligare ad fatendum crimen, cùm reverà non teneatur, quia per dolum extorquetur confessio, & ideo non esset Judicialis, nec sufficiens ad condemnationem.

Objiciunt adversarii. Taciturnitas in illo casu redundat in detrimentum accusatoris, testium, & Judicis, qui malè audituri sunt apud populum, quando intelligunt, reum perstitisse in asserenda sua innocentia. Respondet Lugo, hoc scandalum non esse alicujus momenti, quia semper stat præsumptio pro æquitate sententiæ, & creditur potiùs reus negâsse, vel quòd sciret, se non obligari ad confitendum, vel ad tuendam qualemcunque Spem vitæ conservandæ.

216. Excipitur tamen Hæreticus negans hæresin, qui ideo obligandus est ad retractandum, & confitendam suam commissam hæresin, quia alioquin scandalizat populum, qui præsumit, eum mori in sua hæresi, quamdiu convictus eam non fatetur, quia non censetur absolutus à censura, dum rejicit oblatam reconciliationem & absolutionem, & quia non vult satisfacere Ecclesiæ satisfactione publicâ pro culpa publica, & ideo meritò præsumitur in eadem hæresi perseverare, & sic est causa scandali.

217. Dubitatur denique, an, qui metu vel vi tormentorum confessus est crimen, quod non patravit, si deinde damnatur ad mortem, teneatur in conscientia confessionem retractare. R. Teneri, quando sperat, se eâ ratione mortis sententiam evasurum, vel quando, nisi retractet confessionem, notabilis infamia in alios redundaret, quæ tamē per retractationem tolli posset; vel notabiliter minui, etiamsi fiat executio sententiæ. Ob propriam tamen infamiam declinandam non tenetur, quia est dominus suæ famæ. Videantur dicta *To. 1. tract. 2. cap. de læsione in bonis famæ & honoris.*

CA-

CAPVT VII.

DE PROBATIONE DELICTORUM PER TESTES.

218. SI Reus Crimen, super quo gravatus & examinatus est, constanter neget, incumbendum est Judici, ut, si fieri possit, probationibus convincatur & perinde reus habeatur, acsi crimen confessus esset. Sicut enim confessio rei sufficit ad eum condemnandum, (si adsint cætera requisita, de quibus infrà) etiamsi convictus reus non sit, ità econtra sufficit esse convictum, etiamsi crimen confessus non sit. Probationem per testes fieri posse, indubitati Juris est, & patebit in progressu.

CONTROVERSIA I.

Quot testes sint sufficientes, vel necessarii ad plenè probandum delictum.

SUMMARIUM.

An aliquando unicus testis, & Princeps maximè, sufficiat ad condemnandum. 220.
An licitum esset statutum de plena fide uni testi habenda. 221.
An sufficeret assertio Principis, sibi ex aliorum Principum relatione constare, & esse notorium delictum. 222.
An plenam fidem faciat assertio Principis de proprio visu. 223.
An unicus testis de facto proprio deponens, faciat plenam fidem in præjudicium tertii. 225.
An regulariter sufficiant duo testes, & quales, ad condemnandum. 226.

219. IN qualibet causa tam Profana quàm Ecclesiastica, tam Civili quàm Criminali, regulariter sufficiunt duo testes omni exceptione majores. De testium numero in causis Civilibus, actum est priore tomo. Hìc de causis Criminalibus solùm agetur. Itaque regula generalis, de sufficientia Duorum testium, etiam in causis capitalibus, approbatur à DD. nisi Statutum aliquod plures testes requireret. Sed de hoc Concl. 4.

220. Controversum est, I. An aliquando unicus testis plenam faciat probationem; & in specie quæritur de Principe supremo, an si is de visu testetur, absque alio teste reus condemnari possit. Negat Matth. Stephani *in Notis ad art. 22. Ord. Carol. Crimin.* Bodinus *lib. 6. de Republ. c. 6.* Carpzovius *q. 114. n. 48.* quibus addit Clarus Socin. *inter consilia Curtii Junioris.* Ipse autem Julius Clarus ex eodem Socino & communi opinione ferè omnium notat, (sed non audet affirmare) quòd si Imperator diceret, aliquid sibi constare non quidem de proprio visu, sed ex relatione Principum sibi facta, & rem esse adeo notoriam, ut non indigeret probatione, & rescriberet proprio motu, tunc esset credendum ejus assertioni, saltem in tantùm, ut transferret onus probandi contrarium in negantem. Quodsi Princeps asserat aliquid de proprio visu, tunc asserit, illi credendum etiam usque ad condemnationem. arg. *Clementina litteris de probat.* Quod approbat Farinacius n. 177. cum hac limitatione, nisi de Principis particulari interesse ageretur, v.g. de privando delinquentem feudo. Quæ tamen Clementina parùm probat de criminalibus, solùm enim dicit, verba litterarum Apostolicarum, quibus Papa proprium factum narrat, plenè probare, si super illis gratia vel intentio Papæ fundatur. Quod utique Pontifex statuere potest contra seipsum, & in suum præjudicium. Hanc opinio-

pinionem de unico Principis testimonio, extendunt aliqui, quos refert Farinac. *q. 63. n. 5.* ad quemcunque testem, cujus fides est indubitata, ut ad fratrem, religiosum, & probatissimæ vitæ, quæ tamen extensio communissimè rejicitur.

221. Aliqui docuerunt, licitum fore statutum, quo juberetur etiam in criminalibus uni testi plenam fidem esse habendam. Sed hoc nullo modo est admittendum, ob rationes infrà ponendas, nisi fortè in casu urgentis necessitatis aut utilitatis, v.g. ad deponendum Prælatum irregularem, vel nobilem privandum aliquo beneficio, quod plures concedunt apud eund. n. 12.

222. Dicendum videtur I. Non sufficere ad plenam probationem, quòd Princeps asseràt, sibi ex aliorum Principum relatione constare, & esse notorium delictum. Ità concludit Farinacius n. 179. Probatur ex Clem. *Pastoralis de sent. & re judic.* ex qua colligitur, nec Imperatori esse credendum, asserenti de Notorio. Et ratio est, quia multa dicuntur Notoria, quæ tamen talia non sunt, prout contigit in casu ejusdem Clem. *Pastoralis*. Deinde obstant regulæ generales, nec est ullum fundamentum solidū hujus specialitatis & exceptionis. Est enim regula generalis; quòd dictum unius sit dictum nullius; seu quòd uni soli non credatur plenè. Item, quòd testis de auditu non audiatur.

223. Dicendum videtur II. Neque plenam fidem & probationem facit assertio Principis de proprio visu. Ratio est, quia nullo Juris textu hoc probatur. Adducitur Clem. *un. de prob.* sed jam dixi, ex ea nihil probari, quia loquitur de facto proprio, de quo vult Princeps sibi soli credi, quod est captu facile, quia nemini nisi sibi præjudicat. Quare non est, cur in hoc puncto à regula generali recedatur, quæ non solùm in humano jure habetur, sed etiam in divino. Deuteronom. c. 19. *Non stabit testis unus contra aliquem, quidquid illud peccati & facinoris fuit, sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum* & c. 17. præcedente. *In ore duorum vel trium testium peribit qui interficietur, nemoque occidatur uno contra se dicente testimonium.* Quæ verba cùm generalia sint, generaliter sunt accipienda.

Confirmatur hæc universalitas ex *cap. 23. de Testibus.* in fine, ubi dicitur. *Quia licèt quadam sint causæ quæ plures, quàm duos exigant testes, nulla NB. est tamen causa, quæ unius testimonio (quamvis legitimo) terminetur.* Sed neque Imperator Carolus seipsum excepit à regula generali quam statuit art. 67. ubi requirit universaliter duos vel tres testes. Et clarissimè can. 8. *ca. 33. q. 2.* dicitur. *Quoniam nec Evangelium, nec ulla divina humanaque lex unius testimonio etiam idoneo quempiam condemnat.* Cùm itaque adversarii nullum textum in contrarium afferant, nec ad hos quidquam solidi respondeant, iis standum erit.

224. Controversum tamen est, an unus testis de facto proprio deponens, plenam fidem faciat in præjudicium tertii, v.g. si servus in tortura deponat de facto proprio in præjudicium domini. Pro affirmativa refert Farinacius *q. 63. n.* 207. plurimos DD. quibus accedit Carpzovius n. 55. qui tamen malè pro ea citat Farinacium; cùm hic auctor ex professo contrariam propugnet n. 209. ubi post auctoritates relatas sic habet: *Regulam constitue negativam, quòd scilicet testis unicus de facto proprio deponens, non plenè probat.* Itaque

225. Dicendum est III. Unicus testis etiam de facto proprio deponens, non facit plenam probationem in præjudicium tertii, nisi aliquâ præsumptione vel aliis adminiculis adjuvetur, Judicis arbitrio æstimandis. Hæc est ferè communis sententia, nec adversarii ullo juris textu plùs probant. Nempe adducunt legem 38. *in fine. ff. de ædil. edicto.* ubi, sic dicitur. *Quæro an standum sit responso servi. Paulus respondit, NB. si & alia indicia prioris fugæ non deficiunt, tunc etiam servi responso credendum est.* Ratio autem, cur accedentibus aliis adminiculis plenè probet, est, quia probat plusquàm semiplenè, quia contra seipsum deponit. Auctores refert Farinac. ad longum n. 224.

226. Dicendum IV. Duo testes sufficiunt regulariter ad condemnandum, si sint cæteroquin idonei, atque omni exceptione majores, nisi speciali aliquo privilegio vel statuto plures requirantur. Hæc conclusio, omissis juribus alibi relatis, continetur unà cum exceptionibus in cap. 2. & 3. *ca. 2. q. 4.* ubi in Cardinalibus & Episcopis ponitur exceptio. *cap. 2.* sic habet. [Præsul non damnabitur nisi cum septuaginta duobus testibus. Nec Præsul summus à quoquam judicabitur, quoniam scriptum est, non est discipulus supra magistrum. Presbyter autem Cardinalis nisi cum quadraginta quatuor testibus non damnabitur. Diaconus verò Cardinalis Urbis Romæ nisi cum viginti septem testibus non condemnabitur. Subdiaconus, Acolitus, Exorcista, Lector, Ostiarius, non nisi septem testibus condemnabitur. Testes autem, & accusatores sine aliqua sint infamia.] *cap. 3.* [Nullam damnationē Episcoporū unquā esse censemus, nisi aut ante legitimū numerum Episcoporum (qui fit per duodecim Episcopos) aut certè probatâ sententiâ per septuaginta testes idoneos, qui tales sint, qui & accusare possint.] Verùm, postea subjungitur. [Sed hoc vel speciali privilegio de Clericis Romanæ Ecclesiæ intelligitur, vel propter improbitatem quorundam, qui cùm non sint spectatæ vitæ, & scientiæ, in accusationem ministro-

strorum Dei repente prosiliunt. Quorum verò vita NB. adeo laudabilis est, ut omnibus imitanda appareat, de quorum assertione nulla dubitatio nasci poterit, eorum testimonio duorum vel trium testium quilibet jure convinci & damnari poterit.] Quæ verba ut cohæreant cum prioribus, ubi expressè testes idonei requiruntur, videntur ità concilianda; ut ille major numerus requiratur talium testium, contra quos defacto nulla occurrit opponibilis exceptio sufficiens, quia nihil apparet, ob quod debeant esse suspecti, & sic sunt præsumptivè boni. Quando autem sunt positivè boni, ut nemo prudens, non sit illis crediturus & promptè assensurus, quòd tunc ordinarius numerus sufficiat. Certè aliqui, quos laudat Farinacius n. 244. dicunt, quòd hodie dispositio illorum capitulorum non servetur in practica. Nam secundùm illa tempora ad compescendam malitiam hæreticorum, qui aliquando Cardinales & Clericos accusabant ad effectum, ut à suo officio removerentur, & alii substituerentur, emanavit dicta constitutio. Quâ ratione (inquit Farin.) hodie cessante, debet etiam cessare talis dispositio, & ideo ille textus secundùm DD. hodie non procedit; quod etiam asserit Julius Clarus *q. 66. n. 5.* dicens ità vidisse & legisse se, observatum, quando Papa processit contra Cardinales. Secundùm hos ergo AA. hodie sufficiunt duo testes cæteroquin idonei, & non suspecti, quales sufficiunt contra quemcunque alium.

CONTROVERSIA II.

In quibus casibus testes alioquin inhabiles admittantur.

SVMMARIVM.

227. QUinam Testes sint inhabiles, & à testificando repellantur, tractavi tomo præced. cap. de Testibus, & enarrabuntur in specie controv. sequente. Illis ergo suppositis

Dicendum est I. In illis criminibus probandis, quæ sunt difficilis probationis, ità ut aliter crimen probari non possit, admittuntur etiam testes alioqnin inhabiles: hujusmodi crimina sunt: furtum, Adulterium, partûs suppositus, Simonia, & universim crimina nocturna, commissa in nemoribus, aliis locis secretis. Ut autem dicatur crimen aliter probari non posse, non sufficit, quòd hic & nunc alii testes quàm inhabiles dicantur non intervenisse, sed debet delictum in talibus circumstantiis commissum esse, ubi nec potuerint alii testes, quàm illi inhabiles, intervenire. Et ità explicant communiter DD. quibus tamen contradicit Clarus *§. fin. q. 24. n. 19.* allegans praxin contrariam, quòd nempe quando certum est, aut etiam verisimile, alios non adfuisse, Senatus Mediolanensis solet fidem adhibere testibus inhabilibus, saltem ad infligendam pœnam extraordinariam, vel ad torquendum. Colligitur hæc Conclusio ex *cap. fin. de testibus cogendis.* ibi: *& ipse intentionem suam probare non possit, nisi testimonio civium prædictorum.* Cæterùm, Farinacius monet, non requiri probationem, quòd delictum aliter probari non possit, sed hoc relinqui Judiciis arbitrio. Colligitur etiam ex *cap 38. de testibus* in fine. *Quia verò quæ in capitulo aguntur non possunt facilè, nisi per canonicos probari, volumus, ut ad testimonium vocati liberè valeant pro utraque parte testari.* & *l. 8. C. de repud.* admittuntur testes domestici super delicto domi commisso, quia per alios veritas haberi non potest.

Advertit tamen benè Ant. Gomez *c. 12. n. 21.* in fine, quòd posita conclusio intelligenda sit, quando testes sunt inhabiles ex defectu quo non resultat odium contra personam contra quam producuntur, secùs, si resultat odium vel inimicitia, ob præsumptionem committendæ falsitatis ex odio.

228. Dubitatur tamen, an in tali casu illi testes inhabiles faciant plenam probationem, & habeantur tanquam integræ fidei. Negant plures, quos sequitur Farinacius, volens, illos solùm facere qualem qualem probationem. Mihi tamen videtur verius, quòd habeantur tanquam integræ fidei, prout plures docent apud eundem, inter quos etiam est Mascardus. Nam Jura allata loquuntur in casibus, ubi plena probatio per tales testes intendebatur.

229. Dicendum II. In Criminibus exceptis, ut est crimen Hæresis, Læsæ Majestatis, Latrocinii, Simoniæ, & similibus atrocibus, admittuntur testes alioquin inhabiles. Ratio est, quia hoc meretur illorum criminum enormitas, ut sicut aliæ solennitates non observantur scrupulo-

pulosè, ità nec qualitas testium. Et quidem de crimine hæresis exstat clarus textus *cap. 5. de Hæreticis in 6.* [In fidei favorem concedimus, ut in negotio Inquisitionis hæreticæ pravitatis, excommunicati, & participes, vel Socii criminis ad testimonium admittantur. Præsertim in probationum aliarum defectum &c. si NB. ex verisimilibus conjecturis, & ex numero testium, aut personarum (tam deponentium, quàm eorum contra quos deponitur) qualitate, ac aliis circumstantiis, sic testificantes falsa non dicere præsumantur.] De aliis criminibus suo loco dictum est.

230. Conclusio tamen non est extendenda, ut admittantur testes inhabiles ad probanda adminicula seu quæstiones præjudiciales criminum, ut benè advertit Bartolus in *l. quæstionibus ff. ad L. Jul. Majest.* ubi ponit exemplum in eo, qui dum esset Rector provinciæ, recusavit successorem, & sic commisit crimen læsæ Majestatis, & ad hoc probandum admittuntur infames: qui tamen non admitterentur ad probandum, quòd ille successor erat legitimus: successorem enim non legitimum recusare, non est crimen læsæ Majestatis. Item in crimine adulterii non admitteretur ad probandum matrimonium, (sine quo adulterium consistere non potest.) Si aliquo statuto caveretur, ut infames admittantur. Simili modo non admittendi sunt inhabiles ad probanda indicia remota, ne quidem in atrocissimis, ut tradit aliis relatis Farinacius *q. 56. n. 73.*

231. Dicendum III. Quando Inhabilitas testis provenit ex defectu famæ vel statûs, tunc ad hoc ut admittantur in casibus duarum præcedentium conclusionum, necesse est eos deponere in tortura: quod tamen secùs est in aliis, & alio respectu inhabilibus, v.g. quia sunt minoris ætatis, nisi etiam in his concurrerent plures inhabilitatis tituli, tunc enim ne quidem cum tortura admitterentur. Ità communiter DD. qui, nisi fallor, ex praxi hoc docent, nam jus scriptum non adducunt: sed solùm dicunt, quod tortura non sufficiat ad plures defectus purgandos.

CONTROVERSIA III.

Quinam in Causis criminalibus sint inhabiles ad testificandum.

SUMMARIUM.

Ex-

232. DE inhabilitate testium in causis Civilibus, prolixè actum est tomo priore, & in tractatu de ultimis voluntatibus. Huc reservata sunt specialia in Criminalibus. Pro quibus

Notandum est I. In Causis Criminaliter intentatis & motis (quidquid sit si Civiliter agatur) aliquos esse inhabiles ad ferendum testimonium, qui tamen in Civilibus habiles essent, & ideo quamvis omnes inhabiles in Civilibus sint multò magis inhabiles in criminalibus, sed non econtra.

Notandum II. In causis criminalibus regulariter loquendo, hoc est, quando inhabiles non admittuntur, (prout admitti aliquando dictũ est præced. controv.) non sufficere quomodocunque idoneos, sed requiri omni exceptione majores, hoc est, quorum quilibet seorsim faceret plusquam semiplenam probationem, ut tradunt communiter Interpp. *in legem fin. C. de probat.* [Sciant cuncti accusatores, eam se rem deferre in publicam notionem debere, quæ munita sit idoneis testibus, vel instructa apertissimis documentis, vel indiciis ad probationem indubitatis, & luce clarioribus expedita.] Et quamvis plures DD. pro eodem accipiant testem *idoneum*, & omni *exceptione majorem*: Farinacius tamen cum aliis plùs tribuit secundo quàm priori *q. 62. n. 1.* quæ tamen videtur in praxi esse subtilitas parùm utilis, cùm non specificent DD. in exemplis discrimen, ut tandem videatur res relinquenda Judicis arbitrio, an testi producto, & cæteroquin idoneo putet aliquid deesse, quominus sit omni exceptione major, eo quòd saltem levis aliqua suspicio in illum cadere possit, nec tamen sufficiens, ut repellatur. De hoc discrimine dixi aliquid in præced. tomo, & paulò post aliqua exempla afferentur.

§. I.

De Inimico.

233. DIcendum I. In causa criminali rejicitur testimonium ejus, qui grave odium gerit contra accusatum vel inquisitum, & contra talem reo conceditur exceptio. Quæ conclusio non solùm procedit cum omnibus illis ampliationibus, cum quibus procedere dixi in Causis civilibus præced. tomo tract. 3. cap. de Testibus, (nam ut paulò antè notavi, qui in Civilibus non admittitur, nec etiam in criminalibus admittitur) sed extenditur insuper (secundùm Everhardum & alios) ad eum, qui est domesticus seu amicus alicujus inimici illius contra quem producitur: item extenditur etiam ad illum casum, in quo veritas aliter haberi non potest, & in criminibus exceptis, ubi cæteroquin testes minùs idonei admittuntur, de quibus præced. controv. actum est, & adeo quidem, ut ne quidem indicium sufficiens faciat ad torturam, ut tradunt DD. quos refert & sequitur Menochius de arb. Jud. *q. 28. n. 5.* Colligitur ex *cap. 32. de Simonia.* in quo delicto probando, quamvis cæteroquin testes minùs idonei admittantur, inimicus tamen excluditur illis verbis. {Nos verò illas duntaxat exceptiones probandas admisimus, quibus fortè probatis testes non Zelo Justitiæ, sed malig-

malignitatis fomite processisse constaret, ut conspirationes & inimicitias capitales; cæteras verò exceptiones, ut furti, adulterii &c. duximus repellendas.] Ratio autem omnium extensionum est, quòd hujusmodi testimonia apud prudentes non solùm sint suspecta communi suspicione, ut alterius hominis levis aut infamis, sed longè magis, adeo ut longè proniores sint ad ea pro falsis quàm pro veris habenda. Ratio cur nec indicium faciat ad torturam, est hæc, quia talis testis non debebat examinari: ergo juridicè perinde esse debet, acsi nihil testatus esset. quod tamen dicunt DD. esse solùm intelligendum de inimicitia capitali.

Quod si reus contra hujusmodi testem sciens se posse excipere, non exciperet, censeretur ejus fidem approbâsse, & ideo ejus testimonium valeret ad faciendam semiplenam probationem.

234. Inter hos inimicos non sunt recensendi illi, qui non tam personam, quàm ejus delictum odio habent, quæ non est inimicitia, vi cujus velit malum personæ, ut malum illi est, & prout odium opponitur charitati fraternæ, sed est abominatio illius complexi ex homine & delicto, quæ est laudabilis & honesta. Neque etiam inter inimicos repellendos ille numerandus est, quem reus malitiosè ad inimicitiam concitavit, aut concitare voluit, in hunc finem ut contra ipsius testimonium excipere posset, hunc enim ob dolum suum pati debet.

235. Dubitari posset I. An fæmina possit in criminalibus repelli ob inimicitiam. Ratio dubitandi posset sumi ex glossa *in lib. feud.* ubi dicit, fæminam non gerere inimicitiam. Verùm, glossa intelligenda non est de rancore & aversione animi, quam constat magis in fæminis quàm viris dominari, sed de actibus extrinsecis, v. g. gestatione armorum, aliisque actibus virilibus.

236. Dubitari posset II. An Princeps posset per legem facere, ut inimicus admittatur ad testificandum. Ratio dubitandi est, quia videtur posse abrogare leges prohibentes, sicut potest alios inhabiles habilitare. Respondetur tamen negativè. Ità aliis relatis Menochius *loco cit. n. 3.* & Farinacius *hic n. 30.* Ratio est, quia leges prohibentes explicant potiùs Jus naturæ, quæ non patitur ob inimicitiam periclitari innocentiam.

237. Dubitari posset III. An inimicitiæ inhabilitas possit suppleri per torturam, ità ut testis in tortura persistens in sua testificatione, sit admittendus. Ratio dubitandi est, quia non videtur major ratio de hac, ac de alia inhabilitate. Verùm communis DD. est negativa. Ratio negandi esse debet, quia inimicitia est forte incentivum ad perferendam torturam (quæ in testibus non est adeò crudelis) in odium inimici, cùm experientia doceat, inimicos ad se ulciscendos gravissima sæpè incommoda perferre, imò manifestis vitæ periculis se exponere, ut possint se vindicare. Crederem tamen aliud dicendum de eo qui est domesticus inimici, qui etiam, ut multi volunt, repellitur, non enim in tali videtur allata ratio procedere, si ipsemet in sua persona non est inimicus. Imò Farinacius pluribus relatis n. 43. asserit talem nunquam repelli in totum, sed solùm ei diminui de fide, quia non est inimicus capitalis.

238. Dubitatur IV. An ille qui [illegible] inimicus, adhuc repellendus sit à testi[illegible]onio, constitutus in articulo mortis, & jam Sacramentis, etiam SS. Eucharistiâ & viatico munitus. Affirmant, plures quos refert & sequitur [illegible]ari[illegible]acius n. 11. & ratio esse posset, quia per communem regulam non admittitur inimicus eti[illegible] r[illegible] onc[illegible]tus. Ego tamen magis propende[illegible] in [illegible] tem[illegible]am negativam, quam tenent Angelus i[illegible] *si q[illegible] in gravi §. si quis moriens ff. ad S. C. Syllanum.* Marsilius, quem sequitur Franciscus Cason *de indiciis & tort. tract. 8. c. 1. n. 4. & seqq.* concurrentibus his. 1. quòd fiat cum juramento. 2. quòd sit præditus usu rationis pleno. 3. quòd sit bonæ famæ. 4. Quòd delictum non possit per alios probari.

Ratio est, quia non est paritas hujus testis cum alio inimico reconciliato, & extra articulum mortis constituto, vel constituto quidem in articulo mortis, sed non valde sollicito de sua salute, qualiter est, qui voluit ad consequendam salutem Sacramentis muniri, de quo meritò præsumitur, plenè deposuisse inimicitiam.

Unde nihil ad propositum facit legis 3. §. 1. *ff. ad Syllan.* ubi dicit Ulpianus (hostis Christianæ Religionis) [Si quis moriens dixisset, a servo vim mortis allatam esse sibi, dicendum est, non esse credendum domino, si moriens hoc dixit, nisi potuerit & probari.] Locutus est Ulpianus de inimico, sed non de reconciliato more Christianorum.

239. Dubitatur V. An depositio inimici saltem sufficiat ad inquirendum. Aliqui affirmant, alii negant. Mediâ viâ, & cum distinctione inter generalem & specialem inquisitionem procedit Bossius *de Inquis. n. 2.* quem refert & sequitur Menochius *de præsumpt. l. 1. q. 88. n. 13.* Farinacius *n. 15.* nempe quòd sufficiat ad inquirendum generaliter, hoc est, ad Judicem instruendum, ac ad illùm inducendum ad assumendum informationes super delicto, quo casu quilibet testis est idoneus, secùs quoad inquirendum specialiter, hoc est, formandum, transmittendum inquisitionem contra aliquem, quia ad hoc nihil operatur inimici testimonium. Admonendi tamen sunt Judices (ait Bossius) ut non ità incautè

ex solo

ex solo inimicorum dicto procedant ad Inquisitionem generalem super fama, cùm etiam talis generalis inquisitio non procedat absque aliqua diminutione honoris & famæ illius, in cujus famam inquiritur.

240. Dubitatur VI. An sicut in causis Civilibus, quando testi opponitur inimicitia, non propterea differtur examen ipsius testis, sed recipitur testis, & disputatio de inimicitia reservatur ad finem litis, ità etiam in Criminalibus fieri possit. ℞. Negativè, sed, si quidem opponatur inimicitia capitalis, statim audiendus est reus opponens, si offerat in continenti probationem inimicitiæ. Ità habet comunis sententia. Et ratio esse potest, ne reus frustra vexetur carcere, vel aliis incomodis, quæ in causa civili non interveniunt.

241. Dubitatur VII. An, si reus dedit causam inimicitiæ, non tamen affectatam, & in eum finem, ut possit testis repelli, (de quo jam dixi suprà, non procedere conclusionem) an Inquam tunc adhuc repelli possit. Negavit Bartolus, & alii relati à Marsilio. Verùm, affirmativa est tenenda, utpote communis, & optimâ ratione fundata. Nam ut omnes fatentur, & suprà dictum, talis repellitur ab accusando: ergo multò magis repellendus est à testificando contra inimicum, quia faciliùs creditur testi, quàm accusatori. Ratio ulterior esse potest: quia inimicitia orta ex culpa alterius, longè fortiores habet radices, & animum magis exulcerat, ac stimulat ad vindictam, quàm quando nulla præcessit læsio injusta, ut consideranti facilè patet.

242. Dubitatur VIII. Quando quis non est inimicus capitalis, sed modicus, & non difficulter conciliabilis, an talis sit simpliciter idoneus testis. Affirmârunt aliqui. Alii negârunt adeo, ut ne quidem semiplenam faciant probationem. Alii meliùs relinquunt arbitrio Judicis, ut ei de fide tantum minuatur, quantum requirit & arguit qualitas inimicitiæ: & sic habes exemplum alicujus testis idonei quidem, sed non omni exceptione majoris.

243. Dubitatur IX. An inimicus reconciliatus possit ratione præteritæ inimicitiæ repelli. Aliqui negant; alii simpliciter affirmant. Alii mediâ viâ incedunt, & negant posse repelli, si diu præcessit reconciliatio; si verò recens esset, tunc esse repellendum, quia censetur adhuc gliscere prior inimicitia, & facilè reviviscere, oblatâ tam commodâ occasione se vindicandi. De tempore autem reconciliationis, ut dicatur non esse recens, Judex arbitrabitur. Denique si reconciliatio non est recens, adhuc tamen talis testis etsi non repellatur, non est tamen, vel ex hoc capite, omni exceptione major, quia frequens est, ut simuletur reconciliatus animus, cùm non sit, & hoc est aliud exemplum testis idonei, nec tamen omni exceptione majoris.

244. Dubitatur X. Si testis productus est inimicus utriusque partis, nempe tam Accusatoris, quàm accusati, an tunc sit repellendus. Negant communissimè DD. Rationem dant, quia sicut par affectio erga utrumque, v.g. si utrique sit in eodem gradu affinis vel consanguineus, non est impedimento, quominus testis sit admittendus, ità etiam par odium non erit impedimento. Et Farinacius putat, quòd tunc deponens in favorem accusati maximè probaret, quod quidem censeo esse verum, quia producens approbat ejus testimonium, & ideo conqueri non potest. Cæterùm, libentiùs dicerem, talem esse repellendum. Ratio est, quia non debet esse liberum Inimico, cui hîc & nunc ex duobus velit potiùs nocere. Deinde clarum est, quòd plùs nocere possit accusato, quàm accusatori, præsertim postquam sublata est pœna talionis. Denique, quia accusator honorans illum productione in testem, jam aliquo modo illum sibi conciliat, & sic semper est majus periculum accusati, sed casus est Metaphysicus.

§. II.

De Personis affectione conjunctis.

245. Hujusmodi sunt Consanguinei, Affines, Conjunx, de quibus, quomodo in Causis civilibus repellantur, vel admittantur, dictum est tomo priore. Unde in Criminalibus semper repelluntur, quando repelluntur in Civilibus.

Loquendo nunc speciàliùs de Criminalibus: Dicendum I. Quòd Consanguinei & Affines accusatoris non admittantur contra accusatum extraneum. textus expressus in *can. 1. ca. 5. q. 5.* [Consanguinei accusatoris adversùs extraneos testimonium non dicant, nec familiares, vel de domo prodeuntes: sed si voluerint & consenserint invicem, inter se parentes tantummodo testificentur, & non in alios.]

Dubitatum est, an hæc regula procedat etiam quando causa criminalis civiliter intentatur. Aliqui negant. plures affirmant. alii distinguunt: quòd si causa civilis ex crimine descendens, vel etiam criminalis civiliter intentata est talis, ut contineat agentis injuriã, tunc non admittantur consanguinei aut affines, quia injuria uni facta censetur esse affinibus & consanguineis communis. Si verò sit talis, ut ex ea nulla inferatur injuria actori, tunc admittantur, quia cessat ratio repellendi.

246. Dicendum II. In Criminalibus non possunt Consanguinei & affines cogi ad testifi-

candum contra consanguineum aut affinem, esto in civilibus forte possint, quando non sunt arduæ, (quam arduas criminalibus comparari sæpè dictum est.) Probatur *ex l. 4. ff de testibus.* [Lege Juliâ & Papiâ judiciorum publicorum cavetur, ne alicui invito denuntietur, ut testimonium litis dicat adversùs socerum, generum, vitricum, privignum, sobrinum, sobrinam, sobrinâ sobrino natum, eosque qui priore gradu sunt.]

247. Dubitatum est I. An possit cogi ad dicendum testimonium in favorem consanguinei accusati, hoc est, an si producatur à consanguineo in testem pro defensione, possit cogi, ut dicat testimonium. Aliqui affirmant, & meo judicio valde probabiliter, quia producens non poterit conqueri, cùm approbet fidem testis, & quia videtur cessare ratio, cur contra consanguineum produci non possit, nempe favor eorum contra quos producuntur. Verùm, contrarium communiùs asseritur. quia potiùs in favorem illorum qui in testes producuntur, est constitutum, ut cogi non possint, vel saltem in favorem utriusque. habet ergo Jus utendi hoc favore, & recusandi: posset enim contingere, ut deberet testificari in præjudicium sui consanguinei à quo productus est. Cæterùm, si ipsi non recusent adduci in testes, certum est posse admitti, quia possunt favori pro se introducto renuntiare.

248. Dubitatum est II. An saltem cogi possint in casu, quo veritas aliter haberi non potest. Negavit Federicus Schenk. Sed cum communi est asserendum. per regulam generalem, quòd privilegiati possint in tali casu cogi, ne veritas occultetur, & ne crimina maneant impunita.

Dubitatum est III. An sicut in Civilibus soli ascendentes & descendentes, non item laterales excluduntur, ità etiam in Criminalibus. R. Ex communi DD. etiam laterales excludi. patet ex Juribus sup. adductis.

249. Dicendum III. Quando Judex procedit ex officio, vel solùm ad instantiam Fisci, non ad instantiam alicujus accusatoris, nec etiam contra reum sunt producti testes, tunc consanguinei & affines admittuntur ad defensionem rei, v. g. si reus aliquem occidit, sed inquiritur, an id fecerit cum moderamine inculpatæ tutelæ, admittuntur consanguinei & affines in favorem rei, secùs si de alicujus accusatoris præjudicio ageretur. An autem admissi sint integræ fidei, relinquitur arbitrio Judicis, attendentis ad qualitates personarum. Conclusio non aliter probatur, quàm quòd innocentiæ sit favendum, quantùm Jura permittunt.

250. Dicendum IV. Consanguineo & affini, ac universim cuivis affectione conjuncto, & contra reum deponenti, non minùs quàm alii testi creditur: imò, spectatâ naturali ratione, magis credendum est, si cætera sunt paria. Quia in hoc casu affectio non operatur aliquid suspectum, sed potiùs removet omnem suspicionem, quia nemo præsumitur suos consanguineos odio prosequi, nec contra eos depositurus, nisi veritatis amore, nisi fortè aliunde constare posset de parùm sincero affectu, qui non semper talis est, qualem consanguinitas per se loquendo secum trahit.

251. Quæ dicta sunt de Consanguineis & affinibus, etiam volunt DD. procedere in conjuge, ob non minorem, sed forte majorem affectionem, & quia sunt una caro, ac nimiùm quantùm domestici. Imò hoc extendunt etiam ad conjugem facta separatione. Aliqui etiam extendunt ad concubinam, imò ad quemcunque amasium: sed in his multùm tribuendum est prudentiæ Judicis, qui attendendo tum ad regulas generales, tum ad personarum circumstantias arbitrabitur, quantum fidei talibus haberi possit. Cæterùm, Fulgosius & alii cum eo dicunt, uxorem admitti ad testificandum, si super injuria marito illata Judicium criminale institutum sit ad publicam vindictam, & ad commodum fisci. Verùm, in hoc quia deficit Jus scriptum, Consuetudo attendenda est.

§. III.

De Domesticis.

252. Dicendum est I. Quamvis Domestici eo modo accepti quo in causis Civilibus (de quo tomo priore) non admittuntur ad testificandum in favorem accusatoris, hoc ipso etiam in Criminalibus repellantur, specialiter tamen repelluntur in can. *super prudentia. ca. 14. q. 2.* ibi. *in criminibus siquidem accusatorum & testium illa districtio observanda est, quæ in Canonibus continetur, ne qui ad probationem domestici admittantur.* quem textum volunt DD. non solùm intelligendum esse de domesticis strictè sumptis, ut sunt parentes & filii, sed etiam latè, de familiaribus, imò & de colonis, & mercenariis. Quo sensu etiam accipiunt legem *24. ff. de Testibus* [Testes eos, quos accusator de domo produxerit, interrogari non placuit.] qui textus est canonizatus *in ca. 4. q. 3.*

253. Patitur tamen hæc regula unam alteramvé exceptionem. Prima sumitur ex *can. 44. ca. 2. q. 7.* quando Canonici accusant suum Prælatum, quo casu admittitur domesticum testimonium. Sed hoc fortè ideo, quia veritas aliter haberi non potest. Secunda sumitur ex can. 1.

ca. 35.

tu.35. q. 6. (fortè ob eandem rationem, nempe quando accusatur matrimonium propter affinitatem. Tertiam ponunt aliqui, si domesticus inducatur ad favorem fisci, & Judice procedente vel ex officio, vel ad instantiam fisci, tunc enim admittitur ad probandam offensam factam suo domino non querelanti nec accusanti.

254. Dubitatur, an in illis delictis, quæ domi fiunt, & plerumque aliter quàm per domesticos probari non possunt, testes domestici habeantur tanquam integræ fidei, & idonei ad plenam probationem faciendam. Affirmat valde communis sententia, ob hanc rationem, quia Domestici sunt regulariter meliùs informati de rebus domi gestis, ob quam causam merentur aliis præferri. Negant alii, nec sine ratione, & ob regulam generalem, quòd testes inhabiles quando admittuntur, non reputantur integræ fidei, nec omni exceptione majores.

Ob has rationes Farinacius distinguit. Vel domesticus inducitur à fisco, vel ab aliquo tertio contra dominum domûs, vel contra alium domesticum ad probandum delictum domi commissum, vel aliàs, in quo ipse potest verisimiliter esse meliùs informatus quàm alius, & in quo veritas aliter haberi non potest. Et tunc est testis integer & omni exceptione major, sive pro domino & domestico contra producentè deponat, sive pro inducente contra dominum & domesticum. Nam in primo casu approbatur à producente, in secundo cessat ratio affectionis. Si verò domesticus inducitur in testem à domino domûs, seu etiam ab alio domestico ad probandum contra tertium furtum, stuprum, aliudvé delictum domi commissum in damnum & præjudicium ipsius domini seu domestici, tunc solùm faciunt Indicium, quia adhuc militat ratio affectionis erga dominum.

255. Dicendum est II. Quando contra testes domesticos est gravis præsumptio, non sunt admittendi etiam in delicto cujus veritas aliter haberi non potest, nisi fortè cum tortura. Casus habetur in cap. 24. *de testibus.* [Quidam nobilis tui Episcopatûs quandam sibi legitimè copulans, cùm eam in domo ferè per septennium tenuisset, consobrinam patris ejus, antequam eam duceret, se asseruit, cognovisse: ad quod probandum testes de familia sua tres produxit. Respondemus igitur, ut pro illorum testimonio ipsum ab uxore nullâ ratione dividi patiaris: nec contra ipsos aliquos audias, nisi NB. probatæ essent vitæ & opinionis, de quibus verisimile non esset, quòd deberent pro aliquo dejerare.] Ex quibus ultimis verbis inferunt DD. contra Baldum, quòd domestici tunc solùm habendi sunt omni exceptione majores, in casu quo veritas aliter haberi non potest, quando nulla alia exceptio contra eos opponi potest.

256. Dicendum III. Ad probandam innocentiam Rei admittuntur testes domestici, dummodo non adducantur ad reprobationem aliorum testium, v. g. inquiritur in aliquem, an occiderit talem tali nocte in platea, & nullus contra eum testis est productus, sed ex aliis indiciis proceditur, hoc casu potest inquisitus per domesticos probare, se fuisse totâ nocte domi. Et ità vidi sæpiùs practicari. Et hoc favore innocentiæ, adeoque etiam in casu, quo alii testes quàm domestici, possent ex natura rei haberi. Nam in casu quo res non nisi per domesticos testes probari potest, etiam ad reprobandos testes fidem facerent, ut contra Alb. supponit Farin. n. 81.

257. Dubitatur tamen, an hoc etiam verum sit in Criminibus exceptis. Negant aliqui, per textum in cap. *filii. de haret. in 6.* Alii affirmant per textum in *cap. litteras. de præsumptionibus.* per quem communiter receptum est, fratrem in crimine hæresis admitti ad purgationem fratris: ergo multò magis alii domestici admittentur, in quibus est minor affectio. Ad textum contrarium respondent, eum loqui in casu, quo domestici testes producuntur ad reprobandos alios testes.

258. Dicendum IV. Quando reus seu inquisitus esset gravibus Indiciis gravatus & suspectus, tunc domesticis testibus, ne quidem ad probandam innocentiam daretur plena fides, nec per illorum depositiones indicia purgarentur aut debilitarentur, sed illis non obstantibus deveniri posset ad torturam, imò deberet. Ità sensit Ghirlandus, quem quidem impugnat Farinacius n. 79. sed meo Judicio non satis efficaciter. Probatur in exemplo Ghirlandi, (qui etiam citat Bartolum) si inquisitus sit malæ famæ, solitus ire de nocte armatus, & alia patrare homicidia, si insuper fuit notorius inimicus capitalis occisi, si fuisset repertus cum gladio sanguinolento, vel ejus biretum, arma, aut quid simile in loco homicidii inventum esset. Ratio est, quia hujusmodi indicia sunt tanti momenti, ut æquivaleant propemodum auctoritati testium, qui per domesticos reprobari non possent, etiam quando non facerent plenam fidem. Et sunt superabundanter sufficientia ad torturam: quare licèt forté aliquantùm enervarentur per testes domesticos, non credo tamen quòd plenè enervarentur & purgarentur, sed adhuc sufficerent ad torturam, sed mitiorem quàm quæ posset & deberet adhiberi, si nec domestici testes starent pro inquisito.

259. Hinc patet solutio ad argumentum Farinacii: nempe non sequitur ex hac Conclusione, quòd auctoritas testium esset nulla, & de vento: quia conclusio non supponit (ut malè supponit Farin.) quòd domestici testes tunc solùm serviant ad probandam innocentiam inquisiti,

fiti, quando nullis indiciis est gravatus, (hoc enim utique esset de vento, nam deficientibus omnibus indiciis non est locus inquisitioni, nec reus habet opus probare innocentiam.) sed quando est quidem gravatus indiciis, sed non adeo potentibus, & multùm prævalentibus in communi hominum judicio fidei domesticorum, quales communiter sunt. Quod si domestici essent indubitatæ fidei homines, facientes moralem certitudinem de innocentia Rei, sicut Historici scribentes Ciceronem fuisse Romæ Oratorem, tunc ecquidem crederem, per eos purgari quæcunque indicia, imò & reprobari testes non tantæ fidei. Certè aliquis domesticus testis posset esse tantæ auctoritatis & fidei, ut excluderet omnem penitus suspicionem ratione domesticitatis, & perinde considerandus esset, acsi non esset domesticus, & sic à regula generali recederetur ob eminentiam personæ, prout agnoscit ipse Farinac. *n.* 82. & pluribus exemplis declarat Felinus apud eundem.

260. Dicendum V. In casu quo testes domestici non sunt admittendi, casu quo tamen essent examinati, eorum depositio pro domestico ne quidem faceret præsumptionem, si adversa pars contra eos opponat. Ità habet verior sententia contra Marsilium, Felinum & alios. Probatur refutando fundamentum adversariorum. Lex non solùm non assistit testibus domesticis, sed illis positivè resistit, dum prohibet illos interrogari, ut patet ex textu canonizato, paulò superiùs relato. Ergo perinde est, acsi examinati non essent, ergo nec præsumptionem, nec indicium faciunt. Et ità tenet Panormitanus, imò & ipse Felinus, in hoc sibi contrarius in *cap. ex litteris. de testibus.* Et confirmatur ex lege. *pridem. 6. C. de Quæstionibus.* [Pridem placuit, domestica servorum seu libertorum propriorum vel maternorum interrogatione, in causis ad dominos vel patronos pertinentibus abstinendum esse, ut neque pro his, neque adversùs eos, in capitalibus vel pecuniariis quæstionibus veritatis vim obtinare possit, quod in confessionem ab eis fuerit deductum.] Atqui non rectè diceretur, abstinendum esse, si saltem præsumptionem facere possent: ergo colligitur, quòd lex horum examini resistat, & pro nullo haberi velit.

261. Dicendum VI. Quamvis testis domesticus pro domestico contra alium domesticum admitti debeat, eo quòd præsumptio fundata in domesticitate tollatur per contrariam præsumptionem, non esset tamen admittendus, si ex parte illius à quo produceretur, concurreret alia causa suspicionis & affectionis, v.g. consanguinitas. Unde filius pro patre contra famulum non esset admittendus. Ratio, quia suspicio fundata in affectione consanguinitatis, haberet totam suam vim, nam in domesticitate esset paritas.

262. Ex hactenus dictis facile est judicare de aliis aliqua affectione conjunctis, ut amicis, & Vasallis, & quidem in specie de Vasallis, cùm nullo jure prohibeantur dicere testimonium pro domino & seniore, attendendum est Judici ad alias circumstantias: v.g. an dominus soleat sævire in suos vasallos, & alios, quando illi non in omnibus assentiuntur, item an quis omnia sua bona habeat ut feudalia. Aliqui voluerunt, illum vasallum specialiter esse repellendum, qui præter servitia etiam fidelitatem domino juravit, quasi fidelitas resistat. Verùm, hoc fundamentum alii retorquent. Cùm enim fidelitas contineat in se honestatem, & contrarium honestati esset, si vasallus falsum deponendo pro eo commodaret ipsi cum aliena jactura, ideo ratione Juramenti admittendus est in testem potiùs quàm repellendus. Ità sentit aliis relatis Farinacius *n.* 186. nisi Vasalli persona aliud suaderet, v.g. si non esset bonæ famæ, aut homo timidus &c. Sed de his Judex arbitrabitur.

§. IV.

De Infamibus.

263. QVando, & quousque, & quales infames repellantur à ferendo testimonio in Causis Civilibus, & per consequens à fortiori in Criminalibus, dictum est tomo priore. Hic quoad causas criminales pauca annotare placet.

Dicendum I. In casu, in quo veritas aliter haberi non potest quàm per infames, admittuntur infames in subsidium, v.g. lenones & meretrices ad probandum delictum in prostibulo vel lupanari commissum, ità tamen, ut non plenè probent, nec tanquam integræ fidei faciant plenam probationem, (quia tanquam vitiosi reprobantur) sed tantummodo indicium, & ubi alii testes plenè probarent, isti non nisi usque ad torturam indicium producent. Et quidem Doctores extendunt hoc etiam ad infames infamia facti solùm. Et quando admittuntur, non admittuntur nisi cum tortura, ut colligitur ex lege 21. §. 1. *ff. de testibus. Si ea rei conditio sit, ubi harenarium testem, vel similem personam admittere cogimur, sine tormentis testimonio ejus credendum non est.* Quod tamen aliqui DD. negant, in casu quo inquisitus vel accusatus esset persona valde infamata & gravata, nam contra talem volunt infames etiam sine tortura admitti.

264. Controversum est, an, si fortè sunt ad-

admissi, cùm admitti non debuissent, hoc est, non præcisè in subsidium, quia per alios veritas haberi non potuit, an inquam in tali casu faciant sufficiens indicium ad torturam. Affirmant aliqui, quos refert Farinac. n. 63. Contra quos tamen cum æquiore sententia

Dicendum est II. Quòd in tali casu non solùm non faciant indicium sufficiens ad torturam, sed ne qnidem sufficiens ad specialem inquisitionem, sed solùm ad Inqnisitionem generalem. Probat Farinacius, quia satis irrationabile videtur, ex infamium fide ad hominis devenire torturam, quæ solet quandoque innocentes ad confitendum adducere, & est gravissimi præjudicii, ut omnes nôrunt. Præterea, si, ut adversarii loquuntur, infamium depositio non facit nisi qualeqnale indicium, hoc ipso non sufficiunt ad torturam, quia debent esse indicia gravia & urgentia, & propemodum conclndentia, ut patebit ex dicendis. Solùm ergo sufficient ad ad hoc, ut aperiant Judici viam ad inquirendum generaliter, & se informandum.

265. Dicendum III. Si infames examinantur vel in subsidium, vel in criminibus exceptis, tunc si sunt plures, deponantque de delicto immediatè & de proprio visu, contra præsentem faciunt indicium ad torturam, contra absentem verò indicium ad formandam & transmittendam inquisitionem. Ità Farin. cum aliis n. 68. qui utique loquuntur ex praxi, nam Jura non adducunt.

266. Dicendum IV. Quamvis Infames infamiâ facti non repellantur in Causis Civilibus, in Criminalibus tamen admittendi non sunt, admissi faciunt aliquale indicium, & quidem aliquando sufficiens ad torturam, si sint plures: quod si concurrat vilitas personæ, nec hoc indicium facient nisi cum tortura. Imò non desunt DD. qui etiam in infamibus infamiâ facti non vilibus requirant torturam. Sed in hoc puncto isti AA. videntur mihi (sicut in pluribus hujusmodi) illud affirmare, quod ipsis æquius videtur, & quod ipsi statuerent, si essent legislatores. Unde colligo, ejusmodi pendere à Judicis arbitrio, quia Jura non clarè determinant.

§. V.

De Accusato & Incarcerato.

267. Dicendum I. Accusatus (idem dic de Inquisito) de crimine gravi in Criminalibus non admittitur in testem, nisi in criminibus exceptis, ob aliqualem notam quæ per accusationem, & inquisitionem contrahitur. Probatur I. ex lege 20. *ff. de Testibus. In testimonium accusator citare non debet eum, qui in judicio publico reus erit.* Probatur II. Et clariùs ex *cap. finali de testibus.* [Non debet quis in criminibus (nisi forsan in exceptis) ad testificandum admitti pendente accusatione de crimine contra ipsum; cùm etiam accusati (nisi priùs se probaverint innocentes) ab accusatione, & susceptione Ordinum repellantur.] Ecce rationem à fortiori Nempe quia accusatus non admittitur ad accusandum; ergo multò minùs ad testificandum.

Monent tamen aliqui DD. cum Abbate, quòd consultum esset, ut talis accusatus examinaretur qnidem, sed ejus depositiones interim retinerentur in suspenso, donec fortè accusatus absolvatur; nam tunc ejus depositiones probabunt.

268. Dicendum II. Incarceratua non admittitur in criminalibus ad ferendum testimonium. *l. 3. §. 5. ff. de testibus.* illis verbis: *quive in vinculis custodiavé publica erit.* Quam tamen conclusionem (etsi textus generaliter loquantur) restringunt DD. ad eum, qui est incarceratus ob crimen infamans. Rationes conclusionis variæ redduntur, quæ saltem simul sumptæ probant, nempe repellitur vel propter notam infamiæ, vel quia præsumitur corruptus ab aliquo promittente illi liberationem à vinculis, vel quia dum sunt in vinculis, sunt suspecti de crimine, & aliquo modo infames.

§. VI.

De Minoribus.

269. Controversum est, quæ Minorennitas obstet, quominus in Criminalibus possint ferre testimonium. Non pauci sunt; qui cum Baldo tenent, quòd minor viginti quinque annis repellatur. Ità Mascardus, alios allegans. Contra quos

Dicendum est I. Admitti ad testificandum eos, qui annum vigesimum compleverunt. Et DD. contrarium asserentes dicit Farinacius inadvertenter locutos esse contra clarum textum legis 20. ff de testibus, ubi dicitur; *aut qui minor viginti annis erit.*

270. Dicendum II. In Crimine læsæ Majestatis etiam Minores quatuordecim annis admittuntur, imò ad dicendum testimonium etiam torquendo compelluntur. *l. 10. ff. de Quæstionib.* [De Minore quatuordecim annis quæstio habenda non est. Sed omnes omnino in Majestatis crimine, quod ad personas Principum attinet, si

ad testimonium provocentur, cùm res exigit, torquentur.] Et quamvis Mascardus requirat, ut tales deponant cum auctoritate tutoris, aut curatoris, hoc tamen in praxi non observatur, ut testatur Farinacius n. 24.

271. Dicendum III. Quando in aliis criminibus Veritas aliter haberi non potest, & Judex procedit ex officio, admittuntur etiam minores quatuordecim annis: adeo, ut secundùm probatos AA. qui allegantur à Farinacio, unius impuberis testimonium sufficiat ad torturam, prout non ità pridem in Tyroli practicatum scio, & Igneus testatur, ità servatum esse à Senatu Rothomagensi in quodam cive Falesiæ, qui uxorem suam præsente tantùm suo filio occiderat: cujus filii fides profuit ad quæstionem, quamvis esset duodecim annorum. Et Marsilius testatur, ex dicto duorum infantium repertum esse occisorem eorum matris. Quod autem idem Marsilius cum quibusdam aliis velit, duos impuberes in tali casu facere plenam probationem, meritò improbat Farinacius, quia est regula generalis, quòd quando aliqui inhabiles solùm admittuntur in subsidium, non sint testes omni exceptione majores. Vide quæ suprà de domesticis dixi. §. 3.

272. Dicendum IV. In aliis casibus, nempe in quibus veritas ex natura rei aliter quàm per impuberes haberi posset, si impubes examinatus sit, & de delicto deposuit, tunc facit solummodo qualequale indicium, hoc est sufficiens ad Judicis instructionem, & ad generalem veritatis inquisitionem, dummodo sit pubertati proximus, & doli capax: non tamen sufficeret ad torturam, nisi fortè cum dicto impuberis concurrerent alia adminicula & præsumptiones, nam tunc omnibus simul sumptis, non est inconveniens oriri sufficiens indicium ad torturam. Ità tenent communiter DD. allegantes experientiam, quâ constat, hujusmodi depositionibus plura delicta fuisse in lucem producta.

273. Dicendum V. Non prohibetur pubes factus testificari de illis, quæ vidit fieri in pupillari ætate, dummodo de talibus testificetur, quæ tunc poterat per intellectum dijudicare: secùs non; v. g. non posset testari, se vidisse in pupillari ætate cudi falsam monetam, quia probabiliùs non poterat judicare falsationem monetæ, sed solùm, quòd cuderetur moneta.

§. VII.

De Muliere.

274. Dicendum est, Mulierem, saltem Jure Civili, admitti ad testificandum in Criminalibus. Ità DD. communissimè (paucis non magni nominis reclamantibus apud Farin. n. 18.) & habet quotidiana praxis. Probatur ex lege 18. ff. de Testibus, ubi exceptio firmat regulam. [Ex eo quòd prohibet lex Julia de Adult. testimonium dicere condemnatam mulierem, colligitur, etiam mulieres testimonii in judicio dicendi jus habere.

Dixi: saltem Jure Civili. Nam quòd de Jure Canonico (saltem in terris Ecclesiæ servando) non admittatur mulier, habet receptissima Canonistarum sententia, fundata in Can. 17. ca. 33. q. 5. [Mulierem constat subjectam dominio viri esse, & nullam auctoritatem habere: nec docere enim potest, nec testis esse, neque fidem dare, neque judicare: quantò magis non potest Imperare.] Verùm, ut taceam, quòd iste textus (salvâ DD. auctoritate) non difficilem reciperet interpretationem, fortissimè premitur hæc communis Canonistarum opinio ex eo, quòd Lex civilis sup. relata, sit in terminis canonizata, in Can. 2. ca. 15. q. 3. ob quem textum non pauci DD. post Decium censent, non esse differentiam inter Jus Canonicum & Civile in hoc puncto, & de consuetudine testatur idem Decius: & Farinacius tandem testi ingit communem sententiam ad terras Ecclesiæ subjectas. Imò n. 9. sentit cum contraria DD. sententia, quòd quando Judex procedit ex officio & per viam Inquisitionis, etiam de Jure Canonico mulier admittatur, & benè advertit, quòd per hoc ipsum penè totaliter destruatur sententia communis, de non admittenda muliere, quia hodie de consuetudine in omnibus delictis procedit Judex ex officio.

275. Dubitatur, an de Jure Civili mulier admittatur ad dicendum testimonium etiam in illis delictis, quorum pœna est corporalis, saltem abscissio alicujus membri. Negat Imola, Bursatius & alii. Affirmandum tamen est cum communissima, etiam in his admitti, (ut habet praxis) ità tamen, ut non habeantur pro omni exceptione majoribus, adeo, ut ad pœnam mortis inferendam nec ternarius numerus sufficeret secundùm aliquos. Verùm, in hoc videtur Judicis arbitrio aliquid tribuendum, in consideratione Matronarum testificantium. Quis enim nescit, reperiri Matronas nihil viris cedentes de prudentia, & morum integritate. Præsertim cum lex sine diminutione concedat mulieribus Jus testificandi. Non video ergo, quo Ju- [illegible] re hoc

re hoc illis adimi aut diminui possit, nisi recurrendo ad Judicis arbitrium & prudentiam in consideratione fæminarum, cujus eæ conditionis sint, & an laborent communibus leviorum fæminarum vitiis & defectibus, necne; alioquin parùm est, quod fæminis conceditur in Jure Civili. & facile esset conciliare Jus Canonicum cum Civili, dicendo, quòd Jus Canonicum excludat eas solùm tanquam omni exceptione majores, salvo aliorum Judicio.

§. VIII.

De habente commodum in causa.

276. Regula decantata & generalis est, quòd nemo in causa propria testis esse possit. habetur *in l. 10. ff. de testibus. Nullus idoneus testis in re sua intelligitur.* & alibi passim. & tomo priore dixi, quando in causis civilibus excludatur qui habet affectionem ad causam. Hîc breviter de causis Criminalibus. In quibus

Dicendum I. Regula ab omnibus recepta, sed non ab omnibus observata est, quòd accusator vel delator aut querelator non possit esse testis in illa causa in qua querelavit. Semper enim Jura distinguunt accusatorem & testem; unde Damhouderus monet, officiales quosdam in hoc graviter peccare, quos non pudet contra omnem æquitatem eosdem ad testimonia contra misellos ferenda producere, quos priùs habuerunt delatores, non aliam ob causam, quàm ut hac ratione ex innocentium oppressione pecuniarum condemnationem consequantur, & suis consulant marsupiis.

277. Unde advertendum est Judicibus, quòd quando à principio fuerunt plures accusatores, & (ut suprà dictum) Judex unum ex illis tanquam magis idoneū eligit; non possint ex reliquis ullum admittere ad testificandum, sed ex officio, etiam parte non opponente, (quæ fortè nescit, qui accusaverint, vel querelaverint) repellere debeat.

Neque contrarium habetur in cap. 4. *de testibus.* dum dicitur: [In omni negotio principalis persona dicens veritatem de re sibi nota, rectissimè habenda est pro teste.] Nam loquitur in casu quo agitur ad correctionem fraternam, & impediendum peccatum, ut patet ex contextu. Et hinc

Infertur, quòd is qui denunciavit alicujus Matrimonii invaliditatem, vel impedimentum inter sponsos, possit à Judice inquirente admitti pro teste.

278. Dicendum II. Judex, ne quidem finitâ causâ, & postquam functus est officio suo, potest esse testis in iis, quæ concernunt Justitiam vel injustitiam suæ sententiæ vel laudi, benè tamen in illis quæ concernunt processum & ordinem Judicii. Unde nec in causa appellationis potest admitti, ut testis super principali negotio, nisi de consensu appellantis. Dixi, *super principali negotio*; Nam de iis quæ coram se gesta sunt, potest testificari, dummodo testificatio non tendat ad justificandam sententiam à se latam, vel ad consequendum honorem, aut evitandum dedecus. Quod de Judice dictum, etiam de Assessoribus astruunt DD. quia proportionaliter eadem est ratio, nam & illi affectionem habent ad causam.

279. Dicendum III. In iis causis, in quibus veritas aliter haberi non potest, eo quòd nemini nisi Judici, aut arbitro, aut assessoribus innotuerint, possunt esse testes.

Dicendum IV. Quando ante sententiam vel laudum exspiravit Jurisdictio, fortè quia periit instantia, vel quia sunt ab officio remoti, non prohibentur testimonium ferre coram alio Judice in iis, quæ pertinent ad litis ordinationem, non tamen in iis quæ respiciunt litis decisionem. Hæc omnia videri possunt apud Farinacium, quibus non immoror, cùm sint communia etiam causis civilibus, & facilè deducantur ex antè dictis.

§. IX.

De Socio Criminis.

280. Quæstio est, an quis possit perhibere testimonium contra alium, quem dicit ejusdem criminis socium fuisse, vel an sit repellendus. Pro resolutione

Supponendum est, quòd regulariter delinquens non sit examinandus, quos habuerit Criminis socios, ut habetur *in lege fin. C. de accusat.* ibi. [Cùm veteris Juris auctoritas de se confessos ne interrogari quidem de aliorum conscientia sinat. Nemo igitur de proprio crimine confitentem super conscientia scrutetur aliena.] *Et cap. 1. de confessis*, ubi habetur exceptio, ibi. [Cùm secundùm utriusque Juris statuta de se confessi super aliorum conscientiis interrogari non debeant, & (Crimine læsæ Majestatis excepto) de reatu proprio confitentis periculosa confessio non est adversùs quemlibet admittenda.]

281. Dictum est, *regulariter*. Nam praxis habet, ut reus de sociis interrogetur in illis deli-

delictis, quæ ex natura sua non solent sine sociis perpetrari, vel modò Judici sit verisimile, fuisse cum sociis perpetratum, vel ex alicujus mandato aut consilio. Ratio est, quia interest Reipublicæ, ut hujusmodi facinorosis hominibus purgetur. Hujusmodi sunt latrones, qui de sociis omnino sunt interrogandi, quia solent latrones vel habere socios, vel receptatores: idem est dicendum de cusoribus falsæ monetæ, idem de reis criminis læsæ Majestatis, quod rarò sine complicibus committitur. Idem in maleficis seu veneficis observatur, ut de sociis examinentur, tum quia veneficia vel docentur, vel discuntur ab aliis, tum maximè, quia ad comunem Reipublicæ salutem summè necessarium est, hujusmodi abominandum genus hominum radicitùs extirpari. Denique quando ex personæ conditione verisimile fit, quòd crimen alterius mandato fuerit perpetratum, interrogatur, an aliquis, & quis mandaverit, id quod in Assassinis fieri solet.

Quodsi Consuetudo alicujus loci adhuc est universalior, (prout in pluribus locis esse testatur Jul. Clarus *q.21.*) illa non est reprohendenda, ut nimirum in omni delicto, quód cum sociis fieri potuit, vel complicibus, interrogentur rei. His præmissis

282. Dicendum est I. In casu quo vel reus sponte nominat socium, vel ad interrogationem quidem Judicis, sed non Juridicè seu jure factam, talis nominatio plùs non operatur, quàm ut faciat sufficiens Indicium ad inquirendum remotè in talem personam, & accipiendam de ea informationem. Ità ex communi Julius Clarus lo. cit. meritò improbans consuetudinem quorundam procedendi ex tali depositione ad torturam. Imò nec sufficit ad transmittendam inquisitionem, cùm per hanc reddatur persona non parùm suspecta, nec levem apud alios notam contrahat. Itaque solùm sufficit ad informationem clàm capiendam: vel enim per hanc nullum novum indicium acquirit, & sic non progreditur Judex ulteriùs: vel accipit nova indicia, & tunc non vi depositionis à reo factæ, sed vi novorum indiciorum procedit ad specialem inquisitionem, ejusque transmissionem, ut inquisitus comparere cogatur ad se defendendum.

283. Dicendum II. Nominatio socii ad interrogationem Judicis jure factam, non solùm ad primum gradum inquisitionis, (de qua jam dictum) sed etiam ad secundum gradum sufficit, hoc est, ad formandam inquisitionem, eamque nominato transmittendam, ut cogatur personaliter comparere, & se defendere. Quod tamen DD. limitant, nisi reus nominans esset perjurus, tunc enim ejus nominatio ad solum primum inquisitionis gradum sufficeret.

284. Dicendum III. Nominatio socii nunquam sufficit ad torquendum nominatum, nisi tria concurrant. 1. ut duo rei interrogati nominent tertium socium, nec refert, etiamsi sint singulares, hoc est unus de uno, alter de alio facto deponat. 2. ut cum Juramento. 3. ut in tortura. Nam sine tortura tali reo jam confessato, adeoque infami, non creditur. Quodsi Judex uno ex his deficiente ad torturam procederet, confessio inde secuta ipso jure nulla esset. Et quamvis quoad exactionem juramenti aliqui aliud observent, errant tamen in hoc, ut ait Marsilius, & Julius Clarus, nam in tali nominatione fungitur vice testis, testi autem non jurato non creditur. Sufficit tamen, quandocunque intervenisse Juramentum, sivè ante torturam, sive præsente eo contra quem deponit, prout servatur in confrontatione, de qua infrà.

CONTROVERSIA IV.

De Iuramento testis necessario in Criminalibus.

SVMMARIVM.

An Juramentum possit testibus ab adversa parte remitti. 285.

An testes in generali inquisitione sine juramento examinati, postea in speciali sint sub juramento examinandi. 286. *& seqq.*

Suppositis illis quæ tomo præcedente de Juramento testis disputata sunt, in præsenti,

285. Quæritur I. an in Criminalibus possit Juramentum à parte adversa remitti, sicut potest in Civilibus.

Dicendum videtur, ob communem DD. Auctoritatem, non posse remitti. Ità cum aliis supponit Farinacius, & post eum Carpzovius. Probatur, assignando causam disparitatis in Civilibus & Criminalibus, quam tradit Mascardus *lib.1.q. 5. à num.* 108. In civilibus agitur solùm de partis interesse: mirum ergo non est, posse à parte remitti, in cujus præcisè favorem introductum est, cùm quivis possit favori suo renuntiare. At verò in causis capitalibus agitur insuper, & vel maximè ac præcipuè de publica utilitate, ut vel delicta puniantur ad aliorum exemplum, & respublica sceleratis hominibus expurgetur, vel certè innocentes subditi non opprimantur: atqui non debet privatus posse renuntiare favori in bonum Reipublicæ introducto, unde nec Clericus potest renuntiare privilegio fori in honorem totius Cleri concesso. Ergo. In examine testi-

testium instituto ad convincendum reum, adeoque in accusatione, vel Inquisitione speciali nunquam est remittendum: quod tamen, an observetur, quando examinantur personæ illustres, prætendentes privilegium, consuetudo consulenda est.

286. Quæritur II. Quandoquidem in Processu generalis inquisitionis, seu in primo inquisitionis gradu, (ut alii loquuntur) frequentissimè testes, nullo exacto ab illis juramento, examinantur, an si postea instituatur inquisitio specialis, seu in secundo gradu, debeant aut possint iidem testes denuo produci, &, præstito juramento, deponere. Ratio dubitandi est non levis. Quia communiter DD. tradunt, quòd Juramentum post depositiones factas præstitum, depositiones priùs factas non confirmet: cujus hæc est viva ratio. Si enim Juramentum à principio non exigatur, periculum est, ne falsa deponantur, absente nimirum Jurisjurandi stimulo. Jam, si postea exigatur Jusjurandum, quo depositiones sic factæ confirmentur, profectò adest vehemens periculum perjurii, quotusquisque enim ejus religionis reperietur, ut se confundat, & timore perjurii committendi fateatur, se priùs mendacem testem egisse?

287. Ob hanc rationem sanè consultissimum esset, ut (quemadmodum in Senatu Academico diligenter observatur) testes in generali inquisitione deposituri, moneantur, ut ità deponant, ut, si fortè postea Juramentum exigeretur, possint illud sine perjurio præstare. Verùm, quia fortè hæc consuetudo non ubique observatur, nec illius DD. mentionem faciunt, ideo

Respondet Carpzovius n. 69. usu receptum esse, ut testes, qui priùs injurati deposuerunt, denuò producantur, ut deponant jurati in speciali inquisitionis processu. Et si aliter diceretur, semper esset in potestate Judicis, testes injuratos examinando Judicium probandi facultate defraudare, & inquisitum à condemnatione liberare. Ità ille ex Hartmanno Pistorio. Verùm, hæc ratio non est universalis, quia non procedit in processu per Accusationem, ubi penes accusatorem est, producere testes Judici ignotos, & cum quibus non potuit hoc modo colludere.

288. Ad rationem dubitandi respondet Carpzovius, perjurium non esse præsumendum futurum, & ejus suspicionem seu periculum tanti ponderis non esse, ut propterea facultas probandi inquisitori sit adimenda, & nocens dimittendus. Neque hoc, meo Judicio, temerè dicitur; nam requiritur, ut testes sint omni exceptione majores. quales si fuerunt adhibiti in inquisitione generali, à talibus profectò non est timendum perjurium, quia nec est morale periculum, quòd priùs etiam non jurati falsum dixerint. Quodsi non fuerunt tales, postea in inquisitione speciali non facilè producentur, aut si in aliorum defectum producantur, possunt severà admonitione commoveri, ut vel apertè fateantur, se priùs ex aliquo humano respectu non satis sincerè respondisse, vel alio modo pallient mendacium, si quod commiserunt, ità tamen ut illud non repetant.

Ob eandem rationem ex communi DD. testes non ritè examinati iterum producuntur etiam post publicatas attestationes, prout tradunt plures, quos refert Gail *lib. 1. obs. 105. n. 12.* & Carpzovius n. 71.

CONTROVERSIA V.

De Confrontatione Testium vel Socii Criminis cum Reo.

SVMMARIVM.

Confrontatio quandoque habet vim citationis. 289.
Non est de substantia processûs. 290.
Non adhibenda cum Vasallis aut famulis, vel liberis. 291.
An facienda sit etiam in adiacentibus puncto principali, judici arbitrandum est. eod.
Necessaria est, si testes dicant, se reum novisse solùm ex visu. 292.
Quomodo procedendum in confrontatione socii criminis. 293.
An testes possint cogi ad subeundam confrontationem. 294.
An ad instantiam rei testes sint necessariò confrontandi. 295.
Quomodo ante actualem confrontationem interrogandus reus circa personam confrontandam. 296.
An solus reus, vel cum eo alii similes sint testi objiciendi. 297.
Quidsi reus peteret ut alius & non ipse objiceretur oculis testis. eod.
Quænam ex priùs actis repetenda in ipsa confrontatione. 298.
Quædam ad ipsam confrontationis formam spectantia post factam recognitionem. 299.
An Confrontatio ritè peracta impediat repetitionem testium ad instantiam Rei. 300. & seq.
Quidsi testis in recognitione aberret? 302.

289. Quamvis Regula sit, quòd reo non citato, testium depositiones nihil pro-

bent contra reum, nihilominus Confrontatio quandoque in hunc finem adhibetur, ut habeat vim citationis. Est enim in Judicis electione, testes pro Curiæ informatione examinatos, vel, reo citato, cum suis interrogatoriis, repetere, vel ad rei faciem confrontare, prout sibi melius videbitur. Circa quam confrontationem

290. Dicendum I. Eam non esse de Substantia processûs, nullo enim Jure requiritur: ergo eâ prætermissâ non vitiatur processus. Et quamvis, per se loquendo, sit valde utilis ad veritatem faciliùs eliciendam ex mutuo colloquio testis cum reo, vel Socii delicti cum Socio reo, & ut ex quibusdam signis aut gestibus, vel alteratione denique reus vel adducatur ad criminis confessionem, vel indicia præbeat ad torturam, nihilominus sæpè ex gravi & rationabili causa omittenda est, ne alioquin ipse Judex actione injuriarum conveniri possit, qui (ut loquitur Carpzovius) ad solam inculpationem virum honestum cùm inquisito confrontari facit, cùm non sit minimus actus præjudicialis & odiosus, famamque viri honesti non parùm afficiens. Unde non ità pridem scio ab Illustribus personis fuisse recusatam hujusmodi confrontationem cum levissima meretrice, quæ illos tanquam complices nominavit, ut suam turpitudinem palliaret.

291. Monentur insuper Judices à Sigism. Scaccia *q.86.n.55.* & Guazzino *defens.* 20. *n.* 19. ne deveniant ad confrontationem, si testes essent Vasalli, vel famuli, vel liberi, contra eos quibus debent reverentiam, vel quorum potentiam timent, quoniam sæpè accidit, ut coram eis ob reverentiam aut metum non persistant in sua depositione, vel illam pallient, vel in totum destruant.

Dissentiunt DD. in eo, quòd aliqui putent, nunquam esse faciendam confrontationem nisi in principali negotio, & quando stant in contradictoriis immediatè & directè. Alii autem volunt posse fieri in adjacentibus: in quo videtur Judicis arbitrio tribuendum, ut videat, an ad finem & intentum totius processûs possit esse notabiliter utilis confrontatio.

292. Dicendum II. Si testes dicant, se reum cognoscere solùm ex visu, non autem de nomine, tunc confrontatio est simpliciter necessaria, sicut etiam, si reum describant per signa, v.g. staturam, vestes &c. sed tunc non est facienda in forma confrontationis, sed recognitionis: priùs ergo debet Judex petere à testibus, ut reum describant per staturam, ætatem, habitum, & alias circumstantias etiam minimas: quodsi deinde in actuali confrontatione testes nollent reum recognoscere, fierentque suspecti, essent variis modis interrogandi, ut monent citati AA.

293. Dicendum III. Si Socius Criminis confrontatur, tunc etsi non statim ad torturam videatur examinandus præsente reo, si tamen persisterent in contradictoriis, tunc in præsentia rei erit torturæ admovendus, & in ea interrogandus, an persistat in depositione. Et si persistat, remittenda tortura, & deinde iterum interrogandus, quamvis hoc ultimum non sit necessarium. Modum examinandi exemplificat ad longum Scaccia. Hoc casu tortura purgat suspicionem, quæ alioquin est contra socium.

294. Dicendum IV. In casu quo confrontatio est necessaria ad hoc, ut reus per confrontationem convinci possit, sicut possunt testes ad testificandum cogi, ità etiam ad subeundam confrontationem. Ratio est, quia in tali casu confrontatio est necessarium medium ad recta testificationem obtinendam: atqui qui habet Jus ad finem, habet etiam Jus ad media necessaria. Ergo &c.

295. Dicendum V. Quamvis aliqui putent, quòd ad instantiam Rei testes sint confrontandi, stando tamen in ratione, videtur potiùs negandum. Ratio mea est, quia Confrontatio est inventa in odium Rei, & ad eum faciliùs convincendum, ad quem finem reus nunquam petet confrontationem, sed potiùs, quia sperat, quòd testes non sint ausuri sibi contradicere. Unde Modernus Romanus testatur, quòd Advocati nunquam hoc potuerint obtinere in Curia. Quodsi tamen pro reo starent aliquæ præsumptiones contra testes, non esset prohibitum Judici, deferre ejus petitioni, & hoc æquitas postularet, quia reperiuntur homines quos pudet, alicui in faciem asserere falsum, non tamen in absentia.

296. Dicendum VI. Antequam fiat actualis confrontatio, interrogandus est reus, an noscat hunc vel illum, nominando inter tales testem, cum quo cogitatur confrontationem fieri posse, an habeat illum pro viro bono & probo, an sit illi amicus vel inimicus, an auderet illi asserenti in faciem negare, & arguere mendacii, & similia, & ex responsis colligi poterit, an confrontatio expediens sit.

297. Dicendum VII. Ad declinandam speciem suggestionis, in forma recognitionis, non solus reus seu inquisitus est objiciendus oculis testis, aut socii criminis in confrontatione, sed adhuc unus vel alius qui commodè haberi possunt non absimiles reo, & inter illos reus comparere debet absque ullo reatûs indicio, hoc est absque manicis aut compedibus ferreis: & non solùm testes, sed etiam socii debent singuli seorsùm confrontari, quia funguntur munere testis.

Sed, quidsi reus peteret à Judice, ut non se, sed alium sibi similem objiceret oculis testis, an esset

esset audiendus? ℞. Negativè, ut benè probat Scaccia. n. 61. quia quemadmodum ostensio Rei ad oculum, hoc est illius solius sine adjuncto similis, daret materiam fabricandi falsum contra teum, & ideo improbatur, ità econverso ostensio alterius sine reo, daret materiam fabricandi falsum contra fiscum, & ideo non est facienda.

298. Dicendum VIII. Non obstante, quod fortè testes jam antè & in priori examine juraverint, vel socii & suspecti fuerint quæstioni subjecti, in actuali confrontatione eà omnia repetenda sunt in præsentia ipsius inquisiti. Ità observatur in praxi.

299. Dicendum IX. Post factam recognitionem, ad ipsam confrontationis formam spectat, ut Judex faciat per Notarium legi testi ad faciem Rei quæ deposuerat in primo & separato examine: & ad cavendam speciem fraudis aut suggestionis expedit, ut ante depositionum lectionem Judex jubeat testem per seipsum, summatim & in substantia recensere quæ deposuerat: imò reo hoc petente debet hoc Judex facere, ne alioquin fiat suspectus de suggestione. Quodsi tamen testis diceret; se non ampliùs satis accuratè recordari, sed velle ut sibi legantur, & cæteroquin careret suspicione, non esset urgendus, nisi fortè, ut saltem unum alterumvè repetat, nec enim careret suspicione, qui diceret se nullius responsi recordari. Quodsi contrarietas & contradictio inter testem & reum solùm consistat in una vel altero articulo, illa sola depositio erit legenda. Factâ enarratione, & lectione, debet Judex testem interrogare, an, memor præstiti Juramenti, persiter in hac sua depositione: quo affirmante, proceditur ulteriùs, vel ad confrontationem aliorum, vel ad torturam rei, vel ad sententiam, prout ordo judicii requisiverit.

300. Controvertitur hic utiliter, an Confrontatio ritè peracta sit tantæ efficaciæ, & hunc effectum operetur, ut impediat repetitionem testium ad instantiam Rei, quia fortè sperat, se per nova interrogatoria testibus proponenda posse eorum testimonium infirmare, quæ repetitio cæteroquin de Jure concedenda est extra casum Confrontationis. In facti contingentia fuisse denegatam repetionem, refert Guazzinus cap. 21. nempe tempore Clementis Octavi, in causa Mariani Costæ Bancherotti (cujus Guazzinus erat Advocatus) cui in Tribunali A. C. fuit denegata repetitio, cum priùs semper fuerit contrarium observatum: & quamvis Advocatus satis exclamaverit apud dictum Pontificem, dicendo, nec de Jure, nec de consuetudine posse repetitionem denegari, ipse Summus Pontifex uno verbo respondit, quòd tunc qualitas causæ ità requirebat. De cætero, & loquendo de via ordinaria

301. Dicendum est X. De Jure veriùs, & à DD. communiter approbatum esse, quòd Confrontatio non impediat testium repetitionem universaliter. Nempe in Curia Romana praxis habet; eodem Guazzino teste, ut si in ipsa confrontatione reus fuit sagax in interrogandis testibus ad sufficientiam, nec proinde ex repetitione testium resultaret alius effectus, tunc non concedatur repetitio, benè tamen si reus non interrogavit ad sufficientiam, & ideo speratur alius effectus ex repetitione: qui effectus sæpè sperari potest, quia reus ut plurimùm altercatur cum testibus in confrontatione, & ideo non videtur satis animo collectus ad interrogandum, potissque à sagaci Advocato instrui ad alia interrogatoria formanda. Certum enim est, quòd liceat reo in confrontatione testes interrogare, cùm confrontatio fiat præcipuè, ut purgetur defectus Citationis.

302. Quæret aliquis. Quidsi testis in recognitione aberret, & aliud quàm ipsum reum designet, an talis designatio aliquid operetur. ℞. Negativè, non quidem ratione ipsius Rei, qui potiùs per hunc errorem exculpatur: non etiam ratione designati; quia, ut suppono, ille non est receptus inter reos, nec gravatus, nec inquisitus.

CONTROVERSIA VI.

Quibus casibus possint Testes deponere per Scripturam.

SVMMARIVM.

Mutus & Surdus potest testificari per scripturam. 303.

Factum implicatum & involutum, potest testis scripto concipere, & Judici legere. 304.

Personæ honestiores & omni exceptione majores, possunt scripto deponere. eod.

Judicis arbitrio idem relinquitur, si Scripturæ accedat Juramentum. eod.

303. Quamvis pro Regula habeatur, quòd testes debeant oretenus deponere & respondere ad interrogationes, sunt tamen Casus excepti.

Primò, Mutus & Surdus à Nativitate vel ex accidenti, vel habens linguam incisam, ut loqui non possit, testificari potest per scripturam. Juramentum poterit præstare per Procuratorem, sed non

non per eum ferre testimonium. Quodsi scribere nesciat, poterit examinari mediantibus interpretibus per nutus & alia signa, quæ debent à Notario in Actis describi, & adnotari interpretationes, quæ fieri possunt per domesticos, qui assueti sunt ejus nutibus & gestibus, quibus debet etiam deferri Juramentum, quòd velint optimâ fide interpretari. Sicut etiam quando examinatur aliquis extraneus, non callens ullum idioma Judici notum, mediante interprete jurato examinari potest ac debet.

304. Secundus casus exceptus est, quando factum esset valde implicatum & involutum, poterit testis illud scripto concipere, sed deinde Judici legere.

Tertius casus est, in personis honestioris conditionis, nec idiotis, integræ opinionis, omni exceptione majoribus, hos, inquam, posse in scripto deponere tradit Decius, *responso* 51. *n.* 101. *lib.* 2. & exemplificat in Canonicis, Advocatis, Procuratoribus, & Notariis. Verùm, hunc casum non omnes admittunt, & contra Dec. sentit Romanus.

Quartus casus est, quando per Scripturam probatur ætas alicujus, v.g. baptizati ex libro Parochi. Sed hic casus nihil facit ad propositum.

Denique Guazzinus & alii relinquunt hoc Judicis arbitrio, dummodo Scripturæ accedat Juramentum.

CONTROVERSIA VII.

An in aliqua causa Criminali probent Testes Singulares.

SUMMARIUM.

Ad probandum crimen læsæ Majestatis, sufficiunt testes singulares. 305.
Quandonam singulares testes sufficiant à probandum adulterium, vel vitam turpem. eod.

305. IN Crimine læsæ Majestatis, ad ejus probationem sufficere testes singulares, est communis & recepta DD. opinio, quos refert & sequitur Farinacius *q.* 64. *n.* 220. & Mascardus *lib.* 1. *Concl.* 463. *n* 17. ubi ex Marsilio reddit hanc rationem. Quia ille, qui vult aliquid machinari contra suum Principem, sciens magnitudinem ipsius criminis, & pœnam quæ reis infligitur, adeo cautè procedit, ut nunquam aperiat mentem, & propositum suum alicui in præsentia alterius, & hoc ideo, ut casu quo ille, cui dixit, vellet ipsum accusare, possit negare, unde crimen plerumque probari non posset, nisi admitterentur testes singulares.

Alium casum adducunt aliqui, quòd singulares testes sufficiant ad probandum adulterium in genere, vel vitam meretriciam. Verùm, communior est opinio, hoc solùm esse verum, quando proceditur civiliter, v.g. ad privandum dote, non autem, quando proceditur criminaliter, & ad puniendum. Ità aliis relatis concludit Farin. loc. cit.

CONTROVERSIA VIII.

An testis excusetur à testificando de iis quæ accepit sub Secreto naturali.

SUMMARIUM.

De quibus secretis hic sit sermo. 306.
An qui juratò promisit secretum, teneatur interrogatus manifestare, si alteri sit damnosum. 307.
Quidsi nullum adsit periculum damni. 308.
Non obstante promissione tenetur qui vidit fieri delictum, juridicè interrogatus detegere. 309.
Quid dicendum si fiat inquisitio generalis de delicto notorio. 310.

306. NOn est quæstio de Secreto orto ex Confessione Sacramentali, quo tenetur non solùm Confessarius ad non revelandum in ullo casu, sed etiam aliæ personæ, ut Superior quem adiit Confessarius ad petendam facultatem absolvendi à casu reservato, item Doctor quem consuluit, Interpres qui Confessioni adfuit, ac denique si quis casu vel ex curiositate audivit confitentem, vel qui se finxit Confessarium. Quæstio ergo est, de illis quæ quis alteri explicitè vel implicitè sub naturali Secreto concredidit, an si deinde talis à Judice jubeatur testimonium ferre, possit æquivocando, vel cum restrictione mentali, dicere se nescire, intelligendo, *eâ scientiâ quam teneatur manifestare.*

307. Dicendum I. Quando vel Reipublicæ, vel etiam personæ privatæ ex malitia illius qui secretum comisit, aut etiam alterius, imminet grave damnum injustè inferendum, ad quod avertendum est necessaria testificatio sincera, & revelatio secreti, tenetur interrogatus manifestare, etiamsi juratò promisisset secretum. Ratio

tio est, quia Juramentum non est vinculum iniquitatis: ergo si secundùm se est illicitum tacere, neque Juramentum obligabit ad tacendum.

Dubium est, quando non adest periculum hujusmodi damni, quo casu aliqui apud Lessium tenent, quòd adhuc teneatur interrogatus manifestare, quia promissio secreti pro casu quo Judex interrogat, est de re illicita: ergo non obligat. Hoc non obstante

308. Dicendum II. Cum communissima Theologorum, quos sequitur Lessius *c. 30. n. 6.* Molina *to. 5. disp. 5.* Lugo disp. 39. *s. 2. n. 12.* in tali casu promissionem secreti obligare & prævalere, adeoque interrogatum à Judice posse respondere modo prædicto. Ratio est. Quia quamvis præceptū Superioris obliget secundùm se, & per se loquendo, non tamen pro casu commissi Secreti, quod si liceret violare ad Judicis interrogationem, id tandem per consequentiam redundaret in gravissimam confusionem & perturbationem humanæ conversationis & societatis: nemo enim facilè auderet consilium petere in suis dubiis, si sciret, interrogante Judice se esse manifestandum ab eo quem consuluit.

In praxi, & vi hujus doctrinæ excusantur à detegendis delictis Advocati, Medici, Procuratores, Chirurgi, Obstetrices, & similes personæ, quibus sub secreto saltem implicito revelantur delicta, pro remedio vel consilio obtinendo.

309. Dicendum tamen III. Qui vidit delictum perpetrari, obligatur interrogatus Judici illud testificari, etiamsi reo promisisset, se illud in secreto habiturum. Ratio est, quia illa promissio non potest extendi ad casum Juridicæ interrogationis, sic enim esset de re illicita: nam in ipso puncto quo vidit delictum, jam contraxit obligationem illud manifestandi, si interrogetur. Neque dici potest, quòd sit tantùm obligatio conditionata: *nisi promisero secretum.* Nam si hæc conditio subintelligenda esset, jam illa obligatio esset de vento, quia esset in potestate testis, facere, ut non obligetur, nempe promittendo secretum.

310. Procedunt hæ Conclusiones de Inquisitione speciali, & circa personam determinatam, & jam infamatam. Hinc

Dubium est, an, quando Judex procedit per Inquisitionem generalem, eo quòd delictum quidem sit publicum & notorium, sed delinquens ità occultus, ut nullus particularis sit vel famâ vel aliis indiciis gravatus, an in tali casu teneatur testis interrogatus sciens delinquentem manifestare, si delictum non accepit sub secreto, sed oculis usurpavit. Affirmant graves Theologi, Aragonius, Valerus & Miranda, apud Dianam *to. 1. p. 2. tract. 1. Miscell. resol. 64.* item aliis relatis Luisius Turrianus disp. 50. *dub. 5. n. 5. & seqq.* putat esse probabilem, sed absolutè sequitur negativam, quæ est longè communior. Ratio est, quia testis solùm obligatur respondere formaliter ad id, quod Judex jure potest per talem inquisitionem interrogare: Atqui Judex non potest jure interrogare de persona particulari non infamata, nec indiciis gravata: sed solùm potest interrogare de fama: ergo testis satisfaciet, si respondeat, se nescire de fama. Itaque talis inquisitio solùm servit ad hoc, ut manifestentur si qui sunt infamati, quos Judex ignorabat, & licèt examinatus non teneatur manifestare personam, fortè tamen manifestabit absque obligatione manifestandi, & tunc habebit vim denuntiationis, & aperiet viam inquisitioni speciali. Benè tamen addit Lugo, aliud esse in criminibus vergentibus in damnum commune & innocentis; nam tunc est obligatio manifestandi reum, vel ex charitate, vel ex pietate, vel alia virtute.

CONTROVERSIA IX.

An Testis, qui per errorem, & bonâ fide falsum deposuit, teneatur ex Iustitia postmodum, errore deprehenso, Retractare.

SVMMARIVM.

Testis agnoscens errorem factæ depositionis, tenetur ex charitate retractare. 311.
Imò tenetur ex Justitia. 312.
Declaratur Conclusio exemplo. 313.
An teneatur retractare cum periculo vitæ. 314.
Quid si testis sciat, se à Judice vel Notario non fuisse rectè intellectum. 315.
Quid si ex errore nullum incommodum generatur. 316.

311. Certum est, quòd saltem ex Charitate teneatur retractare, si sperat suam retractationem fore utilem ad impediendum damnum, alioquin alteri ex falsa testificatione secuturum, & si id possit sine gravi suo damno, hoc est, sine illo damno, quod quis ad proximi damnum gravius impediendum tenetur ex charitate subire, per regulam generalem, explicatam in Opere Theologico de Charitate, & etiam in Tomo. 1. de Justitia. Dubium est, an teneatur

ex Justitia commutativa, ità ut si non retractet, teneatur restituere & satisfacere pro damno inde secuto.

P. Thomas Sanchez distinguit, & docet *lib. 1. Consil. c. 3. dub. 5.* quòd quando quis perseverat in officio, seu munere testificandi, teneatur ex Justitia retractare, si verò jam officio functus est, & officium dimisit, non teneatur nisi ex charitate.

312. Dicendum tamen videtur cum communiore, quam tenet Lessius, Molina, quos refert & sequitur Lugo n. 24. teneri semper ex Justitia. In probatione tamen Conclusionis DD. non conveniunt.

P. Lessius sic probat. Qui detinet alienum invito domino, (etiamsi per errorem ad se pervenerit) tenetur id restituere, quamprimùm deprehendit errorem, & intelligit, rem esse alienam. Atqui in casu nostro testis non retractans detinet famam alienam. Ergo tenetur restituere. Hoc argumentum rejicit Lugo, quia non est paritas: nam in priore casu tenetur detinens restituere ex re accepta, quia res aliena exstat apud ipsum: at verò infamator innocens non detinet apud se famam alterius: sed neque tenetur restituere ex injusta læsione, quia, ut supponimus, in falsa testificatione non peccavit, quia errore invincibili ductus est. Verùm, dici posset pro Lessio, non detineri quidem famam apud se physicè, & tanquam rem corporalem, sed tamen moraliter, nempe si retractet, fama per se redibit ad læsum. Verùm, quidquid sit de hac subtilitate

313. Card. de Lugo meliori exemplo rem declarat. Qui ex inculpabili inadvertentia vel errore applicuit ignem domui alienæ, quamprimùm agnoscit errorem, tenetur extinguere ignem, si potest sine gravi damno proprio, alioquin tenebitur ad restitutionem damni. Ergo à pari, qui falsum testificatur, quia applicuit per errorem ignem famæ alienæ, tenebitur, animadverso errore, extinguere ignem & incendium, quod fit retractando. Rationem specialem reddit P. Molina, quia testis postquam assumpsit officium testis, non minùs obligatur ad rectè testificandum, quàm Judex ad rectè judicandum: atqui Judex etiam quando per errorem inculpabilem malè condemnavit, errore cognito tenetur retractare, si sperat profuturam retractationem, & absque suo gravi damno potest retractare; ergo etiam testis. Rationem magis universalem reddit Lugo, ex principio, quod alibi tradidi, & similem difficultatem dissolvi, nempe unumquemque teneri ex justitia non solùm ad non inferendum damnum alteri scienter & malitiosè, sed etiam ad procurandum, quantùm commodè potest, ne ex sua actione, quantumvis innocenter posita, damnum alterius consequatur. Prior obligatio est absoluta, nunquam enim licet directè alteri inferre damnum absque jure, sive in bonis fortunæ, sive in fama, aut bonis corporis, aut animæ, ut per se clarum est, quia alter habet jus ad hæc bona: posterior verò obligatio est cum limitatione, nempe, quantùm sine meo gravi incommodo possum, quod non teneor ex charitate pro altero subire, v.g. non teneor ad alterius gravem morbum curandum procurare medicamenta preciosa. Hinc paterfamilias tenetur non solùm ipse non detrahere proximo, verùm etiam tenetur ex justitia impedire, ne sui domestici alteri detrahant, sed ad hoc non tenetur, nisi in quantùm sine suo gravi incommodo potest impedire: quodsi non possit, fortè quia necesse esset suos domesticos nunquam permittere versari inter alios, quod ipsi incommodum esset, ideo ad hoc non tenetur, & quando deinde domestici detrahunt, non potest imputari patrifamilias illa detractio, quia tunc habet se merè permissivè, absque obligatione impediendi, quia hanc obligationem non potuit natura imponere, utpote non facilè observabilem. Sic ergo tenetur unusquisque hoc secundo genere obligationis procurare, ne ex suis actionibus præteritis patiatur proximus detrimentum. Et hoc sensu potest esse verum, quod dixit suprà P. Molina, scilicet hanc esse obligationem quasi ex officio, quia nimirum unusquisque tanquam gubernator suarum actionum tenetur earum errorem corrigere, sicut paterfamilias tenetur corrigere errorem suorum domesticorum, ne extraneis inferant nocumentum.

314. Hinc patet, multùm excessisse, & nimiùm extendisse hanc obligationem quendam Vultherum apud Dianam, nempe quòd talis testis teneatur revocare cum periculo vitæ suum errorem. Hoc enim verum quidem est, quando per malitiam conjecisset reum in hujusmodi periculum, sed quando absque culpa factum est, tenetur solùm, in quantùm sine suo gravi nocumento potest. Cæterùm, hujusmodi nocumentum non deberet testis reputare, quòd fortè turpe existimet, & etiam à Judice existimandum timeat, agnoscere errorem in depositione commissum, hoc sanè nimis leve est, ut proinde teneatur illud subire ad impediendum fortè longè gravius damnum quod imminet reo, si non retractetur falsa depositio.

315. Dubitatum est, an pariter ex Justitia teneatur Testis corrigere errorem Judicis vel Notarii, si fortè ab illis minùs rectè fuit intellectus, & inde imminet periculum reo. P. Lessius negat, & vult solùm obligari ex charitate. Verùm P. Molina & cum eo Lugo, rectiùs affirmant: quia testis tenetur ex officio testis procurare, ut sua depositio rectè à Judice, Assessoribus, & Actua-

rio

tio intelligatur: non minùs quàm Judex tenetur suam sententiam declarare, si adverteret, illam à partibus vel executore fuisse in alio sensu intellectam.

316. Quodsi testis aliquid falsum dixisset, ex quo tamen nullum detrimentum aut præjudicium immineret reo, v.g. si in horæ notatione errâsset, ità ut perinde esset, si proximam horam nominâsset, vel quid simile, tunc nulla esset obligatio retractandi, quia, ut suppono, negatio retractationis non nocet reo, nec est etiam à Judice curandum, aut desiderandum ut retractetur, quia intentioni ejus nihil deserviret. Sicut nullus Confessarius obligat aliquem ad retractandam falsam narrationem, etiam cum Juramento & perjurio factam, si fuit de re indifferente, & nulli damnosa. Et hæc de Testibus, quæ junctis illis quæ præcedente tomo videri possunt, abunde sufficient.

CAPUT VIII.

DE MODO PROCEDENDI IN PROBATIONE ET DEDUCTIONE INNOCENTIÆ, ET DELICTO NON PLENE PROBATO.

CONTROVERSIA I.

An Reo sit dandus terminus Defensionis.

SUMMARIUM.

In Criminalibus omissâ publicatione processus, hoc ipso esset nullus. 317.
Supersedendum publicationi & danda dilatio petenti accusatori ad ulteriùs probandum. 318.
Publicato processu decernitur reo copia, & petenti datur terminus defensionis. 319.
Quomodo edenda nomina testium. 320.
An ex officio danda indiciorum copia etiam non petenti. 321.
An debeat reus exponere caussam petendi. 322.
An publicatio processus sit necessaria, si reus sit absens. 322.
An Judex teneatur dare terminum ad se defendendum, petenti reo confesso. 323.
An etiam convicto, sed non confesso. 324.
An etiam condemnato in contumaciam. eod.
Dato termino defensionis quid habeat praxis circa copiam loquendi cum Advocato. 325.
Quidsi exstaret statutum jubens confessum statim puniri. 326.
Quando, & quibus possit denegari terminus defensionis. 327.
An Princeps possit de plenitudine potestatis tollere in criminalibus Reo defensiones. 328.
An admittenda renuntiatio, si reus termino renuntiet. 329.
Quid circa terminum defensionis post publicationem processûs observetur in Bavaria. 330.

317. Præmittendum est, quòd quamvis in Civilibus causis Publicatio Processûs non sit de substantia Judicii; sed eâ prætermissâ processus nihilominus valeret; ex communi DD. aliud tamen sit dicendum in Criminalibus, ubi si publicatio processûs, seu informativi, seu offensivi, seu per inquisitionem, seu per accusationem facti, omitteretur, processus esset ipso Jure nullus; cujus ratio viva redditur à Julio Claro q. 48. quia tolleretur reo facultas se defendendi. Unde communis praxis habet,

bet, ut eodem contextu soleant Judices publicare processum offensivum, & ejus copiam parti decernere, unà cum termino ad faciendam suam defensionem.

318. Quodsi Accusator petat sibi statui dilationem ad ulteriùs probandum, concedenda est, & publicationi supersedendum. Et quidem in Criminalibus Judiciis accusatori duæ dilationes, reo verò tres dantur, utpote cujus causa magis favorabilis est. *l. fin. ff. de feriis.* [In pecuniariis causis omnis dilatio singulis causis plùs semel tribui non potest. In capitalibus autem reo tres dilationes, accusatori duæ dari possunt, sed utrumque causâ cognitâ.] Sed in his Dilationibus iterandis consuetudo locorum diversa est: nam alicubi reo de facili etiam sæpius conceduntur, præsertim quando est incarceratus, quia tunc non est timenda calumnia, quasi petantur dilationes ad morandum processum, cùm carcer sit tædiosus: Accusatori verò non ità facilè iterandæ sunt ob rationem contrariam: & si calumniæ suspicio esset, posset Judex illi minari mulctam pecuniariam, si non probet id, ad quod probandum petit dilationem.

319. Quodsi verò Accusator non petit dilationem, fit publicatio processûs, decerniturque reo copia, cum termino defensionis, saltem si eum petat. Et etiam quando per viam inquisitionis processus factus est, dantur inquisito nomina testium contra eum productorum, & eorundem depositiones publicantur, Reo potente ad sui defensionem, & exceptiones opponendas, textus elegans in *cap. 24. de accusationib.* ibi. *post mediam.* [Debet igitur esse præsens is, contra quem facienda est inquisitio, nisi se per contumaciam absentaverit: & exponenda sunt ei illa capitula, de quibus fuerit inquirendum, ut facultatem habeat defendendi seipsum: & non solùm dicta, sed etiam nomina testium sunt ei (ut quid, & à quo sit dictum appareat) publicanda; necnon exceptiones & replicationes legitimæ admittendæ, ne per suppressionem nominum infamandi, per exceptionum verò exclusionem deponendi falsum audacia præbeatur.]

320. Circa hujus textûs ultima verba advertendum est, ea obtinere per se, & regulariter loquendo. Nam communis sententia in praxi observari solita, habet, ut nomina testium non edantur, nisi ut separata à dictis, ità ut reus non possit scire, quid hic vel ille determinatè deposuerit, & hoc ob potentiam reorum, & periculum quod testibus posset imminere, & ne testes absterreantur à dicenda veritate. Imò in causa Hæresis nunquam eduntur nomina testium, in favorem scilicet fidei Catholicæ, ne testes absterreantur, ut testatur Simancas.

321. Dubitatur tamen I. An, si reus non petat sibi dari indiciorum copiam, nihilominus ex officio sit edenda. Negant aliqui, & dicunt, in hunc finem dari incarceratis Advocatos, quorum est, suggerere, ut petat reus copiam indiciorum. Verùm, Clarus distinguit: & ait, ante torturam non esse dandam indiciorum copiam nisi petenti: sed petenti non posse denegari. Verùm, ante condemnationem etiam nō petenti esse dandam, sive sit convictus, sive confessus, sed non nisi expensis ipsius rei, cui proinde debet intimari, decretum esse factum dandi copiam indiciorum, si illam velit expediri suis expensis.

322. Dubitari posset II. An reus petens ante torturam sibi edi copiam indiciorum, debeat exprimere causam petendi. ℞. De consuetudine non esse necesse, quia subintelligitur causa se defendendi, & elidendi indicia aliter quàm per torturam.

Dubitatur III. An hæc publicatio processûs etiam sit necessaria, quando reus est contumaciter absens. Negat Glarus, dicens, tunc absque publicatione deveniri ad condemnationem etiam capitalem. Verùm, hoc limitat Bajardus, & dicit, quòd tertio comparenti copia indiciorum non sit deneganda, licèt reus sit absens, nec valeret sententia hac denegatâ. His præmissis, videndum est de necessitate dandi terminum defensionis. Et

323. Dicendum I. Contra Baldum, quòd Judex teneatur dare terminum reo ad se defendendum, & opponendum, quidquid videbitur, etiam adversùs suam propriam confessionem. Ità in toto mundo practicari testantur plures apud Guazzinum *defen. 31. c. 1. n. 1.* & Judices aliud facientes graviter reprehenduntur. Et procedit Conclusio tam in prima, quàm in secunda instantia. Ratio est, quia etiam contra propriam confessionem possunt existere plures defensiones, v.g. quòd reus confessus sit minorennis, & habeat beneficium restitutionis in integrum: item quòd processus sit nullus, ac proinde confessio potiùs extrajudicialis censenda sit: quòd Judex fuerit incompetens, vel competens quidem, sed quòd non sederit tunc pro tribunali: Quòd confessio fuerit obtenta per promissionem impunitatis &c.

324. Quod dictum est de confesso, etiam dicendum est de convicto. Ratio est, quia nunquam censeri debet reus plenè convictus, nisi priùs dato termino defensionis, & nullâ defensione secutâ. Nam per hanc non secutam, complectur primùm hoc quod est, *esse convictum.*

Item extendenda est ad eum, qui in flagranti deprehenditur, v.g. in furto. Nam & iste potest habere defensiones, v.g. quòd fuerit summâ necessitate adactus: quòd voluerit facere occultam compensationem debiti. &c.

Denique etiam illi qui in contumaciam condemnatus est, dandus est defensionis terminus,

nus, quia potest fortè habere justas defensiones. v. g. quòd non habuerit salvum conductum; quòd mulier sit prægnans; quòd passus sit amentiam; quòd citatio non fuerit legitimè facta, nec modus in ea præscriptus servatus, & plura hujusmodi, quæ videri possunt apud Scacciam *c. 93. n. 183. & seqq.*

325. Dato termino defensionis, (inquit Bajardus *q. 49. n. 2.*) Reus debet deduci ad carceres inferiores, seu, ut Itali loquuntur, poni ad Largam, ut possit loqui cum Advocatis, & ordinare suas defensiones. Alicubi autē praxis est diversa. Aliqui Judices solent adjungere aliquem Officialem, qui intersit eorum conferentiis, in hunc finem, ne instruantur Rei quomodo veritatem occultare possint.

Hanc praxin universaliter & à potiori improbat non immeritò Bajardus: quia sic libera non est locutio, liberæ non sunt defensiones: nam Advocati & Procuratores timore illius officialis, seu potiùs fisci, vel accusatoris exploratoris, non audebunt dicere omnia, quæ facerent ad defensionem Rei, ut puta pro repulsandis testibus, vel excipiendo contra personam accusatoris, objiciendo illi defectum &c. Ratio ulterior est: quia fiscus potest recipere informationes, & examinare reum sine interventu ejus Advocati & Procuratoris (in casibus in quibus procurator admittitur) ergo econtrario etiā reus debet posse alloqui suos Advocatos & Procuratores sine præsentia fisci vel ejus officialis, sive accusatoris exploratorum, utpote cujus causa de jure favorabilior est.

Dixi illam praxin improbandam à potiori, non tamen nego, quandoque esse consultam, v. g. in publicis latronibus, Assassinis, & hujusmodi, qui solent habere, & possunt nominare plures complices. Et hæc omnia confirmantur ex motu proprio Pauli III. & Pii IV. ubi provisum est (ut refert cit. A.) ut completo processu, & dato termino ad faciendum defensiones suas, debeat reus poni ad largam, vel in secretis carceribus, prout facti qualitas expostulat, sed tamen ei sic detento in secretis carceribus pendente termino defensionis commoditas dari debeat liberè loquendi cum Advocatis & Procuratoribus, etiam NB. semoris arbitris, nisi tamen qualitas causæ aliud suadeat.

326. Dubitatum est, an, si exstaret Statutum, ut confessus delictum statim puniatur, si reus peteret terminum defensionis, adeoque dilationem sententiæ, esset illi terminus dandus. ℞. Tunc quidem posse negari, sed per interlocutoriam, quòd petatur calumniandi animo. Ità *Innoc. in cap. ad petitionem, de accusat.* Nihilominus non malè ageret Judex, præsertim in causa spectante pœnam corporalem, si daret terminum, ut etiam arbitratur Bajardus; qui poterit esse brevis, ut non videatur esse contra intentionem Statuti.

327. Dicendum II. Potest Judex denegare terminum defensionis in Criminalibus, quando advertit, illum peti cavillandi causâ; item potest denegare furibus famosis & latronibus, pro quibus non permittitur Advocatus. textus expressus in *l. 6. C. de defensorib. Civit.* [Per omnes Regiones, in quibus fera, & periculi sui nescia latronum fervet insania, probatissimi quique, & districtissimi Defensores adsint disciplinæ, & quotidianis actibus præsint, qui non sinant crimina impunita coalescere, removeant NB. patrocinia, quæ favorem reis & auxilium scelerosis impartiendo, maturari scelera fecerūt.] quem textum extendunt DD. ad quemvis insignem delinquentem, dummodo sit notoriè talis.

328. Quæsitum est, an Princeps possit saltem de plenitudine potestatis tollere in criminalibus suas defensiones Reo. Respondet Clarus *q. 49. n. 14.* negativè, dicens hoc omnes DD. tenere, citans Socin. & Marsil. Sed non est ità. Nam imprimis Ferdinandus Vasq. *Illustr. controv. c. 31. n. 10.* tenet, quòd Summus Pontifex possit ex justa causa tollere defensionem; citans Decium; & rationem reddit. (in qua non satis theologicè loquitur) [Nam circa ipsum (inquit) Jus naturale & à Deo & ab hominibus ex causa, ob necessitatem, communemque hominum utilitatem aliquando reperimus dispensatum fuisse.] Rectiùs dixisset, id quod dicitur esse Juris naturæ, aliquando pati limitationem & interpretationem, casusque exceptos, quando scilicet esset noxium bono communi. Sic dicitur, quòd citatio sit Juris naturæ, & tamen ob bonum commune potest aliquando omitti, ut patet, quando aliquis diffidatur. Deinde idem Vasq. cap. 36. contra Marsilium & alios ibi relatos, & negantes, posse Principem de plenitudine potestatis negare defensionem in criminalibus ex justa causa, sic scribit. Qui omnes, Judice me, non multùm felici Minervâ rem intuentur. Nam reverà quoad Principis potestatem, de qua agimus, nulla differentia est inter causas civiles & criminales; in utrisque enim ex justa causa NB. potest defensionem, puta citationem, & exceptionem, aut similia adimere.] Et deinde concludit, hoc ei licere etiam de potestate ordinaria. & denique Vivius *op. 717. vol. 2.* tenet, quòd Princeps regulariter possit tollere defensiones in criminalibus, ponens ibid. multas ampliationes & limitationes. Quorum tamen Opinio quia dura est, puto eam esse intelligendam de casu & & delicto ità notorio, ut nullâ tergiversatione celari possit, & ubi omnis defensionis conatus esset manifesta cavillatio; quod tamen rarò continget.

329. Dicendum III. Casu quo Reus termino defensionis renuntiet, hujusmodi renuntiatio non est facilè in Criminalibus à Judice admittenda, sed, ut monet Gomez *c. 13. n. 33. litt. H.* est exspectandus lapsus termini dati. Quia tamen sunt varii casus, in quibus admittenda est hujusmodi renuntiatio (qui videri possunt apud Felinum *in cap. cùm venisset, de testibus* & alibi) rectè faciet Judex, exigendo, ut fiat in hac forma. [Inquisitus, N. sponte, ac certâ scientiâ sciens se carere omni spe defensionis, renuntiavit termino sibi statuto vel statuendo, tam ex forma Juris communis, quàm statutorum.] Porrò, facta renuntiatio potest à Reo revocari, ut tradunt communiter DD. & hoc favore innocentiæ.

330. Lubet hìc adscribere, quid circa publicationem processûs, & terminum defensionis observetur Jure Bavarico. tit. 3. a. 2. Distinguitur inter eos, qui in statu honesto vixerunt, & firmum domicilium habuerunt, atque inter cæteros vagabundos. His posterioribus famosis hominibus, (ut sunt latrones, fures vagabundi, crumenæ sectores, prædones, succensores ædium) Copiæ Indiciorum non dantur, neque dilatio ad respondendum, sed indicia per certa interrogatoria proponuntur, & si sufficientia sunt, atque ità manifesta, vel confessata, ut tortura decerni possit, ipsi, si in negatione persistunt, torquentur. Circa priores autem & honestiores distinguitur: vel enim delictum, de quo suspecti sunt, vel inculpati, ità comparatum est, ut non statim apprehendantur, sed indicia certis punctis distincta, & nomina testium ipsis priùs ad respondendum tradantur. Quo in casu si ejusmodi personæ se extra carcerem defendere non potuerunt, sed apprehensi sunt, non opus est ampliùs copias indiciorum communicare, sed oportet illa certis interrogatoriis comprehendere, ipsisque proponere, quodsi negaverint, torturæ actualiter subjicere (dummodo indicia sint sufficientia & verificata, & delictum tam grave, ut quæstioni locus sit) ità tamen ut reus ex abundanti interrogetur, utrum nullum argumentum suæ innocentiæ habeat. Quodsi non potuerunt communicari ante capturam, tunc apprehenso copias indiciorum & nomina testium, & terminum defensionis dare oportet, & permittere Advocatum. Quodsi delictum est notorium, tunc certis interrogatoriis est examinandus, & negans torturæ subjiciendus.

Hoc Jure etiam nomina testium separatim à depositionibus aperiuntur.

CONTROVERSIA II.

A quibus Personis Rei defensio suscipi possit.

SVMMARIVM.

Pater admittendus est ad defensionem filii. 331.
Imò & aliæ personæ conjunctæ. 332.
Imò Judex ex officio debet Rei defensiones quærere. 333.
Nemo denique extraneus volens reum defendere repellendus esset. eod.

331. Dicendum I. Si filii accusati aut inquisiti defensionem velit pater suscipere, admittendus est. Constabit conclusio à fortiori ex sequente Conclusione. Et prætereà probatur à fortiori ex eo, quòd Dominus possit esse defensor sui servi & mancipii. Ergo multò magis pater filii, cui affectione magis conjunctus est. Antecedens habetur in *lege 2. C. de accusationib.* [Si cuidam crimini obnoxius servus postulatur, dominus eum defendere potest, & in Judicio sistere accusatoris intentionibus responsurum &c. Ideo enim servum suum domino defendere permissum est, ut pro eo possit competentes allegationes afferre.] & lego 11. *ff. de publ. Judiciis.* *Servus etiam per procuratorem domini æquè ac per dominum defendi potest.* Ratio ulterior est, quia in Jure censetur filius esse pars corporis patris sui, ut proindè censeatur pater quodammodo seipsum defendere, argumento legis 22. *ff. de agricolis* propè finem. ibi. *Cùm enim pars quodammodo corporis ejus per cognationem in fundo remanebat; non videtur neque abesse, nec peregrinari.* Et passim alibi dicitur una persona, una caro.

332. Dicendum III. Imò etiam aliis personis conjunctis & consanguineis licitum est conjuncti defensionem allegare & deducere, adeoque volentes non sunt repellendi. Ità habetur in Ord. Crimin. Carolina art. 47. ubi dicitur, quòd ad instantiam & petitionem conjunctorum admittendi sint testes, quos ad defensionem rei volunt producere. Quin imò in eodem articulo provisum est, ut, si nec reus incarceratus, nec ejus consanguinei aut propinqui habeant sumptus, qui ad testium productionem, & innocentiæ indagationem necessarii sunt, Magistratus debeat sumptus ex publico subministrare: & hujus ratio redditur, ne vel delicta maneant impunita, vel insons inauditus opprimatur.

333. Di-

333. Dicendum III. Imò Judex ex officio tenetur defensiones Rei quærere, easque supplere, & quocunque modo adjuvare, etiam Reo non petente *l.19.ff. de pœnis*. [Si non defendantur servi à dominis, non utique statim ad supplicium ducentur, sed permittetur eis defendi vel ab alio, & qui cognoscit, debebit de innocentia eorum cognoscere.] Hinc Ordinatio Carolina a.47. etiam monet, ut casu quo reus objectum delictum neget, ipsi proponatur, & insinuetur, seu interrogetur, an possit ostendere suam innocentiam, & in specie jubet moneri, an possit probare, quòd illo tempore, quo delictum commissum est, fuerit cum certis personis, & loco distante, unde colligi possit, eum delicti auctorem esse non posse: & hanc admonitionem dicit esse ideo necessariam, quia aliqui ex simplicitate, aut timiditate vel terrore concepto, nesciunt modum deducendi suam innocentiam.

Quodsi quis alius se offerret ad reum defendendum, qui non esset conjunctus, non dubito, quin admittendus esset, reverà enim fungeretur officio Advocati, etiamsi non esset publicè ad hoc constitutus, & hoc videtur supponi in L.19. allata.

CONTROVERSIA III.

Quo tempore poßit Reus uti defensionibus.

SUMMARIUM.

An rei defensio admittenda esset etiam post latam sententiam. 334. *& seq.*

An Inquisitus volens deducere innocentiam ante responsionem ad articulos, sit admittendus. 336.

An, si nihil probaverit, denuò se offerens ad defensionem sit iterum audiendus. 337.

334. Assignatio termini defensionis non est ità accipienda, quasi eo elapso reus non ampliùs ad defensionem admitteretur, si eam peteret sibi permitti, sed solùm, quòd interim non procedatur ulteriùs vel ad torturam, vel ad condemnationem. Quæritur itaque, quousque audiendus esset, si defensionem offerret, & difficultas est, an etiam post latam sententiam, & semper ante executionem illius.

In qua quæstione Carpzovius *à n.21.* non satis se declarat, dum facit discrimen inter processum Ordinarium, & Inquisitorium, & ait, quòd accusatione instituta, & formato processu ordinario, accusatus regulis processûs adstrictus Juris ordinem observare, ac non nisi in reprobatione sibi permissa, innocentiam suam deducere & probare teneatur. Quoad Processum Inquisitorium ait, illi licere defendere, durante processu, adeoque tam ante probationem delicti & testium depositionem, quàm postea, aut etiam post torturam peractam, si se inquisitus offerat, & innocentiam suam deducere velit, audiendum esse. Ecce! de defensione admittenda post latam sententiam usque ad executionem nihil dicit. Nihilominus

335. Dicendum est cum Antonio Gomez *c.13.n.33.* (quem sequitur Farinacius *q.39. n.80.* Guazzinus, & alii) quòd tam accusatus quàm inquisitus possit in qualibet parte litis, usque ad realem executionem sententiæ, suam innocentiam probare. Itaque Primò, poterit probare innocentiam, & deducere defensionem suam in termino probatorio partibus concesso per interlocutoriam, qui est communis utrique parti, & hoc est per se clarum. Secundò, poterit etiam deducere defensionem post lapsum termini probatorii, & post publicationem testium, & conclusionem in causa, quia defensio est adeò privilegiata, & permissa favore innocentiæ, ut debeat prævalere timori subornationis; ut colligitur ex lege 18. §.9. *ff. de Quæstionib.* ibi. *Quamvis defensionem quocunque tempore, postulante reo, negari non oportet; adeo ut propterea & differantur, & proferantur custodiæ.* Tertiò, poterit probare suam innocentiam etiam post factam renuntiationem termino probationis, quia vel talis renuntiatio omnino non valet, vel est saltem revocabilis, ut paulò antè dictum est *præced. controv.* Quartò, poterit eam probare etiam post sententiam definitivam contra eum latam, & hoc per officium Judicis, etiamsi crimen priùs confessus fuisset. textus & casus habetur in lege 1. §.27. *ff. de Quæstionibus.* [Si quis ultrò de maleficio fateatur, non semper ei fides habenda est: nonnunquam enim aut metu, aut qua alia de causa in se confitentur. Et exstat Epistola Divorum Fratrum ad Voconium Saxam, quâ continetur, liberandum eum, qui in se fuerat confessus, cujus post damnationem de sententia constitisset.] Is erat servus, qui se reum homicidii fecit falsò, tantùm horrore sui domini, ne ad eum redire deberet. Porrò, tunc solùm admittitur post sententiam defensio, quando Innocentia ad evidentiam ostendi potest. Præterea in tali casu Judex ipse non habet potestatem revocandi sententiam, sed debet scribere Principi, ut sententiam revocet, ut habetur in eadem lege. Et fortè hoc solùm voluit glossa in allatam legem, dum ait, reum non audiri in suis defensionibus post latam sententiam; intelligendo, ut revocetur sententia ab eo à quo lata est.

336. Quæsitum est, utrum inquisitus Innocentiam demonstrare ac deducere volens, audiendus sit, antequam ad articulos inquisitionales responderit, quod ideo expediret reo, ut sic processum inquisitorium averteret. In hoc dubio, ut refert Carpzovius, Scabini arbitrati sunt, benè advertendum esse, quidnam inquisitus probare intendat. Etenim si dicat, se minùs esse gravatum, aut crimen delatum tale non esse, propter quod inquisitio adversùs honestam personam formari possit, ac debeat, idque probare, ac legitimè deducere, ac per id capturam & Inquisitionem avertere velit, dubium non est, quin admittendus sit, ne scilicet facultas exceptiones declinatorias opponendi ipsi adimatur, ac inquisito denegetur beneficium, quo gaudet accusatus in processu ordinario. Si verò inquisitus hoc non cum agat, ut innocentiam suam aliamve exceptionem probet, quò à pœna delicti ordinaria liberetur, putaverunt Scabini, eum non esse audiendum, priusquam ad articulos inquisitionales responderit. Ratio est, quia in processu per Inquisitionem responsio inquisiti est instar litis contestationis, à qua Judicium incipit. Sicut ergo exceptiones peremptoriæ in processu ordinario non nisi post litis contestationem sunt proponendæ, ità in processu inquisitorio non nisi factâ inquisiti responsione defensio ejusdem admittenda erit, cùm succedat Inquisitio in locum accusationis. In eundem sensum scripsit Julius Clarus q. 49. n. 11. dicens. [Plerumque solent fieri quædam comparitiones (non *comparationes*, ut habet Carpzov.) præventoriæ, petendo copiam indiciorum &c. cùm tamen nondum sit formatus processus informativus, sive inquisitio specialis, ut eludant (Rei) Judices imperitos. Debet igitur Judex priùs formare ipsam inquisitionem specialem, sive processum offensivum, & deinde servatis servandis poterit dari copia inquisito.] Posset etiam talibus objici illud vulgare: quòd Excusatio non petita fit tacita confessio, reddatque excusantem suspectum.

337. Quæsitum etiam est, An Inquisitus, si ad innocentiæ suæ probationem semel admissus nihil probavit, iterum tamen se ad probandum offerat, audiendus sit, si non constet de malitiosa tergiversatione. ℞. Non solùm secundâ, sed etiam tertiâ & ulteriore vice audiendum esse, etiamsi oreretur contrariis argumentis. Et hoc ob favorem innocentiæ, & causæ de qua agitur gravitatem. Et regula generalis est, quòd ad liberandum inquisitum nihil prætermitti debeat, quod jure non prohibetur fieri ad ejus innocentiam deducendam, cùm Reipublicæ tolerabilius sit nocentem absolvi, quàm innocentem condemnari.

CONTROVERSIA IV.

De quibusdam pro Rei defensione specialiter indultis.

SUMMARIUM.

An unus testis pro reo non reprobatus contrariis testibus, liberet à pœna ordinaria. 338.
Quid si ille testis non fuit sub juramento auditus. 339.
Quid si unus testis stet contra testes plenè probantes. ibid.
Quid si ille unus testis sit inhabilis. 340.
Quid si inhabilitas proveniret ex infamia. 341.
An pro reo sufficiant testes de sola credulitate deponentes. 342.
An talis testis debeat afferre causam suæ credulitatis. 343. & seq.
An, & qualibus conjecturis & præsumptionibus possit reus defendi. 345. & seqq.

338. Præter licentiam defendendi se etiam post sententiam condemnatoriam latam, de qua jam egimus, sunt & alia quædam, à communibus regulis deviantia, quæ in favorem Rei in criminalibus, pro illius defensione conceduntur.

Quæritur ergo I. Si Reus habeat pro se defendendo unum testem, cujus testimonium non reprobetur per testes accusatoris vel fisci, an sufficiat ad hoc ut à pœna ordinaria liberetur. Respondent DD. (quos refert & sequitur Farinacius q. 63. n. 42. Affirmativè. In exemplo. Fiscus probavit per duos testes omni exceptione majores, quòd Mævius occiderit Titium. Neque hoc negat Mævius; sed ipse probat per unum testem idoneum, quòd eum occiderit ab eo invasus, vel provocatus, vel, quòd non obierit ex vulnere, sed ex negligenti curatione: hoc casu, quo veritas defensionis non pugnat cum veritate accusatoris, obtinebit Mævius per hunc unicum testem, ut non condemnetur ad pœnam ordinariam, sed vel ad mitiorem, vel ut per torturam possit supplere defectum probationis.

339. Dubitatum tamen est, si testis à Mævio productus non est juratus, fortè quia post testimonium aliò discessit, nec ampliùs præsens haberi, ac jurare possit, adhuc dicta responsio procedat. Ad hunc casum Scabini relati à Carpzovio q. 115. n. 75. responderunt affirmativè, & talem homicidam, qui per hujusmodi testem probavit,

bavit, se duabus alapis fuisse provocatum, ad fustigationem & perpetuam relegationem condemnârunt.

Quin imò Farinacius, auctoritate Vulpellii motus existimat, quòd unus testis etiam contrarius testibus fisci plenè probantibus, adeo eorum auctoritatem & fidem obnubilet, & obfuscet, ut accusatus non esset ad pœnam ordinariam condemnandus. Quæ sententia favorabilis quidem est, sed nescio an sufficienti auctoritate sit munita, multò minùs quo jure nitatur. Non dubito tamen, quin mitigationis gratia facilè concederetur à Principe.

340. Quæritur II. Quid si testis pro Mævio deponens sit inhabilis, v.g. domesticus, an sufficiet ad defensionem innocentiæ. Pro affirmativa refert Ant. Gomez *c.* 11. *n.* 25. Speculatorem, Hostiensem, Salycetum & alios. Quibus tamen ipse non assentitur, sed opinatur, quòd talis testis solùm faciat indicium secundùm qualitatem inhabilitatis & negotii, ut ex hoc invalidetur & diminuatur fides probationis contrariæ, ut non imponatur pœna ordinaria, sed levior, Judicis arbitrio. Idem tenet Julius Clarus *q.* 24. *n.* 20. & Farinacius *q.* 62. *n.* 98. & aliis relatis Carpzovius. n. 77.

341. Dubitatum tamen est, an hoc etiam verum sit, si inhabilitas resultaret ratione infamiæ. Negat quidem Mascardus, sed Farinacius affirmat n. 94. dicens, quòd DD. quos allegat Mascardus, non loquantur simpliciter in testibus inhabilibus ratione infamiæ, sed in illis, qui patiuntur plures defectus, quos omnino certum est, nihil probare in omni casu. Et hoc puto benè advertendum esse, ne conclusio nimiùm extendatur.

Mihi, ut verum fatear, stando in rationibus, difficilis videtur opinio hæc adeò communis, quòd testes inhabiles impediant pœnam ordinariam, quando delictum est plenè probatum per testes omni exceptione majores: & eam non auderem extendere ultra casum, quo alii testes haberi non possunt, v.g. nisi domestici. Quo casu, ut suprà dixi, æquiparantur habilibus. Et tunc credo quòd per duos aut tres hujusmodi testes plenè probaret innocentiam, per unicum verò semiplenè, sicut per alium habilem probaret, ad hoc ut vel mitiùs puniretur, vel suppleret per torturam. Et hæc videtur mihi etiam esse mens Carpzovii, qui, relatis DD. subjungit: *Quod maximè verum est, quando ejusmodi testes soli crimini interfuerunt, nec alii haberi queant.* Illud tamen mihi non placet, quòd dicat, communem sententiam *demonstrari* ab Auctoribus, in quibus ego nullam invenio demonstrationem, imò nec probationem, sed nudam assertionem, & ideo fateor, conclusionem illorum solâ auctoritate probari, fundatâ in favore innocentiæ.

342. Quæritur III. An Testes, qui non deponunt de visu pro innocentia & defensione Rei, sed solùm de credulitate, quòd credant, reum occidisse ad justam sui defensionem, sufficiant. R. Affirmativè. ità post Felinum *in cap. quoties. n.* 18. *de testibus*, unanimiter DD. quos refert Farinac. *q.* 68. *n.* 77. Verùm

343. Dubitatur, an tunc requiratur, ut testis afferat causam suæ credulitatis. Affirmat Carpzovius. idem affirmârunt alii, & ponunt exemplum, si dicat testis, quòd occisus volebat occisorem interficere, qui propterea coactus fuit se tueri, & illum vulnerare, & ideo credat ad defensionem fecisse. Hoc exemplum videtur mihi saltare extra orbitam, nam si testis vidit, quòd alter voluerit occidere, & coëgerit ad vulnerandum, potiùs videtur habendus pro teste de visu, quàm credulitatis: nam animus se defendendi non potest introspici, sed præsumitur fortissimè, si constat, alterum voluisse occidere, & coëgisse ad vulnerandum.

Alii ergo dixerunt, non requiri, ut reddat causam suæ credulitatis. Ità tenet Bursatius, quem refert, & sequitur Farinacius. Rationem reddunt, quia ad probandam defensionem admittitur probatio dubia & obscura. Deinde, si in probando defensionem quando de credulitate deponit, esset necesse, quòd concludentem rationem redderet, nullus esset in hoc specialis favor defensionis, cùm etiam extra casum defensionis testes de credulitate optimè probent, si concludentem sui dicti reddant rationem.

344. Existimo, dari medium inter allegationem rationis concludentis, & nullam allegationem credulitatis, & ideo non esse bonam consequentiam Farinacii. Non est alleganda ratio credulitatis concludens: ergo nulla. Deinde existimo, meritò exigi, ut alleget causam suæ credulitatis, quia non omnis causa credulitatis sufficeret. quid si enim testis credat reum occidisse animo se defendendi, quia hoc illi occisor dixit, quẽ nõ putat mentiri, sed esse in hoc fide dignum? Certè hæc testificatio tandem resolveretur in testimonium ipsius Rei, quod utique absurdum esset. Debet ergo assignare aliam causam credulitatis, esto non concludentem, alioquin facillimum esset, invenire innumeros testes credulitatis. Sufficeret autem, si diceret, se hoc credere, quia novit indolem Rei, quòd sit homo pacificus, osor rixarum, sobrius, &c. vel, quòd viderit illum post inflictum vulnus valde dolentem, quòd non potuerit aliter alterius impetum effugere. Vel, quòd ipsum audiverit inclamantem aliorum auxilium: vel: quòd sciat, alterum fuisse ejus capitalem inimicum sine ulla justa causa, & ei insidiatum esse &c. Si verò nullam vellet reddere causam, annumerandus esset illis qui facilè credunt, & leves sunt corde.

345. Quæritur IV. An, & qualibus conjecturis vel præsumptionibus possit probari & defendi innocentia accusati vel inquisiti. R. Posse, & conjecturas esse, quas refert Menochius *lib. 5. præsumpt.* 48. à n.10. Prima, quando accusatus facilè potuisset fugere, sed noluit fugere. Ità Bartolus & Aleiatus, qui hoc specificant in crimine læsæ Majestatis, & afferunt exemplum ex Luciano *de amicitia*, ubi narrat, Demetrium, & Antiphilum sacrilegii accusatos, & carceri inclusos, liberatos ob id à Præfecto fuisse, quòd cùm è carcere cum aliis fugientibus fugere potuissent, non recesserint. Puto tamen in hoc magnam Judicis prudentiam requiri. Contingit enim, ut aliqui rei occultis quibusdam stimulis non possint arripere fugam, quamvis à nemine teneantur, & ità videri possent, quasi fugere potuissent. Alii etiam tam effrontes sunt, ut quasi re benè gestâ non fugiant, cùm tamen sint vel maximè Rei.

346. Secunda & validior conjectura est, quando auctor facti v.g. homicidii, ipse sponte se apud tribunal sistit. Ex hoc fundamento defendit Advocatorum Princeps Cicero Milonem, his verbis cedro dignis. [Quodsi nondum satis cernitis, cùm res ipsa tam claris argumentis signisque luceat, purâ mente atque integrâ Milonem nullo scelere imbutum, nullo metu perterritum, nullâ conscientiâ exanimatum Romam revertisse, recordamini, per Deos immortales, quæ fuerit celeritas reditûs ejus, qui ingressus in forum ardente curiâ, quæ magnitudo animi, qui vultus, quæ oratio. Neque verò se populo solùm, sed etiam Senatui tradidit, neque Senatui modò, sed etiam publicis præsidiis & armis, neque his tantùm, verùm etiam ejus potestati, cui Senatus totam Rempublicam, omnem Italiæ pubem, cuncta populi Romani arma commiserat, cui se nunquam profectò tradidisset, nisi causæ suæ confideret, præsertim omnia audienti, magna metuenti, multa suspicanti, nonnulla credenti. Magna vis est conscientiæ, Judices, & magna in utramque partem, ut neque timeant, qui nihil commiserint, & pœnam semper ante oculos putent, qui peccaverint.]

347. Tertia conjectura est, quando is, qui accusatur v.g. aliquem occidisse, repertus est quietus, & absque ulla sollicitudine dormire illâ nocte, & etiam in illa domo, ubi homicidium patratum est; quia non est credibile, quòd circa illud tempus somno quis tranquillè indulgere possit, quo tam crudele & inhumanum facinus perpetravit. Hinc Cœlii Terracinensis filii absoluti fuerunt, quòd eâ ipsâ nocte, quâ pater occisus est, reperti fuerint in eodem cubili dormientes.

Quarta. Quando quis ipse sponte se sistit Commentariensi seu Carceris custodi, imò & sponte se torturæ offert; quæ tamen à secunda vix differt.

Quinta. Quando Accusatio valde tardè post patratum delictum instituitur, esto adhuc ante terminum præscriptionis. fit enim hinc suspecta accusatio.

348. Sexta. Si quis à socio criminis in articulo mortis constituto exculpetur, vel ab ipso accusatore, nec pro crimine adsit fortior conjectura. item, si testes accusatoris extra Judicium suum testimonium revocent, & causam probabilem revocationis afferant, v.g. quòd ex metu reverentiali deposuerint falsum.

Septimam addunt multi DD. si reus jam suspensus, rupto laqueo lapsus est, & priùs fuisset protestatus, se suspendi innocentem: Ità ut esset prudenter credibile, fuisse miraculosè liberatum, tunc enim æquissimum esset talem absolvi. secùs, si esset prudens suspicio, hæc facta esse per artem magicam.

CONTROVERSIA V.

An, & contra quam virtutem peccet Reus, objiciendo Testibus vel Accusatori occultos vel falsos defectus, ad sui defensionem.

SUMMARIUM.

An peccaret reus arguendo accusatorem de calumnia, quando licitè potest negare crimen commissum. 349.

An ad infirmandum testimonium possit reus occulta crimina testibus objicere & detegere. 350.

Quidsi testis juris ordinem servet in deponendo veritatem. 351.

An reus peccaret contra justitiam, objiciendo testi falso crimen falsum. 353. *& seq.*

HÆc controversia tractatur à Theologis, ad quos spectat instruere Confessarios pro dirigenda conscientia Reorum.

349. Quæritur I. An peccet Reus arguendo accusatorem de calumnia in accusando, in illis casibus, in quibus reo licitum est negare crimen verè à se commissum. (de quibus suprà actum est.) R. cum Card. de Lugo disp. 40. sect. 1. n. 21. Si hoc est necessarium ad sui defensionem, nec sufficeret negare crimen objectum, in tali casu, (qui vix continget) non est peccatum, neque

neque mendacium, dicere, quòd accusator calumnietur, quando crimen non potest plenè probari; nam qui accusat de crimine, quod plenè probare non potest, præsumitur calumniator. Cæterùm, quia vix continget, hoc esse necessarium, nam sufficiet, negare crimen, ideo, per se loquendo peccaret Reus saltem contra charitatem, imò etiam contra justitiam: contra charitatem quidem, utendo verbis tam asperis & offensivis sine necessitate: contra Justitiam verò, si inde læderetur fama accusatoris, qui reverà non calumniatur, sed putat se posse crimen plenè probare, etsi fortè sine sua culpa, sed v. g. culpâ testium non plenè probet: item si cogitur ad accusandum, ut Fiscalis.

350. Quæritur 2. An ad infirmandum testimonium possit reus occulta crimina testibus objicere, eáque detegere, quæ alioquin absque injuria non liceret manifestare & propalare. R. Si non potest reus alio modo infirmare eorum testimonium, non peccat, sed utitur Jure suo, quia non excedit terminos justæ defensionis, sicut excederet, si posset alio modo eorum testimonium infirmare, & ideo tunc non solùm peccaret contra charitatem, sed etiam contra justitiam, excedendo moderamen justæ defensionis. Ità Card. de Lugo d. 40. *s.* 2. *n.* 22. sicut peccaret contra justitiam, qui injustum aggressorem posset minis fugare, sed excederet & occideret. Nunc autem

351. Quæritur III. Si testis ordinem Juris servet, & debito modo testetur veritatem contra reum, an adhuc possit reus occultum ejus crimen manifestare, ad infirmandam ejus fidem. Ratio dubitandi est, quia tunc testis Jure invadit reum: ergo illicitum est repercutere testem, nec est justa defensio, alioquin daretur bellum utrinque justum. Et ideo Sanchez negat licere *lib. 6. Consil. c. 5. dub.* 10. 5. *dub.* 20. *n.* 1. Et est sententia valde probabilis. Alii tamen DD. concedunt id fieri posse, nec improbat Lugo, ob hanc rationem. Quia in prædicto casu accusatio est in rei veritate injusta, cùm non probetur per testes omni exceptione majores, & qui per nullum crimen objectum repelli possint, ergo reus se justè defendit, ostendens defectum latentem in processu & probatione: pro qua etsi staret præsumptio, si defectus non detegerentur, postquam tamen sunt detecti, cessat & evanescit illa præsumptio, nam per regulam, præsumptio cedit veritati. Sibi ergo imputet testis infamiam, quam poterat declinare non testificando. Ità ferè Lugo, benè advertens, hoc etiam procedere, etiamsi testis fuisset à Judice coactus ad testificandum: nam adhuc potuisset Judici privatim exponere suam inhabilitatem occultam, quod si non fecit, imputet sibi & suæ ignorantiæ, quòd non fecerit, nam reo hoc non debet esse impedimento.

352. Quæritur 4. et difficiliùs, an reus non solùm peccaret contra Veracitatem, sed etiam contra Justitiam, adeoque esset obnoxius Restitutioni faciendæ, si per mendacium repelleret testem injustè testificantem, objiciendo illi falsò crimina, quando se non potest aliter contra eum defendere, nec aliter ejus testimonium infirmare. Affirmant Sotus 5. *de Just. q. 9. art. ult.* P. Molina to. 5. *disp.* 24. *n.* 2. Malderus *tr. 6. c. 3. dub.* 3. & est sententia valde probabilis. Ratio est, quia licèt mendacium, quod est intrinsecè malum, sit, præcisè ut opponitur veracitati, ex genere suo tantùm peccatum veniale, quando tamen accedit circumstantia, quòd alteri sit nocivum, adeoque perniciosum, jam opponitur Justitiæ, quia ob intrinsecam malitiam non est ordinabile ad justam defensionem. Nihilominus

353. Negativam sententiam aliis relatis (inter quos est Bannez) defendit Lugo. Omissis autem argumentis illis, quæ fiunt per instantias, in quibus non intervenit aliquis actus intrinsecè malus, & ideo non stringunt contra actus intrinsecè malos, neque contra rationem allatam adversariorum. Probatur à Card. de Lugo aliis exemplis. v. g. quamvis mendacium sit intrinsecè malum, non tamen ideo peccaret contra justitiam, qui dolo & mendacio usus recuperaret rem suam ab injusto possessore, vel defenderet, ne sibi res sua auferretur, v. g. mentiendo se talem rem habere, quam scit ab altero injustè auferendam esse, si proderet se habere. item quis dicat, peccaturum contra justitiam; qui suum aggressorem mendacio induceret, ut caderet in foveam, & sic ab aggrediendo desisteret. Verùm, pace tanti viri, censeo primum exemplum non urgere. Nam in illo casu per mendacium, ut suppono, non aufero illi aliquid ad quod habet jus, sed rem meam ab illo injustè detentam. at verò in casu dubij, reus per mendacium auferret testi famam ad quam ius habet. Sed nec secundum exemplum est ad rem. nam aggressorem possem positivè projicere in foveam, si aliter me ab illo liberare non possem: ergo mendacium habet se per accidens: at verò in casu dubij nullum habeo ius auferendi testi famam, quia eam justè possidet.

354. Apparentius fundamentum hujus sententiæ esse posset, quia sicut injustꝰ invasor per injustam invasionem amittit Jus ad suam vitam respectu illius quem invadit, si invasus aliter non potest suam vitam tueri, quàm invasorem occidendo, ità injustus testis amittit Jus ad suam famam respectu Rei contra quem falsum testatur; ergo sicut non peccaret contra justitiam, qui mentiendo causaret aggressori mortem; ità nec reus au-

auferendo famam per mendacium, ergo mendacium habet se per accidens, nempe quia aliter hic & nunc non potest famam auferre. Ratio ulterior reddi posset, quia in tali casu mendacium non est theologicè pernitiosum, sed solùm physicè, nam, ut supponunt A A. negativæ sententiæ, testis falsum testificando amisit Jus ad famam, respectu talis hominis, cui ipse vult injustè vitam vel famam auferre. Quæstio hæc in praxi vix habebit locum, quandoquidem non est satis, crimen objicere, nisi possit in continenti probari, falsum autem non poterit in continenti probari. In praxi securior est sententia affirmativa, & nisi fallor, conformior decreto Alex. VII. quoad prohibitionem 18. prop.



CAPUT IX.

DE

TORTURA.

CONTROVERSIA I.

Quid sit Tortura, & an sit licita ad extorquendam Confessionem.

SUMMARIUM.

Torturæ seu Quæstionis definitio. 355.
An Tortura ad extorquendam confessionem, & infligendam pœnam ordinariam sit licita, rationes dubitandi. 356.
Non solùm est licita, sed necessaria, ob commune bonum. 357.
Occurritur objectioni ex S. Augustino. 358.
Confirmatur auctoritate SS. Patrum. 359.

355. Tortura solet in Jure vocari *Quæstio*, de qua sunt tituli in Digestis & Codice de *Quæstionibus*. Et quamvis recepto jam loquendi modo pro synonimis accipiantur *Quæstio* & *Tortura*, strictè tamen loquendo distinguuntur tanquam totum & pars.

Definitur enim Quæstio, quòd Interrogatio de crimine commisso per corporis tormenta ad eruendam ipsius criminis sive causæ veritatem legitimè à Judice instituta. Ecce quòd ipsa afflictio & tortura importetur in obliquo, & tanquã pars Quæstionis, prout *Quæstio* à Jure accipitur.

356. Dubitatum est, an iste modus obtinendi confessionem delicti in ordine ad infligendam pœnam ordinariã, perinde ac si esset convictus, sit licitus. Ratio dubitandi poterat esse 1. Quia per torturam infertur damnum irreparabile, nempe macula quædam civilis & indelebilis. 2. Quia est grave periculum, ne innocentes fateantur crimen victi dolore tormentorum, & experientiã constat id sæpius accidisse. Unde lege 1. §. 23. sic scribit Ulpianus de Quæstione. [Etenim res est fragilis & periculosa, & quæ veritatem fallat. Nam plerique patientiã sive duritiã tormentorum ità tormenta contemnunt, ut exprimi eis veritas nullo modo possit. Alii tantã sunt impatientiã, ut quodvis mentiri, quàm pati tormenta velint.] Ergo secundùm Ulpianum, sive reus persistat in tormentis negando, sive fateatur, semper manet dubium

dubium, an sit nocens vel innocens. quomodo ergo servit ad obtinendam veritatem? Servit quidem ad obtinendam confessionem, sed confessio sic extorta secundùm Ulpianum non est boc ipso veritas. 3. Sæpè ex tortura alicujus redundat grave damnum in alios innocentes, quos in tortura insimulant vel socios criminis, vel alio modo reos, v. g. mandantes, consulentes mentiuntur, ut se aliqualiter exculpent, vel leviùs puniendos efficiant.

357. Dicendum nihilominus est contra Ludovicum Vives in lib. 19. c. 6. S. Aug. de Civit. Dei. torturam, si observentur, quæ tum jure naturæ, tum sapientissimis legibus præscripta sunt, & in benè constitutis tribunalibus observantur, non solùm licitam esse, sed etiam necessariam, ut absque ea communi bono sufficienter consultum non esset. Ratio est, quia nisi homines scirent, torturam in usu esse, infinities plures essent in delinquendo audaciores, cùm sciant, sæpissimè delicta non posse plenè probari sine propria confessione: quæ tamen confessio non obtineretur sublato medio torturæ.

358. Neque refert, quòd sit periculum, ne innocentes torqueantur, & ne dolore victi crimen quod non fecerunt fateantur, & alia incommoda, quæ in ratione dubitandi relata sunt. Nam hìc habet locum regula quæ est Juris naturæ: Quando ex duobus malis utrumque evitari non potest, illud eligendum est, quod est minus. atqui minus malum est, quandoque innocentem torqueri, imò & condemnari ex sua falsa confessione, quàm est malum, quod sequeretur sublato usu torturæ, nempe audacia in delinquendo, ut ipso naturæ lumine fit manifestum. Ergo &c. Neque verum est, quòd, si debitus modus observetur, frequenter innocentes torqueantur, ut patebit ex dicendis, & ex requisitis indiciis ad torquendum: quod benè advertit S. Augustinus *lib. 19. de Civit. Dei. c. 9.* ubi deplorat hujus durissimi medii necessitatem, & quæ inde consequens est, humanæ conditionis miseriam, dignus qui legatur à Judicibus nimiùm pronis & inconsideratis in torquendo: quem locum referam, quia fuit lapis offensionis Ludovico Vives, opinanti, torturæ usum non solùm Charitati, verùm etiam mansuetudini Christianæ, imò omni humanitati repugnare: nullam habere utilitatem, & sine damno Reipublicæ tolli posse. Itaque S. Augustinus sic loquitur. [Quid ipsa Judicia hominum de hominibus, quæ civitatibus in quantalibet pace manentibus deesse non possunt, qualia putamus esse, quàm misera, quàm dolenda! quandoquidem hi judicant, qui conscientias eorum, de quibus judicant, cernere nequeunt? Unde sæpè coguntur tormentis innocentium testium ad alienam causam pertinentem quærere veritatem. Quid, cùm in sua causa quisque torquetur, & cùm quæritur, utrum sit nocens, cruciatur: & innocens luit pro incerto scelere certissimas pœnas: non quia illud commisisse detegitur, sed quia non commisisse nescitur? ac per hoc ignorantia Judicis plerumque est calamitas innocentis. Et quod est intolerabilius, magisque plangendum rigandúmque, si fieri posset, fontibus lachrymarum, cùm propterea Judex torqueat accusatum, ne occidat nesciens innocentem, fit per ignorantiæ miseriam, & ut tortum & innocentem occidat, quem ne innocentem occideret, torserat. Si enim secundùm istorum sapientiam delegent ex hac vita fugere, quàm diutius illa sustinere tormenta, quod non commisit, commisisse se dicit. Quo damnato & occiso, utrum nocentem an innocentem judex occiderit, adhuc nescit: quem ne innocentem nesciens occideret, torsit. ac per hoc innocentem, ut sciret, torsit, & dum nesciret, occidit. In his tenebris vitæ socialis sedebit judex ille sapiens, aut non sedebit? Sedebit planè. constringit enim eum & ad hoc officium pertrahit humana societas, quam deserere nefas ducit. Hoc enim nefas esse non ducit, quòd testes innocentes in causis torquentur alienis, quòd hi qui arguuntur vi doloris plerumque superati, & de se falsa confessi, etiam puniuntur innocentes, cùm jam torti fuerint iñocentes: quòd etsi non morte puniatur, in ipsis, vel ex ipsis tormentis plerumq; moriuntur. Quid, quòd aliquando & ipsi qui arguunt, humanæ societati, fortasse ne crimina impunita sint, prodesse cupientes, & mentientibus testibus, reóq; ipso contra tormenta durante immaniter, nec fatente, probare quod objiciunt non valentes, quamvis vera objecerint, à judice nesciente damnantur? Hæc tot & tanta mala non deputat esse peccata, non enim hæc facit sapiens Judex nocendi voluntate, sed necessitate nesciendi: & tamen quia cogit humana societas, necessitate etiam judicandi. Hæc est ergo quam dicimus miseria certè hominis, etsi non malitia sapientis.] His verbis D. Augustinus ità improbat excessum Gentilium Judicum, ut tamen torturam legitimo modo & cum debito moderamine usurpatam non improbet, sed aliquam ejus necessitatem agnoscat, ne scelera maneant impunita.

359. Itaque opinio Ludovici Vives non solùm est contraria rationi, & praxi ubique gentium, etiam à Christianis Judicibus, etiam qui Sacro Inquisitionis Officio præsunt, observatæ, sed etiam auctoritati S. S. Patrum, qui hoc genus inquirendi veritatem per tormenta probant, ut D. Ambrosius *lib. 2. de Cain & Abel c. 9.* & Augustinus *lo. cit.* & ipsis etiam Canonibus, *can. 4. ca. 5. q. 5.* ibi. *Hanc (veritatem) diversis cruciatibus è lateribus suis religiosus tortor exigere debet, ut dum pœnis corpora subjiciuntur, quæ gesta sunt, fideliter & veraciter exquirantur.*

Quodsi ratio Ludovici Vives aliquid probaret, etiam tollenda esset inquisitio per Testes tanquam sufficiens ad obtinendam plenam probationem eorum delictorum, quæ non sunt manifesta & notoria. Nam & nonnunquam falsi testes reperiuntur, quorum culpâ fit, ut & insontes aliquando puniantur & damnentur, & rei aliquando absolvantur. Exemplum habes *lib.* 3. *Regum* c. 21. ubi Naboth ob negatam Regi Achab vineam à falsis testibus accusatus lapidatur. Lex itaque non considerat ea quæ fiunt per accidens, & in paucioribus, sed quæ universaliter & ut plurimùm, & utilitatem publicam præfert periculo privatorum.

CONTROVERSIA II.

An Reus convictus, sed non confessus, condemnari poßit, vel potiùs torquendus sit ad obtinendam confeßionem.

SVMMARIVM.

Impostura Joannis Bodini. 360.
Quid statuat Ordinatio Carolina. 361. *& seq.*
Tres species probationum: confessio; testimonium; notorietas. 363.
Praxis quorundam torquentium reum convictum ut confiteatur, & sic appellare non poßit. 364.
Reprobatur in Jure Bavarico. 365.
An reus in flagranti deprehensus, & tamen negans, sit torquendus. 366.
An statim torquendus, vel priùs pleniùs inquirendum, vel statim condemnandus. 367.
Quod delictum dicatur Notorium. eod.
Tres modi deprehendendi reos in delicto. 368.
Esse notorium, & esse deprehensum, non convertuntur. 369.
Ministrorum publicorum deprehensio & denuntiatio non facit plenam probationem. 370.
An horum denuntiatio sufficiat ad torturam. 371.
Privati deprehensio & denuntiatio nec semiplenè probaret, sed sufficeret ad inquirendum. 372.
Quid agendum Judici, quando plures deprehenderunt & denuntiaverunt. 373.
Quidsi Judex deprehendit ut privatus, an hoc sufficiat ad inquirendum. 374.
Quidsi Judex in actu ad officium suum spectante deprehendat. 375.
Quid agendum, si delictum committatur coram Judice quà tali, & tot præsentibus, quot sufficiunt ad notorietatem delicti. 376. *& seq.*
Quidsi Judex solus videat committi delictum. 378.
Discrimen inter hæc duo: Delictum esse notorium: *&* constare notoriè de delicto. 379.

360. ERrori Ludovici Vives opponitur error quorundam, & quidem, si Joanni Bodino credimus, (cui tamen credendum non est) non paucorum Judicum, qui nullum reum putant morte mulctandum esse, nisi crimen confessus fuerit, ut mille testibus etiam convictus fuerit, sed torturæ subijciunt, ut membris captus langueat toto vitæ spatio. Audet hunc errorem imputare moribus Germanorum.

361. Contrarium apertissimè statutum est in Ordinatione Crim. Carolina a. *69.* ibi. [Si accusatus post plenam & sufficientem probationem necdum crimen fateri velit, Indicandum est illi & demonstrandum, quòd de crimine sit convictus, ut vel hoc modo confessio elici possit. Quodsi nihilominus in negando perseverat, hoc non obstante, ob probatum crimen NB. absque ulla tortura condemnandus est.] Quid clariùs? Et ratio est manifesta. alioquin in cujusvis rei potestate constitutum esset, à pœna mortis se liberare, persistendo in tormentis. quid ergo operabitur plena probatio, si pœnam ordinariam & delicto proportionatam non operatur?

Itaque dum omnia Jura clamant, neminem esse condemnandum, qui nec sit convictus nec confessus, hoc ipso affirmant oppositam disjunctivam, ut condemnari possit, qui vel est convictus, vel confessus, alioquin Jura deberent dicere simpliciter, neminem esse condemnandum, nisi confessum.

362. Objici posset ex art. 16. ejusd. Ord. Crim. ubi declaratur, quid agendum, & quomodo procedendum sit, si delictum manifestum & indubitatum est, & tamen reus obstinatâ quadam pervicaciâ, præfracto animo, & perfrictâ fronte negat? Respondet Imperator, quòd in notoriis, evidentibus & indubitatis delictis, si reus negare velit, Judex eum vi tormentorum ad confessionem adigere debeat. Ad hanc objectionem respondet breviter Carpzovius, articulum hunc non agere de confessis vel convictis, sed solùm de deprehensis in crimine, qui pro plenè convictis non habentur. Quamvis enim reus in manifesto crimine deprehendatur, quod notorium crimen dici posset, si tamen à reo perfractè negetur, eo casu non ad condemnationem, sed ad torturam procedendum est. Multa enim notoria dicuntur, quæ non sunt, ut habetur c. 14. *de appellat.* Breviùs diceret Philosophus, sæpè Materiale delicti esse notorium, non autem Formale, hoc est malitia, ut paulò pòst declarabitur in exemplis.

363. Ple-

363. Pleniùs, & majori accuratione respondet, & hunc articulum cum art. *69.* conciliat Casparus Manzius, ex quo

Notandum. Tres communiter assignari species probationum in causis Criminalibus, nempe, propriam Confessionem, Testimonium duorum testium omni exceptione majorum, & Notorietatem seu facti evidentiam. Unde etiam tres species reorum denominantur: Confessi: Convicti: Deprehensi: qui enumerantur in lege *16. C. de pœnis*, ubi deprehensi accipiuntur pro illis, *qui vix etiam ipsi ea quæ commiserint, negare sufficiant.* ubi per part. *vix*: mihi videtur insinuari, quòd saltem formale delicti, seu malitiam negare possint, si non ipsum actum externum, quamvis aliqui & hunc perfrictâ fronte negent. v.g. aliquis deprehenditur in violatione pacis publicæ, & non apparet ulla legitima causa talis armati concursûs excitandi: deprehenditur in flagranti in homicidio aut furto, & non apparet ulla ratio excusans &c. quamvis, ut alibi dictum est, & per se patet, possent subesse causæ excusantes, sed hîc & nunc potiùs est præsumptio ex circumstantiis, quòd nulla subsit. Jam, quòd confessi possint condemnari, si non retractant debito modo, est extra dubium: cur enim torquerentur? nisi fortè ad manifestandos complices & criminis socios, vel super alio delicto non confesso. Quòd convicti absque tortura condemnari possint, probatum est suprà, & habetur in art. *69.* allegato, & hoc saltem per se & communiter verum est, nam de eo dubitant aliqui in crimine Maleficii, ut suo loco notatum est, quamvis Binsfeldius, & Berlichius nec hanc exceptionem admittant.

364. Majus dubium est, an reus convictus, & in negatione persistens, saltem pro majori cautela torqueri possit, non ut ampliùs constet de delicto, sed ut confessus non admittatur ad appellandum, nam confessus non appellat. Quam praxin, referente Claro *q. 64. n. 7.* aliqui communem per Italiam esse testantur, & aliqui laudant, alii reprehendunt, & solis malitiosis vel imperitis Judicibus tribuunt. Papo dicit, quòd Parlamentum Parisiense soleat reos etiam convictos tormentis subjicere.

365. Cæterùm, hæc praxis improbatur expressè Jure Bavarico *tit. 3. Proc. Crim. a. 9.* ubi torqueri vetat eum, qui clarè & sufficienter convictus sit per rationem, quòd hodie cesset finis illius cautelæ, nam in causis capitalibus quæ vitam & sanguinem spectant, hodie appellatio in Germania non admittitur.

366. In tertia specie probationis, nempe deprehensione in manifesto, volunt aliqui, posse Judicem ad sententiam condemnatoriam procedere, etiamsi neget crimen. Pro hac opinione citat Manzius Clarum §. *fin. q.* 8. *n.* 1. Verùm, ultra numerum primum legendus est Clarus, & apparebit, ab eo hanc opinionem reprobari. Cujuscunque sit hæc opinio, & ejus praxis.

Ordinatio Carol. art. *16.* contrarium statuit, vultque talem esse torturæ subjiciendum, prout etiam habet Jus Bavaricum. *a. 2. in fine.* Quæ ordinationes procedunt cū limitationibus, non autem universaliter, nam in art. 25. numeratur deprehensio in flagranti inter ea indicia, quæ sola ad torturam non sufficiunt, & hoc ipsum indicatur in a. 2. Jur. Bav. Hinc

367. Quæritur, utrum rei deprehensi, & in delictis notoriis, statim sint torquendi, vel aliquando priùs pleniùs inquirendum, vel an absque inquisitione & tortura statim condemnandi. Pro resolutione

Præmittendum est 1. Illud dici Notorium, quod in plurium oculis publicè & de die factum est, ità ut nullâ tergiversatione possit cum probabilitate negari, vel prudentem dubitationem admittere apud illos qui spectârunt, nec apud illos quibus spectatores omni fide digni illud attestantur, eo numero, quem sufficere Judex arbitrabitur, quia numerus faciens notorium, non est in jure determinatus. v.g. si à decem aut pluribus personis, penes mulierem de magia suspectam reperiantur venena mala, vel olla plena unguentis, vel aliis rebus magicis, quo casu secundùm DD. non solùm habetur evidentia indiciorum, sed etiam facti, seu Magiæ exercitæ; quis enim prudens poterit de tali fœmina dubitare, eam exercuisse magiam. est autem hæc evidentia non metaphysica aut physica, ut est, æqualia uni tertio esse æqualia inter se, nec etiam, de die solem esse in Hemisphærio supra Horicontem, sed est evidentia moralis, quæ quidem physicè posset esse falsa, sed prudenter indubitabilis, qualis est, hominem benè valentem intra aliquot proximos dies cibum sumpsisse, vel, eum, qui toto die lusit, non semper aleas eodem numero projecisse, quod physicè est possibile: sed moraliter incredibile, nec suspicabile.

368. Præmittendum 2. Malefactorem aliquando deprehendi à ministris publicis ad hoc constitutis, ut sunt in Itália qui dicuntur Sbirri, aliquando ab aliis privatis personis fortè casu intervenientibus, aliquando ab ipso Judice, vel extra judicium vel in ipso judicio, aliquando à turba & hominum multitudine.

369. Præmittendum 3. Hæc duo non esse convertibilia, & malè confundi: esse *notorium*, & esse *deprehensum.* Nam licèt semper reus sit aliquo modo ex relatis deprehensus, quoties delictum est notorium, non tamen econtra semper delictum est notorium, quoties aliquis uno modo ex dictis est deprehensus, ut benè advertit laudatus Casparus Manzius, & liquebit ex sequentibus. His præmissis, cum eodē Auctore,

370. Dicendum est I. Si Reus à publicis Ministris in flagranti deprehendatur, ista deprehensio & denuntiatio non facit plenam probationem, nec est sufficiens ad condemnationem, esto fortè sufficiat ad torturam, ut videtur sentire Clarus *q. 8. cit. n. 2.* qui etiam commendat praxin illorum Judicum, qui reos ad se adductos tanquam deprehensos in flagranti crimine examinare solent, & si quidem crimen fateantur, exequuntur pœnam contra illos, si verò negant, statim absque alio processu ad torturam ducunt, ut confessionem extorqueant. Verùm, de hoc postea. Ratio Conclusionis est, quia, ut tradit Farin. *q. 52. n. 180.* Ministris publicis vel apparitoribus & officiarijs denuntiantibus non creditur, si reum se deprehendisse dicant, nisi in minutulis levibusque criminibus, non item in magnis & gravioribus. Solet afferri exemplum in Custodibus sylvarum, portarum, vinearum &c. qui denuntiant damna sylvis vel agris inferentes, victualia efferentes, uvas furantes, arma prohibita portantes, lusores alearum, nocturnos ambulones, in quibus delictis, quæ sunt levia, nec est illis gravis pœna statuta, creditur deferentibus, pro quibus præsumitur, dummodo sint publici, jurati, & integræ famæ, fide digni, testantes de eo quod ad officium eorum spectat; nisi reus defensiones afferat.

371. Quod autem ex Julio Claro annotatum est, quòd talis denuntiatio sufficiat ad torturam, rectiùs ab alijs limitatur, quos sequitur Farinacius *q. 52. num. 169. & seqq.* ubi statuit, quòd tunc solùm sufficiat ad torturam, quando officialis deponit de Visu, quia tunc habetur loco testis, (subintellige, si nil aliud obstet.) & ideo semiplenè probat, quod sufficit ad torturam. De cætero, si non de visu testetur, solùm ejus denuntiatio sufficit ad inquirendum, & ne quidem ad inquirendum processu offensivo, seu specialiter, nempe non sufficit ad citandum seu monendum reum, ac ad illum in contumaciam condemnandum, sed tantummodo ad assumendum informationes ac indicia contra personam denuntiatam, quæ est quædam inquisitio mixta ex generali & speciali. Quodsi cum denuntiatione Officialis concurreret fama, aut aliquod aliud indicium, tunc posset sufficere ad torturam. Et hæc est sententia Farinacij, & fortè non est contraria Julio Claro, qui videtur loqui, quando officialis deponit de Visu, & non patitur alios defectus, ob quos non est testis omni exceptione major. quales tamen defectus ipso Claro teste *q. 7. n. 2.* plerumque patiuntur, quia sunt homines viles, & sæpè etiam infames, & consuetudo apparitorum est, omnia fraudibus temerare, & lucrum aucupari. Judex ergo arbitrabitur, quantùm illis fidei tribuendum sit, & an personæ honestæ denuntiatæ sit deferendum Juramentum purgationis, de quo seq. Controv.

372. Dicendum 2. Si quis alius privatus, & quidem solus reum deprehendit, & Judici denuntiavit, non meretur majorem fidem quàm si Officialis deprehendisset, & denuntiasset, & quia non potest simul esse denuntiator & testis, ideo non probaret semiplenè, nec ejus denuntiatio ad torturam sufficeret, quia est loco accusatoris. sufficeret tamen talis denuntiatio etiam ad inquirendum eo modo, quo paulò antè ex Farinacio dixi, sufficere denuntiationem Officialis.

373. Dicendum 3. Si à pluribus est deprehensus, & Judici denuntiatus, tunc Judex inquirere debet, & explorare, an denuntient ideò, quia fuerunt à deprehenso læsi, & tunc etiam plùs non operabitur eorum denuntiatio, quàm ut possit à Judice informatio capi, & hoc, tum quia funguntur aliquo modo munere Accusatoris, tum quia præsumuntur potiùs amore vindictæ, quàm Zelo boni publici duci ad denuntiandum. Quodsi Judex adverterit, non esse læsos, sed amore Justitiæ & boni publici ductos esse ad denuntiandum, & cæteroquin sunt viri non suspecti, sed honesti, tunc Judex debet apprehensum cum ipsis confrontare; & si reus non excipiat contra denuntiantes, neque suam innocentiam alio modo defendat, & tamen in negando persistat, debet ipsum subijcere torturæ. Ità cum Farinacio Casparus Manzius, qui tamen sapienter advertit, meliùs illos denuntiantes facturos, si unus solus denuntiaret, ut cæteri possent in testes adduci. & fortè (ut mihi videtur) adhuc meliùs, si rem ità disponerent, ut per alios fama ad Judicem deferretur, ut omnes qui reum deprehenderunt, in testes produci possent.

374. Dicendum 4. Si Judex Reum deprehendit in flagranti crimine extra tribunal, & non agens personam Judicis, sed versatus in tali loco ut privatus, tunc vi talis scientiæ privatæ non potest procedere ad torturam; multò minùs ad condemnationem, quia gereret simul personam testis & Judicis; sed tamen vi talis scientiæ posset, non exspectatâ aliâ denuntiatione, statim super facto & personâ tali capere informationes, & ex illa deinde procedere: & notat Julius Clarus, quòd iste sit unus casus, in quo Judici fit locus ad inquirendum in personam determinatam absque ulla diffamatione præcedente.

375. Dicendum 5. Si Judex ex officio suo, quia v. g. est loci Gubernator, incederet cum familia & suis ministris stipatus per urbem, & incideret in rixantes, & videret v. g. unum ab altero occidi, hoc casu constaret delictum aliquo modo Judici quà tali, & quà inquirenti,

&in

& in tali casu posset Judex super delicto & persona delinquente examinare illos quos habuit in comitatu, qui si sint personæ non omni exceptione majores, sufficerent tamen, ut reus negans delictum posset torqueri. Et in hoc casu haberet locum dispositio articuli 16. Ord. Crimin: nempe, quòd in notorijs sit locus torturæ, & non immediatæ condemnationi, ut benè advertit Casparus Manzius. Quamvis non desint DD. qui putent, reum sic à Judice deprehensum posse condemnari absque tortura & confessione, ob notorietatem aliquo modo judicialem Auctores refert Farinacius q. 21. n. 138. ipse tamen nihil resolvit: & quamvis Manzius dicat, Farinacium in illo numero hanc sententiam admittere in levibus, ego tamen hoc ibi non invenio assertum in meo exemplari.

376. Dicendum 6. Quando delictum committitur præsente Judice pro tribunali sedente, vel in actu quo exercet officium Judicis, & tot alijs præsentibus, qui sufficiant ad notorium facti, (communiter putantur sufficere Decem) hoc casu non requiritur ulterior delicti probatio, imò nec sententia, sed absque processu potest Judex procedere ad punitionem. Ità Baiardus, & Damhouderus quos refert & sequitur Manzius. eandem sententiam tenent Speculator, Ant. de Butrio, Hostiensis, Salicetus, quos refert & sequitur Gomez to. 3. var. res. c. 1. n. 48. Rationem reddunt, quia in rebus Judici certâ notione sive notorietate perspectis, & quidem quà tali, nullus legum ordo, nulla procedendi forma, nulla solennitas servanda erit. Ad hoc probandum (nam hoc ipsum est probandum, alioquin hæc ratio esset manifesta petitio principij) adducitur c. 7. de cohabitatione Clericorum. ibi. [Quod si crimen eorum (Clericorum) ità publicum est, ut meritò debeat appellari notorium, in eo casu nec testis, nec accusator est necessarius, cùm hujusmodi crimen (concub natûs) nullâ possit tergiversatione celari.] Alia jura adduci solita non refero, quia, meo judicio, nihil probant, & pro asserenda conclusione stat maximè auctoritas DD. & ratio, quia in casu conclusionis tanta habetur certitudo de crimine & reatu, quâ major per testes cujuscunque auctoritatis haberi, & à Judice obtineri non posset, ut alijs solennitatibus pro hac securitate introductis planè non sit opus, sed essent ambages supervacaneæ. Exemplum est, si testis testimonium notoriè falsum dicat, vel Notarius falsum subscribat, vel Advocatus coràm Judice notorium dolum committat, quem statim Judex punire potest, absque alio processu. l. 14. C. de testibus in fine. ibi. [datâ cunctis Judicibus, absque ullo præscriptionis obstaculo, in testes, quorum voces falsitate vel fraude non caret perspexerint, pro qualitate videlicet delicti animadvertendi licentia.]

377. Suadet tamen ipse Gomez, aliquè tutius fore, si Judex recipiat probationes super tali delicto, ne sibi possit aliquid imputari: maximè cùm talis probatio possit haberi in promptu. Et Follerus apud Farinacium ponit praxin modi procedendi in tali casu, nempe, quòd, commisso delicto reus in continenti examinetur, & si confiteatur, absque alia probatione & solennitate statim condemnetur; si autem neget, non priùs condemnetur, quàm testes ad ejus faciem confrontati benè concludant, quòd viderint eum deliquisse coram Judice pro tribunali sedente, & multis adstantibus.

378. Dicendum 7. Si Judex, etiam in suo officio occupatus, solus videret fieri delictum, tùnc non esset illi licitum ex tali notitia procedere, sed esset illi observanda regula, quòd Judex debeat judicare non secundùm suam scientiam, sed secundùm allegata & probata; de qua actum tomo præced.

379. Advertere hìc lubet, esse discrimen inter hæc duo: *delictum esse notorium*: &, *de delicto notoriè constare*. primum significat *Notorietatem Facti*, de qua hactenus actum est, alterum significat Notorietatem Juris, hoc est, quòd crimen in Judicio sit legitimè probatum, vel reus ipse confessus sit. Quando leges loquuntur de Notorio, sunt accipiendæ in priore sensu, nam Notorietas Juris est minùs propriè Notorietas. Et sic manet declarata Ordinatio Carolina, quòd deprehensus in flagranti sit torquendus vel convincendus, & non statim condemnandus.



CON-

CONTROVERSIA III.

Quandonam, intermissâ torturâ, deferri possit Juramentum purgationis, & an sit reo necessariò præstandum.

SVMMARIV M.

Habitis indiciis ad torturam sufficientibus, non est locus Juramento purgationis. 380.
Est tamen illi locus in delictis, in quibus ad torturam perveniri non potest. 381.
Item, locus est in gravibus delictis, quando desunt indicia sufficientia ad torturam. eod.
Reus. recusans juramentum, offerens se ad probandam innocentiam, est audiendus. 382.
Admissus ad juramentum purgationis, non potest ab adversario exigere juramentum calumniæ. 383.
Præstito juramento, absolvendus est tam quoad principalem causam, quàm quoad expensas. 384.
An condemnari possit, si nec jurare velit, nec probet innocentiam. 385.

380. Supponendum est ex infrà dicendis, in atrocioribus delictis, in quibus ad torturam perveniri potest, non quæcunque indicia sufficere ad torturam, adeoque esse aliqua indicia verisimilia quidem, quibus reus gravatur, sed necdum ad torquendum satis ponderosa. Hoc supposito

Dicendum 1. Quando adsunt indicia ad torquendum sufficientia, tunc non est locus Juramento purgationis, sed est ad ipsam torturam procedendum, si quidem persona non sit privilegiata. Ratio est, quia in tali casu non debet eligi medium valde periculosum & incertum præ certo, à Juribus concesso & constituto. Atqui juramentum purgationis esset medium longè incertius, quilibet enim reus recusaret torturam, & eligeret juramentum purgationis, quando jam animum firmavit, quòd delictum nolit confiteri. & sic esset periculum perjurij, & delictum maneret impunitum.

381. Dicendum 2. In illis delictis quæ non merentur pœnam corporalem, adeoque ad torturam perveniri non potest, (alioquin graviùs puniretur antecedenter ad confessionem delicti, quàm puniendus esset confessus delicti) locus est Juramento purgationis.

Dicendum 3. Eidem Juramento est locus, quando indicia in gravibus delictis non sunt sufficientia ad torturam, sed tamen sunt verisimilia, quo casu, si delictum aliter probari non potest, est reo deferendum, quo se purgare debent, nec aliter absolvendus: de quo gravamine conqueri non potest, si sit innocens, nec possit suam innocentiam aliter probare · (nam si possit aliter probare, non tenetur præstare, ut paulò pòst dicam) Ratio conclusionis est, quia est actus Religionis, & coram Deo meritorius ac præmio dignus.

Controversum est, an, si oblatum purgationis juramentum Reus recuset, offerendo se ad innocentiæ probationem, sit audiendus. Negant aliqui: alij distinguunt, & tunc solùm volunt esse admittendum ad probationem innocentiæ, quando priùs nunquam eandem probare conatus est.

382. Dicendum est 4. Universim esse admittendum, etiamsi non solùm semel, sed sæpius jam ante probationem innocentiæ minùs feliciter suscepisset, dummodo novis argumentis utatur. Ratio est, quia favore innocentiæ multa specialia permittuntur, quæ cæteroquin à communi jure sunt aliena, ut jam suprà ostendi, & quia potest reus habere rationabilem causam præferendi defensionem sibi à jure concessam juramento, ut patebit. Itaque

Objici posset: Non apparet, quare recusetur juramentum ab innocente, cùm sit actus virtutis, & quidem Religionis. Ergo recusans juramentum fit meritò suspectus, & præsumi potest, quòd ideo recuset, ut declinet perjurium. ℞. Quin imò potest habere probabilem & honestissimam causam. Nam per juramentum præstitum non plenè apud homines tollitur suspicio reatûs, & fortè etiam perjurij, & est etiam aliqua nota, non potuisse suam innocentiam probare. Quando autem innocentia probatur, plenè restituitur fama, perinde ac si nunquam inquisitus esset.

383. Dicendum 5. Qui admittitur ad Juramentum purgationis, non potest ab adversa parte exigere juramentum calumniæ. Ratio est, quia in juramentis, quæ vel à Lege, vel à Judice deferuntur, præsumptio doli vel malitiæ locum non habet, nam nec de Lege, nec de Judice legis dispositionem exequente dolus aut malitia præsumitur. Hinc etiam est, quòd hoc casu juramentum non possit referri, sicut potest referri juramentum judiciale à parte adversa delatum.

384. Dicendum 6. Præstito juramento Reus definitivè absolvendus est, tam quoad causam principalem quàm quoad expensas. Ità communiter DD. qui tamen non exprimunt, an

possit

possit expensas factas ab accusatore repetere. &, salvo aliorum judicio, credo quòd non posset, si accusator verisimilibus argumentis usus est, & bonâ fide processit. Faciliùs concederem, quòd eas exigere posset, si innocentiam suam luculenter probâsset: puto tamen, quòd in praxi expensæ compensentur.

385. Dicendum 7. Stando in anctoritate DD. si reus nec innocentiam probare possit, nec etiam velit præstare juramentum purgationis, tunc in levioribus criminibus potest haberi pro confesso, & condemnari, non item in gravioribus, pœnâ corporali dignis, sed tunc præbet sufficiens fundamentum & indicium ad torturam, quâ confessio eliciatur, & ità responderunt Scabini: & tenent alij DD. quamvis mihi non appareat fundamentalis disparitas, & ideo stando in ratione libentiùs dicerem, universim talem posse haberi pro confesso: & sanè si Judex Reo diceret, ut vel præstet juramentum purgationis, vel patiatur se haberi pro confesso, tunc nolendo jurare videretur tacitè confiteri, nisi posset rationem reddere, quare utramque recuset, quam certè difficulter inveniet, ut non sit colorata.

CONTROVERSIA IV.

De Moderamine Tormentorum secundùm vires personarum, & indiciorum ac delictorum qualitates.

SUMMARIUM.

Latrunculatorum arbitrio relinquitur moderatio torturæ intuitu personæ torquendæ, & indiciorum. 386.

Ita autem moderanda est tortura, ut reus non lædatur irreparabiliter. 387.

Quænam circumstantiæ considerandæ sint. 388.

Non licet Judicibus nova tormentorum genera excogitare. 389.

Genera tormentorum in Bavaria consueta. 390.

Tortura vigiliarum in Italia usitata. eod.

386. Dicendum est 1. Non omnes personas, quæ torturæ subijciendæ sunt, esse torquendas torturâ æquali materialiter, hoc est eodem genere & gradu tormentorum, etiamsi in delicto & indiciis sint æquales: quia verò ob innumerabilem variationem circumstantiarum quoad vires, vel indicia gravantia, non potuerunt leges aliquid determinati statuere, consequenter Judicis, seu Latrunculatorũ, qui in hoc negotio habent experientiam, prudentiæ & arbitrio est committendum, prout committitur in Ordinatione criminali Carol. art. 58. ubi dicitur, quòd tortura debeat secundùm qualitatem indiciorum & suspicionum, item secundùm conditionem personæ, plùs aut minùs, semel aut sæpiùs, duriùs aut leviùs, ex arbitrio boni & discreti Judicis inferri. (Concordat Jus commune lege 10. §. 3. ff. *de Quæstionib. Tormenta autem adhibenda sunt, non quanta accusator postulat, sed ut moderatæ rationis temperamenta desiderant.*

Et (quod benè notandum est) quamvis Jura non præscribant, ut dixi, certos terminos aut genera seu gradus tormentorum, attamen constituunt terminum extrinsecum, (ut Philosophi loquuntur) ad quem usque & non ultra possit tortura produci & exasperari. Nam lege 7. eod. sic dicitur. *Quæstionis modum magis Judices arbitrari oportere. Itaque Quæstionem habere oportet, ut NB. servus salvus sit vel innocentiæ, vel supplicio.* Hinc

387. Regula est, quòd Judex quæstionis modum ità temperare debeat, ut Reus maneat illæsus irreparabiliter, adeoque ne perdat valetudinem, aut aliquod membrum inutile reddatur. Ratio est, quia tormenta ad investigandam veritatem, non ad supplicium sunt inventa. Unde graviter errant Judices, vel Latrunculatores, si reos cum periculo vitæ dolorum acerbitate excruciant, membrorum compaginem dissolvunt, vel ossa confringi faciunt, vel ità debilitant, ut à tortura & Judicio dimissi sibi suisque prodesse non possint, sed in perpetuum inutiles fiant.

Infra hunc excessum adhuc, & in primis, ut dixi, est personarum quoad vires animi & corporis ratio habenda, ratione quarum fieri potest, ut in pari delicto unus altero sit, materialiter loquendo, mitiùs torquendus, & tamen, formaliter loquendo æqualiter torquebuntur, quia v.g. homini tenero & debili, æquè dolet minor materialiter acerbitas torturæ; ac robusto major acerbitas, sicut v.g fœmina ambulando unum milliare æquè fatigatur, ac vir robustus ambulando decem.

388. Sunt igitur considerandæ circumstãtiæ senectutis, aut juventutis, virilis roboris, valetudinis, imbecillitatis. Et quidem quoad ætatem in specie statutum est, ne impuberes aliter quàm virgis torqueantur, & hoc etiam cum moderatione discreta, ut habetur in Jure Bavarico *art. 9.* quæ in rigore non computantur inter torturas, nam impuberes torquendi non sunt, ut dicitur ex lege 10. *pr. ff. de Quæst. De minore*

quatuor-

quatuordecim annis quæstio habenda non est. eodem articulo habetur, quòd senes 60. vel 70. annorum, præsertim si sint infirmi, & decrepiti, torquendi non sunt, si autem adhuc vegeti, leviter torqueri possunt, & cum tali discretione, ut nullum nocumentum vitæ vel valetudini inferatur.

Secundò, ratio habenda est Indiciorum, an sint plura vel unum, & quàm urgentia, & tardò vel rariùs fallentia, ità ut non solùm in modo torquendi, sed etiam in torturæ iteratione discrimen habendum sit.

Tertiò, etiam habenda est ratio delictorum, quorum atrociora recipiunt, cæteris paribus, torturam acerbiorem.

389. Dicendum 2. Non est licitum Judicibus aut Latrunculatoribus nova tormentorum genera excogitare, sed illia utendum, quæ loci illius consuetudo & receptus usus observat, nisi fortè modus in aliqua provincia usitatus pro criminis alicujus immanitate nimis esset remissus: quo casu Princeps prudenti arbitrio Judicibus inferioribus genera tormentorum in aliis provinciis usitatorum (cum temperamento tamen æquitati & Christianæ moderationi consentaneo) præscribere posset. Ità cum Ferd. VVaizenegger tradit Casparus Manzius in *art.58. Const. Carol.* & ante illos Farin. *q.* 38. *n.* 53. Et quamvis rationem non reddant, ea tamen esse videtur, quia in novis tormentorum generibus caret Judex experientiâ effectuum indè facilè secuturorum ultra terminum torturæ præfixum; (de quo paulò antè) & ideo periculum est, ne fiat reo gravis injuria, & Judex de excessu teneatur: & hanc rationem videtur agnoscere Gomez, reprehendens Judices, qui nova tormentorum genera reis imponunt, ex quibus sæpè, ut experientia docet, aut vitam aut aliquod membrum amittunt, vel saltem ità remanent debilitati, ut perpetuò inutiles fiant.

390. Solent hoc loco à DD. varia tormentorum genera enumerari, quæ olim apud Romanos in usu fuerunt, sed quia pleraque erant nimis tyrannica; ideò in usu esse desierunt apud Christianos. Carpzovius refert modos torquendi in Saxonia, qui non multùm differunt à modis observari solitis in Bavaria, quos refert Casparus Manzius lo. cit. à n. 21. his verbis. Apud nos, inquit, minimum ferè tormentum est Pollerum, germanicè Daumstock / instrumentum tale, quo pollex fortiter comprimitur. Alterum sunt funiculi subtiliores & duriter contorti, quibus carnifices juncturas manûs arctissimè constringunt, & hoc funis tenuioris tormentum præ cæteris hodie magis frequentatur. Tertium est, quòd rei manibus, aliquando etiam pedibus ad tergum simul ligatis, in altum elevantur, ità ut sic elevati aliquamdiu suspensi teneantur. Adjiciuntur, si contumacia appareat, & indicia urgeant, pedibus pondera, vel dorso imponuntur, vel etiam, ad augendum dolorem tergo suspensi frigida affunditur, aut post diuturnam elevationem, & membrorum ac juncturarum dissolutionem, funis, ex quo pendet sublimis, per intervalla baculo quassatur, ut exinde tremendus reddatur, & in omnibus totius corporis partibus & articulis dolor acuatur. Est etiam adhuc usitatum tormentum virgarum, quod scio (dicit auctor) contra Magos & Sagas acriter cæsos feliciter usurpatum, idque præ aliis commendat, tanquam minùs corpori nocivum Damhouderus *c.* 37. *n.* 22. & testatur Farinacius n. 68. etiam in Italia in pueris, mulieribus, & levioribus delictis usitatum esse. Ità ille.

Aliud est tormentum Vigiliarum, quod in Italia est in usu, dum reus non permittitur somnum capere, donec inquietudine victus optat somnum, & promittit confessionem, & per hoc omnium minimè læditur corpus, estque maximæ efficaciæ in eos, qui quovis tormentorum genere vinci non possunt, eaque rident. De modo exercendi hanc torturam dicam infrà, controv. 9.

CONTROVERSIA V.

De Gradibus Tormentorum, ubi, an liceat minari tormenta illi, qui torqueri non potest.

SUMMARIUM.

Quinque gradus tormentorum à Julio Claro assignati. 391.

Tres gradus ab alijs constituti. 392.

Quandonam Judex utatur diversis his gradibus. 393.

Ratio, cur liceat minari torturam, quando torturæ reali necdum est locus. 394.

Quandonam talis metus excusetur ab injuria. 395.

Quibus personis non liceat hujusmodi metum inferre. 396.

Quâ ratione metus tormentorum excusetur à mendacio. 397.

Cur confessio metu obtenta sit sufficienter Judicialis. 398.

391. SOlent à D.D. & Criminalistis Modi torquendi distribui in certos gradus, quorum unus est altero quasi intensior, hoc est acerbior. Julius Clarus *q.* 64. *n.* 31 constituit quinque gradus. Primus (qui non nisi impropriè est tortura, ut dicetur) aliud non est, quàm terricula-

culamentum, interminatio, seu minæ torturæ imminentis. Secundus est introductio in locum tormentorum, ostensis machinis & instrumentis. Tertius est spoliatio & ligatura. Quartus est elevatio in equuleo. Quintus Quassatio seu tremefactio & concussio rei jam pendentis & elevati.

392. Alii constituunt tantùm tres gradus. Primus est terror seu minæ, ad quem gradum reducunt deductionem ad locum tormentorum, spoliationem & ligaturam, non tamen multùm afflictivam. Secundus gradus est: ponere in tormentis, & in illis interrogare: nempe elevare, & in suspenso tenere per aliquod notabile spatium. Tertius est: torquere, hoc est, quassare, percutiendo semel aut sæpius ex Judicis arbitrio funem ex quo reus pendet.

Ex his primus gradus non est nisi largo modo Tortura, quia de conceptu Torturæ est cruciare & affligere corpus, arg. legis 15. §. 41. ff. de Jure jurando, ubi dicitur: *per quæstionem intelligere debemus tormenta & corporis dolorem ad veritatem eruendam.*

393. Primo hoc gradu utitur Judex, quando indicia sunt levia, adeoque non sufficientia ad realem torturam, faciunt tamen reum suspectum. Præterea utitur eo Judex in personas debiles, timidas, pusillanimes, delicatas, in quibus experientia docet obtineri finem torturæ per minas, ut fateantur crimen, & licèt non sit tortura corporis, est tamen tortura animi, quem excruciat apprehensio mali imminentis, nam usque ad sanguinis sudorem talis apprehensio angere potest, ut patet ex agone nostri Salvatoris.

Secundus torturæ gradus usurpatur, quando reus est magis suspectus, quando indicia sunt utcunque plena, vel omnino quidem plena, sed delictum non est usque adeo atrox, esto grave, & torturæ subjectum. vel si est atrox, reus tamen est debilis, vel honestæ familiæ, vel bonæ famæ.

Tertius tunc usurpatur, quando indicia sunt valde urgentia, reus suspectissimus, robustus, crimen atrox, vel scandalosum & perniciosum: item si appareat pertinacia, contemptus torturæ: quo casu pondera addi possunt.

Carpzovius subdividit primum gradum in Territionem merè verbalem, seu nudam, & Territionem realem, hoc est conjunctam cum præparatorijs ac præludijs leviusculis tormentorum, quando carnifex manus admovet, & jam incipit leviusculè affligere ligando, polletro digitos nonnihil comprimendo. Circa primum hunc gradum

394. Difficultas est in reddenda ratione, quomodo liceat minari torturam personæ, quam per jura ipsa torquere non licet: & quomodo non fiat illi injuria, sicut est injuria minari mortem illi, quem non licet occidere. & quomodo hæ minæ excusentur à mendacio. quam difficultatem non examinant Juristæ, benè tamen Theologi, præsertim Card. de Lugo *disp.* 37. *n.* 160. ubi sibi ipsi objicit regulam, quòd metus toties sit injustus, quoties est de re, quæ sine injuria infligi non potest.

Respondet ergo, regulam hanc esse quidem regulariter veram, aliquando tamen fallere, & posse aliquando esse jus inferendi terrorem mortis, & non mortem ipsam. Conatur hoc declarare exemplo Principis volentis punire subditum, non quidem dignum morte, sed minore pœnâ: posset ergo pro pœna inferre ei per tridnum metum mortis, & opinionem illius subeundæ, ut hoc modo magis imposterum à delinquendo absterreretur, & post triduum liberare. Ubi vides, inquit, (quamvis ego non videam nisi petitionem principij, & suppositionem illius quod est in quæstione) metum mortis licitè & justè inferri ei, cui mors ipsa injustè inferretur. Quod ergò tunc Princeps facere posset, hoc censetur in casu nostro facere lex positiva, imò & ipsa lex naturalis. Potest enim Judex malo aliquo inflicto cogere reum ad confessionem non quidem torturâ gravi, quia hoc fieret cum periculo gravi in tali persona, sed tamen malo alio minori, in quo periculum illud non appareat. Cùm ergo terror & metus torturæ minus malum sit, quàm tortura, & in quo non apparet periculum, ratione cujus tortura ipsa illicita est, consequens est, ut qui malo alio præter torturam potest eruere Confessionem à reo, possit etiam metu torturæ id facere, cùm ratio prohibendi torturam non procedat, ut metus etiam torturæ prohiberetur. Ità Lugo, cujus mentem magis declarando

395. Dico I. Illis personis, quarum delictum meretur aliquam pœnam, sed minorem quàm sit ipsa realis tortura, æquivalentem tamen illi afflictioni quam affert metus tormentorum, potest absque injuria talis metus infligi. Ratio est, quia Judex habet jus inferendi pœnam v. g. *ut duo.* & est in arbitrio illius, qualem velit in specie infligere. Ergo si metus tormentorum non excedit pœnam *ut duo*, potest absque injuria eam eligere. Dixi, *absque* injuria: nam quomodo absque mendacio, postea dicam.

Itaque quando lex positiva & humana prohibet torqueri illum, qui non est valde urgentibus indicijs gravatus, vel ob virium debilitatem, in talibus non prohibet hoc ipso metum torturæ. Nam torturam ideo prohibet lex humana, quia eam in tali casu prohibet

lex naturæ: atqui lex naturæ non prohibet tales puniri pœnâ æquivalente soli metui torturæ: ergo nec prohibet ipsum metum. ergò nec Lex positiva prohibet, quia Lex positiva solùm prohibet id, quod esset contra legem & æquitatem naturalem.

396. Dico II. Illis personis, quibus ob earum merita (ut dicemus de personis Illustribus & Nobilibus) lex concedit privilegium exemptionis à tortura, censetur defacto etiam concedere voluisse exemptionem à metu torturæ. Ratio est, quia lex vult has personas habere notitiam hujus privilegij exemptionis à tortura. Ergo hocipso voluit illis adimere metum torturæ: concedit enim illis jus excipiendi contra Judicem, si is minaretur, atque appellandi, posséntque Judici objicere dicendo: Quid mihi audes minari torturam, cùm non habeas jus me torquendi: non me terrent tuæ minæ. Ergo in talibus personis plerumque ridiculus evaderet ille intentatus terror & minæ torturæ: quæ ratio non procedit in alijs personis tali privilegio non gaudentibus, sed solo jure naturæ exemptis, quia plerumque hoc jus ignorant, & nesciunt, quantùm sint gravatæ, vel quid de earum viribus arbitretur Judex, & sic habet suam utilitatem, quòd possint terreri. Cæterùm, si mulier vel impubes esset etiam instructus de suo Jure, profectò Judex parùm effecturus esset minando torturam, ut consideranti patet. Hæc ratio Conclusionis mihi videtur melior quàm Lugonis in fine n. 160. in qua tamen examinanda nolo immorari.

397. Restat explicandum, quomodo hujusmodi minæ non contineant mendacium. Cùm enim, ut supponitur, Judex non habeat animum torquendi tali modo, quo se facturum minatur, hocipso minando torturam loquitur contra mentem suam. Respondeo, non esse necesse, ut Judex dicat, se velle torquere pollictro vel equuleo, sed posse uti verbis æquivocis, & in uno sensu veris, esto in alio apprehendantur à reo. Sic posset cum veritate dicere: Fatere tuum crimen, nisi malis experiri, quæ vides, esse parata contra negantes sua delicta. Vel similia. Imò, sæpè posset minari determinatè equuleum, cum hac tacita reservatione: si contra te habuero, vel adhuc acquisivero sufficientia indicia.

398. Posset etiam contra primam Conclusionem objici. Confessio metu aut dolo extorta, non videtur esse sufficienter Judicialis, quia non est voluntaria, sed secundùm quid involuntaria. Hoc argumentum nimiùm probat, nam sequeretur, quòd nec confessio per torturam realem obtenta esset Judicialis, quia etiam est secundùm quid involuntaria. ℞. ergo, nec metum nec dolum in nostro casu esse injustum, sed justum. Quòd autem confessio sit secundùm quid involuntaria, non curat Judex, cui sufficit habere jus eam obtinendi per dolum & metum. Sic posset Judex per astum & dolum curare, ut ad suas manus venirent literæ, ex quibus posset venire in notitiam delicti, v. g. simulando se famulum ipsius Rei, & hujus nomine recipiendo literas quas socius criminis fortè ad Reum scripsit. Quandoquidem enim Judex habet jus ad confessionem obtinendam, habet jus ad obtinendam per dolum, dummodò aliunde non sit dolus vitiosus.

CONTROVERSIA VI.

Quænam genera personarum sint à Tortura exempta.

SVMMARIVM.

399. Exemptio quarundam Personarum à tormentis, vel fundatur in æquitate naturali, seu in quodam jure naturæ, vel in speciali privilegio à legislatoribus concesso, ut paulò antè insinuavi. Qui jure naturæ seu naturali æquitate eximuntur, hoc est, quos torqueri ipso naturæ lumine, & seclusis etiam legibus positivis, iniquum esset, sunt duplicis classis, aliquos enim

non

non convenit torqueri ob imbecillitatem seu defectum judicij, alios ob imbecillitatem & defectum virium corporalium.

400. Dicendum I. Impuberes pubertati proximi, quamvis doli sint capaces, adeóque etiam delinquere, & puniri possint ac debeant, sicut tamen à pœnis ordinariis excusantur, ità etiam, ne reali torturæ subijciantur, æquitas naturalis suadet; in qua se fundant Leges. Unde in lege 10. *ff. de Quæstionibus.* Arcadius IC. ait, *De minore quatuordecim annis quæstio habenda non est.* qui cùm legislator non fuerit, nec privilegia dare potuerit, utique locutus est ex naturali æquitate. Et Ulpianus in *l. 1. §. 33. ff. ad S. C. Silanian.* ait *Impuberi autem utrum in supplicio tantùm parcimus, an verò etiam in Quæstione? & magis est, ut de Impubere nec quæstio habeatur. & aliàs solet hoc usu observari, ut impuberes non torqueantur, terreri tantùm solent, & habenâ vel ferulâ cædi.* Et quòd primus gradus torturæ, quæ largè talis dicitur, nempe terror, illis adhiberi possit, jam suprà dixi. Ratio autem hujus desumenda est ex defectu Judicij, & animi mobilitate inde consequente. Nam, sicut in ipsa supplicij pœna aliquid illis remittitur, quia ob defectum & imperfectionem judicij, non censentur gravitatem delictorum in eo gradu apprehendere, quo adulti, culpæ autem malitia decrescit, cæteris paribus, ex imperfecta objecti prohibiti cognitione, ità cum proportione se res habet quoad torturam, nempe quòd ob imperfectam apprehensionem obligationis dicendi veritatem, & non mentiendi, frequentiùs pro veritate falsitas extorqueretur. Deinde quemadmodum impuberum intellectus adhuc modicus est in dijudicanda honestate vel inhonestate actuum, & objectorum (quæ sunt quid sublime & incorporeum) ità econtrario habent vivacissimam apprehensionem rerum corporearum, & afflictivarum sensuum; & ideo in illis profectò terror solus est æquè afflictivus animi illorum, ac in adultis est realis tortura, ut proindè si realis tortura accederet, jam excederetur, & proportio non servaretur.

401. Dicendum II. Furiosus aut amens non potest in actuali amentia constitutus torqueri super illo, quod ante amentiam commisisse suspectus, & per indicia gravatus est. Ratio est, quia ut Confessio sit Judicialis, debet esse Rationalis, procedens ab intellectu cognoscente honestatem confessionis, & inhonestatem contumaciæ; ergo sicut nihil operaretur confessio dormientis (cuj furiosus similis est) si in somno loqueretur, & diceret se hoc vel illud commisisse, eò quòd phantasia dormientibus illudat, ità & de furioso dicendum est.

402. Dubitatum est de Puberibus, sed adhuc in minori ætate constitutis, an torqueri possint. Ratio dubitandi est hæc, Ubi; & in quibus personis non nisi mediocri pœnæ locus est, ibi torturæ non est locus; atqui Minores jubentur mediocri quadam pœnâ affici. *l. 37. §. 1. versu. in delictis. ff. de minorib.* ergo torqueri non possunt. Hoc tamen non obstante

Pro certo tenendum est, tales posse torqueri non solùm minis, sed reali torturâ. Colligitur 1. ex legibus jam adductis pro impuberibus, hoc ipso enim quòd in specie eximantur impuberes, Minores non censentur excepti, nam exclusio unius est inclusio alterius; per vulgaria. 2. probatur ex *l. 1. C. si adversùs delictum. In criminibus quidem ætatis suffragio minores non juvantur, etenim malorum mores infirmitas animi non excusat.* Ad rationem dubitandi

Respondetur, distinguendo Majorem, si illa pœna non sit corporalis, sed pecuniaria, vel æquivalens, conceditur, secùs negatur. Ad Minorem propositionem respondetur, per illam legem non liberari minores ab omni pœna corporali; adeóque adhuc torturæ locus esse potest.

403. Dicendum III. In Senibus non tam ratio ætatis seu ipsum senium in se, quàm potiùs effectus qui senium plerumque sequitur, Judicis considerandus est, nempe an vires sint debilitatæ adeo, ut sine periculo non possent secundum torturæ gradum sustinere, vel an memoria ità defecerit, ut rerum vel à se vel ab alio gestarum probabiliter non ampliùs benè meminerint, & sic infantibus propè similes effecti sint. De his, non autem de robustis & integrarum tam animi quàm corporis virium, est intelligenda lex 3. §. 7. *ff. ad S. C. Syllanian. Ignoscitur etiam his qui ætate defecti sunt.* Ecce! præter ætatem requiritur defectio. Hinc Scabini torturæ feliciter subjecerunt Senem 64. annorum, ubi furtum confessus, & inde suspensus fuit. Et in vetulis sagis praxis idipsum habet.

Utrum autem instar impuberum terrendi saltem sint in casu quo torqueri non possunt, ex circumstantiis Judex arbitrabitur; nam si ob ætatem fortè nec illi terrori ferendo par essent, possent ad juramentum purgationis admitti, prout etiam à Scabinis factum est.

404. Dicendum IV. Valetudinarij tunc demum ab omni tortura immunes sunt, quando morbus accedente torturâ lethalis evaderet, aut in perpetuum valetudinem irreparabilem redderet; secùs torqueri possunt moderatè & sine periculo læsionis, quam in tortura semper cavendam esse suprà dictum est. Unde non ab omni tortura liber esset, qui rupturam in genitalibus haberet, aut aliquo non lethali vulnere affectus esset, aut Epilepticus esset, arg. Carol. Ord. art. 59. ubi dicitur, in tortura cavendum esse, ne reus in vulneribus acceptis in minimo lædatur; in quo

in quo Judex Medicorum & Chirurgorum judicio stabit.

405. Dicendum V. Fæmina prægnans torqueri prohibetur in *l. 3. ff. de pœnis. Prægnantis mulieris consumendæ damnatæ pœna differtur, quoad pariat. Ego quidem* (inquit Ulpianus) *& ne quæstio de ea habeatur, scio observari, quamdiu prægnans est.* Ratio est, non solùm quia ipsius fœminæ, sed etiam partûs periculo ageretur. Non est autem æquum, quòd partus innocens ob matris delictum periclitetur, & quia tempus expectari potest, quo torturæ locus erit. Ex qua ratione ne quidem torqueri posset, etiamsi fœtus nondum esset animatus, si per torturam animatio illius impediretur, super quo Medici consulendi essent.

406. Dubitari posset de puerpera, an intra quadraginta dies puerperij possit torqueri. Ratio dubitandi & affirmandi desumitur ex ultimis verbis legis relatæ: *quamdiu prægnans est.* Nihilominus DD. comuni calculo & hanc excipiunt, etiamsi ipsa prolem non lactet, ob eius debilitatem quandam radicalem, esto cæteroquin in jure dicatur sana, & integræ valetudinis. *l. 14. §. 2. ff. de ædil. edicto.*

Clariùs extenditur ratio conclusionis & ipsa conclusio ad fæminam quæ puerpera non est, sed habet prolem lactandam, saltem quando alia nutrix commodè reperiri non potest. & si ex tortura videatur alimentum vitiandum esse, ut noceret proli: quod tamen per fustigationem non fieri sæpius judicatum est.

Ex quibus omnibus benè colligitur, quòd nec terreri debeant hujusmodi mulieres, si ex animi terrore proli periculum immineat.

Observandum est, mulieri asserenti se gravidam esse, non credi, sed hoc Judici per Obstetrices aut Medicos explorandum esse: quod si Medici vel Obstetrices pronuntiârunt, non esse gravidam, Judex erit excusatus, etiamsi ex tortura abortus sequeretur, ut pluribus relatis tenet Farinacius, & est per se rationabile, quia qui fecit quod potuit, legem implevit. Nunc de illis, qui privilegio gaudent.

407. Quod igitur attinet ad illas personas, quæ vel de Jure vel de Consuetudine gaudent Privilegio exemptionis à tortura, videndum priùs est, quinam antiquo Jure Romano fuerint exempti; & quia facies ac status Reipublicæ Romanæ quoad personas in dignitate constitutas hodie magnopere immutatus est, ideo ex illis colligendum erit, quibus hodie conveniat, quatenus illis (ut ex titulis multùm colligitur) sunt subrogati.

Itaque Jure Romano eximebantur à tortura illi, qui Perillustres, & Illustrissimi dicebantur, & erant Præfecti Prætorio, vel Urbi, item Magistratus Militum, Quæstores, Patritij, Consules &c. item qui Illustres, ut Comites sacrarum largitionum, & sacri patrimonij: item Spectabiles, ut Proconsules, Præfecti Augustales, Comites orientis: item qui Clarissimi, ut Præsides consulares. Denique Decuriones. Habentur in *l. 11. C. de Quæst.* [Divo Marco placuit, eminentissimorum quidem, necnon etiam perfectissimorum virorum usque ad pronepotes liberos, plebeiorum pœnis vel quæstionibus non subijci, si tamen propioris gradûs liberos, per quos id privilegium ad ulteriorem gradum transgreditur, nulla violati pudoris macula adspergit.] De Decurionibus habetur *l. 16. eod.* [Decuriones sive ob alienum, sive ob suum debitum exortes omnino earum volumus esse pœnarum, quas fidiculæ & tormenta constituunt]

Cùm ergo his successerint hodie aliæ personæ, quæ modò titulo Illustrium gaudent, ideo

408. Dicendum est VI. Moribus hodiernis Duces, Principes, Marchiones, Comites Barones, à tortura exemptos & privilegiatos esse. Ratio est, quia subrogatum sapit naturam ejus cui subrogatum est.

Extenditur Conclusio etiam ad Milites, non vulgares, (qui vel maximè hodie torturæ obnoxij sunt) sed ad Equites, & Capitaneos, qui ob virtutem militarem eminent. Et quia antiquis militum Decurionibus hodie Nobiles æquiparantur, ideo Nobiles universim censentur eodem gaudere privilegio quo illi Decuriones, & quo antiqui milites *l. 8. Pr. C. de Quæstionib. Milites neque tormentis, neque plebeiorum pœnis in causis criminum subjungi concedimus.*

Denique ob rationis paritatem etiam ad Doctores & Licentiatos solet extendi Conclusio, quia vocantur Clarissimi, imò Nobiles se scribi volunt & compellari. Quamvis, teste Tiraquello, Ant. Fabro & alijs, privilegium hoc vel nunquam fuit his concessum, vel est consuetudine abrogatum in pluribus locis, præsertim in Gallia, & in Illustrissima Republica Veneta, imò per totam Italiam, & Coserus ait, nemini se auctorem futurum, ut huic privilegio Nobiles Doctorésque multùm fidant, & Juribus evinci posse sibi persuadeant.

409. Verùm, supponendo, hoc privilegium adhuc vigere, habet tamen suas exceptiones. Et primò quidem nemo gaudet hoc privilegio in criminibus exceptis & nefandis. *l. 16. C. de Quæst.* ibi. *Majestatis tantummodo reos, & quæ nefanda dictu sunt, conscios aut molientes*

ſientes ex ordine municipali maneat tam cruenta conditio. Et de crimine Majeſtatis ſolo loquitur *Lex. C. 4. ad l. Jul.* Majeſt. ibi. *Exceptâ tantummodo Majeſtatis causâ, in qua ſola omnibus æqua conditio eſt.*

Secundò, quando præſumptio eſt contra Nobilem aut Illuſtrem, qui v.g. notoriè aliquem occidit, nec tamen probare poteſt exceptionem moderaminis inculpatæ tutelæ, poteſt ſubjici torturæ, ut per eam purget præſumptionem, niſi & pro ſe haberet præſumptionem.

Tertiò, ſi Nobilis perſona ſuam nobilitatem jam antè vitijs fœdâſſet, & præſumptiò aliqua eſſet, quòd in ſua nobilitate præſumens audacior eſſet ad crimina perpetranda, tanquam abutens privilegio, eo non gauderet. In his, & ſimilibus optimum erit, ſi Judex inferior Principem conſulat, qui privilegij ſui, & intentionis quâ conceſſum eſt, interpres erit, ut inſinuatur in lege 4. *C. ad L. Jul. Majeſt.* dum dicitur: [Nullus omnino, cui inconſultis ac neſcientibus nobis fidicularum tormenta inferuntur, militiæ aut dignitatis defenſione uti prohibetur.] Et ſanè tandem hodie totum hoc privilegium eò relabitur, ut Illuſtres perſonæ non niſi conſulto Principe torqueri poſſint.

CONTROVERIA VII.

Quænam requirantur ex parte Delicti, ut Tortura ſit locus.

SVMMARIVM.

Tria Requiſita ex parte delicti, ut torturæ ſit locus. 410.
Delictum debet eſſe capitale & atrox. 411.
Quidſi pœna delicti ſit arbitraria. 412.
Quidſi cauſa ſit quidem civilis, ſed annexum habeat crimen capitale. 413.
An teſtes in cauſa civili veritatem dicere tergiverſantes. 414.
Quid fieri poſſit in criminibus, quorum pœna non eſt corporis afflictiva. 415.
Antequam torqueatur reus, regulariter conſtare debet de corpore delicti. 416.
Neque ſufficeret conſtare, quòd homo ſit mortuus v.g. ſed quòd ſit occiſus. 417.
An quandoque ſufficiant indicia, & qualia. 418.
An poſſit adhiberi tortura, quando crimen poteſt probari per teſtes. 419
An reus confeſſus vel convictus de uno delicto, poſſit torqueri ratione alterius. 420.

410. Ex lege 8. ff. *de Quæſtionib.* colligunt DD. tria requiſita. Primum, ut Delictum ſit atrox. Secundum, ut conſtet de corpore delicti. Tertium, ut delicti commiſſi veritas aliter haberi non poſſit. Lex ità habet. [Quæſtiones nec ſemper in omni causa & perſona deſiderari debere arbitror. Et cùm Capitalia & atrociora maleficia non aliter explorari & inveſtigari poſſent, quàm per ſervorum quæſtiones, efficaciſſimas eas eſſe ad requirendam veritatem exiſtimo, & habendas cenſeo.] Hoc eſt edictum D. Auguſt. De ſingulis pleniùs agendum.

§. *I.*

Atrocitas Delicti.

411. Dicendum I. Ad hoc ut ſit locus torturæ, non ſufficit, cauſam eſſe Criminalem, ſed delictum cujus veritas inquiritur, debet eſſe Capitale & atrox, ſeu, cujus pœna eſt capitalis. Ità etiam habetur in Ord. Crim. Carol. *art.*8. Per pœnam autem Capitalem non ſolùm intelligitur pœna mortis Naturalis vel Civilis, ſed etiam quæ ità eſt corporis afflictiva, ut ſit multò gravior in hominum æſtimatione, quàm ipſa tortura. cujusmodi non eſſet relegatio, incarceratio ad tempus, pœna pecuniaria, prout ſuprà declaratum eſt tract. 2. contr. 1. Ratio concluſionis eſt aperta. Quia ex terminis abſurdum & iniquiſſimum eſt, medium obtinendæ veritatis eſſe reo acerbius & gravius, quàm medium condemnationis poſt veritatem repertam, ſeu quàm pœna infligenda liquidato delicto. Quid, quæſo, prodeſſet reo, per tolerantiam torturæ purgâſſe indicia, ſi in ipſa tortura tantundem paſſus eſt, quantùm patiendum fuiſſet, ſi convictus aut ſponte confeſſus eſſet?

412. Quæres 1. Quidſi pœna ſit arbitraria, hoc eſt Judicis arbitrio relicta? R. Si Judex arbitrabitur, ſufficienter punitum fore delictum per pœnam non capitalem aut corporis graviter afflictivam, profectò à tortura abſtinendum illi eſſet, etiamſi fortè illi etiam probabile eſſet, quòd poſſet pœnam talem graviorem & corporis afflictivam, ſeu ſanguinis infligere, ſemper enim conſulendum eſt Judicibus, ut eligant arbitrium favens reo, eo quòd tollerabilius

sit absolvi vel ex toto vel in parte nocentem, in causa dubia, quàm innocentem vel minùs nocentem ad excessum condemnari. Quodsi verò est quidem in illius arbitrio statuere pœnæ genus, sed tamen non leviorem quàm corporalem, tunc adhuc erit locus torturæ, cum illo moderamine, ut non adæquet infimum gradum pœnæ quæ infligi potest. Exemplum invenio in Carpzovio *q. 119. n. 20.* si quis esset sufficientibus indiciis gravatus de furto excedente duos ducatos cum dimidio, posset cum debito moderamine torqueri, quia pœna respondens est corporalis, nempe fustigatio, & ità responderunt Scabini.

413. Quæres 2. Quidsi causa sit quidem Civilis, sed annexum habeat crimen capitale, & dignum pœnâ corporali? ℞ Tunc adhuc esse locum torturæ. Exemplum afferunt DD. in Mercatoribus Fallitis seu Bancarotis, quos dicunt torqueri posse, ut pecunias sibi creditas, chirographa & rationes, quas salvas apud se habere suspicio est, illi verò negant, creditoribus suis indicent. Nempe hæc causa civilis habet annexum crimen *Falsi.* cujus pœna, in homine libero est Deportatio, ut suo loco dictum est, & habetur l. 1. §. *fin. ff. ad L. Cornel. de falsis.* Vel, si malis cum Damhoudero dicere habere annexum crimen furti. Unde consequens est, idem dicendum fore de aliis debitoribus, qui nolunt sua bona indicare, unde possit creditoribus satisfieri: nam licèt tales furtum propriè non committant, æquivalenter tamen peccant, cùm Creditores habeant jus ad rem, & non minùs lædantur, quàm per reale furtum læderentur.

414. Ex eodem fundamento torqueri possunt testes etiam in causa civili testimonium dicere jussi, si sint valde gravati, quòd habeant rei notitiam, nec tamen volunt edicere, sed dicunt se nescire, vel tergiversantur. tales inquam, possunt & solent imprimis urgeri incarceratione in pane, & aqua, & denique etiam torturâ, quia committunt crimen falsi, imò & perjurij, quia suppono priùs jurâsse, se sincerè responsuros ad interrogationes Judicis.

415. Dicendum II. In illis causis, & criminibus, quorum pœna non est corporis afflictiva, possunt rei quandoque per torturæ minas, additis etiam quandoque præludiis torturæ, ut ligaturâ, admotione Polletri &c. terreri, vel denique illis juramentum purgationis deferri. Ità Farin. Clarus & alij, quos sequitur Carpzovius.

Et Ratio est, quia talis terror non adæquat
pœnam proportionatam delicto,
ut suppono.

§. II.

Certitudo de Corpore Delicti.

416. Dicendum III. Priusquam Judex ad torturam perveniat, debet illi regulariter loquendo constare de Corpore Delicti, vg. hominem talem esse verè occisum, cujus necis insimulatur ille, qui detinetur. Ità habetur in lege 1. §. 24. *ff. ad S. C. Syllanian.* Item illud sciendum est, nisi constet, aliquem esse occisum, non haberi de familia quæstionem, liquere itaque debet, scelere interemptum, ut Senatûs-consulto locus sit.] Hoc ipsum habetur in Ord. Carol. Crim. a. 6. ubi dicitur. [Præterea debet quilibet Judex in his magnis, & arduis causis, ante torturam, quantùm possibile est, & pro ratione cujusque delicti fieri potest, investigare, & diligenter inquirere, utrum delictum, vel maleficium illud, propter quod reus incarceratus, diffamatus, vel suspectus est, comissum sit, nec ne.] Quod etiam habetur in Jure Bavarico *tit. 5. a. 7.* Et vel ex eo etiam colligitur, quòd, ut tradit cum aliis Farin. *q. 1. n. 6.* debet constare de Corpore delicti, antequam instituatur inquisitio specialis: ergo multò magis antequam perveniatur ad torturam.

417. Quæres, an vg. in homicidio sufficiat constare de tali homine, quòd sit mortuus & non constet de certo genere mortis, an morte naturali, vel violentâ. ℞. Negativè, sed debet constare, quòd morte violentâ (& hoc colligitur ex verbis relatis ex lege 1. *scelere interemptum*) obierit, vg. de vulneribus, de signis veneni indicativis, de cicatrice à strangulatione relicta &c.

Verùm, quâ generalitate sit intelligenda conclusio, videnda sunt, quæ suprà dixi, in quibusnam delictis debeat constare de corpore delicti, nam hoc non procedit, quando delicta nulla post se reliquunt vestigia, ut adulterium &c.

418. Ulteriùs tenendum est, quòd quandoque non requiratur evidentia ipsius corporis delicti ad decernendam torturam, sed sufficiant certa, & indubitata indicia corporis delicti. quod etiam indicatur in recitato articulo ord. Criminalium jubetur Judex inquirere in corpus delicti, quantùm possibile est, & materia patitur, & clariùs in art. 8. indicatur, sufficere indicia indubitata. quia enim sæpius evidentia, & certitudo ipsius corporis delicti haberi non potest, expedit bono Reipublicæ, ut sufficiant ad torturam indicia &

gitur, & argumenta probabilissima, quæ moraliter loquendo non fallunt, & ideo etiam in tali casu jam in bono sensu dici potest constare de corpore delicti, sicut ex eo quòd filius sit patri suo similis quoad faciei delineamenta, dicitur, filium hunc esse certum de suo patre, & illi constare, à quo genitus sit, quamvis hujus generationis immediata evidentia nulla habeatur, nec haberi possit, cùm mater potuisset beneficio imaginationis in ipso conceptu talem similitudinem obtinere, quod tamen non facilè fit.

§. III.

Defectus aliarum Probationum.

419. DIcendum IV. Si delictum potest plenè probari, vg. per testes, aut instrumenta, non licet adhibere torturam ad obtinendam confessionem; adeoque ante omnia delicti veritas est investiganda per alias probationes, quibus deficientibus denique ad torturam est veniendum, arg. *legis 12. C. de Quæstionibus.* [Quoties de dominio Mancipiorum tractatur, si aliis probationibus veritas illuminari non possit, de se ipsa (*mancipia*) cùm tormentis interroganda, juris auctores probant.] Ratio est manifesta. Nam tortura est remedium subsidiarium in defectum aliarum probationum. Esset proinde ordo manifestè præposterus, si torturâ adhibitâ, & reo in negando persistente, deinde probationibus aliis convictus damnaretur, cùm potiùs ob toleratam torturam absolvendus esset. atqui, si Judex priùs neglexisset alias probationes, & statim ad torturam venisset, adhuc teneretur tentare alias probationes, easque admittere ab accusatore oblatas, quia tenetur veritatem omnibus possibilibus modis investigare: ergo ne reus frustra affligatur, priùs ad alias probationes recurrendum est.

420. Ex dictis sequitur resolutio illius Quæstionis, an reus de uno delicto convictus, vel confessus, possit torqueri ratione alterius delicti, quod nec plenè probari potest, nec reus id vult sponte confiteri. ℵ. Posse torqueri saltem tunc, quando tale delictum non est notabiliter levius, quàm illud de quo jam est convictus, moderatiùs tamen quàm aliàs torquendus esset, & hoc ideo, quia etiamsi secundum delictum non confiteatur, adhuc in pœnam ordinariam delicti probati condemnandus est, & ideo minùs videtur affligendus ob delictum non probatum, esto sit gravissimis indiciis gravatus; quod si delictum esset minùs grave, aut indicia non essent gravissima, putat rationabiliter Carpzovius, esse potiùs à tortura liberandum. Putarem tamen esse illi juramentum purgationis deferendum, quia de hoc conqueri non potest etiam condemnatus ad mortem, & quia à tali non est timendum perjurium, quia præsumitur esse memor suæ salutis. Et ob hanc rationem fortè non improbabiliter quis diceret, semper hoc juramentum esse deferendum, quando non adest probabile periculum committendi perjurii.

CONTROVERSIA VIII.

De Quibusdam, in actuali executione torturæ observandis, præsertim in tempore, & ordine inter personas.

TOrturæ ut sit locus, præcedere debet semiplena probatio, vel sufficientia indicia. 421.

Judici incumbit pronuntiare de indicijs legitimis & probatis, nec purgatis. 422.

Hæc interlocutoria non est omittenda, ut ab ea appellari possit. 423.

Die feriato non est regulariter reus torquendus. 424.

Ex consuetudine solet reus matutino tempore torqueri. eod.

Tortura gradatim facienda est. 425.

Ex pluribus complicibus quis priùs torquendus sit. 416.

In paritate suspicionis an fœmina priùs torquenda. 427.

An pater, aut filius priùs torquendus, 427.

Quænam ex confessis ratione torturæ annotanda sint. 428.

Quomodo, confesso quoad substantiam delicto, ulteriùs reus examinandus. 429.

Exempla hujus examinis instituendi. 430. *& seqq.*

Reus non est interrogandus de criminibus alijs, de quibus non est suspectus. 433.

Quid post obtentas responsiones Judici porrò agendum. 434.

Quid agendum, si deprehendatur dixisse falsum; 435.

Quænam annotanda Actuario. 436.

421. QUamvis hoc loco aliqui DD. statim agant de Indicijs quæ prærequiruntur ad Torturam, quia tamen Tractatio de Indicijs prolixior est, eam in sequens Caput conjicio, & nunc, (ut jam sæpissimè in superioribus

in illo prævalet, & quia per hoc non impeditur in altero facilior confessio.

417. Ex Conclusione deducunt DD. quòd in paritate suspicionis fœminæ priùs torquendæ sint, quàm mares, quia major est earum infirmitas animi, minor patientia, major animi mollities. *arg. l. 18. ff. eod. prin.* [Unius facinoris plurimiRei ità audiendi sunt, ut ab eo primùm incipiatur, qui timidior est, vel teneræ ætatis videtur.]

Quæsitum est, an si Pater & filius sint torquendi, quis prior? Respondent DD. filium, per hanc rationem, quòd pater ex commiseratione filij speretur movendus, ut ad eum fortè innocentè liberandum à tortura, sit crimen confessurus. Verùm, hæc ratio non urget, quando sunt complices, ùt consideranti patet, sed solùm, quando sub disjunctione sunt suspecti. & quandoque major est affectus filij in patrem, quàm econtra. Quare in hoc Judicis arbitrium requiritur.

418. Dicendum IV. Durante actuali torturâ si reus aliquid confiteatur, non habet vim confessionis, nec est necesse id annotari. Sed ubi se dixerit confessurum, & à tortura desistitur, ea demum, quæ sic liberatus edicit, annotanda sunt, & illis habenda fides. Ità habetur *art. 58. Ord. Crimin.* Ratio redditur, quia non est verisimile, reum in ipsis torturæ angustiis constitutum veritatem eloqui posse ex integro, & perpetrata unà cum circumstantijs rectè in memoriam revocare. Potest quidem Judex illa sic indicata pro sua memoria annotare, sed non referre debet in protocollum, ut notat Jus Bavaricum *tit. 3. a. 16.*

429. Dicendum V. Si reus post remissam torturam delictum quoad substantiam confessus est, tunc ulteriùs est à Judice examinandus de delicti circumstantiis, terminis generalibus, non ità specificando, ut responsio fieri debeat per unicam vocem affirmativam, *Ità* vel *Non.* Ratio prioris est, quia ex tali examine, & secuta responsione, non solùm potest clariùs elucescere confessionis substantialis veritas, sed sæpè etiam ejus falsitas, si reus dicat circumstantiam, de qua constet eam in delicto non intervenisse. Ratio posterioris est, quia haberet speciem suggestionis, ut jam suprà in simili notatum est. Deinde, hujusmodi examen etiam servit ad cognoscendam majorem vel minorem criminis atrocitatem, & pœnam inde vel augendam vel minuendam. Sic memini, non ità pridem quendam homicidium confessum, cùm interrogaretur, ob quam causam fecisset, talem causam assignâsse, ob quam fuerit ad rotam condemnatus, alioquin fortè solùm gladio puniendus.

430. Pro Judicum instructione aliqua, hujus Examinis instituendi Exempla ponuntur in Ord. Carol. Primum in art. 48. Si reus in specie confessus fuerit homicidium, interrogandus est 1. qua de causa fecerit. (ecce! modum generalem: non ergo debet quæri in specie causam insinuando, v.g. an occiderit quia priùs ab eo percussus aut injuriâ aliâ affectus fuerit.) 2. Quâ die & horâ. 3. quo loco. 4. an aliquis, & quis illi opem tulerit. 5. quò posuerit, vel sepeliverit cadaver. (si illud non exstet) 6. quibus armis occiderit. 7. qualia vulnera, & quot inflixerit, vel alio modò læserit. 8. quid pecuniæ vel bonorum occisus habuerit, quid ipsi eripuerit, cui vendiderit, vel alienaverit, vel absconderit, &c. Ad hunc modum possunt examinari cum debita proportione fures, prædones &c.

431. Secundum exemplum est in art. 49. de proditione confessata: ubi ulteriùs examinandus est: quis ipsum conduxerit: quid ejus rei nomine acceperit: ubi, quomodo & quando hoc factum fuerit.

Tertium exemplum habetur art. 50. de Veneficio. Nam si reus confessus est, quòd aliquem veneno seu toxico occiderit, aut occidere tentaverit, eodem modo (mutatis mutandis) erit examinandus: in specie verò, quomodo veneno usus sit, vel uti voluerit, ubi, à quo, quando & quanti illud emerit vel comparaverit, per quem illud dederit, quis ei opem & consilium dederit.

Quartum exemplum in art. 51. De incendio confessato, eodem modo erit examinandus, & in specie, quâ materiâ ignem injecerit, vel subjecerit: à quo materiam sibi comparaverit.

432. Quintum exemplum in art. 52. de Magia seu maleficio, aut Sortilegio confessato. ubi reus interrogandus est, quo modo, quibus medijs, quando, quibus verbis aut factis incantationi operam dederit. Nam ex signis, characteribus, herbis, morticinis, sacrificijs, venenis, liquoribus, pulveribus, suffitibus, alijsque similibus adhibitis, nec non ex verborum conceptis formulis, diris devotionibus, cacodæmonis invocationibus, susurris, chiasmis, gesticulationibus, potest Judex potentissima argumenta colligere pro veritate confessionis de substantia delicti, quandoquidem pleraque talia sunt, quæ simplices illæ personæ fingere uniformiter non possunt. Ulteriùs, si reus fateatur, se aliquid defodisse, aut alicubi asservâsse quod ad Magiam serviat, id statim refodiendum, & investigandum est, ut constet de corpore delicti: sed de his vide superiùs dicta tract. præced. sub titulo, *Magia.* Denique reus est interrogandus, à quo Magiam didicerit, quo magistro usus fuerit, quâ ratione ad consortium magorum illectus fuerit.

433. Dicendum VI Reus non est interrogandus de alijs criminibus, quæ non solent habere connexionem cum crimine confessato, & de quibus non est suspectus aut gravatus: adeo ut etiamsi illud confiteretur interrogatus, non propterea puniendus esset, quia confessio non esset Judicialis, nec legitimo modo obtenta. Et habetur in Ord. Crim. a. 20. Extendunt DD. ità, ut etiamsi postea supervenirent indicia, non propterea ratificaretur prior confessio, quia quod ab initio vitiosum est, tractu temporis non convalescit.

434. Dicendum VII. Obtentâ criminis confessione, & responsionibus super circumstantiis, Judici incumbit, ut circumstantiarum veritatem, (quantùm quidem certitudo, & necessitas causæ postulaverit) summo studio exploret. Ità art. 54. Et ratio ibidem assignatur. Nam si reus indicaverit modum commissi delicti cum suis circumstantiis, & illæ conveniant cum depositionibus testium desuper examinatorum, est argumento, quòd reus delictum confessatum commiserit, maximè si tales circumstantias indicavit, quas innocens scire non potuit.

435. Dicendum VIII. Si deprehendatur Reus in circumstantiarum examine falsum deposuisse, mendacium reo exprobrandum est, & secundâ vice tormentis subljciendus, ut prædictas circumstantias sincerè indicet. Ità habetur art. 55. Ratio est, quia hoc merentur suo mendacio, quo sæpè volunt decipere Judices, inducendo illos in opinionem, quasi sint innocentes. Ratio ulterior est, quia responsio mendax nulla est responsio. ergo sicuti potuisset torqueri, si ad interrogationes recusâsset respondere, ità etiam potèrit, si cum mendacio respondit.

436. Dicendum IX. Actuatio incumbit non modò Rei confessionem, & circumstantiarum depositionem, sed & adhibitæ torturæ gradum, & gravitatem diligentissimè consignare & actis apponere. Ratio. Quia tam Judicis quàm Rei interest, quòd ex actis constare possit, nec in tortura factum excessum, nec Reum falsum deposuisse, vel purgatione indiciorum absolvendum esse, vel ob confessionem condemnandum esse.

CONTROVERSIA V.

Per quantum spatium actus torturæ continuari possit.

SUMMARIUM.

Judicis arbitrio continuatur tortura, attentâ tamen aliorum Judicum consuetudine. 437.
Nec facilè extendenda ultra horam. eod.
Quid observari soleat in tormento vigiliarum. 438.

437. Dicendum est, quoad hoc nihil certi esse in Jure constitutum, neque aliquid universaliter æquale statui potuisse; ob diversitatem circumstantiarum, & ideo per regulam generalem id Judicis arbitrio relinquendum, dummodo reum servet illæsum & utilem, ut jam suprà dictum est.

Oportet tamen Judicem præ oculis habere aliorum Judicum & receptam consuetudinem, quæ habet, ut quando tortura non est adhibenda in illo gradu, quo funis ex quo reus pendet, jubetur aliquoties percuti & quassari, sed est mitior, ut Polletri vel funiculorum, soleat quandoque solùm per tempus quo orari posset Oratio Dominica vel Angelica Salutatio, vel Psalmus *Miserere*, continuari. Quando verò adhibenda est in gradu dicto, (quem Farinacius & multi alij quartum gradum constituunt) tunc non est continuanda ultra horam: quodsi adhibenda est in supremo gradu (quem quintum constituunt) hoc est, quando etiam pondera adducuntur, tunc fortè paulò plùs quàm per horam. Ità cum Follero & alijs Farinac: *q.* 38. *n.* 54. qui addit hæc verba: [Et quidem ut verùm fatear, in quocunque enormissimò crimine apud nos raró vidi torturam adhibitam ultra horam, & si fuit adhibita ultra horam, non excessit quartam partem secundæ horæ.

Confirmantur hæc ex Bulla Pauli III. quæ est 58. ubi Pontifex prohibet Reum in tortura detineri *per longum temporis spatium unius aut plurium horarum.* Et sic (inquit Farinacius) vix videtur concedere potestatem reos torquendi per horam.

438. Excipitur tamen tormentum Vigiliarum, cujus inventor dicitur fuisse Marsilius, quo ponebatur reus super uno scamno ad sedendum, & ibi aderant duo ad ejus custodiam, qui volentem dormire perpetuò excitarent per horas quadraginta, alijs & alijs succedentibus, nec

nec dormire permittentibus, nisi promittat, se crimen confessurum. Deinde hoc tormenti genus innovatum est. Nam scamnum (quod aliqui Capram nominant) est altum à terra, quanta est statura hominis, & illius summitas non est plana, sed in medio aliquantùm altior, (ut hodie solent milites imponi Asino) & ex altitudine quatuor pendent latera unius palmi cum dimidio circiter. Ponitur in summitate reus denudatus, & undique ligatus, ne forsan cadat, manibus à tergo revinctis, & funi supra scamnum existenti applicatis, non aliter acsi torquendus esset, & quod pejus est, cum brachijs ab eodē fune extentis, vel in totum, vel pro parte, prout Judici videbitur, & sic reus detinetur per quinque aut per decem horas, Judicis arbitrio. Et ait Farinacius, quòd ex centum hominibus qui hoc tormentum passi sunt, non credat fuisse quatuor, qui non fuerint confessores. Sed non adhibetur nisi in atrocissimis, ut læsæ Majestatis, Assassinio stratarum, latrocinijs, bannitis, & similibus. Sed de hac Capra apud alios, præsertim Germaniæ Scriptores parùm reperies.

CONTROVERSIA X.

Quandonam Reiterationi tormentorum ratione ejusdem Rei & Delicti sit locus.

SVMMARIVM.

Qualis interruptio non multiplicet moraliter torturam. 439.
Quidsi reus torturam non sentiat notabiliter, an possit variari. 440.
Si tortura fuit proportionata, nec tamen reus confessus, an possit iterari, etiam deficientibus novis indiciis. 441. *& seq.*
Quidsi appareant nova indicia. 443
Quomodo debeant à prioribus differre. eod.
Quidsi post secundam torturam iterum nova indicia appareant, & deinceps. 444.
Quidsi post tertiam torturam urgentiora appareant. 445.

439. PRæmittendum est I. Non semper, hoc ipso quòd actualis cruciatus physicè interrumpatur, & iterum assumatur, esse etiam dicendam novam & iteratam torturam, sed moraliter loquendo censeri unam. Unde notat Casparus Manzius *in art.* 58. *Ord. Carol n.* 50. quòd, licèt in una tortura reus regulariter loquendo non nisi semel possit elevari: si tamen delictum est grave & atrox, indicia urgentia, reus ipse robustus, & in prima elevatione nihil confessus, tunc Judex potest torturam dividere, atque reum super ijsdem indicijs primis bis vel ter elevare, & hoc tantùm pro una tortura habetur. *Jus Bavar. a.* 13. *in pr.* ubi monentur Judices, ut debitâ discretione utantur. Similiter si quis leviter tantùm fuisset tortus sub illa spe, quòd veritatem fassurus esset, ipse autem fassus non fuisset, iterum torqueri potest. atque etiam hoc non pro separata & nova tortura habetur, sed pro continuatione prioris. Ratio videtur mihi esse, quia prima torsio fuit improportionata, & quasi partim comminatoria.

440. Præmittendum est II. Si Reus torturam ità sustineat, ut eam non videatur sensisse, sed instar dormientis toleràsse, quòd possit iterum, & alio tormentorum genere torqueri, etiam non existentibus novis indicijs. Ratio est, quia qui dolorem ex tortura non sensit, qui censetur sufficiens ad extorquendam confessionem, moraliter loquendo non censetur tortus.

441. Controversia est, an possit Reus qui, semel plenè & modo debito, seu in gradu commensurato indicijs & cæteris circumstantijs tortus est, & nihil confessus, denuo per novam torturam torqueri, etiamsi nulla interim nova indicia Judici innotuerint. Rationem dubitandi ingerunt verba generalia & illimitata legis 16. *ff. de Quæstion. Repeti posse quæstionem Divi Fratres rescripserunt.* Consonat art. 58. Ord. Carol. ubi dicitur, torturam pro ratione suspicionis, personæ, sæpiùs aut rariùs assumendam esse.

Ob hanc dubitandi rationem est aliquorum Opinio, in arbitrio Judicis constitutum esse, an velit iterare torturam. Casparus Manzius cum Damhoudero putat, posse iterari, si indicia sint clariora, quàm ut ullo modo Judex ambigere possit, ità ut plenè instructus sentiat, inficiationem Rei potiùs durum esse pertinaciam, quàm synceram innocentiam. quæ opinio videtur confirmari in *l.* 18. §. 1. *ff. de Quæst.* ubi dicitur: *Reus evidentioribus argumentis oppressus repeti in quæstionem potest, maximè, si in tormenta animum corpùsque duraverit.* Ad quam legem paulò pòst respondebo, eámque interpretabor. Eâ ergo non obstante

442. Dicendum est cum communi & æquissima sententia, torturam semel omnibus indicijs & circumstantijs commensuratam, repeti non posse, nisi appareant nova indicia,

quæ à priocibus suo genere distent. Demonstratur Conclusio. Quando indicia gravantia sunt purgata, non potest ceus ampliùs torqueri. Atqui per tocturam comensuratam sunt indicia purgata: crgo non potest ampliùs tocqueri. Minor pcopositio est ex terminis nota. Nam iste est effectus torturæ commensuratæ, ut reo eam perfecente, nec confitente, sint indicia purgata, non minùs, quàm si illi Juramentum purgationis fuisset delatum. Alioquin poterat in tortura pcocedi in infinitum, & nihil proderic reo, sustinuisse. Majoc propositio est etiam evidens. Nam quando indicia sunt purgata, Juris fictione & beneficio perinde habendus est reus, ac si nullis indicijs graphatus fuisset. Hoc enim est, purgata esse indicia, ut ex terminis liquet.

443. Quòd autem novis supervenientibus indicijs ad torturam sufficientibus, possit de novo torqueri, ratio est manifesta, quia per priocem torturam hæc nondum purgavit, & si hæc indicia jam priùs etiam extitissent, accerbiùs tocquendus fuisset. Ergo si de novo superveniunt, fundant novam torturam. Imò hic videtur esse sensus legis 18. §. 1. relatæ, ubi videntur duæ causæ indicari, ob quas cepeti possit tortura. Prima, si evidentioribus argumentis ceus opprimatur, idest, si post torturam evidentius evadat, eum esse reum. Secunda, si contemnat torturam perinde acsi eam non sentiret, quo casu jam dixi pctinde habendum esse, acsi tortus non esset.

Quomodo autem debeant à prioribus differre, dcelarat Carpzovius per exemplum Rei de homicidio suspecti, qui si priùs torturæ subjectus est, quia fama est eum occidisse ex eo quòd solus fuerit in domo illo tempore quo homicidium commissum est: si postea innotescat, quòd visus sit exijsse ex domo cum gladio stricto, & fuerit inintueus, erit novum indicium sufficiens ad secundã torturam. Quodsi Judex dubius est, an indicium, quod de novo affertur, reverà differac à prioribus, abstineat à nova tortuta, quia satius est peccare in defectu, quàm in excessu.

444. Quæritur I. Quidsi post secundam torturam iterum nova indicia appareant, & sic deinceps, poteritne tortura toties iterari, quoties nova indicia apparent? ℞. Communi praxi receptum esse, ut in cciminibus illis quæ atrocissima dicuntur, & quibus pœna constituta non est simplex mortis supplicium, sed specialiter acerbum, ut sunt crimen Veneficij, Assassinij, Latrocinij, Sacrilegij, Parricidij, Infanticidij, Rapinæ, Sodomiæ, Incendij, Sortilegij, Homicidij ex proposito, &c. possit arbitrio Judicis ad tertiam torturam pcocedi, sed non ultra. In cætecis, quæ puniuntur simplici mortis pœnâ, ut homicidium in rixa, Furtum, Perjurium, Blasphemia, Adulterium, Bigamia, Incestus, Stupcum violentum, Plagium &c. non ultra secundam torturam procedatur. Ad minas tamen & terrocem tertiæ torturæ benè procedi pocest, si nova indicia, alioquin non sufficientia ad torturam, detegantur.

445. Quæritur II. Si post tertiam torturam denuo nova & quidem urgentioca indicia appareant, quid agendum? ℞. Si consuetudo vel statutum haber, (ut in Saxonia) ne unquam ultra tertiam torturam pcocedatur, reus quidem ab ordinaria pœna erit absolvendus, sed tamen extraordinaria pœna illi infligenda erit, non tamen gravior quàm Relegatio. Ità resolvit Carpzovius *q.* 125. *à n.* 73. Quodsi tale statutum non est, tunc etiam ultra tertiam proccdi potest, prout in Jure Bav. art. 13. concedituc, quando indicia prioribus essent graviora.

CONTROVERSIA XI.

An Reus, qui per Torturam indicia purgavit, sit absolvendus simpliciter, & definitivè tanquam innocens, vel solùm ab observatione Iudicij.

SVMMARIVM.

Quastione peractâ, & toleratâ quomodo reus sit absolvendus. 446.
An si post absolutionem novæ probationes aut indicia emergerent, posset denuo reus capi, & torqueri. sod,
Quomodo in nostris partibus procedatur. 447.

ANtonius Perez in Cod. *tit. de Quæst. n.* 30. dicit, quòd in Gallia pec torturam non purgentur indicia, sed reus etiam constanter negans perinde condemnetuc, acsi crimen probatum esset. Sed quomodo hæc praxis defendi possit, Galli viderint. Eâ rejectâ,

446. Pcima opinio est, esse Reum solùm absolvendum ab obsecvatione Judicij. Ità cum aliis Menochius *lib.* 1. *de Præsumpt. q.* 93. *in fine*, Communis est sententia, esse definitivè absolvendum. Probatur 1. ex *lege fin. ff. de calumniat.* ubi dicitur, quòd habitâ quæstione Reus, quòd crimen negaverit, absolutus sit. atqui verbum

absolvo

absolvo ad definitivam sententiam spectat, si absolutè proferatur. Probatur 2. Tortura est instar probationis, ejusdque naturam induit, in cujus locum subrogatur, & præstat id, quod præstaret juramentum purgationis. atqui si reus probaret innocentiam, absolveretur utique definitivè. ergo &c.

Si res attentè consideretur, hæ duæ opiniones solùm in modo proferendi sententiam differre videntur, in effectu & reipsâ non videntur differre: nam quod prior opinio intendit, videntur AA. secundæ sententiæ concedere. Id ergo quod prior opinio intendit, aliud non est, quàm quòd non obstante absolutione, si postea nova & urgentia indicia vel probationes emergerent, posset reus denuo capi, torqueri, & condemnari. Atqui hoc totum concedunt Auctores secundæ sententiæ, & in specie Carpzovius *q.* 1. 125. *n.* 6. ubi imprimis concedit, quòd idem reus & ob idem crimen possit postea ab alio accusari, modò doceat, ignorâsse se, accusationem ab alio fuisse institutam, ut habetur *l.* 7. *§.* 2. *ff. de accusat.* Secundò concedit, quòd absolutione semel secutâ, denuo formari possit inquisitio, vel fieri accusatio propter novam qualitatem antè non deductam. Tertiò dicit non esse dubium, quòd sicut ob nova indicia potest procedi ad secundam torturam, ità etiam Reo absoluto, novis apparentibus indiciis commissi criminis, possit adversùs illum vel per viam accusationis, vel etiam inquisitione procedi. Præter hæc nil aliud intendit prima opinio: ergo solùm in modo ferendi sententiam differt, in quo tamen secunda sententia obtinet.

447. In his partibus, teste VVaizenegger, proceditur cum distinctione, utrum reus verè innocens secundùm allegata & probata reperiatur, an verò tantùm ex eo defendatur, quòd neque confessus, neque convictus fuerit. In primo casu definitivè absolvendus est, alioquin fieret illi gravis injuria, neque posset de novo accusari, nec ex novis indiciis inquiri, nisi fortè essent urgentissima. In secundo, de jure quidem definitivè absolvendus esset, sed favore reipublicæ reus tantùm ab observatione Judicii absolvitur, & vel simpliciter dimittitur, vel datis fidejussoribus de Judicio sisti, quandocunque Judex vocaverit. Quodsi absque Reipublicæ periculo ac civium scandalo simpliciter è carceribus liberari non posset, potest in custodia commoda, non pœnali, tamdiu contineri, donec Judici de statu rei certiùs innotescat: idem faciendum esset, si ex conjecturis non obscuris constaret, reum (præsertim de veneficio suspectum) taciturnitatis maleficio munitum esse, quod tamen ex non confessione præcisè non præsumitur.

CONTROVERSIA XII.

Qualis Ratificatio Confessionis per Torturam obtentæ requiratur.

SVMMARIVM.

Confessio per torturam obtenta debet postmodum remisso dolore ratificari, & fieri spontanea. 448.

An confessio spontanea ante torturam facta, etiam indigeat ratificatione. 449.

In quo loco facienda ratificatio. 450.

Quantum temporis intercedere debeat, ut remissus dolor censeatur, & interim quomodo reus detinendus. 451.

Quibus præsentibus facienda sit ratificatio. 452.

448. Certi Juris est, Confessionem in loco torturæ, & immediatè post torturam factam, non sufficere, ut inde reus condemnari absque illius ratificatione possit: itaque ea postea à Reo, remisso torturæ dolore, ratificanda est, ut hac ratione transeat in Confessionem spontaneam. Hujus æquitatis & universalis praxis plures & pulchræ rationes, à DD. assignantur, quas consuetâ diligentiâ congerit Casparus Manzius *in art.* 56. *Carol. Ord. à n.* 12. Prima, quia multorum impatientia facit, ut aliqui etiam in caput suum mentiri malint, quàm in tortura perdurare. Secunda, à paritate. quod calore iracundiæ & justo animi dolore dicitur, non priùs ratum habetur, quàm perseverantiâ apparuerit judicium animi fuisse. l. 48. ff de R.J. ergo multò magis ad quod dicendum aliquis cruciatu & doloribus cogitur. Tertia, Confessio in tormentis facta censetur metu ex tortura: atqui metus purgatur per subsequentes actus voluntarios: ergo conveniens est, ut vis factæ confessionis causa, etiam per spontaneam confessionem purgetur. Quarta, Quia fortè reus vult aliqua minùs rectè dicta emendare, vel melius explicare.

449. Quæritur hic obiter, an in hoc sit aliqua differentia inter Confessionem per torturam factam, & spontaneam, ante omnem torturæ metum à reo factam, ità ut hanc non sit necesse ratificari, sed absque ratificatione illius, ob solam non revocationem, possit ad sententiam condemnationis perveniri. R. Quamvis absolutè videatur sufficere, Reum suam confessionem non revocare ante sententiam, rectiùs tamen fit si expli-

si explicita exigatur ratificatio, vel saltem ut illi assignetur terminus aliquis arbitrio Judicis, ad opponendas & producendas suas exceptiones vel defensiones, si quas habet. (de quo termino suprà actum) & hoc videtur sufficere, ut si intra illum terminum non revocet factam Confessionem, possit ob spontaneam confessionem judicialiter factam condemnari.

Videndum nunc est, quomodo illa ratificatio debeat fieri, & quænam ad ejus valorem requirantur.

450. Dicendum I. Ratificatio facienda est in loco à tormentorum aspectu remoto, libero & publico, ubi interrogandus est reus, an in facta confessione (quæ illi prælegenda est) perseveret. Ità habetur Ord. Crim. art.56. Ratio est, quia alioquin dubium esset, an non adhuc apprehensione præteritorum cruciatuum ex aspectu tormentorum ratificatio procederet, & sic non magis spontanea esset, quàm ipsa confessio fuit.

451. Dicendum II. Ratificatio est exigenda ex intervallo post absolutam torturam, & tanto quidem, ut dolor ex tortura relictus desierit. Interea Reus in carcere detinebitur: cavendum tamen esse monent Criminalistæ, ne Reus conjungatur aliis incarceratis, à quibus facilè instrui poterit, ut revocet Confessionem factam. Quantum autem debeat esse istud intervallum, ut censeatur dolor sufficienter remisisse, & animo sua serenitas rediisse, non potest certo termino includi, quandoquidem genera tormentorum sunt diversa, imò si solo metu obtenta est confessio, non erit longo tempore necesse exspectare.

Nihilominus, etsi arbitrio Judicis in hoc sit plurimùm tribuendum, in Ord. Carol. tamen art.55. præscribitur, ut ad minimùm pernoctum aut alterum diem differatur, & satius est terminum prolongari, quàm abbreviari.

452. Dicendum III. Ratificatio facienda & exigenda est in præsentia Judicis & duorum Assessorum, secundùm Ordinationem Carolinam, coram quibus facta confessio est prælegenda, & ex reo quærendum, an in illa constans perseveret, quo affirmante, ratificata est confessio. Jos Bavaricus vult, confessionem factam priùs prælegendam illis, qui torturæ interfuerunt, deinde Reo.

CONTROVERSIA XIII.

Quid agendum sit si Reus Confessionem factam Revocet.

SUMMARIUM.

453. Dicendum I. Reus revocans confessionem reducendus est ad carcerem, & iterum torquendus, nisi suæ revocationis tales prætendat & probet causas, ex quibus Judex errorem confessionis deprehendere possit, tunc enim tortura repeti non debet. Ità habetur in Ord. Carol. art.57. Ratio repetendæ torturæ est, quia confessio priùs facta facit novum indicium. Deinde, quia si non posset denuo torturæ subjici, nihil facilius esset, quàm se à pœna liberare, nempe si reus in prima tortura, ad eam abrumpendam diceret, se velle crimen fateri, deinde illud fateretur, sed adductus ad ratificandum illud negaret. Ratio posterioris est, quia reus semper ad defensionem suæ innocentiæ est admittendus, ut suprà dictum.

Objici posset. Suprà dictum est, nova indicia ad novam torturam, debere esse diversi generis: atqui in præsenti casu non apparent nova indicia. R. 1. Imò revocatio & variatio est novum indicium, quali priùs non gravabatur. Sed quia urgeri posset in caso tertiæ torturæ ob bis revocatam confessionem, ubi tertiò non debet torqueri, ut statim dicetur: ideo respondetur universaliùs. 2. Illam regulam procedere in casu quo reus constanter delictum negavit, & indicia purgavit, quod non fit in præsenti casu. Respondeti potest 3. Hunc casum esse excipiendum ab illa regula, quia alioquin sequeretur illud absurdum, quòd in potestate Rei esset, se à pœna propè rationata delicto liberare.

454. Di-

454. Dicendum 2. Si in secunda tortura iterum confiteatur crimen, & deinde iterum revocet, poterit tertiâ vice torqueri, sed non ultrà. Ità habet communis Sententia, à qua proinde non est recedendum. Neque alia illius ratio redditur, quam quia in odiosis non est abeundum in infinitum, sed aliquis modus statuendus.

Hæc tamen sententia non caret difficultate, quæ cuivis facilè occurrere potest. Nam sic adhuc videtur in potestate Rei esse, pœnam ordinariam declinare. nam in quavis tortura simulabit confessionem, & deinde revocabit, & sic nec unquam plenè torquebitur, (quia nunquam purgabit indicia) nec etiam poterit condemnari, quia deest ratificatio. Ob hanc rationem Veteres Scabini pronuntiârunt, talem esse condemnandum, non exspectatâ ratificatione. Verùm quia ratificatio videtur esse de substantia, existimo, communem sententiam, de non reddenda quarta tortura, intelligendam esse, si priores torturæ non fuerunt tantùm inchoatæ, sed notabiliter productæ, ità ut non multùm defuerit, quominus complerentur, & indicia purgarentur. nam in tali casu fit verisimile, ob acerbitatem doloris fuisse factam confessionem falsam.

455. Dicendum 3. Qui post tertiam torturam adhuc revocat confessionem, non quidem pœnâ ordinariâ, sed tamen aliquâ extraordinariâ v.g. perpetuâ relegatione, vel condemnatione ad triremes pro Judicis arbitrio puniendus est. Ratio est, quia absurdum esset, hominem tot indiciis gravatum, & toties confessum, etsi revocantem, tanquà innocentem dimitti, & sibi imputet, quòd potiùs mentiri toties voluerit Judici, quàm torturam plenè sustinere, & indicia purgare.

456. Quæritur nunc I. Quid agendum, si Reus, postquam suam confessionem in tortura factam legitimo modo confirmavit, postea indicto die capitalis Sententiæ executioni mandandæ, confessionem ratificatam revocet. Respondet Carpzovius *q. 126. n. 93.* Quòd si Judex advertat, reum nil aliud quærere, quàm ut dolosè differat diem, impediatque executionis processum, non obstante hujusmodi revocatione sententiam capitalem executioni mandare possit, dummodo priùs de confessione, & ratificatione, certò constet ex jurata depositione Assessorum, qui ratificationi interfuerunt. Colligit hanc resolutionem ex art. 91. Ord. Carol. Verùm, in hoc articulo dicitur quidem, quòd in tali casu debeant Assessores sub juramento interrogari, utrum confessionem modò recitatam audiverint nec ne. Subjungit tamen, quòd si Assessores asseverent, se suis auribus ex ore ipsius Rei confessionem audivisse, Judex Jurisperitos consulere debeat, quid in tali casu cum Reo agendum sit, [illegible]

457. Restat ergo quæstio, quid Jurisperiti tunc respondere debeant. Ad quam Quæstionẽ quid Carpzovius responsurus esset, jam audivimus. Casparus Manzius abundantem cautelam præscribit. & ait, Jurisconsultum omnia Acta diligenter examinare, atque ad hoc potissimùm respicere debere, utrum confessio fuerit spontanea, vel coacta, & tormentis expressa: utrum sufficientia fuerint indicia ad capturam & ad torturam, an ista tortura fuerit legitimè illata, an modus debitus in ea observatus, an confessio non fuerit forsassis suggestiva, an ratificata, quo temporis intervallo, quo in loco, quibus præsentibus, an verificata, an circumstantiæ per testes exploratæ: quod si nullum defectum in processu invenerit, ad hoc attendet, utrum reus probabilem aliquem errorem suæ confessionis attulerit nec ne. Verùm, ut ipse fatetur, hæc Revisio non est simpliciter necessaria, nec ubiq; observatur, haberet enim, meo judicio, hujusmodi retractatio vim appellationis à sententia capitali, quæ tamen in Germania non admittitur, nec Ord. Carolina videtur talem revisionem requirere, sed ad summum, ut Juris periti super ultima retractatione consulantur, quorum judicium potissimùm erit, an reus solùm retractet ad injiciendam moram executioni, vel ex aliqua nova suæ innocentiæ defensione, nam, ut suprà vidimus, etiam post sententiam definitivam est locus huic defensioni.

In adducto articulo declaratur, illos Assessores, qui de ratificatione deposuerunt, non propterea excludendos esse à ferenda sententia, quia non ut testes, sed ut conjudices adhibentur, & non de facto aliquo extrajudiciali, sed de Actis causæ judicialibus testimonium tulerunt.

458. Quæri posset hìc II. An omnimoda taciturnitas Rei, quando interrogatur ad ratificandam confessionem ultimâ vice, postquam ampliùs torqueri non potest, habenda sit pro ratificatione Confessionis in tortura factæ. Huic quæstioni ansam mihi præbet casus mirabilis qui contigit Anno 1628. & refertur à Carpzovio *q. 126. n. 74.* ubi quidam de Uxoricidio inculpatus, ac tertiò tortus, crimen confessus fuerat, sed biduo exacto ad ratificandam confessionem ductus, respondere ac loqui noluerat, satis astutè, ut ratificatione confessionis deficiente pœnam mortis effugeret. Cui malitiæ ne indulgeretur, Scabini putârunt, adhuc semel interrogandum esse sub hac comminatione, ut imposterum ipsius taciturnitas pro expressa confessione, & spontanea ratificatione acceptaretur, juxta illud tritum, quòd tacens habeatur pro consentiente. Et est Regula Juris Can. 43. *Qui tacet consentire videtur.* Nihilominus Reus in sua taciturnitate perseveravit. Scabini [illegible]

hunc

omnes, solo Carpzovio dissentiente, judicârunt, Reo pœnam Culei dictandam esse. Sed Carpzovius eos in suam sententiam traxit hoc argmento; Quia ratificatio est de substantiali conceptu confessionis ut sufficiat ad condemnationem: atqui talis taciturnitas non erat ratificatio, ideo enim tacuit, ne ratificaret. Ad Regulam Juris respondit, eam veram esse jurisfictione, & præsumptione consensûs; atqui ex præsumptionibus solis nemo potest pœnâ mortis ordinariâ affici, ut apud omnes receptum est, & habetur in Ord. Crim. Car. art. 22.

Ego pro sententia Carpzovij adducerem Regulam Juris 44. quæ magis ad rem facit, quia loquitur de Confessione seu actu Assertivo, Regula autem 43. loquitur de consensu voluntatis, & maximè locum habet, quando quis præsens posset aliquem actum impedire resistendo, & non resistit, & in similibus, quæ videri possunt apud Peckium. Regula 44. ergo dicit: *Is qui tacet, non fatetur: sed nec utique negare videtur.* Ex qua sequitur, quòd talis homo nec ratificaverit confessionem, nec revocaverit.

459. Verùm, hinc nascitur difficultas. Si non voluit ratificare, cur non apertè revocavit, cùm revocans post tertiam torturam non possit ampliùs torqueri? Videtur autẽ absurdum, quòd contumaciter, & illusoriè tacendo obtineat impunitatem à pœna ordinaria, quam obtineret revocando, quæ revocatio est illi licita. Vereor profectò, ne in alijs Regionibus, ubi Carpzovius non habetur pro Jurisconsultorum Oraculo, talis Reus severiores Judices nancisceretur; & talis hominis silentium pertinax acciperetur pro responso tacito, quasi diceret. *Jam dixi vobis. Quid iterum vultis audire?* Et hoc maximè, si ille sciret, quòd revocando posset evadere pœnam ordinariam, dum enim non vult revocando illam evadere, evidens est, quòd in illam consentiat. Aliud dicerem, si ignarus Juris esset, nempe quòd quartò torqueri non possit etiamsi revocet: nam tunc præsumi posset, nolle eum expresse revocare, ne iterum torqueatur, nolle autem ratificare, quia non vult mentiendo esse causa suæ mortis. Et tunc putarem, talem taciturnitatem habendam pro revocatione, & cum eo procedendum ad pœnam extraordinariam, casu quo non potest quartò torqueri, juxta dicta.

460. Quæritur III. Quid agendum, si Reus jam publicè ad mortem, fracto bacillo condemnatus, confessionem retractet, & dicat, se sibimet injuriam fecisse. ℞. Nihilominus ad sententiæ executionem procedendum esse: habetur expressè in Jure Bavarico *tit. 6. a. 5. Proc. Crim.* Rationem reddit Waizenegger. Nam quia Respublica rebus judicatis sustinetur, & exemplo perniciosum est, rerum publicè judicatarum Auctoritatem infirmari, Reipublicæ bonum & salus populi exigit, ut sententia, retractatione non attentâ, contra maleficos executioni mandetur. Additur tamen ibidem limitatio, nisi condemnatus assereret, se ideo innocentem esse, quòd demonstrari possit, delictum à se confessatum, vel omnino non, vel saltem ab alio perpetratum esse, atque ità innocentiam suam probare vellet, & simul indicaret, quomodo hoc ad oculum apertè & per evidentiam facti ostendi possit, tunc enim differri potest executio. Quòd autem in hoc casu tam evidens probatio innocentiæ requiratur, ratio est, quia præter ordinem ad probandum admittitur. Suprà etiam jam dixi, in tali casu Judicem non posse reum absolvere, sed debere ad Principem scribere, quia suam sententiam inferior Judex revocare non potest.

CONTROVERSIA XIV.

Quâ pœnâ afficiendus sit Iudex injustè tortura subijciens.

SUMMARIUM.

Quomodo puniendus Judex dolo malo inferens mortem per torturam. 461.

Quomodo conveniri possit torquens modo indebito citra læsionem. 462.

An actio contra talem Judicem possit primùm instituti in Syndicatu. 463.

Quamdiu duret actio injuriarum. 464.

An tortus habeat etiam actionem legis Aquiliæ utilem. eod.

In dubio de tortura indebitè facta, pro quo stet præsumptio. 465.

An insuper Judex inferior à superiore puniendus. 466.

An actiones prædictæ conveniant non obstante Urphedâ. 467.

Quid si reus juravit, se nec jure ulturum. eod.

461. Dicendum I. Si Judex per torturam reo mortem intulerit dolo malo, hoc est, cum tali intentione, quæ requiritur & sufficit ad homicidij reatum, (quam intentionem explicui suprà sub tit. *Homicidium*) tanquam homicida puniendus est. Ità recepta sententia. Probatur ex lege. 7. §. *fin. ff. ad L. Jul. repetundarum.* Ibi. [Quid enim, si ob hominem necandum pecuniam acceperint, (Judices) vel licèt non acceperint, calore tamen inducti, interfecerint

terfecerint vel innocentem; vel quem punire non debuerunt? capite plecti debent: vel certè in insulam deportari, ut plerique puniti sunt.] cujus textûs ultima verba restringenda sunt ad casum, quo dubium est, an ex malitia, an imperitia ità curaverit torqueri, vel (ut arbitratur Gomez,) ad eum casum, quo reum non quidem ad mortem usque torsit, sed tamen inutilem reddidit, & graviter læsit.

Nam si malitiosè occidit, ultimo supplicio afficiendum esse etiam alijs Juribus habetur. l. 1. §. præterea. *ff. ad. L. Corn. de Sicarijs.* ibi. [Quive Magistratus, Iudexve quæstionis sub capitalem causam pecuniam acceperit, ut publicâ lege reus fieret, & qui hominem occidit, punitur (*scilicet hac lege Corneliâ*) non habitâ differentiâ, cujus conditionis hominem occiderit.] & *l. 4. pr. ff. eod.* [Lege Corn. de Sicariis tenetur, qui, cùm in Magistratu esset, eorum quid fecerit contra hominis necem, quod legibus permissum non sit.] atqui legibus permissum non est, torquere cum periculo mortis, & multò minùs usque ad mortem. ergo &c.

462. Dicendum II. Si citra mortem aut læsionem Judex injustè torserit, vel absque debitis indicijs, vel cum excessu prohibito, vel non servatis servandis, tunc pro satisfactione de damno, & doloribus puniendus est, & coram superiore Judice conveniri potest. Ità habet Ord. Carol. *art. 61. & etiam art. 20.*

Et imprimis certum est, illi qui injustè tortus est, competere actionem injuriarum per *l. 32. ff. de in Injuriis.* [Nec Magistratibus licet aliquid injuriosè facere. Si quis igitur injuriam fecerit Magistratus, vel quasi privatus, vel fiduciâ Magistratûs, injuriarum potest conveniri.] Et per legem 15. §. 24. *ff. eod.* Qui servum alienum adversùs bonos mores verberavisse, deve eo, injussu domini quæstionem habuisse dicetur, in eum judicium dabo. Ex qua lege Farinacius ità ratiocinatur *q. 37. n. 111.* Si quæstio indebitè à privato facta de servo, punitur in jure: multò magis punibilis est indebita quæstio hominibus liberis etiam à Judice illata.

463. Dubitari posset I. An hæc actio primùm institui posset in syndicatu, hoc est intra 50. dies post finitum Judicis officium; ratio dubitandi est ex *l. 32. ff. de Injur.* ubi dicitur, esse exspectandum, donec Magistratu abeat. Verùm, quia hodiernis moribus nostri Magistratus, de quibus illa lex loquitur, sunt perpetui, ideo hæc actio statim institui potest, & multò magis si cognitor causarum capitalium non gerit hujusmodi Magistratum.

464. Dubitari posset II. Quamdiu duret hæc Actio. Aliqui, ut Wesenbecius, volunt, solùm durare per annum, eo quòd hæc actio non sit de tribus illis speciebus, quæ ex lege Corn. perpetuò vindicantur *l. 5. ff. de Injuriis.* Alii tamen rectiùs dicunt, esse perpetuam, cujus bonam rationem reddit Manzius, quia torquere plùs est, quàm verberare vel pulsare. atqui verberatus, & pulsatus habet actionem perpetuam: ergo, multò magis injustè tortus.

Præterea etiam concedunt DD. injustè torto actionem legis Aquiliæ utilem. *l. 13. ff. ad L. aquil.* [Liber homo suo nomine utilem Aquiliæ habet actionem, directam enim non habet, quoniam dominus membrorum suorum nemo videtur.] Et hæc tendit ad recuperandos sumptus in curatione factos, & ob lucrum cessans, quo tortus carere debet ob torturã factam, nempe quod ratione operarum lucrari potuisset.

465. Dubitatur III. Si dubium est, an tortura fuerit debito modo facta, pro quo stet præsumptio, an pro Reo, quòd non ritè sit facta, an pro Judice. Antonius Gomez *c. 13. n. 6.* vult stare pro Judice, pro cujus officio præsumitur. Verùm, Wesenbecius vult stare pro reo, cujus ratio videtur hæc esse posse, quia Judex ex officio debebat in Acta referre probationem indiciorum, & totum reliquum processum: utique in hunc finem, ut inde probare possit, omnia esse legitimè peracta. ergo si hoc neglexit, nec inde potest legitimare torturam, profectò arguitur non esse functus officio suo. ergo conqueri non potest, si contra ipsum stet præsumptio. alioquin aperietur via pro libitu torturam exercendi, & reo erit difficillimum probare torturæ iniquitatem, nisi per evidentiam facti, si scilicet actu inutilis redditus est, cùm tamen etiam absque hoc possit tortura fuisse non jure facta, & hæc ratio mihi persuadet sententiam Wesenbecij *n. 9. ff. de Quæst.* quam etiam tenet Stephanius, & reipsâ videtur consentire Carpzovius n. 27.

466. Dicendum III. Ultra pœnam satisfactionis Reo præstandæ, etiam à superiore Judice talis inferior Judex puniendus est, ut habetur art. *61. Ord. Crim.* Quia tamen nulla determinata pœna constituta est, ideo erit arbitraria: quod etiam ex eo confirmari potest. quia jure Digestorum *l. 7. §. fin. ad L. Jul. repetund. suprà relata*, pœna deportationis imposita est, cui hodie successit pœna arbitraria, ut Carceris, Relegationis, pecuniaria &c.

467. Dicendum IV. Actiones prædictæ competunt Reo illigitimè torto, non obstante Juramento præstito, quod Germanis *Vrphede* dicitur, & est Cautio, quâ reus, qui carceribus relaxatur, jurat (quia priùs non dimittitur) se non ul-

non ulturum, quidquid ibi passus est. Ità habetur expressè Ord. Carol. art. 20. Et ratio est manifesta, quia intentio Jurantis solùm est, se non ulturum ea quæ Jure à Judice gesta sunt, & eâ ultione, quam Jura Reo non permittunt. Sed hinc

Dubitari potest, an idem dicendum sit, si juravit (ut quidam Judices exigere solent) se nec jure, nec injuriâ ulturum. R. Cùm tale Juramentum sine salutis dispendio servari possit, non posse reum agere, nisi priùs à juramento absolvatur ab eo qui potestatem habet absolvendi, ejúsque obligationem tollendi, quæ absolutio facilè impetrabitur, præsertim cùm non satis æquè hoc juramentum exigatur à Judice, & quia præstatur ad redimendam carceris vexationem.



CAPUT X.

DE INDICIIS AD TORTURAM PRÆREQUISITIS.

Quæ in superioribus sæpius indicavimus, & necessariò supponenda erant, nunc hoc Capite sunt accuratiùs pertractanda, ex illis enim maximè pendet Iustitia Torturæ.

CONTROVERSIA I.

Vtrum universim, & absque exceptione, ad Torturam debeant præcedere Indicia: & quomodo sint sub Iudicis arbitrio.

SUMMARIUM.

Nunquam est licita tortura absque præcedentibus aliquibus Indiciis, suspicionem facientibus. 468.

Quo sensu cognitio Indiciorum sufficientium sit arbitraria. 469.

468. Rationem dubitandi habuerunt aliqui DD. quia posset contingere casus, in quo ad sedandum scandalum vel turbas in populo, videretur esse necessaria tortura alicujus nullo Indicio gravati, sicut Pilatus ad compescendos Judæos voluit corripere & flagellare Salvatorem nostrum, cùm nullam in eo causam inveniret, dicens: *corripiam ergo eum & dimittam.* Nihilominus

Dicendum est I. Nulli Judicum esse permissum, torquere ullum reum, nisi præcedentibus aliquibus Indicijs, quibus de crimine redditur prudenter suspectus. Qualia autem illa debeant esse, postea indagabitur. Pro conclusione adduci solent varia Jura, quæ tamen non stringunt, quia solùm dicunt, non esse in criminibus â tortura incipiendum: quod eorum salvaretur, etiamsi non præcederent indicia, dummodo præcederet generalis inquisitio, Rei citatio, examen, accusatio, vel quid simile: responderet enim Judex, se à tortura non incepisse. Meliùs probatur conclusio ex lege 18. §. 1. *ff. de Quæst.* ubi dicitur. [In ea causa, in qua nullis reus argumentis urgebatur, tormenta non facilè adhibenda sunt, sed instandum accusatori, ut id quod intendat, comprobet atque convincat.] Et *lege fin. eod.* [Qui sine accusatoribus in custodiam recepti sunt, quæstio de his habenda non est, nisi si aliquibus suspic-

spicionibus urgeantur.) Id ipsum in pluribus articulis Ord. Carol. habetur. Rationem reddit Farinacius. Quia si Judicibus concederetur, ut possint sine legitimis & sufficientibus indicijs reos torquere, facile esset in eorum potestate, in criminali Judicio à tortura inchoare, quod utroque Jure absurdum meritò reputatur. *cap. 6. de R. I. In ipso causæ initio non est à quæstionibus inchoandum. & l. 1. pr. ff. de Quæst.* ibi. *Non esse à tormentis inchoandum D. Augustus constituit.* Et alibi passim.

489. Dicendum II. Quamvis ob nimiam causarum diversitatem impossibile sit, omnia & singula possibilia indicia legibus enumerari, & per consequens, hæc materia in aliquo sensu communiter à DD. dicatur arbitraria, hoc tamen haud ità intelligendum est, quasi penes Judicis arbitrium sit, hoc vel illud indicium habere pro sufficienti ad torturam, absque alia cynosura, vel quasi lydio lapide, verùm, eò usque solùm est arbitraria hæc indiciorum materia, quatenus Judex secundùm indicia à Juribus approbata, & in specie adducta, debet de alijs non adductis, sed fortè in aliquo casu occurrentibus, cū proportione judicare, an sint in eodē gradu certitudinis, adeoq; sufficientia ad torturam, & si non habent idem pondus pro non sufficientibus habere. Hinc in Ord. Carolina enumerantur duplicis generis Indicia, seu argumenta perpetrati criminis suasiva seu indicativa probabilitatis, quòd crimen à tali persona sit perpetratum. Primi generis sunt omnibus delictis communia: Secundi generis sunt propria certorum maleficiorum. Prioris generis habentur in *art. 25.* posterioris verò in art. 33. Habet autem hæc divisio magnam utilitatem. Nam quamvis Judex vel maximè curare debeat, ut habeat specialia indicia, & alicujus delicti propria (sunt enim potentiora & magis suasiva) quia tamen hujusmodi indicia seu argumenta specialia non semper haberi possunt, potest Judex generalibus uti & contentus esse.



CONTROVERSIA II.

Quænam sint argumenta seu Indicia Communia, quorum Singula non sufficiunt ad torturam.

SVMMARIVM.

IN Criminalibus Indicia & probationes imperfectæ non facientes semiplenam probationem seorsim, nec simul sumptæ plenè probant ad condemnandum, ad torquendum sufficiunt. 470.
Discrimen inter indicia insufficientia seorsim & singulatim, & sufficientia. 471.
Vita malè acta quale sit indicium insufficiens seorsim ad torquendum. 472.
Item deprehensio hominis suspecti in loco apto ad perpetrandum delictum. 473. *& seq.*
Item conversatio illaudabilis cum hominibus perversis & facinorosis. 474.
Item inimicitia cum illis qui per delictum offensi sunt. 475.
Item testificatio læsi in articulo mortis. eod.
Item fuga. 476.
Item lis cum occiso de majore parte bonorum. eod.
Item sermo de commisso crimine ità institutus, ut ex vultu, gestu &c. suspectus fieret. 477.
Item variatio & inconstantia sermonis. 478.
Item trepidatio & titubatio. eod.
Referuntur indicia debiliora & facilè purgabilia. 479.
An & quando plura ex his concurrentia sufficiant ad torturam. 480.
Quid in his Indicijs Judici considerandum. eod.

470. IMperator Carolus V. in sua Ord. Crim. art. 26. enumerat Indicia Communia, & art. 27. dicit, eorum singula non sufficere ad torturam, quandoque tamen, quando plura concurrunt, posse sufficere ad torturam, quamvis non sufficiant ad condemnationem, quia in Criminalibus plures imperfectæ probationes, quarum singulæ non faciunt semiplenam probationem, (ut facit unus testis omni exceptione major) ne quidem coniunctæ plenè probant.

Porrò, eodem art. 27. dicitur, huiusmodi Indicia esse Octo, sed interpretes aliqui, ut Carpzovius, reducunt ad septem, alij, ut Mansius, extendunt ad decem: alij alia illis similia addunt.

471. Quia verò, ut videbimus Controv. ſequente, ſunt aliqua Indicia communia quidem omnibus delictis, ſed quorum ſingula ſufficiunt ad torturam, ideo

Notanda eſt differentia inter Indicia ſingulatim inſufficientia, & ſufficientia. Illa priora dicuntur a Criminaliſtis, Veriſimilia, & Remota: poſteriora vocãtur *Indubitata: certa: graviſſima*. Inter hæc eſt duplex differentia; quas ego ſic declaro. Prima eſt, quòd priora ſint quidem plerumque connexa cum delicto, ſed tamen quandoque deprehenduntur eſſe falſa, & ideo non niſi cum aliqua formidine perſuadent, qualis formido ineſt opinionibus Philoſophorum in quæſtionibus apud ipſos controverſis: uno verbo, in quibus poteſt prudenter & facilè ſuſpendi aſſenſus, quòd ſcilicet, eſto, in Sempronio verificetur exſtare tale indicium, quòd commiſerit homicidium, nemo tamen prudenter ex eo firmum judicium & absque formidine formare debet, & concludere; *ergo commiſit homicidium*. Poſteriora verò, quæ dicuntur Certa; Indubitata; urgentiſſima: non ideo talia dicuntur, quòd faciant plenam probationem delicti, (alioquin ſufficerent ad condemnationem absque tortura) ſed quia cuivis homini prudenti propè vim inferant in intellectu ad formandum firmum judicium, & absque formidine concludendum, de commiſſo delicto, eò quòd non facilè habeatur exemplum, quòd hujusmodi indicium fefellerit. Et hinc fit, ut reſpectu inferendæ torturæ dicantur eſſe *Plena*, quia ſingula ſufficiunt: priora verò *ſemiplena*, quia non niſi cumulata ſufficiunt. Et hæc eſt in effectu ſecunda differentia, ex priore promanans, nempe quòd Indicia ſolùm veriſimilia ſeorſim ſumpta non reputentur ſufficientia ad torturam, bene tamen indubitata, ut habetur *art. 29. Ord. Carol.* His præmiſſis

472. Dicendum I. Ex moribus vitæ anteactæ illaudabilibus & indecentibus, ex quibus prudenter ſuſpicabile eſt, talem hominem fore proclivem, oblatâ occaſione, ad tale delictum perpetrandum, naſcitur indicium veriſimile, quòd tale delictum, de quo accuſatur, vel inquiritur, perpetraverit, adeoque ſemiplenè poteſt eſſe ſufficiens cum alijs ad torturam, præſertim ſi fama de eodem concurrat, quod addo, quia Imperator in art. 25. hoc complexum pro uno indicio veriſimili accipit, & non pro duobus, fortaſſe ideò, quia cum talibus moribus videtur plerumque eſſe talis fama connexa. Quænam autem ad talem famam requirantur, explicui tomo præcedente, & breviter hic repeto, nam etſi aliqui DD. nimis ſubtiliter multiplicent, quæ ad famam requirantur, ea tamen poſſunt ad duo reduci. Primum, ut jam dixi, eſt, quòd communi hominum Judicio judicetur non multùm abhorrere ab hujusmodi delicto. Secundum, quòd fama hæc ortum habuerit ab honeſtis & fide dignis perſonis, & non temerarijs ad judicandum, ſed cautis, non à levibus aut inimicis, aut temerarijs alienæ famæ roſoribus. Initium enim famæ attendendum eſt. Itaque, quamvis ſecundùm aliquos DD. quibus conſentire videtur Menoch. *lib. 1. de præſumpt. q. 89. n. 31* hæc duo ſimul ſumpta, nempe mala vita, & fama de delicto commiſſo, ſufficere videantur ad torturam, Carolinâ tamen Ordinatione attentâ non ſufficiunt, niſi alijs adminiculis firmentur.

473. Dicendum II. Indicium veriſimile eſt, delictum ab eo commiſſum eſſe, qui in ſuſpectis locis, & ad delinquendum aptis deprehenſus fuerit. v. g. deprehendo in meo cubiculo hominem ignotum mihi & peregrinum, quò clàm ingreſſus eſt, deinde adverto, in meo cubiculo rem aliquam eſſe ſubtractam, fit veriſimile illum peregrinum abſtuliſſe.

Dicendum III. Si quis in loco perpetrati criminis ante vel poſt illud tempus quo perpetratum fuit, ab aliquo viſus eſt, præbuit indicium veriſimile, quòd ipſe perpetraverit, ſi nulli alij ibi viſi ſunt, de quibus poſſet eſſe ſuſpicio. v. g. aliquis viſus eſt exire de domo, ubi reperitur cadaver hominis occiſi. vel viſus eſt ingredi illam (licèt non ſit viſus exire) ubi poſtea repertum eſt cadaver: item ſi quis ſolus viſus eſt obambulare in illo loco, vel ante illam domum, ubi poſtea repertum eſt cadaver, & non apparet alia cauſa illo tempore obambulandi: Hæc videtur eſſe mens Ordinationis Carolinæ in tertio indicio quod ibi ponitur, ut aliquo modo diſtinguatur à ſecundo, quamvis vix ab illo diſtingui poſſit, & ideo Interpretes ut plurimùm cum ſecundo indicio confundunt. Monet Inſuper ibid. Imperator, quòd, ſi ille qui ità viſus eſt, non fuit de facie cognitus, inquirendum eſſe, an ex ſtatura corporis, vel habitu, vel armis, vel equo, vel veſtigijs fortè nivi impreſſis dignoſci poſſit, eò quòd hujusmodi non niſi in talem determinatam perſonam conveniant.

474. Dicendum IV. Indicium etiam veriſimile eſt, ſi delatus ſolitus eſt ſcienter, & absque aliqua honeſta aut rationabili ac urgente cauſa, cum hominibus facinoroſis converſari. Nam ut cecinit poëta: *Noſcitur ex ſocijs, qui non cognoſcitur ex ſe.* Eſt autem intelligenda concluſio de talibus facinoroſis, qui committunt ejus generis delicta, de quo reus ſuſpectus & dela-

& delatus est, ut expresse habetur *in art. 25. cit.* Ulteriùs conclusionem limitat Farinacius *q. 52. n. 91.* dummodo conversatio sit stricta & continua; secùs, si interpolata & non stricta, quia tunc nullum facit indicium.

475. Dicendum V. Verisimile indicium in delictis proximi offensivis, est inimicitia capitalis præcedens, & ejus conditionis, quæ à testimonio dicendo excludit, & suprà explicata est. Ratio est, quia inimicitia includit odium inimici, odium autem est voluntas, quâ alteri malum quà illi malum est, volumus. Huic indicio annectit Ord. Carolina, si persona suspecta ex læsione illa aliquod commodum aut lucrum sperare poterat, v.g hæreditatem &c.

Dicendum VI. Si læsus, v.g. vulneratus in articulo mortis constitutus, ex causis expressis, constanter asseveret, & desuper moriatur, vel juramento confirmet se non ab alio quàm Titio vulneratum esse, est verisimile indicium gravans Titium. Ratio est quia in illo articulo præsumitur veritatem dicere, nec velle adeo graviter & cum propriæ salutis dispendio alium inculpare. Ideo autem non sufficit ad torturam, quia asserens est testis in propria causa.

476. Dicendum VII. Fuga quoque fugientem in verisimilem suspicionem adducit, nempe quòd fugiat sceleris commissi conscientiâ impulsus, ad securitatem ab inquisitione capiendam: nam ut in proverbio est, fuga fugientem accusat, & in suspicionem sceleris adducit. Et quamvis non desint DD. qui putent, fugam ex Judicis circumstantias ponderantis arbitrio posse aliquando ad torturam sufficere, insistendo tamen Ordinationi Carolinæ negandum est, quia refertur inter Indicia solùm verisimilia, & seorsim ad torturam insufficientia.

Dicendum VIII. Si occisus est aliquis, cũ quo Titius habuit litem de majori parte bonorum, unde se sustentare solebat, est indicium verisimile, Titium occidisse, vel odio, vel ad liberandum se litis periculo. Et hæc sunt Indicia, quæ Ordinatio Criminalis concludit intra gradum verisimilium, & seorsim non sufficientium ad torturam.

477. Ad horum similitudinem possunt & alia quædam assignari. Et inprimis tale, meo judicio, esset, si quis de crimine commisso apud alios sermones tales institueret, vel tali modo, ut ex vultu, & gestibus suspectus fieret, quòd vel ipse criminis reus, vel saltem conscius esset. Sic memini Tridenti aliquem se prodidisse, quòd ipse fratricidium commiserit. Aliud exemplum legitur apud Plutarchũ de quodam suimet proditore. Erat, inquit, apud Lacedæmonios delubrum Palladis æreum, id sacrilegi quidam spoliârant, & reperta est in templo lagena vacua. facto igitur populi concursu plerique disputabant, quid sibi vellet illa lagena. Hic quidam ex astantibus: si vultis, inquit, quid ego conjectem de lagena, arbitror, sacrilegos, cum hoc facinus adornarent, Aconitum bibisse, (*herbæ genus*) atque hoc consilio vinum detulisse secum, ut si rem perficerent, & latere contingeret, mero epoto, ac vi veneni dilutâ, discederent incolumes, sin minùs, expedito genere mortis, quod doloris sensu vacaret, effugerent quæstionis tormenta. Hæc cùm ità narraret, non quasi divinans, sed quasi rem compertam haberet, alius aliunde cœpit appellare hominem: heus tu, quis es? quis te novit in hac urbe? unde ista tam exactè scire potuisti? quid multis? deprehensus est miser, & sacrilegium confessus est.

478. Aliud indicium est variatio & inconstantia sermonis, & mendacium in respondendo ad interrogationem commissum, quod communiter non nisi verisimile indicium facit. Posset tamen variatio esse tanta, ut sola sufficeret ad torturam, prout existimat Carpzovius *q. 120 n. 71.* v.g si reus modò dicat, se tempore commissi delicti fuisse Francofurti, modò quòd commoratus sit Augustæ, & tamen ab alijs tempore commissi delicti visus esset non procul à loco commissi delicti v.g. Lipsiæ perpetrati; tutius tamen esset, abstinere à tortura, ut monet Clarus *q. 21. n. 38. in fine.*

Item, trepidatio & titubatio potest esse verisimile indicium: nam plerumque innocentes cordatè negant. quamvis hoc non rarò fallat, ob quorundam naturalem timorem, & periculorum apprehensionem. & Paris de Puteo narrat, quòd quidam Nobilis & innocens ductus ad tormenta, aspectu illorum animo consternatus ceciderit, & alvum, vesicamque solverit. Certè verecundi adolescentes sæpe in lachrymas solvuntur, quando arguuntur suspecti alicujus criminis, à quo sunt alienissimi.

479. Solent enumerari & alia; sed nimis debilia & remota, & quæ facilè purgari possunt. Hujusmodi est, si quis interrogatus & propter crimen interpellatus conticeat, & nihil respondeat. Potest enim hoc fieri ex contemptu interrogantis, si non adsint aliæ circumstantiæ, quæ hujusmodi contemptum non admittunt, ut si à Magistratu vel Superiore interrogaretur, cui respondere teneretur: unde posset facilè fieri, ut vel solum ad torturam sufficeret. Item, si quis alicui locutus est in aurem, & in continenti is, cui locutus est, crimen perpetravit, alter fit su-

ſpectus de dato mandato vel conſilio. Item ſi quis inſtrumenta ad tale delictum ſpecialiter apta, ut venenum, convincitur non pridem antè emiſſe. Denique Carpzovius aſſignat, ſi quis conſcius ſit delicti perpetrati, nec tamen illud detegit: vel ſi non impedivit, cùm impedire debuiſſet. Verùm, ſi cum his & ſimilibus non concurrant alia adminicula, reus potiùs erit abſolvendus, quàm detinendus, prout cum Jo. Zangero exiſtimat Carpzovius, & meritò, quia ex hiſtorijs conſtat, per hujuſmodi ſæpè periculoſas & falſas ſuſpiciones obortas eſſe, cum damno graviſſimo innocentum.

480. Et hæc de Indicijs, quorum ſingula ſeorſim ad torturam non ſufficiunt, plura tamen ſi ſimul concurrant, ità ut tanti ponderis ſint, ut non minùs gravent reum, quàm unum ex mox referendis, quod ſolum ſufficit, tunc ad torturam procedi poſſe ſtatuitur expreſsè in art. 27. Ord. Carol. Ratio eſt, quia ubi Jus ſcriptum non habetur, de ſimilibus ad æquipollentia procedere licet & æquum eſt. *cap. 19. de ſententia & re judicatâ.*

Deinde art. 8. monentur Judices, ut diligenter attendant, an non econtra pro perſona Rei ſtent aliæ præſumptiones innocentiæ, quibus Indicia enerventur, ut nec ſemiplenam probationem faciant, & ſi ſum, vel dubium eſt, an prævaleant, non eſt ad torturam procedendum. Et tunc ad ſummum poſſet juramentum purgationis deferri. Suprà etiam jam notavi, Jure Bavarico prohiberi inferri torturam in Nomarchijs, (Germanicè Landgericht) antequam explorationes ſive verificationes, unà cum interrogatorijs, & reſponſionibus Rei ad conſilium aulicum vel Regimen mittantur, niſi Reus in flagranti deprehenſus eſſet.

CONTROVERSIA III.

Quænam ſint Indicia Communia, Certa & propinqua, ſeu quorum Singula ſeorſim ad Torturam ſufficiant.

SUMMARIUM.

IN Ordinatione Carolina Crim. ab art. 29. recenſentur aliqua Indicia Indubitata, & propinqua, ac, ut ſolent loqui Criminaliſtæ, ipſi delicto inhærentia, ad quorum normam de alijs Judex arbitrari poterit. Exponam ordine, quæ à DD. annotantur.

Primum Indicium, ex Re in loco comiſſi delicti inventa, & priùs à delato poſſeſſa.

482. DIcendum I. Si res aliqua, v. g. gladius, bombarda, pugio, veſtis, Sempronij delati reperiatur in loco commiſſi delicti, nec poteſt Sempronius contrarijs argumentis, ſaltem uno teſte idoneo docere, ſe rem illam priùs deſijſſe poſſidere, antequam delictum erat commiſſum, vel ſe tunc temporis alibi extitiſſe, eſt indicium contra eum ſufficiens ad torturam. Ità habetur art. 29. Exemplum exſtat Genes. 38. v. 18. ubi arguitur Judas commiſiſſe inceſtum cum nuru in via ex baculo, annulo, & armilla pro arrhabone relicta.

Secundum Indicium, ex Semiplena Probatione per Teſtem.

483. DIcendum II. Si unus teſtis omni exceptione major, deponat de crimine & actu immediato & per ſenſus, indubitatè & non hæſitanter aut dubiè, ſed aſſertivè, probat ſemiplenè delictum, ut patet ex alibi dictis, & ideo hoc ſufficit ad torturam, niſi contrariâ probatione elidatur. Ità communiter DD. omnes, (excepto Bocero c. 3. n. 22.) & habetur expreſsè art. 30. Ord. Carol. Nec Bocerus curandus eſt, quia confundit probationem Delicti, cum probatione Indicij: ſemiplena probatio delicti eſt ſufficiens ad torturam, ſed ſemiplena probatio

probatio alicujus Indicij indubitati, v. g. quòd in loco delicti fuerit repertus gladius, non sufficit, nam in eodem articulo disertè dicitur, indicia debere plenè probari. Neque Jura ab ipso adducta aliud probant.

Tertium Indicium, ex nominatione Socij criminis.

484. Dicendum III. Si Reus aliquis convictus vel confessus nominet alium quòd fuerit complex & criminis socius, hoc sufficit, ut nominatus quæstioni subjiciatur, si hæc nominatio quinque conditionibus sit vestita, quæ enumerantur, & requiruntur in art. 31. Ord. Crim. & sunt sequentes.

Primò requiritur, ut à Judice de Socijs interrogatus fuerit reus, (in illis casibus in quibus Judex de socijs criminis interrogare potest, de quibus actum est suprà, & ex universali ferè Germaniæ consuetudine potest interrogare in omnibus illis delictis, in quibus verisimile est, socios & complices intervenisse) & quidem non de aliqua certa & determinata persona, ne habeat speciem suggestionis, (nisi specialiter aliqua esset suspecta & gravata, ut limitat Jus Bavaricum) sed in genere, an & quos habuerit socios, & quidem in ipsa tortura: nam cùm sit infamis, extra torturam illi nulla fides habetur, nisi ad capiendam aliquam informationem. adeoque infamia per torturam purganda est, ut suprà dictum.

485. Secundò requiritur, ut Reus accuratè interrogetur de alijs circumstantijs, ex quibus deinde Judex argumentum habere possit verisimile, quòd nominatio non sit mendax; quo nimirum modo, quo loco, quo tempore socius opem tulerit, qualis inter eos fuerit tractatus, quæ pacta intervenerint.

Tertiò requiritur, ut postquam Reus aliquem nominavit socium, Judex omni diligentiâ inquirat, an fortè inter Reum & nominatum simultas aut inimicitia intercesserit: nisi reus nominationem suam alijs justis & urgentibus rationibus stabilire posset, de quarum veritate per inquisitionem constet, tunc enim inimicitia aut simultas alia non obstaret.

Quartò requiritur, ut nominatus jam antè tali suspicione gravetur, ut non sit incredibile, eum in tali delicto fuisse socium. Cæteroquin si esset homo bonæ famæ & honestorum morum, facilè nominatio à Reo facta dilueretur.

Quintò requiritur, ne Reus in nominatione socij variet, aut vacillet, sed constanter in nominatione perseveret, etiam extra locum torturæ, imò usque ad mortem, si ei est inferenda. Rationem reddunt Criminalistæ, quia vacillans aut inconstanter affirmans, non est absimilis perjuro, & quia tunc non est major ratio, cur affirmanti potiùs quàm neganti fides habeatur.

486. Quæsitum est, an si plures Rei eundem nominarent socium criminis, sed in omnibus aliquod ex recensitis requisitis deesset, numerus illorum talem defectum suppleret? Respondetur negativè. Rationem reddunt DD. quia plures hujusmodi nominationes non multiplicant indicia, sed sunt unum, quia ejusdem rationis: ergo defectus in uno, non suppletur per alterum eodem defectu laborantem, sicut unus pauper accedens alteri pauperi, non minuit ejus paupertatem.

Quartum Indicium, ex Rei confessione extrajudiciali.

487. Dicendum IV. Confessio extrajudicialis facta seriò, hoc est, non jocosè, esto jactabundè, criminis determinati, & de quo delatus est, si per duos testes omni exceptione majores probetur, est indicium sufficiens ad torturam. Ità communis sententia, ab Ord. Carol. recepta. Ratio est, quia facit semiplenam probationem. Atqui omnis semiplena probatio est sufficiens ad torturam. ergo, &c. Requiritur tamen, ut persona, quæ confessa fuit, talis sit, ut non sit incredibile, eam hoc perpetrâsse, eò quòd vitæ integritas tanta non fuerit: alioquin revocanti confessionem, & errorem allegantí, vel asserenti, se joco, vel jactantiæ causâ dixisse, facilè crederetur.

488. Dubitatum est I. An si postea talem confessionem revocavit, cesset illa Confessio habere vim indicij sufficientis ad torturam. Affirmârunt aliqui apud Clarum, qui illos explodit; nam sic nunquam ex tali indicio esset locus torturæ, ideo enim torquetur, quia negat crimen, adeoque confessionem revocat. Verùm, hæc ratio bene quidem urget, si primùm post delationem revocet, sed non urget, si ante delationem, præsertim statim apud eosdem audientes, revocârit, tunc enim censeretur priùs mentitus fuisse, nisi ex modo revocandi potiùs colligeretur, revocationem esse mendacem, v. g. si aliquis eum terruisset, fore ut comprehendatur, &c.

489. Du-

489. Dubitatum est II. An conclusio procedat etiam de illa extrajudiciali confessione, quæ præcisè ob Judicis incompetentiam fuisset extrajudicialis. Negârunt aliqui apud Julium Clarum q. 21. n. 32. quos ille benè reijcit, quia nullo fundamento nituntur. Imò talis confessio minùs est suspecta de vana jactantia aut joco, quàm quæ facta est coram privato. Nisi tamen ille incompetens Judex per tormenta confessionem extorsisset. Unde infert Clarus, Clericos confitentes crimen coram Judice Laico, torturæ subijci à Judice competente ob illam confessionem, si legitimè probetur.

Quintum Indicium, ex Minis præcedentibus.

490. Dicendum V. Si reus per testes probetur jactâsse minas illius læsionis, quæ deinde secuta est, habentur illæ minæ pro sufficiente indicio commissi delicti, si quidem non ex longo intervallo, sed intra breve temporis spacium subsecuta est, & persona sit talis, quæ possit prudenter de crimine esse suspecta, vel quia est malæ famæ, vel quia solita est alias suas minas exequi: Ità habetur art. 32. Neque hic articulus contrariatur art. 25. & 27. nam ibi solùm de minis generalibus; non de certo determinato malo infligendo sermo erat. Prædictis limitationibus addunt aliqui DD. alias, nempe, quòd comminatio facta sit animo sedato & gravi, non in nimio iræ calore. quod ego verum puto, si constaret interim illum calorem remisisse, & delictum non esset in continenti secutum. Insuper requirunt, ut non fuerint ambiguæ, ità ut possint intelligi de vindicta juridica sumenda, quæ licita est.

Sextum Indicium, ex Transactione.

491. Hæc sunt Indicia, quæ articulis citatis enumerantur. Quibus addunt meritò DD. aliud prioribus æquivalens, nempe si Reus convincitur transegisse cum eo, à quo timebat se esse accusandum, etiam in illis casibus in quibus alibi dixi licitam esse transactionem. Adhuc enim in talem personam Judex ex officio inquirere potest, & talis transactio erit sufficiens indicium, utpote quædam extrajudicialis confessio, ad torturam, nisi reus probare possit, se ad redimendam vexationem transegisse, v. g. quia protestatus est, se per talem transactionem nolle haberi pro confesso.

CONTROVERIA IV.

De quibusdam Indiciis Specialibus delictorum, & ad Torturam sufficientibus.

SVMMARIVM.

Deprehensio cum armis aut vestibus sanguine aspersis, tempore homicidij facti, est indicium sufficiens ad torturam. 492.

Non tamen condemnari posset talis ad pœnam extraordinariam omissâ torturâ. eod.

Item sufficiens indicium dat auferens aliquid ex rebus occisi. 493.

Item rixatio cum occiso, armis hinc inde vibratis. 494.

Rixæ auctorem gravat præsumptio sufficiens, sicut hominem rixosum, jam similis delicti reum. 495.

Item fuga post commissum homicidium, & ante inquisitionem. eod.

Quis ex pluribus rixantibus præ cæteris torquendus. 496.

Quænam signa in puella suspecta de partu, faciant indicium partûs, & infanticidij, sufficiens ad torturam. 497. *& seq.*

Quid si fateatur se peperisse, sed infantem statim mortuum. 498.

Veneni emptio, tractatio, præparatio, an sufficiat ad torquendum ut suspectum de Veneficio. 499.

Quid si negans convincatur emisse aut præparâsse. 500.

Quomodo res furtiva apud aliquem suspectum reperta, sufficiens indicium sit ad torturam. 501.

Quomodo item hominum otiosorum, lautè viventium, absque modo lucrandi, vel aliter habendi sustentationem, delatio ad judicem, sufficiat ad torturam super furto aut rapina. 502.

Quinam graventur tanquam auxiliatores. 503. *& seqq.*

Quomodo præparatio materiæ ignis conceptivæ sufficiat ad torquendum super incendio. 506.

Conversatio occulta affectatè dissimulata ut sit indicium sufficiens proditionis, quænam requirantur. 507.

Item literarum commercium cum hostibus. 508.

Offerens se ad docendam Magiam, vel minitans fascinationem, eà secutâ, vel commercium habens cum convictis de magia, vel utens rebus suspectis, quo-

modo

492. Dicendum I. Si quis probetur eo tempore, quo homo occisus est, visus esse cum armis aut vestibus sanguine conspersis, reputatur indicium sufficiens ad torturam. Ità DD. communiter, & expresse Ord. Carolina art. 33. Colligitur ex dictis controv. 2. ubi pro verisimili indicio adductum est, si quis visus est obambulare circa locum commissi homicidij: atqui si insuper visus sit cum vestibus aut armis sanguinolêtis, utiq; duplo plùs ponderis habet hujusmodi indicium, & non minus, si non plùs, habet infallibilitatis, quàm assertio unius testis, quantumvis omni exceptione majoris. ergo sufficit ad torturam.

Et quamvis aliqui DD. dicant, talem posse ex tali indicio condemnari, non quidem in pœnam ordinariam, sed extraordinariam, hoc tamen meritò reijcit Carpzovius, quia cùm supersit remedium torturæ, quo veritas & confessio obtineri possit, non debet hoc medium negligi. Quare illorum sententia solùm locum habere posset in persona privilegiata, vel à qua non speraretur confessio per torturam obtinenda.

493. Dicendum II. Si quis ex personæ interemptæ rebus deprehendatur aliquid abstulisse, reputatur etiam indicium sufficiens ad torturam. Ità eod. loco. Semper autem, in hac & præcedente conclusione, subintelligendum est, nisi hæc indicia per contrarias probationes diluantur, quod quandoque facilè fieri potest, vg. Si probet reus saltem per unum testem, se gladium illum in platea reperisse, & sustulisse, neque esse suum, nec à se priùs gestatum. Sanguinem verò sibi aspersum esse, eo quòd cadaver in platea inventum attrectaverit bonâ fide, ad explorandum, an adhuc vivat, vel simili modo.

494. Dicendum III. Si homicidium in rixa commissum est, & unus ex rixantibus cum occiso altercatus est, deinde in rixa aliquo armorum genere usus est, hinc inde illud vibrando, est contra ipsum præsumptio facti homicidii, præsertim, si in armis sanguis recens appareat. Ità habetur eod. art. & quidem hoc à fortiori ex præcedente indicio deducitur, quandoquidem accedit inimicitia. Et hæc quidem indicia exempli causâ adducuntur in Carolina.

495. Addunt tamen his æquivalentia alia DD. Et imprimis monent, esse inquirendum in rixæ Auctorem, contra quem est Juris præsumptio sufficiens ad torturam; quin imò si Andreæ Gail. *lib. 2. obs. 109. n. 3.* & aliis ab eo relatis credimus, auctor rixæ posset puniri pœnâ ordinariâ homicidij, quia debet puniri pro omnibus excessibus in rixa perpetratis. Et est sanè textus ponderosus in lege *6. C. ad L. Jul. de vi publicà.* ibi. [in eum supplicium exerceri, qui vim facere tentaverit, & alterutri parti causam malorum præbuerit, & non jam relegatione aut deportatione insulæ plectatur, sed supplicium capitale excipiat.]

Idem de eo asserunt DD. qui naturâ contentiosus, malæ frugi, communiter rixas excitare solitus, aliósque ad pugnam provocare, & qui jam aliàs simile delictum commisit. Nam tunc, non obstante incertitudine pugnantium, talis quæstioni subijci potest, ut cum alijs tradit idem Gail. n. 4.

Idem asserunt de eo, qui statim post commissum homicidium, & ante inquisitionem aufugit, quia ob talem fugam de conscientia sceleris suspectus redditur, & indicium facit quæstioni sufficiens, præsertim si sit homo improbatæ vitæ. secùs esset si metu carceris post factá inquisitionẽ vel accusationem aufugisset, quo casu sola fuga nõ esset sufficiẽs, ut deinde captus torqueretur, quia nemo tenetur se periculo exponere, vexationi, & difficili probationi innocentiæ.

Quodsi omnes rixantes probarentur animo destinato ad occidendum aggressi fuisse, jam suprà *de homicidio* dictum est, omnes æquali, & ordinariâ pœnâ teneri.

496. Addunt denique DD. eum præ cæteris torqueri posse, qui præter morem aptatus, & armis præparatus venerit ad eum locum, in quo rixa postmodum facta sit, aut qui priùs aliquâ injuriâ ab occiso affectus fuit, maximè quando suâ naturâ ad rixandum proclivis fuit, quia præsumitur vindictæ spiritu occisum aggressus esse. Quod idem dicendum de eo, cujus gladius præ aliis posset vulneri illato aptari, ut optimè advertit Carpzovius n. 14. dicens à Scabinis sæpiùs ità practicatum fuisse. In his tamen omnibus nemo non videt, Judicis arbitrio plurimùm esse committendum, quo bene, & prudenter ponderet, an hæc indicia, in communi prudentum æstimatione, tantundem probabilitatis faciant de commisso delicto, quantum faceret unus testis omni exceptiore major, adeóque æquivalens semiplenæ probationi in jure expressæ, prout Criminalistæ perpetuò monent, & in dubio potiùs est à tortura abstinendum.

Indicia Infanticidij.

497. DIcendum est I. Si puella, quæ se pro virgine gessit, sed famâ laborat, quòd partum ediderit, eò quòd ejus uterus visus sit paulatim intumescere, deinde repente evanuisse seu decrevisse, ipsa autem pallidior & debilior facta fuisse, habetur indicium sufficiens ad torturam ob suspicionem infanticidij commissi, dummodo in illa puella alii mores fuerint animadversi virgine indigni, & priùs etiam per corporis inspectionē ab honestis matronis, & intelligentibus ac juratis credatur fuisse deflorata, & edidisse partum. Ità habet Ord. Carolina art. 35. Ratio est, quia reverà his concurrentibus tantum ad persuadendum ponderis inest, quantum unius testimonio in aliis delictis; nempe quia hujusmodi indicium ità adminiculatum vix unquam fallit, aut vix fallere potest.

498. Dicendum II. Si mulier, quæ de Infanticidio suspecta est, deprehendatur in mammis habere lac perfectum, & fluens, infans verò in platea, flumine, cloaca, vel alio loco reperiatur, & insuper inspectio per obstetrices suspicionem confirmet, quòd partum ediderit, (quia lac non est infallibile, ne quidem moraliter, signum fœtûs) talis negans se peperisse, potest torturæ subjici. Ità habetur art. 36.

Dicendum III. Si mulier aliqua uterum occultè gestavit, & prolem in abscondito enixa est, fateturque se peperisse, sed infantem mortuum, vel, qui statim mortuus sit, nec tamen potest hoc probare, potest sub tormentis interrogari. Ità habetur in Ord. Carolina infrà art. 131. Ratio est, quia occultando uteri gestationem, & in occulto absque obstetricibus pariendo, gravem præsumptionem facit, quòd ad consulendum pudori partum enecuerit.

Indicia Veneficij, seu homicidij veneno commissi.

499. DIcendum, si quis de veneficio suspectus & delatus. convincatur emisse venenum, illudque tractâsse, præparâsse, est sufficienter ex hoc gravatus ut torqueri possit, si aliud adminiculum accedat, ut inimicitia cum interfecto, vel spes lucri, ut hæreditatis, officij; vel dignitatis alicujus ex morte illius consequendæ. Ità art. 37. Et ratio præsumendi augetur ex eo, quòd venenorum emptio, venditio sit prohibita inscio Magistratu, prout prohibet Imperator in hoc ipso art. ubi jubet pharmacopœos, & alios qui venena vendunt vel tractant, juramento adstringi, ne cui ullum venenum, v. g. Mercurium, Opium, Antimonium, Arsenicum, Cyterinum, Auri pigmentum vel quid simile vendant, aut tradant, sine Magistratûs præscitu, permissu & indulto. ergo qui sine indulto sibi comparat venenum, nec probare potest, se ad legitimum usum adhibuisse, graviter suspectus sit, se ad necandum illum emisse, qui vel inimicus fuit, vel impedimento fuit lucri & emolumenti desiderati; nisi pro tali persona ob vitæ probitatem, aut quia potiùs singularis amicus fuit, aut artes tractavit, quibus venena sunt necessaria, stet contraria præsumptio: ubi iterum apparet, quantùm sit necessaria prudentia Judicis, ad quem spectat has circumstantias investigare. Pari modo excusantur Pharmacopœi vendentes venena personis probis, v. g. Religiosis habentibus peritiam tractandi absque nocumento, ut tradit Baiardus. q. 68. n. 131.

500. Dicendum II. Si quis venenum emit, aut præparavit, deinde de veneficio suspectus, & à Magistratu judicialiter super hoc interrogatus negavit, & mendacij convictus est, poterit ob mendaciū hoc torqueri, & iterum interrogari ad quem finem veneno usus fuerit, vel uti voluerit. Ità Ord. Carol. art. 32. Ratio est, quia per Mendacium augetur prius indicium ex emptione desumptum, quod quidem se solo non sufficeret, sed accedente tam irreverenti mendacio Magistratui facto sufficit: Quia Magistratui mentiri scelus reputatur, ob ejus auctoritatem, & aliquo modo in Judicando vices Dei gerentem.

Indicia Rapinæ, & Furti.

501. DIcendum I. Rapina præsumitur ab eo esse commissa, apud quem res illæ quæ raptæ dicuntur, inveniuntur, sufficitque ad torturam, si non docuerit, à quo rem raptam habeat, (idem dic de furtiva re) nisi esset homo bonæ vitæ, conditionis & famæ: ac proinde illud inventionis indiciū indiget adminiculo malæ famæ ac illaudabilis vitæ, in quam suspicio talis furti aut rapinæ facilè cadere potest. Ità art. 38. & art. 43, ubi agitur de Indicijs furti. Ratio conclusionis est, quia, ut in lege 5. C. *de furtis*. dicitur: [ ] civile est quod à te adversarius tuus exigit, ut rei, quam apud te fuisse fateris, exhibeas venditorem. Nam à transeunte & ignotore emisse dicere, non convenit volenti

lenti evitare alienam bono viro suspicionem.] Ratio limitationis & requisiti adminiculi est, quia de persona honesta potiùs cogitandum est, rem illam furtivam ab aliquo domestico ibi fuisse repositam, vel per fenestram injectam ad invidiam fortè causandam, vel ob aliam causam, prout (sed optimo fine) Josephus curavit abscondi poculum in sacco Beniamini.

502. Dicendum II. Si constet, furta, rapinas, aut deprædationes commissas esse, quamvis nullus certus homo ad Judicem delatus sit, inveniantur tamen homines otiosi, nullius opificij vel artis lucrosæ, nec habentes bona vel facultates, aut annuos proventus, & tamen luxoriosè & lautè viventes, in popinis frequentes, &c. isti contra se sufficiens indicium præbent, quòd ex alienis furtivè comparatis vivant, & proinde apprehendi ac quæstioni subjici possunt, ut edicant, unde habeant sumptus ad græcandum, & cauponibus satisfaciendum. Ità habetur in Ord. Car. art. 39. & ratio in promptu est, quia pecuniæ non reperiuntur in vijs aut plateis, nec habentur inter bona derelicta, ut fiant primò occupantis: ergo necesse est, quòd tales homines vel per furta aut latrocinia vel prædationes, vel ope Diabolicâ pecunias acquirant, cùm, ut supponimus, nihil laborent, nec ullum honestum medium locupletandi se docere possint. Inter hos numerat Imperator milites palantes, circumforaneos, vagos, & per pagos aut sylvas grassantes, & qui latibus incertis vagantur.

503. Dicendum III. Contra alios tanquam auxiliatores furum capitur indicium, si scienter & dolosè de rebus furtivis participaverint, aut hujusmodi facinorosos scienter hospitio exceperint, cibum potúmque subministraverint, reos ipsos, vel eorum res furto aut vi subtractas receptaverint, celaverint, vendiderint, alienaverintvé alio modo: consilium vel adjumentum præstiterint, vel illicitam communionem & societatem cum illis habuerint: & tales, nisi se possint purgare, sunt torturæ subjiciendi, & interrogandi, an fuerint conscij & participes furti aut rapinæ. Ità habetur art. 4. Ratio est, quia tanta conjunctio & familiaritas vix potest esse sine notitia delicti, & communicatione. Ratio alia. quia ex plurium D. D. opinione possunt hujusmodi Auxiliatores pari cum ipsis furibus pœnâ puniri, quia illorum auxilijs innituntur fures, qui furaturi fortè non essent, nisi essent auxiliatores.

504. Notandum etiam est, quòd Ordinatio Carolina ponat plura indicia per membra disjunctiva, adeoque singula seorsim etiam vult sufficere, prout in fine exprimitur, dum dicitur: *simul & seorsim.*

Dixi: nisi possit se purgare. fortè quia respectu consanguinitatis aut affinitatis potiùs quàm criminis recepit, & vix recusare potuit: vel quia metu adactus latrones recepit, vel quia domus illius gaudet privilegio immunitatis &c. vel quia ob probitatem vitæ est extra suspicionem positus, & præsumendus fecisse potiùs ex misericordia, quàm ad fovendum scelus. eadem subintellige in sequenti concl.

505. Dicendum IV. Si quis Fures vel Latrones ex carcere fugientes, sciens quâ de causa capti fuerint, receptaverit, vel scienter & dolosè occultaverit: vel, si homo suspectus, cui passim in materia furti vel rapinæ homines parùm fidunt, reorum partibus faveat, sine Magistratûs detinentis præscitu; vel qui cum eo qui furtum passus est, pretio vel fidejussione interveniente transigit nomine furis, legitimum præbet indicium, quòd ad crimen opem & auxilium tulerit, poteritque torqueri. Ità ibid.

Indicium Incendij.

506. IN art. 41. ponitur Indicium sufficiens ad torquendum eum, qui convincitur paulò ante exortum incendium (cujus alia origo non apparet) præparâsse materias ad ignem concipiendum expeditas, vel ignem occultum foventes, quibus incendia excitari solent, si tamen sit persona aliunde suspecta, vel tam exiguæ famæ, ut à tali delicto non censeatur abhorrere, nec possit allegare & probare alios fines illius præparationis.

Quomodo puniendus sit diffidator, qui alicui rubrum gallum in tecto ponendum minatur, dixi suprà cùm agerem de delicto Incendiariorum.

Indicia Proditionis.

507. IN art. 42. Ord. Crimin. ponitur indicium sufficiens ad torturam illi inferendam, qui de proditione suspectus & delatus est, nempe conversatio occulta affectatè dissimulata cum eo, cui putatur facta vel facienda fuisse proditio, ad quod quatuor copulativè requiruntur. Primum, ut is qui de proditione suspectus & delatus est, fuerit visus vel auditus cum illis conversatus fuisse & collocutus, quibus suam in prodendo operam locâsse suspicio est. Secundum: ut hæc conversatio fuerit occulta, more insolito, suspecto & periculoso. Tertium, ut accesserit quædam affe-

ctata diſſimulatio, ſeu ſimulatio, quaſi haberet ſimultatem vel accerſionem ab illo. Quartum, (& quod in omnibus ferè hujusmodi indicijs requiritur, ut annotavimus) ſi communiter exiſtimetur homo talis indolis & genii, à quo tale facinus non videtur alienum, cujus alia ratio non eſt petenda, quàm quia honeſtas & probitas vitæ purgat & removet ſuſpiciones talium facinorum. Ratio verò primi eſt, nam converſatio hominis tam perverſi genij cum hoſtibus, movet prudentibus aliquam vehementem ſuſpicionem colluſionis. Ratio ſecundi eſt eadem, & auget ſuſpicionem, ut patet. Ratio tertij, quia talis affectata diſſimulatio, & oppoſiti ſimulatio, eſt quædam proprietas aliquid machinantium in perniciem alterius.

508. Non minùs efficacia ſigna eſſe ſolent, quando quis cum hoſtibus habet litterarum commercium, nec tamen litteras clàm acceptas ab hoſtibus cum ſuis Superioribus comunicat, præſertim ſi litteræ ſint ignotis characteribus ſcriptæ: ſi ſecretis conventiculis conſilia habuerit cum hoſtibus: ſi hoſtes ſupervenientes aliis hoſtiliter tractatis, ipſi pepercerunt, nec hujus cauſa apparet; ſi ipſi ſoli ablata juſſerunt reſtitui, & ſimilia, quorum ſi plura concurrant cum præcedente fama, vel morum ad talia audenda propenſione, non eſt dubium, poſſe Judicem tandem prudenter adduci, ut talem torturæ ſubijciat: nam ob talia teſtatur Caſparus Manzius virum quendam in dignitate poſitum tormentis fuiſſe ſubiiciendum.

Indicia Magiæ, Sortilegij, vel Incantationis.

509. QVamvis de his ferè conſtet ex ijs, quæ tract. præced. ſub titulo *Magia*, vel *Maleficium* dicta ſunt, hic tamen breviter pro explicatione art. 44. Ord. Carol. agemus. Huic ergo inſiſtendo

Dicendum I. Si quis ſe offerat ad docendum alios Magiam & Incantationes, vel, ſi quis perniciem alteri minatus fuerit dicendo, ſe velle illum faſcinare, & evenerit deinde faſcinatio: item ſi ſuſpectus & delatus frequenter converſari ſolitus ſit cum Magis de Magia convictis: item ſi quis utatur rebus, geſtibus, verbis & actibus ſuſpectis, & de hoc crimine ſit infamatus, habetur ſufficiens indicium ad torturam.

510. Res ſuſpectæ ſolent aſſignari, ſi in alicujus diffamati vel ſuſpecti ædibus, vel conclavi, vel ciſta reperiantur venena mala, ollæ unguentis repleta, vel aliis rebus magicis, bufonibus, Hoſtiis, membris humanis, cereis imaginibus, præſertim ſi acubus ſint transfixæ, herbæ malignæ, libri magici, infans interfectus, inſtrumentum obligationis cum diabolo factæ. item ſi reperiatur in corpore ſuſpecti nota aliqua injuſta, & ille locus ſit ſenſûs expers, vel impenetrabilis, ſanguine carens.

Verba reddunt ſuſpectum de Magia, ſi ſceleratas blaſphemias, aut dæmonis invocativa ſæpiùs effutire, homines & beſtias in nomine diaboli execrari ſolitus eſt, cum dæmone ſibi reſpondente loqui viſus, aut eum certis formulis ad maleficia exercenda evocare.

Geſtibus & actionibus ſe de Magia ſuſpectum reddit, ſi in ceremoniis ad Religionem ſpectantibus vult ſingularis videri, & ſanctitatem affectet per tales corporis motus, quos facilè apparet, non ab interno & ſincero affectu procedere, ſi perpetuò ſimulet ſignum Crucis, nec tamen illud unquam perfectè formet, & inter hujuſmodi geſticulationes circumſpiciat, an ab alijs obſervetur &c. quæ tamen pleraque ſunt indicia valde remota, ne quidem ad inquiſitionem ſufficientia, ne dum ad torturam.

511. Operibus indicia præbet, qui, jam de Magia ſuſpectus, invenitur in domo aut ſtabulo alterius tempore non conſueto, nec ubi & quando deberet ibi verſari, & deinde ſequitur effectus à Magis inferri conſuetus: ſi videatur pulverem ſuper pecora ſpargere, lue inde ſecutâ. ſi infra limina videatur aliquid defodere, & inde alicujus tranſeuntis morbus ſequatur. Si nuda in publico loco, quaſi à dæmone depoſita reperiatur, vel in cella vinaria, ubi priùs ſæpiùs tumultuantes & tripudiantes auditæ ſunt. Si fæmina, quæ pro Saga habetur à multis, inter altercationem leviter alium percutiat, & inde ſtatim morbus, membrorum torpor aut diſtortio ſequatur: ſi infans poſt illius afflatum lentâ tabe conſumatur; ſi alicui, qui ſe putat incantatum, curationem polliceatur, & id magicis ſuperſtitionibus præſtare conetur: ſi paulò ante exortam tempeſtatem & grandinem ſtans in aqua, aquam à tergo in aërem projecerit, lapidem percuſſerit, ollam in campo chocleari moveat, ſi veſperi incubuerit lecto, noctu verò, foribus occluſis abeſſe videatur, deinde revertatur foribus clauſis &c. ex quibus aliqua putant non ignobiles Criminaliſtæ facere evidentiam facti, & ad condemnationem ſufficere, alii tamen ſolùm ad torturam, quod etiam Ordinationi criminali eſt conformius. Alia indicia, quæ aliis criminibus communia ſunt, & ſuperiùs enarrata non repeto. Et hæc de ſpecialibus Indiciis exempli causâ ſunt allata, ad quæ alia non minoris probabilitatis æquè Judici ſufficere poſſunt, cùm omnia & ſingula enarrare ſit impoſſibile.

CON-

CONTROVERSIA V.

Dubia quædam residua circa materiam Judiciorum expediuntur.

SVMMARIVM.

An sine sufficientibus indiciis tortus, & confessus possit condemnari, si postea sufficientia superveniant, & reus in confessione perseveret. §12.
An Judici inferiori liceat ex paritate indiciorum non expressorum cum expressis procedere. §13.
Quomodo Indicia sufficienter probentur. §14.

§12. Dubitatur I. Si quis absque sufficientibus de jure Indiciis tortus, crimen confessus fuerit, & in confessione perseveret, & postea Indicia sufficientia superveniant, possit condemnari absque novo processu. Ratio dubitandi & affirmandi est ista, quia nihil penitus interesse videtur, quòd indicia, quæ delictum commissum realiter præcesserunt, ante vel post torturam & confessionem probata fuerint. quid enim, quæso, interest ad verificandam confessionem, ipsúmque delictum; quòd ante vel post confessionem ratificatam prodeant testes omni exceptione majores, qui dicant se reum vidisse ex domo commissi homicidii cum gladio sanguinolento, vultu pallido exeuntem & fugientem, eúmque fuisse occisi inimicum? an testis post torturam est minoris fidei, quàm antè deponens? Certè ex rei natura videtur esse perinde.

Nihilominus ob communem DD. auctoritatem, & sincerum intellectum Carol. Ordinationis in art. 20. dicendum est, & negativè respondendum, talem condemnari non posse; sed de novo interrogandum, & si neget, illi permittendum, ut per subsequentem torturam Indicia purgare possit. pro quo affert Marsilius textum legis pen. *ff. de Quæst.* ubi dicitur: *Quæstionis habendæ causâ neminem esse damnandum.* h. e. ob sola Indicia probata, quæ ad torturam sufficiunt, non esse reum condemnandum. Subsumo. atqui in casu posito id fieret: nam confessio præcedens fuit injustè obtenta, nempe per torturam illegitimam; ac proinde non est illi fides ulla habenda, ut loquitur Imperator. ergo &c. Et ait Marsilius, se per istum textum à mortis pœna liberâsse diversis temporibus tres reos Bononiæ, qui nullis præcedentibus Indiciis, adhibitis tormentis interrogati fuerant perseverantes in sua confessione, etiam repertis postea Indiciis, subintelligendum tamen, quòd postea interrogati crimen negaverint, & indicia per torturam purgaverint, quod utique necessarium erat, ut absolverentur.

§13. Dubitatur II. An Judici inferiori liceat ex paritate Indiciorum, quæ reperit, cum Indiciis in Jure expressis (cùm ut diximus, nec omnia possibilia sint expressa, nec possint exprimi) ad torturam procedere. ℞. Si illi certum est, esse indicia æquipollentia, tunc hoc illi conceditur in art. 24. Ord. Carol. Quodsi tamen illi certum non est, sed aliquo modo dubium, jubetur art. 7. recurrere ad Judicem Superiorem, vel ad Jurisperitos, actis omnibus transmissis, & inde exspectato responso.

§14. Dubitatur III. Quomodò Indicia sufficienter probentur. ℞. Regulariter duobus testibus esse probanda. Ità communiter Criminalistæ, & expressè statutum est in art. 23. & 30. Ord. Carol. ubi testes omni exceptione majores requiruntur ad minimum duo.

Dixi: *Regulariter.* Nam primò excipiunt DD. quando agitur de probando delicto in genere, quod sub se diversas species continet, & actus particulares successivos, qualia sunt Hæresis, Sortilegium seu Magia, Adulterium & similia: in his criminibus ad torturam perveniri potest per testes singulares, quorum unus deponit de hoc, alius de alio, tertius iterum de alio, sed ejusdem generis crimine, vg. unus, quòd viderit suspectum de Magia defodientem aliquid sub limine, & statim aliquis transiens conciderit: alius, quòd eundem deprehenderit in aqua spargentem post tergum, & statim grando secuta sit: tertius quòd in illius domo repererit unguenta venenata, instrumentū obligationis &c. Secundò concedunt DD. unum testem sufficere non quidem ad realem torturam inferendam, sed tamen ad illius minas & terrorem. Tertiam exceptionem ponit Carpzovius, quando unus testis testatur de ipso delicto immediatè per visum, vg. quòd viderit occidentem. Sed, pace Carpzovii, hæc exceptio non est ad rem, nam iste testis facit semiplenam probationem delicti, & non deponit de Indicio, sed de Delicto, quæ sunt valde diversa.

CAPUT XI.

DE VARIIS CAUSIS POENARUM MITIGATIONEM VEL REMISSIONEM EXPOSCENTIBUS, ET DE CUMULATIONE POENARUM.

Quanquam in Superioribus pluries dictum sit, ex diversis causis ab ordinaria pœna recedi, & arbitrio Judicis mitiorem, & extraordinariam substitui: hoc tamen loco quædam hujusmodi causæ sunt diligentiùs expendendæ.

CONTROVERSIA I.

An, & quando in Judicis arbitrio sit, à pœna ordinaria per ejus mitigationem recedere.

SUMMARIUM.

An Judex inferior possit sine rationabili causa ex personæ & delicti circumstantiis desumpta pœnam ordinariam mitigare. 515. & *seq.*
An saltem ex tali causa rationabili. 517.
An Mitigationis causa exprimenda sit in sententia. 518.

515. Dicendum 1. Judex Inferior (in cujus potestate non est facere gratiam, prout possunt Principes de plenitudine potestatis, qui si nimiâ suâ clementiâ in condonandis criminibus Reipublicæ perniciosis viam multiplicandis delictis præbent, Deum Judicem habebunt) non potest sine causa rationabili ex personarum & culparum circumstantiis desumpta, à pœna legibus constituta recedere, eámque mitigare. Ità omnes DD. si rectè intelligantur. Eam tenet D.Thomas 2. 2. q.67. a.4. (quem corruptè citat Carpzovius) in C. [Respondeo, dicendum, quòd duo sunt circa Judicem consideranda, quorum unum est, quòd ipse habet judicare inter accusatorem & reum: aliud autem est, quòd ipse non fert judicii sententiam quasi ex propria, sed quasi ex publica potestate. Duplici ergo ratione impeditur Judex, ut reum à pœna absolvere possit. (*pœnæ ordinariæ mitigatio est partialis absolutio*) primò quidem ex parte accusatoris, ad cujus jus quandoque pertinet, ut reus puniatur, puta propter aliquam injuriam in ipsum commissam, cujus relaxatio non est in arbitrio alicujus judicis, quia quilibet judex tenetur jus suum reddere unicuique. Alio modo impeditur ex parte Reipublicæ, cujus potestate fungitur, ad cujus bonum pertinet, quòd malefactores puniantur. Sed tamen NB. quantùm ad hoc differt inter Inferiores Judices & supremum Judicem, scilicet Principem, cui est plenariè potestas publica commissa, Judex enim inferior non habet potestatem absolvendi reum à pœna contra leges à Superiore sibi impositas, &c. Sed Princeps, qui habet plenariam potestatem in Republica, si is qui passus est injuriam velit illam remittere, poterit reum licitè absolvere, si hoc NB. publicæ utilitati viderit non esse nocivum.]

516. Hinc redditur Ratio evidens conclusionis. Nam si sine aliqua causa intrinseca vel personæ vel delicti circumstantiis, exigente per naturam ut pœna ordinaria mitigetur, pœna mitigaretur, hæc mitigatio esset formalissimè

condonatio

condonatio, quia fieret ex clementia, vel liberalitate; & ex fine aliquo extrinseco, vg. ob amicitiam, ob intercessionem aliorum &c. atqui condonatio non est in Judicis potestate, ut ponimus: ergo &c.

Colligitur etiam ex Novella 82. c. 10. ubi dicitur, non habere licentiam Judicem minùs judicare quàm juratum est, neque videri clementiorem lege, quæ aliquid disponit.

Confirmatur ex lege fin. *C. ne Sanctum baptisma reit*, ubi statuitur Judex eâdem pœnâ plectendus, quâ fuisset reus, cujus pœnam ipse mitigavit. ibi in fine. [Quæ omnia ità custodiri decernimus, ut nulli Judicum liceat delatum ad secrimen minori, aut nulli coërcitioni mandare, nisi ipse idem pati velit, quod alijs dissimulando concesserit.] Referunt etiam Carolum I. fecisse suspendi quendam Judicem, qui reum de jure condemnandum in amputationem capitis, condemnavit tantùm in amputationem manûs. Alias etiam pœnas assignant DD. nempe quòd fiat infamis, puniatur amissione bonorum, exilio, & decem libris auri, & denique pœnâ criminis læsæ Majestatis. Sed has pœnas crediderim variari pro gravitate delicti.

517. Dicendum tamen II. Concessum est Judici, suo arbitrio mitigare vel augere pœnam ex causa residente in ipsis circumstantiis, ex parte Rei vel delicti. Ità communissima sententia habet. Probatur ex lege 11. *ff. de Pœnis*. [Perspiciendum est Judicanti, ne quid aut durius aut remissius constituatur, quàm causa deposcit.] Ergo supponit lex, posse quandoque subesse causam remissiùs puniendi, vel duriùs in casu particulari, quàm alioquin per leges generales statutum est. In quem sensum clarè loquitur Imperator in *l. 3. C. ex quibus causis infamia irrogetur*. [Etsi severior sententia dici debuit, (*nempe considerando delictum in abstracto*) tamen cùm Proconsul vir clarissimus NB. certis rationibus motus mitiorem sententiam dixerit, & ordine decurionum te biennio abstinere jusserit &c.] Omitto alios textus idem significantes.

In Ord. Crim. Carolina id pluribus in locis indicatur, nempe pœnam alicujus delicti alioquin certam ac legibus definitam, pro ratione circumstantiarum, qualitate facti & conditione personarum, immutandam ac mitigandam esse. Sic dicitur art. 160. ponderandam esse conditionem & statum Personæ in delicto furti, quamvis postea ibidem jubeat desuper esse consulendos Jurisperitos, ut nempe arbitrium Judicis per arbitrium Jurisperitorum confirmetur.

Neque Judex sic mitigando pœnam, recedit à legibus statuentibus certam pœnam. Nam leges considerant delictum aliquo modo in abstracto, & secundùm illas circumstantias, in quibus communiter committi solet: nec possunt legislatores pro omni possibili variatione circumstantiarum, ex quibus vel delictum extenuatur, vel pœna, quæ in alia persona esset minùs gravis, in tali particulari persona esset multò gravior, (sicut alapa rustico impacta est utique levior injuria, quàm impacta Nobili) assignare diversas pœnas & gradus pœnarum, ut per se clarum est.

518. Quando Judex ex causa mitigat pœnam ordinariam, debet in ipsa sententia causam mitigandi saltem sub terminis generalibus exprimere: v. g dicendo. *Justis de causis animum nostrum moventibus*. Et hoc requiritur pro securitate Judicis, ne teneatur in syndicatu, non ad valorem sententiæ, quia non est de substantia. Sed nunc ad speciales causas mitigandi sententiam ordinariam, descendamus, quæ frequentiores occurrunt.

CONTROVERSIA II.

Quomodo ratione ætatis pœna mitiganda sit.

SVMMARIVM.

Quinam tanquam infantes excusentur à pœna. 519.

An pœnâ mortis puniendi infra ætatem quatuordecim annorum. 520.

An Minorennes ratione ætatis excusentur à pœna ordinaria. 521.

519. Infantes adhuc usu rationis ad peccandum Theologicè carentes, (quales communiter reputantur usque ad septimum annum inclusivè, nisi malitia suppleat ætatem) hoc ipso non subjacere pœnis, per se manifestum est, nam ubi non est culpa, non est locus pœnæ, quæ supponit culpam: quod si castigantur à parentibus aut instructoribus, eo fine puniuntur, quo equus calcaribus, canis flagellis castigantur, ut afflictionis apprehensione faciant quod exigitur, vel intermittant, quod improbatur, absque honestatis moralis ab inhonestate discretione. His accensent DD. aliqui etiam illos qui septimum quidem annum excesserunt, sed adhuc infantiæ sunt proximi. Advertunt tamen, in hoc non esse pro regula habendam divisionem

visionem Mathematicam illorum septem annorum usque ad 14. quasi non sit puniendus, qui needum decimum cum dimidio annum excessit, sed potiùs ex defectu judicij, Judicis arbitrio, pendere, an in ordine ad pœnam juridicam infligendam videatur fuisse doli capax. Hoc supposito

520. Dicendum I. Qui necdum decimum quartum annum expleverunt, (sive mares sive fæmellæ, nam in hoc non attenditur viripotentia) regulariter non sunt puniendi pœnâ mortis, etiamsi hujusmodi delicto, veluti furto, esset imposita pœna mortis, sed miriori pœnâ, v. g. carceris, relegationis, virgarum &c. Ità statuitur in Ord. Carol. art. 164. ubi tamen advertitur, quòd si appareret, quòd malitia supplevisset ætatem, possent, adhibito Jurisperitorum consilio, etiam pœnâ mortis affici. Et supponitur in lege 14. *ff. ad S. C. Sillan.* ibi. *Trebius autem Germanus Legatus etiam de impubere sumi jussit supplicium, & tamen non sine ratione.* Ratio autem ibi assignatur, quia puer videns occidendum suum dominum siluit, nec opem advocavit.

521. Dicendum II. Minorennes à pœna ordinaria regulariter non excusantur ratione ætatis. Hæc Conclusio est quidem contra communem, quam sequitur Farinacius; verùm in Imperio conclusio obtinet, ob Carolinam Ordinationem articulo 264. quæ solùm illos fures ab Ordinaria & mortis pœna eximi vult, qui decimumquartum annum necdum excesserunt: quod multò magis ad atrociora crimina extendendum est, nam si in aliquo parcendum esset minoribus, profectò præ alijs in furto. Hinc Scabini dictaverunt pœnam ignis cuidam incendiario sedecim annorum, & cuidam venefico septendecim annorum, & pœnam gladij homicidæ quindecim annorum, & adultero septendecim annorum.

Confirmatur etiam Conclusio ex lege 37. *ff. de Minorib.* ibi. [In delictis autem minor annis 25. non meretur in integrum restitutionem, utique in atrocioribus. Nisi quatenus interdum Miseratio ætatis ad mediocrem pœnam judicem perduxerit.] Ubi imprimis particula *Utique*, idem significat, quod, *Maximè.* Et ex part: *Interdum*, colligitur, arbitrio Judicis quandoque posse minui pœnam ordinariam de Jure communi, nisi quis dicere malit, esse sermonem de Judice supremo, qui potest facere gratiam, quod videtur insinuare part. *Miseratio.* Sed hujus interpretationis Auctorem non habeo.

Textus, quos adversarij objiciunt, intelligendi sunt de ætate pupillari, & impubertatis, ut advertit Carpzovius p. 3. q. 143.

CONTROVERSIA III.

Quomodo intuitu Senectutis, vel Debilitatis pœna mitigari possit.

SUMMARIUM.

An senectus per se solam excuset à pœna ordinaria. 522.

Quomodo intelligendæ leges aliud insinuantes. eod.

Si pœna ordinaria non est ultimum supplicium, quid Judici in sene considerandum. 523.

Quibus infirmis non sit decernenda pœna corporis afflictiva. 524.

522. DIcendum I. Senectutem per se solam, nisi aliud accesserit, v. g. defectus Judicij aut semidelirium, quo quandoque senes repuerascentes ad infantiam redeunt, non excusare à pœna mortis ordinaria. Ratio est, quia nullo Jure excusantur, imò ex natura rei sunt magis punibiles, quia supponitur in illis major prudentia; & clarior cognitio gravitatis delicti; minor naturæ vehementia, & per consequens major animi deliberatio in commissione delicti, unde & delictum est in genere moris gravius.

Quando verò in legibus (jam alibi adductis) videtur contrarium dici, maximè in *l.* 5. §. 7. *ff. ad SC. Silan.* ibi. *ignoscitur etiam his, qui ætate defecti sunt.* intelligenda sunt vel de senectute ad infantiam redeunte, vel quando pœna est arbitrària, & non certa constituta. Vel denique dicendum est cum Julio Claro q. 60. in praxi contrarium observari. Certè in veneficio æquali pœnâ affectos esse senes duos cum alijs non senibus, ego ipse spectavi. Sic Scabini dictârunt pœnam laquei furi 62. annorum, & fœminæ 73. annorum, & pœnam gladij adultero 70. annorum, & alij 87. annorum, & parricidæ 60. annorum pœnam Culei.

523. Dicendum II. Si pœna ordinaria non est ultimum supplicium, sed alia corporis afflictiva, ut fustigatio, aut manûs amputatio, considerandum est Judici, an ratione senectutis & indè consequentis debilitatis, ad ferendos hujusmodi dolores imparis, sit pœna conjuncta cum vitæ periculo; quo casu non est infligenda. Ratio est, quia ob hoc periculum vitæ annexum, esset hoc ipso excessus in pœna, nam reus ultra pœnam

pœnam ordinariam conijceretur in periculum vitæ, in quod alij robuſtiores non conijciuntur. Quare in tali caſu decernenda eſt pœna mitior, quæ tamen reſpectivè ſit in ſene tam gravis, quàm in robuſto eſt pœna ordinaria: & ſic, formaliter loquendo, ſatis ad æqualitatem etiam ſenex punitur. Hujusmodi pœnam putârunt Scabini eſſe Relegationem perpetuam: nam ſeni hæc pœna non minùs gravis eſt, quàm robuſto fuſtigatio.

524. Dicendum III. Qui tantâ laborant infirmitate, ut propterea torturæ ſubijci non poſſint, (de quo ſuprà) ob periculum graviùs lædendi quàm per torturam licet, illis etiam pœna corporis afflictiva non eſt decernenda. Ratio eſt, quia militat ratio contra hujusmodi pœnam, quæ militat contra torturam, nempe periculum graviùs lædendi quàm per pœnam ordinariam intenditur.

Quia verò hæc ratio non procedit, quando pœna ordinaria eſt ultimum ſupplicium, ideò ratione infirmitatis pœna mortis non remittitur, quin potiùs acceleratur, ne mors naturalis præveniat, & delictum maneat impunitum. Non dubito tamen, poſſe intuitu infirmitatis quandoque ultimum ſupplicium in gradu acerbiore mutari in minùs aſperum, eo quòd infirmitas addat pœnæ corporali augmentum, v. g. podagrico putem poſſe remitti tractionem ad locum ſupplicij.

CONTROVERSIA IV.

Quomodo cum Furioſis & Amentibus procedendum.

SVMMARIVM.

De quibus furioſis ſit ſermo. 525.
Quomodo puniendus reus ingenij groſſi & ſimplicis. 526.
Quomodo procedendum cum delirantibus per intervalla. 527.
An affirmanti amentiam credendum, vel potiùs amentia probanda. 528.
Quid ſi conſtet fuiſſe furioſum ante tempus delicti. 529.
Quid ſi habuit ſæpè lucida intervalla. eod.
Quid dicendum de delirantibus ſolùm in certa materia. 530.

525. SErmo eſt de furioſis, quibus mens ità turbata eſt, ut non poſſint diſcernere honeſtum ab inhoneſto, & ideo careant libertate requiſitâ ad peccandum, & ſomniantibus ſunt ſimiles, quique pro aliorum ſecuritate ſolent catenis alligari, vel certo loco includi, in qualem furorem videmus quandoque homines innocentiſſimos, probatiſſimos, & ab omni gravi delicto remotiſſimos incidere.

Certum autem eſt I. Eum de quo hominum intelligentium, præſertim Medicorum, judicio conſtat, tali furore affectum fuiſſe, dum v. g. homicidium commiſit, (in hoc enim furioſi præcipuè delinquunt) non poſſe ullâ pœnâ puniri, tam parùm quàm infans, quia æquè caret uſu rationis, & incapax eſt culpæ theologicæ. quæ ad pœnas per judicem decernendas ſemper ſupponitur. Supervacaneum proinde eſt, in afferendis juribus redundare.

526. Certum eſt II. Eum qui non penitus eſt uſu rationis privatus, ſed eſt homo groſſus, & valde ſimplex, non ab omni pœna excuſari, mitiùs tamen puniendum eſſe; in quantum Judici apparet ejus animum fuiſſe doli vel latæ culpæ capacem. Rariùs autem inveniuntur, qui ex hoc capite excuſentur, cùm ſtolidi hujusmodi homines non ſint proni ad alios invadendos, nec ità ad iram proclives.

527. Certum eſt III. Aliquos delirare, & furorem pati per intervalla, ità ut quandoque ad plenum rationis uſum redeant, cujus rei luculentum exemplum habuimus his diebus dum hoc ſcribo, in quodam Studioſo ex calida febri decumbente, & denique mortuo, qui toties ad ſerenitatem mentis rediiſſe dicitur, quoties ad eum Sacerdos acceſſit, ſive ad excipiendam Confeſſionem, ſive ad præbendum ſacrum Viaticum, ſive ad extremam Unctionem conferendam, & ſemper eo recedente iterum deliràſſe. De his etiam certum eſt, quòd ſi conſtet eum deliquiſſe, v. g. hominem occidiſſe dum furore detentus fuit, non poſſe puniri ullo modo. quia ad excludendam culpam non requiritur perpetuitas amentiæ: econtra ſi conſtet eum occidiſſe, dum lucidum habuit intervallum, & rationis compos fuit, eum eſſe puniendum: (eo modo quo mox dicetur) quia præcedens, vel ſubſequens amentia non tollit malitiam commiſſam tempore ſanæ mentis, ut per ſe clarum eſt. His præmiſſis

528. Quæritur I. Si reus alleget amentiam, accuſator verò neget, cuinam incumbat probatio, ſeu meliùs, an aſſerenti amentiam, an verò aſſerenti uſum rationis incumbat onus probandi.

Dicendum I. Reo incumbit onus probandi amentiam, ſi ante commiſſum delictum

non constabat, quòd fuerit furiosus. Ratio est, quia homo adultus præsumitur habere usum rationis, nam amentia & furor tollens usum rationis, est de rarò contingentibus, & contingit ex accidenti, præter naturæ intentionem. Habetur etiam casus *in cap. fin. de success. ab intest.*

529. Dicendum II. Accusatori incumbit onus probandi, fuisse extra furorem tempore commissi delicti, si constet reum fuisse furiosum ante tempus delicti: adeóque accusator debet probare, quòd redierit ad usum rationis. Ratio est, quia furor præsumitur esse durans, & habitualis, donec per signa externa manifestum fiat, redijsse serenitatem. Sicut Theologi dicunt, eum qui aliquid voluit, habitualiter perseverare in illa voluntate, donec illam retractet, & consequenter retractationem esse probandam illi, qui priorem illam voluntatem impugnat, ut dicitur in lege 22. *ff. de probat. Eum qui voluntatem mutatam dicit, probare hoc debere.*

Sed, quidsi constet, reum quidem furiosum fuisse, & habuisse sæpè lucida intervalla, sed non constat, an tempore delicti habuerit, vel non habuerit? Respondet Jason *in l. 9. C. qui testamenta facere poss.* quòd si furiosus furorem habeat successivum, licèt aliqua intervalla existant, tamen quidquid tunc agit, in ipso actu & tempore furoris fecisse præsumitur, allegans glossam in *c. ult. verbo consortem de success. ab intestato.* & meritò, quia actus ipse delicti est furioso quàm homini sanæ mentis longè similior & convenientior.

530. Et tandem quid dicendum de illis, qui solùm in aliqua certa materia delirant, in reliquis omnibus sapiunt? vg. aliquis sibi persuasum habet, se creatum esse Cardinalem, aut Regem, vel, se adeptum esse opulentissimam hereditatem. Respondeo, inter hos esse discrimen: nam quædam hujusmodi objecta sunt in se possibilia, circa quæ prædominans melancholia potest ità phantasiam occupare, ut in reliquis habeant plenum usum rationis. Et circa hos libenter assentior Carpzovio, universim pronuntianti, hujusmodi melancholicos esse quidem à pœna ordinaria eximendos, non tamen ab omni pœna, sed arbitrio Judicis extra ordinem puniendos. Verùm, alij sunt, qui sibi firmissimè imaginantur impossibilia, & ab omni ratione nimis aliena, vg. se totos esse vitreos, se esse primam, aut secundam, aut tertiam personam ex SS. Trinitate. hujusmodi (quidquid dicat Carpzovius) ego pro privatis omni rationis usu habendos puto, nec proinde puniendos, non obstante, quòd videri possent in alijs sapere, eo quòd de alijs omnibus cohærenter, & nullâ manifestatâ stultitiâ loquantur, hoc enim provenit ex radicatis speciebus intentionalibus circa alia objecta, unde scimus, etiam Maniacos artes perfectè exercere.

CONTROVERSIA V.

An, & quousque Ebrietas ab ordinaria pœna excuset.

SVMMARIVM.

Ebrietas propriè, & theologicè talis, hoc est privans usu rationis, non minùs excusat quàm infantia. 531.

Puniendus tamen est extra ordinem ob culpam, quam in se inebriando præsumi potest commisisse, ponderatis circumstantiis. 532.

Ebrietas non plena, nec usu rationis privans, non excusat ab ordinaria pœna. 533.

An contra allegantem ebrietatem stet præsumptio, quòd non caruerit usu rationis. 534.

An possit reo deferri juramentum. 535.

Quidsi non possint haberi testes de credulitate ebrietatis. eod.

531. Certum est, & ex præcedentibus facilè deducitur, quòd ebrietas strictè sumpta, privans usu rationis, excuset à pœna delicti in ebrietate commissi, si constet, nec in hunc finem, ut tale delictum committeretur, fuisse ebrietatem procuratam, nec usum rationis ullum adfuisse delinquenti. Talis enim nihil differt ab infante & furioso, & non rarò contingit, ut quis absque ulla se inebriandi intentione inebrietur, nedum ex intentione committendi vg. homicidium aut adulterium, aut loquendi injuriosa, aut blasphema. Et in hoc conveniunt cum Theologis etiam Juristæ, tam Legistæ, quàm Canonistæ. quos refert Farinacius q. 93. & Tiraquellus *de pœnis temper. causa. 6. n. 1. & seqq.* qui etiam varios Juris textus afferunt, sed absque necessitate, cùm etiam absque illis res sit certissima.

532. Dicendum I. Quamvis ebrius ob delictum in ebrietate commissum, non possit puniri pœnâ ordinariâ, quâ dolus punitur, puniendus

dus tamen est ob delictum quod præsumitur commisisse se inebriando, & se exponendo periculo committendi deinde aliud delictum in ipsa ebrietate. Ad Judicis autem arbitrium spectat ponderare circumstantias personæ, vg. an sit aliàs solita se sponte inebriare, sciens se in ebrietate rixas solere excitare, vel potiùs, an hîc, & nunc ex respectu quodam humano ab aliis seductus, per quandã imprudentiã, culpabilẽ tamen, in ebrietatẽ lapsus sit, & ex istis metiri gravitatẽ malitiæ in procuranda, vel non devitanda ebrietate, & secundùm illam pœnam moderari.

533. Dicendum II. Si ebrietas non fuit completa, & usu rationis privans, sed solùm aliquam capiti gravedinem aut vertiginem induxit, tunc ne quidem à pœna ordinaria excusat. Ratio est, quia inter ratione præditos utique dantur gradus: nec ex eo quòd Titius sit minùs sapiens aut sagacis ingenij & intellectûs quàm Cajus, hoc ipso si ambo committant par delictũ, Cajus ordinariã, Titius solùm extra ordinẽ punietur: nam inter hos gradus, & excessus non discernunt, imò nec possunt leges discernere: ergo poterit in reo omnino nihil madido tantus adesse usus rationis, quantus est in aliquo, qui totus sobrius est: ergo sicut iste non excusatur ab ordinaria pœna, ità nec ille excusandus erit.

534. Dicendum III. Contra reum volentem prætendere pro sui defensione ebrietatem, stat præsumptio, quòd non fuerit plenè ebrius, nisi contrarium legitimè probet eo modo, quo suprà dictum est esse probandam innocentiam, aut nisi contrariã fortiori præsumptione elidat. Hac ratione puto esse intelligenda statuta Academiarum, ut non admittatur excusatio Studiosorum prætensâ ebrietate. Exstant etiam plures hujusmodi Imperiales Constitutiones, præsertim Caroli V. qui in ditionibus & provincijs suis hæreditarijs, edictis, & diplomatibus Anno 51. editis cavit, ne ebrietas in cædibus, quæ sæpè à vinolentis committuntur, excusationem mereretur, jussitque ut non leviter homicidæ ebrij punirentur, primò ob ebrietatem turpem, secundò NB. pro crimine in ebrietate commisso: & ità observari testatur Wesenbecius *ad leg. Cornel. de Sicarijs n. 24.* qui tamen addit, quandoque pœnam mitigari. Quod intelligendum puto, quando dubium esset, an fuerit plena ebrietas, & aliqua præsumptio aut probatio in contrarium.

Ratio autem conclusionis est, quia illud est præsumendum, quod plerumque fit, & quod nisi præsumeretur, aperiretur via delictis impunè committendis, & quando hujusmodi præsumptio servit, & aliquo modo necessaria est, ad absterrendos homines. atqui ità se res habet in casu nostro, plerumque enim qui post computationes rixantur, aut alios lædunt graviter, non censentur plenè ebrij, quod inde colligitur, quia post commissum delictum non sunt ità stupidi, ut non fugiant ad asyla, vel domum se conferant, & occultent; & præterea nemo annullat illorum contractus, transactiones, promissiones, sponsiones, quas sæpè faciunt ludendo in ebrietate illa: ergo supponuntur habere sufficientem usum rationis ad cognoscendas obligationes, & per consequens gravitatem delicti.

535. Dicet aliquis. Videtur asserenti plenam ebrietatem, esse deferendum juramentum, nam quæ ab animo dependent, in illis statur dicto asserentis cum juramento, ut habet glossa in §. *alia Inst. de actionib.* Rx. In criminalibus, quando contra reum est præsumptio, non fit causæ decisio per juramentum regulariter loquendo, sed plenæ probationes requiruntur.

Replicabis. Quid si non possint haberi ulli testes, qui testentur de credibilitate ipsum fuisse ebrium. Ad hoc respondet Carpzovius, tunc locum esse torturæ, ad eruendam veritatem, an fuerit reverà ebrius necne. Ratio est, quia non videtur illi auferenda probatio defensionis, & purgationis contrariæ præsumptionis. Et ità etiam Scabini apud eundem responderunt. Quod quidem non difficulter admitterem, quando præsumptio non est vehemens, quòd habuerit sufficientem usum rationis: alioquin erit in potestate Rei, se liberare à pœna ordinaria, asserendo per torturam ebrietatem, etiam cùm minimè ebrius fuerit. Neque hæc videtur esse intentio statutorum, ut asserens ebrietatem sit admittendus ad torturam, quandoquidem dicunt, asserenti non esse credendum, excusationem non esse recipiendam, esse delictum severiùs puniendum, quàm si extra ebrietatem esset factum, nempe propter ipsam ebrietatem, quod sanè non fieret, si admitteretur ad purgationem per torturam.



CONTROVERSIA VI.

An Surdus simul & Mutus excusetur à pœna ordinaria.

SVMMARIVM.

QVando constat surdum & mutum habere usum rationis ad celebrandos contractus, non excusatur. 536.

Quidsi non possit nisi nutibus crimen fateri, an testibus convincendus. ibid.

536. RAtio dubitandi est, quia plerumque tales carent usu rationis, quando scilicet à nativitate & naturâ tales sunt, non item qui superveniente vitio tales fiunt. Quin imò nec qui à nativitate tales sunt, semper usu rationis carent, ut testantur DD.

Dicendum est, quando constat talem habere usum rationis sufficientem ad celebrandos contractus, nulla est ratio cur excusetur à pœna ordinaria, si quidem per testes legitimos de delicto sit convictus; vel, si scribere scit & legere, crimen legitimo modo sit scribendo confessus.

Quodsi scribere nescit, sed solùm nutibus & gestibus solet mentem suam explicare meliore modo, talis non nisi per testes convictus potest pœnâ ordinariâ puniri. Ratio est, quia non potest edere claram, certam, categoricam, & omni ambiguitate carentem confessionem, qualis in criminalibus ad pœnam ordinariam requiritur. Nam nutus & gestus sunt valdè fallaces, & diversum sensum facilè recipiunt, & quia non audit interrogantem, nunquam Judex certus erit, an gestus & intimationes Judicis in eo sensu accipiat, quo eos Judex loco vocalis interrogationis adhibet: ergo requiritur, ut testibus convincatur, nec aliqua ratio quâ se defendere possit, appareat.

CONTROVERSIA VII.

Quando delictum ex calore Iracundiæ mitiùs puniatur.

537. NOn est sermo de casu quo quis ab iracundia ità commoveretur, ut usum rationis, vel omnem deliberationem excluderet, prout dicuntur carere libertate Motus primò primi. Hujusmodi ira difficulter poterit ab allegante probari, quandoquidem rarò fiunt gravia delicta, quibus proximus offenditur, per motum primò primum, sed cum aliqua deliberatione, nisi loquendo de injurijs verbalibus, vel de Blasphemia, quæ sæpè fit omninò indeliberatè & inconsideratè, præsertim ab habentibus consuetudinem blasphemandi. Ob quam causam Imperator Maximilianus I. Blasphemanti aliquo modo indulgendum censuit in Recessu Wormat: de Anno 1495. De reliquis ergo ex iracundia delinquentibus

538. Dicendum est, tunc solùm pœnam ordinariam in arbitrariam commutari ob iracundiam, quando læsus lædenti antecedenter fortem causam præbuit, quâ ad tantam iram commovit, ut in sui defensione modum inculpatæ tutelæ excesserit, prout jam suprà explicatum est: cæterùm, quando homo biliosus ex odio vel alia aversione seipsum ad iracundiam commovet, aut eam à natura excitatam, cùm posset, non reprimit, sed illi indulget, eamque fovet, non est cur ab ordinaria pœna excusetur, alioquin vix unquam in hujusmodi delictis ordinaria pœna locum haberet.

CONTROVERSIA. VIII.

Quomodo ob Transactionem cum parte offensa possit ordinaria pœna in mitiorem commutari.

SVMMARIVM.

AN, & qualis transactio præjudicet Judici. 539.

An factâ transactione cum parte læsa possit Judex inquisitoriè procedere. 540.

539. QUando delinquens cum accusatore transigit, jam suprà dictum est, per hoc

hoc non præjudicari Judici, quominùs ex officio poſſit contra reum procedere per Inquiſitionem, imò nec impediri alium, quominus accuſare eundem & ob idem delictum poſſit. Quodſi inſuper cum Fiſco tranſegiſſet, & compoſitionem feciſſet, non poſſet ampliùs ab alio accuſari, nec etiam contra ipſum per Inquiſitionem procedi, ut per ſe patet, manente tamen obligatione ſatisfaciendi privatis, v. g. hæredibus pro damno dato, quam Judex ſuperior non intendit tollere, imò nec poteſt, niſi bono publico exigente, & per dominium altum, quod in tali neceſſitate habet in omnia bona ſubditorum.

540. Quæſtio eſt, an, quando facta eſt tranſactio cum parte læſa, poſſit Judex per inquiſitionem procedere ad pœnam ordinariam. Negat univerſim & in ſpecie quidem in homicidio, Virgilius Pingizius apud Carpzovium, aſſerens Dominos Jenenſes aliquoties ità pronuntiâſſe ac condemnâſſe homicidas, qui pacem cum offenſo fecerant, vel in pœnam relegationis, vel in pecuniariam mulctam fiſco applicandam, aliquando etiam fuſtigationem.

Rectiùs tamen mihi videtur ſentire Carpzovius *q.* 148. *n.* 25. & ſeqq. tunc ſolùm poſſe mitiorem pœnam imponi, quando præter tranſactionem alia prægnans cauſa concurrit, loquendo de delictis gravioribus: in crimine tamen adulterij, injuriarum, & maximè in crimine furti, exiſtimat, quòd ſi dominus rei ablatæ cum fure tranſigat, vel injuriatus injuriam remittat, debeat ordinaria pœna mitigari. Carpzovio libenter aſſentior in crimine furti, nam per tranſactionem redditur læſo damnum, & ideo ſecundùm Carolinam non eſt locus pœnæ capitali, quæ tunc ſolùm infligi poteſt, quando alter damnum paſſus eſt. In adulterio non eſt mihi res adeo expedita, ubi non apparet, quomodo per tranſactionem tollatur damnum illatum, nec dubito, quin adulterium pœnâ ordinariâ puniendum eſſet, etiamſi maritus eſſet leno, & antecedenter conſentiret in adulterium cum ſua uxore. Non punitur ergo adulterium præcisè ob damnum vel injuriam merito factam, ſed quia Reſpublica per adulteria graviter læditur, neque in Jure ſtatutum eſt, ut pœna adulterij ordinaria tunc ſolùm infligatur, quando non eſt tranſactum, ſicut de furto habetur in Ordinatione Carolina. Quodſi tamen conſuetudo habeat, ut nec Adulterium aut aliæ Injuriæ puniantur pœnâ ordinariâ, niſi quando non eſt tranſactum, ea utique erit Judici obſervanda, quia eſt rationabilis: cui enim læſus ignoſcit, æquum eſt, ut etiam Judex ſaltem ex parte aliquid de pœna remittat, cùm in hunc finem ſit tranſactum, nec Reſpublica inde damnum timere debeat.

CONTROVERSIA IX.

An propter Nobilitatem aliquid de pœna ordinaria remittendum ſit.

SVMMARIVM.

Quid ex conſuetudine indulgeatur Nobilitati in pœnis corporis afflictivis. 542.
Quid in delictis pœnam ultimi ſupplicii promerentibus. 543.
Quid in delictis pœnam pecuniariam promerentibus. 544.
Quodſi delinquat Nobilis ſub colore, & prætextu Nobilitatis. 545.

541. AFfirmant non pauci, ob varios Juris textus jam alibi relatos, in quibus fit mentio diſcriminis faciendi inter perſonas Nobiles, & Viles, & AA. videri poſſunt apud Farinaciū *q.* 89 *in cauſa* 18. *à n.* 93. Econtra apud eundē non deſunt AA. qui volunt Nobiles graviùs puniendos, ſaltem ob illa delicta quæ Nobiles ſpecialiter dedecent, quia graviùs delinquunt.

Aliqui denique limitant ad pœnas corporis afflictivas, ſed necem non inferentes: & tanta denique eſt varietas opinionum, ut videantur potiùs de conſuetudine locorum, quàm de jure ſcripto loqui.

542. Dicendum videtur I. In pœnis arbitrariis, ſed corporis afflictivis, ut eſt fuſtigatio, incarceratio &c. conſuetudo habet, ut aliter Nobiles quàm humilis conditionis homines puniantur, quamvis, ut jam alibi declaravi, in æſtimatione morali, & formaliter loquendo æqualiter puniantur. vg. homo vulgaris fuſtigabitur, quæ pœna non eſt reſpectu talis perſonæ gravior, etiam cum relegatione conjuncta, quàm ſola Relegatio Nobilis, vel deturbatio de nobili officio, vel magna mulcta pecuniaria.

543. Dicendum II. Niſi aliquâ ſpeciali lege, privilegio, vel conſuetudine, expreſsè Nobiles in aliquo delicto ultimū ſuppliciū promerēte, eximātur, non minùs quàm alij ſunt pœnâ ordinariâ puniēdi. Ità ſentit etiam reipsâ Farinacius, & Carpzovius, aſſerens, quòd etiamſi Jura contrarium in genere conſtituiſſent, per conſuetudinem eſſent abrogata. Sed in rei veritate Jura non ſunt contraria, quia loquuntur in ſenſu concluſionis primæ. Nec eſt credibile, quòd Nobilitas ſit ad hunc effectum introducta, vel hoc privilegio donata, ut Nobiles magis impunè de-

linquere possint, cùm potiùs Nobilitas debeat illis esse stimulo à delictis abstinendi. & sicut qui privilegio abutitur, meretur privilegio privari, ità & qui Nobilitate abutitur, eámq; dedecore afficit, non est ut Nobilis tractandus, sed ut vulgaris, quibus se voluit per delicta assimilare.

544. Dicendum III. In criminibus quibus pœna pecuniaria decernitur, Nobiles ratione opulentiæ sunt, cæteris paribus, graviùs puniendi quàm humiliores & exiguarum fortunarum. Ratio est, quia ut pœna evadat formaliter æqualis, debet summa eò usque crescere, ut Nobilis per eam respectivè æquè affligatur, ac plebejus per minorem summam.

545. Dicendum IV. Nunquam Nobiles sunt mitiùs puniendi, quando sub colore, & prætextu Nobilitatis peccant. Neqne etiam quando in delicto sunt contumaces, & perseverantes. Sed in his consuetudo attendenda, & pleraque Judicis arbitrio committenda sunt.

CONTROVERSIA X.

An Judex inferior possit pœnam ordinariam mitigare Reo, qui sponte delictum confessus est: ubi etiam de intercessione puellæ, & artis singulari peritia.

SVMMARIVM.

Laudabiliter aget Judex recurrendo ad Principem. 546.
Triplex tempus considerabile in spontanea confessione. 546.
Refertur Opinio favens confitenti. 547.
Refertur Opinio limitans. 548.
Refertur Opinio rigida. 549.
An Judex teneatur sponte confitenti pœnam mitigare. 550.
An à Jure concedatur Judici inferiori hæc mitigandi potestas. 551.
Intellectus can. 11. ca. 12. q. 1. & legis 5. §. 7. C. ad Leg. Jul. Majest. eod.
Quid dicendum de puella se offerente ad nubendum condemnato. 552.
An reo parcendum ob insignem peritiam artis valde utilis Reipublicæ. eod.
Quinam Magistratus possint Reo gratiam facere. 553.

546. Certum est, laudabiliter actutum Judicem, si Principi hanc spontaneam Rei confessionem denunciet in eum finem, ut Princeps habeat causam rationabilem mitigandi pœnam ordinariam: nam licèt leges pœnam ordinariam constituerint non minùs pro confesso quàm pro convicto, confessus tamen, præ convicto, ob suam sinceritatem & veritatis amorem, est utique gratiâ & clementiâ dignior quàm qui pertinaciter negat donec convincatur.

In hac spontanea confessione triplex tempus considerari potest. Primum, si se ipse proprio motu reus sistat, & crimen fateatur, antequam à Judice citetur. Secundum, quando citatus est, sed necdum incarceratus. Tertium si post incarcerationem, sed antecedenter ad omnem torturæ comminationem. Qui crimen primùm confitetur postquam à Judice citatus, & ad instantiam accusatoris aut Fisci examinatus est, dicitur confessus *metu probationum*, quia probabiliter cogitare poterat, adversarium venisse probationibus instructum ad Judicium. Ità communiter DD. interpretantur. Verùm, Farinacius cum quibusdam aliis aliter interpretatur, & dicit, eum dici confessum metu probationum, qui à principio negavit, & postea dubitans de probationibus faciendis, delictum fatetur, & sic post litis contestationem. Bartolus & Baldus dicunt, non solùm eum dici sponte confessum, qui tractus ad Judicium statim interrogatus, antequam testes recipiantur, fatetur, sed etiam eum, qui post negationem statim confitetur, dummodo accusator vel Judex ex illa negatione non fuerint onerati probandi necessitate. His prænotatis

547. Prima Opinio valde communis est, quòd sponte confessus, quamvis metu probationis, possit à Judice mitiùs puniri, quamvis severiùs, quàm ille, qui non metu probationum confessus est, sed necdum citatus ipse se stitit. Falsum autem est (ut hoc obiter dicam) quod asserit Farinacius q. 81. n. 177. neminem reperiri tam stultum, qui non vocatus vadat ad confitendum delictum coram Judice. Nam exempla talium non desunt, qui conscientiæ perpetuo remorsu adacti, malunt pœnam ultimi supplicij sustinere, quàm talem internũ carnificem tolerare, & ideo se sistunt Judici, imò rogant, ut cùm ipsis quòd juris est fiat. Verùm, quia hujusmodi paucissimi sunt, ideo benè advertit idem Farinacius, quòd communis opinio sit intelligenda etiam de eo, qui metu probationum confitetur, quia etiam aliquo modo dicitur sponte, hoc est non exspectatis probationibus nec torturâ, confiteri.

548. Secunda Opinio concedit hanc mitigationem fieri posse ei, qui non metu probationum, adeoque necdum citatus, confitetur crimen, negasset tamen id fieri posse illi, qui primum

priusquam postquam citatus est; fatetur, etiam si illud nunquam negaverit.

549. Tertia Opinio omnino negat posse à Judice inferiore pœnam ordinariam mitigari, ne quidem illi qui maximè sponte crimen confessus est. Hanc tenet Clarus q. 60. asserens ità in praxi observari: quod tamen ad probandam hanc Opinionem non sufficit. Nam, quæstio non est, an Judex teneatur eam mitigare, & quòd non teneatur, benè probatur ex praxi, sed est quæstio, an id possit facere, esto non teneatur. Eandem sententiam pluribus relatis tandem approbat Farinacius n. 173. (ubi in meo exemplari est omissa particula Non.) non obstante quòd priùs posuerit hanc Regulam, *mitiùs agi cum sponte confesso, quàm cum convicto.* Quam regulam postea ipse evertit & impugnat: quod huic Auctori valde frequens est, & ideo si solùm obiter inspiciatur, facilè lectorem decipiet.

550. Dico I. Judex non tenetur sponte confitenti pœnam ordinariam mitigare, sed absque ulla injustitia potest illi pœnam ordinariam decernere. Ità non solùm habet praxis, sed etiam inde probatur, quia Jura nuspiam hoc præcipiunt, & quando constituunt pœnam ordinariam alicui delicto, nunquam faciunt discrimen inter sponte confessum, & convictum. Ergo nec Judex, qui secundùm Leges judicando fungitur officio suo, peccabit in legem, decernendo pœnam ordinariam sponte confitenti.

551. Dico II. Non invenitur ullo Jure concessa hæc potestas Judici inferiori, ut si velit, possit pœnam ordinariam mitigare, sed tenetur decernere pœnam à Jure constitutam, nisi à Principe gratia fiat. Probatur solvendo argumenta contrariæ opinionis.

Objiciunt I. Ex can. 11. qui est S. Augustini, *c. 12. q. 1.* sed nihil ad rem. S. Augustinus loquitur de Religiosis proprietarijs puniendis pro conservanda illibata paupertate, & religiosa disciplina: [Quicunque autè in tantùm progressus fuerit malum, ut occultè ab aliquo litteras, vel quodlibet munus accipiat, si hoc ultrò confiteatur, parcatur illi, & oretur pro illo. Si autem deprehenditur, atque convincitur, secundùm arbitrium Presbyteri vel Præpositi graviùs puniatur.] Si iste locus aliquid probaret, omnis omnino pœna sponte confitenti remittenda esset.

Objiciunt II. Ex lege 5. §. 7. C. *ad L. Jul. Majest.* æquè parùm ad rem. nam Imperator ibi vult omnem pœnam remitti manifestanti proditionem. Ibi. [Is verò qui usus fuerit factione, vel serò (incognitâ tamen adhuc) consiliorum arcana patefecerit, absolutione tantùm ac venia dignus habebitur.] Et meritò, quia sic alliciuntur ad manifestandas proditiones, & talis reus non præcisè manifestat suum crimen, sed prodit alios, & impedit gravissimum malum iminens: & ideo Imperatoriâ auctoritate fit illi gratia & venia.

Objiciunt III. Legem 13. *pr. ff. de Jure Fisci.* ubi nullus sermo de confitente delictum, nec de remissione pœnæ, sed potiùs de præmio. [Edicto D. Trajani, quod proposui, significatur, ut si quis, antequam causa ejus ad ærarium deferatur, professus esset, eam rem quam possidet, capere sibi non licere, ex ea partem fisco inferret, partem sibi retineret.] Vides quàm sæpè impertinentibus Juribus aliqua Sententia invalescat.

Objiciunt denique (omninm impertinentissimè) legem un. *C. de his qui se deferunt.* ubi sermo est de deferente ad Fiscum hæreditatem quam retinere non licet, & ille præmiatur, occultator verò punitur. Legatur lex ipsa, quam non refero. Et hæc sunt Jura, quæ affert pro communi Sententia Carpzovius, qui tamen deinde refert plura præjudicia Scabinorum, quæ favent nostræ Sententiæ.

Censeo itaque, theoricè loquendo longè probabilius esse, non posse Judicem inferiorem absque consensu & gratiâ Principis, vel qui in criminalibus instar Principis est, vel ab eo potestatem habet, ob quamcunque spontaneam Rei confessionem, à pœna ordinaria recedere.

552. Idem dicendum est de casu, quo puella innupta se offert ad nubendum condemnato; nam nullo scripto Jure id cautum est, ut ad hujusmodi oblationem reus sit à pœna ordinaria liberandus; quidquid sit de consuetudine Franciæ vel Hispaniæ, de qua aliqui antiquiores Scriptores testantur, quæ fortè illorum tempore fuit. In Imperio non practicatur, nisi quòd ad hujusmodi intercessionem fortè sententiæ executio differatur ad aliquot dies, donec, oblatâ Principi supplicatione, ab eodem responsum habeatur.

Idem denique dicendum, quando Reo videretur parcendum ob Artificij Reipublicæ valde utilis peritiam insignem, quo casu non est dubium, rectè facturum inferiorem Judicem, si Principi significet, & Artificis præstantiam exponat, ut consideret, an operæ pretium sit vitæ parcere, ob emolumenta ex Arte speranda.

553. Quæres, quinam Magistratus possint reo gratiam facere, & pœnam vel totam vel ex parte condonare. ℞. Posse omnes illos Magistratus, quibus Regalia, ac Jura territorialia competunt, ut sunt Principes, Comites, Civitates, alijque Status Imperij. Ità Carpzovius q. 150. n. 8. Sed hæc Quæstio propriè ad Jus Publicum spectat, quibusnam Regalia competant,

competant, ità ut in suo territorio idem possint, quod Imperator in Imperio. Sicut & illa quæstio, an expediat fieri gratiam homicidis, quam quæstionem accuratè tractat Carpzovius, apud quem videri potest, ubi etiam tractat, quas pœnas possint Inferiores Magistratus mitigare pro lubitu: quod totum pendet à locorum consuetudine. Et quamvis ipse asserat, Relegationis pœnam posse ex gratia remitti, scio tamen, à Serenissimo Electore nostro alicui Magistratui hanc potestatem aliquoties practicanti denegatam fuisse, & rescriptum, posse quidem Magistratum illum pœnam decernere, Gratiationem verò ad se spectare.

CONTROVERSIA VI.

Quomodo pœnæ ob Multiplicata Delicta aggravari aut cumulari possint.

SUMMARIUM.

Referuntur Jura sibi in speciem contraria. 554. *& seq.*

Ex pœnis ultimi supplicij diversis delictis commensuratis, acerbior eligenda. 556.

Quidsi minoris delicti pœna contineat exasperationem majoris pœnæ. eod.

Quidsi concurrant delicta, quorum singula iterata exasperationem promerentur. eod.

Quidsi delictum minus promeruit pœnam afflictivam compossibilem cum pœna majoris. 557.

Quid habeat consuetudo in puniendis pluribus delictis diversas pœnas afflictivas promerentibus. 558.

Ex consuetudine omnis pœna corporis afflictiva habet in Imperio connexam Relegationem. eod.

Quidsi minus delictum promereatur solùm pœnam non afflictivam. 559.

Quidsi concurrant plura leviora delicta, promerentia diversas pœnas compatibiles. 560.

554. Difficultatem non levem ingerunt Regulæ Juris, quæ sibi in hoc puncto videntur adversari, & in multis casibus simul observari non posse. Est in primis Regula communiter approbata, quòd plura delicta non unicâ, sed pluribus & diversis pœnis plectenda sint; *arg. legis 2. ff. de privatis delictis.* (Nunquam plura delicta concurrentia faciunt, ut ullius impunitas detur; neque enim delictum ob aliud delictum minuit pœnam. Qui igitur hominem subripuit, & occidit, quia subripuit, furti, quia occidit Aquiliâ tenetur, neque altera harum actionum alteram consumit]

555. Ex adverso est alia Regula, quòd major pœna absorbeat minorem: & sæpè absurdum esset, minorem pœnam præmittere, & postea infligere majorem, v. g. si quis duo delicta commisisset, quorum unius pœna esset fustigatio, vel relegatio, alterius decapitatio vel suspendium, absurdum esset priùs fustigari, vel relegari, & postea capite plecti. In hac difficultate aliqui, ut Farinacius, brevi se expediunt, dicendo, hoc Judicis arbitrio relinquendum, qui locorum consuetudinem observabit, vel si consuetudo non exstat, suo vel aliorum Jurisperitorum Judicio rem definiet. Sed nunquid Jurisperiti consulti iterum ad alios remittent? &, cùm non possit procedi in infinitum, quid tandem ultimò interrogati respondere possint est videndum. Itaque

556. Dicendum I. Si singula ex pluribus delictis, ab eodem reo commissis, pœnam mortis merentur, sed unum altero acerbiorem, ea quæ acerbior est & gravior, est infligenda, prætermissâ leviore, quia non sunt compassibiles ambæ, v. g. pœna gladij & suspendij.

Dicendum tamen II. Si minoris delicti pœna contineret aliquam exasperationem pœnæ principalis, quæ posset cum pœna gravioris delicti consistere, v. g. si quis ob latrocinium & incendium esset puniendus, quamvis pœna ignis absorbeat pœnam rotæ, non absorbet tamen pœnam adustionis forcipibus faciendæ, & ideo priùs quàm comburatur, adustio præcedet.

Sed, quidsi concurrant duo delicta, quorum singula seorsim sumpta, si iterentur, merentur exasperationem v. g. adustionis, non tamen, si tantùm semel. v. g Latrocinium & parricidium. Si inquam hæc concurrant, sed non nisi semel sunt commissa ab eodem, an propter concursum adhuc pœnæ graviori, nempe culeo accedet adustio? Ità pronunciârunt Scabini Saxoniæ apud Carpzovium; cujus ratio esse posset, quia delictum minus videtur æquivalenter in altero iteratum esse.

557. Dicendum III. Quando delictum minus promeruit pœnam corporis afflictivam v. g. fustigationem, & delictum majus pœnam mortis, quamvis hæ pœnæ possent cumulari, consuetudo tamen habet, ut pœna mortis absorbeat fustigationem. Ità cum Farin: & alijs asserit Carpzovius q. 132. n. 64. Dices. Cur ergo non etiam absorbetur pœna adustionis? Respondeo,

Respondent, quia aliud habet consuetudo addererem ego, quia adustio non est pœna quædam principalis, & adæquata alicujus delicti, sed accessoria.

558. Dicendum IV. Consuetudine etiam receptum est, ut ex pluribus pœnis corporis afflictivis, per diversa delicta promeritis, una solùm infligatur, vg. amputatio manûs, prætermissâ fustigatione. Verùm fustigatio non absorberet amputationem digitorum, vel auricularum, prout nuperrimè Abenspergæ observatum est, fortè quia etiam communiter abscissio aurium non est nisi pœna accessoria fustigationis. Sicut etiam non absorbetur pœna Numellarum.

Dicendum V. Ex consuetudine omnis pœna corporalis habet in Imperio connexam Relegationem perpetuam, seu indefinitam, hoc est, donec impetretur venia redeundi. Colligitur ex Ord. Carol. a. 198. Speciale tamen quid observatur in amputatione digitorum illius, qui contra datam fidem, & cautionem de non redeundo redit ante lapsum temporis definitæ relegationis, nam talis non relegatur perpetuò, sed prior temporalis relegatio repetitur cum amputatione digitorum ob reditum.

559. Dicendum VI. Quando cum delicto promerente pœnam corporis afflictivam concurrit delictum levius promerens solùm pœnam civilem, hoc est non afflictivam, ut est pœna carceris aut pecuniaria, solet solùm infligi pœna corporalis, intermissâ pœnâ civili: & absurdum esset (ut putat Carpzovius) si Judex unà cum fustigatione, vel manûs amputatione, indiceret mulctam pecuniariam. Itaque moribus receptum est, ut major absorbeat minorem, nisi omnes essent pœnæ civiles, & compossibiles. De quo tamen casu

560. Dicendum VII. Quamvis non esset aliquod inconveniens, si propter diversa leviora delicta diversæ quoque pœnæ decernerentur, & servaretur Regula, quòd diversis delictis diversæ debeantur pœnæ, quando sunt compossibiles, prout sunt carcer, Relegatio, mulcta pecuniaria, ex consuetudine tamen solet plerumque unica imponi pro omnibus criminibus, sed cum aliquo augmento, & exasperatione, nam illæ pœnæ augmentum, seu majus & minus recipiunt, adeóque Judicis arbitrio potest eousque intendi, & extendi, ut æquivaleat diversis pœnis, & sic pro tota criminum collectione satisfiat. Imò putat Carpzovius, posse pro illis diversis pœnis non afflictivis corporis quandoque substitui corporis afflictivam, vg. fustigationem, quod mihi difficile est.

Cæterùm, ut idem auctor advertit, si alicui pro uno delicto minore jam esset dictata pœna civilis, vg. pecuniaria, & antequam satisfaceret, aliud delictum gravius superveniret vg. si ob pœnam pecuniariam sibi impositam ratione injuriæ alteri factæ deinde illum suum adversarium vulneraret, hoc casu non obstat ulla consuetudo, quominus, retentâ priore pœnâ, corporis afflictiva accederet, nec illam priorem absorberet.

CAPUT XII. ET ULTIMUM.

DE CONDEMNATIONE: POENARUM EXECUTIONE: BONORUM CONFISCATIONE: SUMPTIBUS: APPELLATIONE: & BANNO.

CONTROVERSIA I.

Quomodo sententia condemnatoria concipienda, formanda & publicanda.

SUMMARIUM.

Quæ in Ordin. Carolina præscribantur observanda Judici, & Assessoribus de concipienda Sententia. 561.

Quid porrò Judici agendum post sententiam conceptam. eod.

Jure Bavarico, cùm Assessores solùm adsint ut testes, non sunt Necessariò requirendi. 562.

Quando Reo sententia ultimi supplicii sit denuntianda. 563.

Quid agendum ipso die, & horâ publici judicii exercendi. 564.

Quid agendum, si Reus non vult se disponere ad mortem. eod.

A[illegible]de hoc in Ord. Criminali Carolina. art. 92. & seqq. ubi Judici, & assessoribus præscribitur, ut post, causam plenè discussam, ac conclusionem, omnia Acta, & producta in medium proferant, diligentissimè examinent, & ponderent, sententiamque summa cum accuratione, & prudentia, prædictæ Ordinationi criminali pro facti cujusque ratione maximè conformem, & accommodatam; & maleficio condignam meditentur, & in scripturam redigant. Concordat Jus Bavaricum *tit. 6. a. 2.* ubi præcipuè jubentur confessiones Rei, & quidquid Advocatus pro Rei defensione attulit, recitari, vota à Judice colligi, ab Actuario diligenter annotari, & juxta majora concipere sententiam, atque protocollo inferi.

Postquàm sententia sic concepta, & formata est. & in scripturam redacta, Judex singulorum Assessorum vota & sententias denuò desuper requirere debet, in hunc ferè modum. Domine. N. sententiam hanc Juris esse existimas, & hoc crimen hunc in modum, & hac pœnâ puniendum ex animo credis, decernis? Ad quam interrogationem (ut habetur art. seq.) Assessores requisiti respondere possunt in hunc ferè modum. Domine Judex, ego pronuntio, jure sic fieri; & sententiam conceptam Actis, & Juri conformem calculo meo approbo. Alicubi solet, & rectè Judex in sua interrogatione revocare in memoriam iusjurandum ab Assessore præstitum, & ab Assessore sub jurejurando in memoriam revocato responderi.

562. Jure Bavarico (ut advertit Casparus Manzius) Assessores non sunt requirendi necessariò, quia hoc Jure Assessores Capitalis Judicij non tanquam Judices, sed præcisè tanquam testes adhibentur, nec sunt obligati ut suam dicant sententiam, neque Judicem in concipienda sententia juvare tenentur, nec illi modum præscribere possunt. *tit. 1. a. 9.* quodsi tamen alicubi moris est, ut Decuriones vel alij assessores vota sua dicant, Judex cum illis certo die convenire debet ad judicium capitale secretum peragendum, & quilibet illorũ priùs divinum auxiliũ ad hoc invocabit, ut cognoscere, & statuere possit quod juris est. Deinde ubi convenerunt, Confessiones Rei, & depositiones testium, & quidquid advocatus pro Rei defensione attulit, recitatur, Judex vota Assessorum exquirit. Actuarius annotat, & quod per majora conclusum est, à Judice in hoc secreto Judicio promuntiatur, & ab Actuario in Protocollo annotatur.

563. Quando

563. Quando Reus ultimo supplicio afficiendus est, & ad hoc condemnatus, sententia est reo denuntianda triduo ante illius executionem, & solennem publicationem, ut se condignè ad mortem tam quoad sua bona temporalia (nisi in casu quo hæc fisco cedunt) quàm quoad animam disponat. In quem finem solet provideri, ut à denuntiata sententia identidem habeant præsentes viros Ecclesiasticos, qui illos instruant, & consolentur. Mandat etiam expressè Imperator art. 79. ut Reo petenti SS. Eucharistiam, non denegetur, quod etiam in Jure Bavarico præcipitur tit. 6. a. 3. quod tamen non fit ipso executionis die, sed præcedente.

564. Præsente die, & horâ publici Judicij exercendi, Judice & Assessoribus in Prætorio vel Curia post pulsum campanæ vel tubæ sonum constituris, & reo per Carnificem aut lictorem adducto, mos est in quibusdam locis, ut reus publicè ab aliquo ad hoc constituto accusetur, & ab alio defendatur, (prout in Palatinatu ipse spectavi) de Jure Bavarico tamen hujusmodi parùm utilis ceremonia est abrogata. Ubi autem ea in usu est, observanda sunt, quæ in Ord. Carol. ab art. 88. usque ad 90. præscribuntur, nec huc referre vacat.

Postquam ergo in hoc ultimo, & publico consessu Assessores iterum ex ordine vota sua dixerunt, & sententiam conceptam (ac jam antè in secreto Judicio ratificatam) Actis, & Juri conformem approbârunt, Judex mandare debet, ut Actuarius altâ & intelligibili voce Sententiam in scriptis recitet, nam ità consuetudine (contrà quàm Jure scripto) receptum est, ut Sententiæ prolatio per Notarium fieri possit.

Latâ & publicatâ sententiâ ultimi supplicij, secundùm morem passim in Germania receptum frangit Judex bacillum, in testificationem, ità actum esse de vita Rei, ut de bacillo. Deinde carnifici reum commendat, & sub jurejurando jam antè præstito mandat, ut sententiam fideliter exequatur.

Quæritur, quid agendum sit, si Reus non vult se disponere ad mortem, non recipere Sacramenta, non ignoscere inimicis. R. Si spes esset brevi obtinendæ conversionis, omnino executio esset differenda: si verò appareat pertinacia, non differtur: & ità vidi in Palatinatu pertinacem furem suspendi, nolentem ignoscere complici, quantumvis veniam petenti.

CONTROVERSIA II.

Ex quibus causis Executio pœnæ sit differenda.

SUMMARIUM.

Regulariter loquendo executio sententiæ, & pœnæ non est differenda. 565.

Referuntur quinque causæ, ex quibus potest sententia differri. eod.

565. Regula est, quòd Executio pœnæ post condemnationem non sit differenda, regulariter loquendo, quia talis mora nec Reipublicæ, nec ipsi Reo expedit. Non Reipublicæ, quia fructus ex punitione, nempe aliorum terror, impeditur, & etiam sæpè reis ansa præbetur elabendi. Non Reis, quia diuturno carcere, sine spe evadendi, & supplicij imminentis apprehensione non leviter torquentur, ut non malè Poëta dixerit. *Mors(q;) minus pœnæ quàm mora mortis habet.* Variæ tamen assignantur à DD. causæ differendi quandoque executionem.

Imprimis, sicut sæpè ob periculum tumultuationis in plebe futuræ, solent Rei occultè plecti, vel executio publica acceleratur, ità & contingere solet, ut expediat eam differri, donec hujusmodi tumultus sopiatur, & plebs quiescat.

Secundò. Contingit, ut reo jam condemnato repentè innotescat novum ejusdem crimen, gravius illo, propter quod est condemnatus. quo casu differenda est executio, donec de hoc novo crimine cognoscatur, ne alioquin fortè impunitum maneat.

Tertiò. Si post condemnationem offeretur se nova innocentiæ defensio, v.g. exceptio contra testes, nam ut suprà vidimus, favore innocentiæ semper, etiam post sententiam, admittitur defensio.

Quartò. Si spes sit apprehendendi complices, in hunc finem differetur executio, ut possint cum reo jam condemnato confrontari.

Quintò. Mulier prægnans non est supplicio subijcienda donec pepererit, ut jam suprà dictum: imò & post partum non nisi elapsis sex mensibus ad supplicium trahitur, nec etiam ad fustigationem, ne noceatur proli lactandæ, si quæ lactanda est. De ægrotis etiam superiùs jam dictum est, agendo de tortura.

Ob defectum Carnificis ad hoc ex officio constituti, non est necesse executionem differri, si periculum aliquod esset in dilatione, potest enim Magistratus ad hoc cogere aliquem vilem

hominem, vel aliquem alium captivum reum, vel aliquod mancipium, vel mendicum. arg. legis *Divus ff. de bonis damnatorum.* Solutis quinque aureis, sed in his observanda provinciarum consuetudo, & vix unquam desunt Carnifices.

CONTROVERSIA III.

An, & in quibus casibus Bona Damnatorum ad mortem confiscentur.

SUMMARIUM.

Iure Digestorum damnatus ad mortem passus est maximam capitis diminutionem. 566.
Item bona fisco inferebantur. Hæc tamen abrogata sunt, excepto crimine Læsæ Majest. 567.
An Reus hodie habeat testamenti factionem. 568.
An hodie solum in Crimine læsæ Majest. confiscentur bona. 569.
Fugitivorum bona confiscantur. 570.
An confiscatis bonis Fiscus præferatur alijs creditoribus.

566. PRæmittendum est, Jure Digestorum damnatum ad mortem, servum pœnæ hoc ipso effectum esse; adeoque civitatem & libertatem amisisse, & sic maximam capitis diminutionem passum esse per ipsam condemnationem, ante executionem *l. 29. ff. de pœnis.* [Qui ultimo supplicio damnantur, statim & civitatem & libertatem perdunt. Itaque præoccupat hic casus mortem, & nonnunquam longum tempus occupat, quod accidit in personis eorum, qui ad bestias damnantur.] & alibi passim. Unde talis nec poterat ampliùs celebrare contractus, nec facere testamentum, nec ex testamento capere, nec nuptias celebrare &c.

Verùm, hæc correcta sunt & abrogata *Novel.* 22. *c.* 8. ibi. [Nos autem hoc remittimus, & nullum ab initio benè natorum ex supplicio permittimus fieri servum.

Præterea eodem Jure Digestorum Bona sic damnatorũ publicabantur, & fisco inferebantur. *l. 1. ff. de bonis damnatorum.* [Damnatione bona publicantur, cùm aut vita adimitur, aut civitas, aut servilis conditio irrogatur.]

567. Hæc tamen Confiscatio etiam sublata est *Nov.* 134. *c.* 13. (cujus verba alibi retuli) excepto crimine læsæ Majestatis. Cæterorum ergo Bona hodie non publicantur, sed hæredibus proximis ab intestato vocatis reservantur. Idque confirmatum est in Ord Carol. *art.* 218. Unde consequens est, hujusmodi condemnatos ante executionem pœnæ de bonis suis inter vivos quocunque modo, quo alij, disponere, contrahere, transigere posse, neque ampliùs vel servitute pœnæ, vel bonorum confiscatione impediri. Item, esse capaces hæreditatis ad se ab aliquo propinquo devolutæ, & bona condemnati ad hæredes ab intestato devolvi.

568. Dubium est, an habeat Testamenti factionem. Negant aliqui, adeo ut testamentum etiam ante condemnationem factum velint corruere. Fundamentum hujus sententiæ est, quia inter ea, quæ jure novo correcta sunt, hoc non legitur correctum: ergo adhuc quoad testamenti factionem obtinebit jus antiquum. Atqui Jure antiquo condemnatus non poterat facere testamentum, quia evasit servus pœnæ, & capitis diminutionem per amissionem civitatis & libertatis passus est, quos testamenti factionem non habere dictum est tomo 2. in proprio loco. ergo &c.

Confirmat hanc Sententiam Carpzovius. Nam (inquit) licèt una & altera ratio testamenti factionẽ impediens cesset, dum hodie damnatus ad mortis supplicium nec servus pœnæ fiat, nec Bona ejusdem publicentur, alia tamen ratio, quam, inquit, jam adduxi, adhuc in viridi observantia est. Sed nescio quænam sit illa alia ratia ab ipso adducta. Nam nullam aliam adduxit, quàm capitis diminutionem. ergo cùm ipsemet fateatur, per hanc non impediri testamenti factionem, nullam adduxit rationem per quam impediatur. Fortè vult dicere, quòd servitus pœnæ non sit sublata plenè, sed solùm quoad effectus suprà enumeratos, nempe, ut possit contrahere, succedere ab intestato, & ad hæredes ab intestato transmittere sua Bona. Nam illa legis antiquæ abrogatio facta est in favorem hæredum ab intestato, factio autem testamenti esset favor principaliter ipsi condemnato collatus. Quæ ratio est probabilis. Et hanc Sententiam tenent cum alijs pluribus Covarruv: de Testam. *p.* 3. *n.* 43. Berlichius *parte 3. conclus.* 8. *n.* 3. Gail. *lib. 1. de pace publ. c.* 19. *n.* 18. Eandem ego secutus sum *to.* 2. *tr.* 6. *nu.* 221. & ostendi, malè à quibusdam citari in contrarium Clarum & Wesenbecium. Et nunc eandem confirmo ex eo, quia reverà etiam quoad successionem ab intestato non est totaliter sublata servitus pœnæ, quia solùm ab intestato illis damnatis succedunt conjuncti usque ad tertium gradum, his deficientibus bona fisco adjudicantur: ergo cùm jura nova nihil dicant de facultate faciendi testamentum, nec hanc videntur voluisse concedere.

Et hæc quidem Jure scripto inspecto. Nam si Carp-

si Carpzovio credimus n. 22. q. 135. hodie ferè ubique contrarium observatur de consuetudine generali, ità, ut & hi qui sunt decapitandi, plerumque in carcere faciant Testamenta, & instituant hæredes, qui ad successionem postea admittuntur, ut testatur Julius Clarus & alij.

569. Gravius dubium est, an Confiscatio bonorum hodie in solo crimine læsæ Majestatis locum habeat. Non desunt graves AA. inter quos est etiam Decianus *lib. 9. c. 26. n. 33.* qui fortiter contendunt, esse alia crimina, in quibus hodiéque confiscatio bonorum procedit. Ut autem cognosci possit, quænam illa sint, Clarus q. 78. pr. & quidam alij hanc subministrant regulam, esse illa crimina, pro quibus leges antiquæ in specie, expressè, & principaliter hanc confiscationem statuerunt, ac proinde volunt, Jure Novellæ solùm illas confiscationes esse sublatas, quæ antiquitùs generaliter fiebant in omni delicto habente pœnam mortis & deportationis, adeoque tacitè & in consequentiam.

Dicendum tamen est, de Jure hodie in solo crimine læsæ Majestatis bona confiscari. Ità Daniel Moller, quem refert & sequitur Carpzovius. Probatur ex textu jam citato tùm Novellæ. 134. tum Auth. *bona damnatorum C. de bonis damnatorum*, ubi generaliter prohibetur confiscatio, cum expressa exceptione Criminis læsæ Majestatis. (ex quo textu refellitur subtilis distinctio relata ex Julio Claro.) illis verbis. *In Majestatis verò crimine condemnatis veteres leges servari jubemus.*

Objici posset ex art. 218. Ord. Carolinæ, ubi reprobatur consuetudo quorundam locorum; quâ confiscabantur bona ob alia delicta quàm læsæ Majestatis, vel ea quibus pœna mortis & confiscationis non est constituta. Ergò supponi videtur, esse alia crimina ob quæ confiscentur. Respondet Carpzovius, illam particulam, *Vel*, irrepsisse, & esse auferendam. quod vix credo. Aliter responderi potest, Imperatorem noluisse tollere consuetudinem locorum, in quibus ob certa crimina atrocia una cum mortis pœna confiscantur bona, sed solùm illam, quà confiscabantur bona, & ad mortem damnabantur aliqui injustè, & qui talem pœnam non sunt promeriti, & ità planè sonant verba.

570. Cum Conclusione tamen stat, quòd bona proscriptorum, qui sibi fugâ consuluerunt, confiscentur; cùm enim ob fugam non possint plecti in corpore, æquum est, ut plectantur in bonis.

Ex dictis benè deducit Carpzovius contra Petrum Heigium, (quod & alibi dixi) si filius occidat Patrem, & ideo hæreditate indignus evasit, tamen hæreditatem non ad fiscum devolvi, sed ad hæredes ab intestato, & accrescere cohæredibus, si qui fuissent cum occisore.

Quæsitum est, an, quando ob crimen læsæ Majestatis bona confiscantur, Fiscus præferatur alijs creditoribus. ℞. Negativè, ut constat ex alibi traditis. Nam Fiscus habetur loco hæredis extranei, & ideo non capit, nisi quod solutis debitis residuum est.

CONTROVERSIA IV.

Expensa in processu Criminali & executione facta, à quonam solvenda sint.

SVMMARIVM.

Reo incarcerato non habente unde solvat expensas Judiciales aliorúmque necessariorum, à quonam victus subministrandus. 571.

Tenetur Reus, ejusve hæredes, ad omnes expensas factas in ipsius defensionem, etsi inefficacem. 572.

Quid si Reus puniatur pœnâ solum civili. eod.

Quid si condemnetur ad mortem vel aliam pœnam sanguinis. 573.

Quid si Reus moriatur ante Sententiam condemnatoriam. 574.

Sumptus in processu Ordinario à quo faciendi. eod.

Quis in processu Inquisitoris faciat sumptus. eod.

571. Receptum imprimis usu est, ut Rei incarcerati non solùm expensas Judiciales præstare, (si habent) sed etiam sibimet de victu alijsque necessarijs prospicere teneantur. Quodsi reus non habeat, tunc si proprio motu Judicis incarceratus est, victus est illi subministrandus ex publico. *l. 9. C. de Episcop. audient.* ibi, *Victualem substantiam non habentibus faciant ministrari.* Si verò ad instantiam alicujus privati est incarceratus, sunt faciendæ expensæ ab eo qui petijt eum incarcerari. Hoc supposito

572. Dicendum est I. Omnes expensas facere debet Reus, (quacunque tandem pœnâ plectatur) vel hæredes illius, quæ factæ sunt ad defensionem ipsius Rei, etiamsi defensio fuerit inefficax. Colligitur ex art. 47. Ord. Criminalis, ubi jubetur Judex circa expensas Rei vel personarum conjunctarum inquirere in causas quas reus pro sui defensione allegat, nisi Reus, aut personæ conjunctæ tanti inopiâ laborarent, ut ab illis expensæ fieri non possent, tunc enim jubentur fieri ex publico.

Dicendum II. Si Reus puniatur pœnâ solùm civili, ut carcere, Relegatione, vel mulctâ pecuniariâ, omnes expensas ipse Reus facere tenetur. Ratio est, quia talis non minùs habetur pro temerario litigatore, quàm qui in causa civili succumbit, & absque probabili causa litigavit.

573. Dicendum III. Quando Reus condemnatur in pœnam mortis, aut corporalem, seu sanguinis, nec ipse nec ejus hæredes tenentur ad refundendas expensas, quæ in processu aut executione factæ sunt ad intentionem Judicis, aut Accusatoris. Hujus conclusionis plures rationes adducit Carpzovius, quarum unica est efficax, nam cæteræ nimiùm probant, & contra se habent primam Conclusionem, quam ipse Carpzovius admittit. Hujusmodi probatio est, quòd mors omnia solvat: quòd hæredes satis videantur puniri per Rei condemnationem ad mortem: quòd hoc modo reus cogeretur quasi emere pœnam sanguinis. His ergo prætermissis.

Meliùs probatur hoc modo. Si Reus esset condemnandus in has expensas, ideo esset, quia posset haberi pro temerario litigatore. atqui defendens quantùm potest sanguinem suum & vitam, non habetur pro temerario litigatore, adeo ut Jura non æstiment, quòd quis in tali causa adversarium suum corruperit. *l. 1. ff. de bonis eorum qui &c.* [In capitalibus criminibus decretum est, non nocere ei, qui adversarium corrupit: sed in his demum, quæ pœnam mortis continent. Nam ignoscendum censuerunt *Principes* ei, qui sanguinem suum qualiqualiter redemptum voluit.] Ratio ulterior est, quia pœna sanguinis non est æstimabilis pecuniâ, nec habet moralem comparationem cum suma pecuniaria, sicut habent pœnæ civiles, & ideo non habet locum ratio, quæ pro secunda conclusione allata est.

574. Dicendum IV. Si Reus moriatur ante sententiam condemnatoriam, non tenentur ad refusionem expensarum ejus hæredes, etiamsi fuisset ad pœnam solùm civilem condemnandus. Ratio est, quia fundamentum obligationis ad solutionem expensarum est ipsa condemnatio. ergo ante hanc non potest transfundere obligationem in hæredes, quam ipse necdum contraxit.

Dicendum V. Sumptus in processu Ordinario fieri debent ab accusatore, si quidem habeat in ære, secùs à Magistratu. Ità art. 12. Ord. Crim. Carol. ubi requiritur ab Accusatore cautio de satisfaciendo tum pro sumptibus, tum pro injuria, si quam fortè inferat accusato.

Dicendum VI. In processu per inquisitionem Denuntiator ad vindictam, & non ratione proprii interesse, non tenetur ad faciendos sumptus judiciales, nisi expressè se ad hoc obliget. Ratio est, quia solùm subministrat Materiam Inquisitioni ex officio faciendæ. Atqui certa Regula est, quòd quæ Magistratui incumbunt ex officio facienda, illa faciat vel suis vel fisci sumptibus. ergo &c. Verùm, in omnibus his consuetudo locorum prævalet, vel speciale Statutum.

CONTROVERSIA V.

An, & quando in Causis Criminalibus admittatur Appellatio.

SVMMARIVM.

An à Sententia definitiva possit in criminalibus appellari. 575.
An à decreto torturæ. 576.
An à sententia Carceris. eod.
Consuetudine Germaniæ non admittitur appellatio in processu Inquisitorio. 577.
Limitatio hujus consuetudinis. 578.
Admittitur in processu ordinario interveniente accusatore. 579.
Assignatur ratio differentiæ. 580.
Appellante Reo in processu ordinario ad quem spectat ejus custodia. eod.

575. Supponenda sunt & videnda, quæ de Appellatione in genere dicta sunt tomo præcedente, præsertim quòd Appellationes manifestè frivolæ etiam in Criminalibus sint rejiciendæ, & sententia executioni mandanda. Illis ergo suppositis

Dicendum I. À Sententia definitiva, spectato Jure communi, etiam in criminalibus appellare licet, & per appellationem suspendere sententiæ executionem, eámque supponere vitio attentatorum. *l. 29. C. de appellat.* [Addictos supplicio, & pro criminum immanitate damnatos, nulli per vim atque usurpationem vindicare liceat ac tenere: quibus in causa criminali, humanitatis consideratione, si tempora suffragentur, interponendæ provocationis copiam non denegamus.] & *l. 2. C. quorum appell. non recip.* ubi rejectis frivolis appellationibus subjungitur. [æquum est testibus productis, instrumentisque prolatis, aliisque argumentis præstitis, si Sententia contra eum lata sit, & ipse qui condemnatus est, aut minimè voce sua

confessus

confessus sit, aut formidine tormentorum territus contra se aliquid dixerit, provocandi licentiam ei non denegari.]

576. Dicendum II. Etiam à decreto torturæ, jure communi, licet appellare, non obstante, quòd sit sententia interlocutoria. Ratio est, quia executio illius infert damnum irreparabile. & expressè habetur in lege. 2. *C. de appellat. recip.* [ante sententiam appellari potest, si quæstionem in civili negotio habendam Judex interlocutus sit, vel in Criminali, si contra leges Judex hoc faciat.]

Dicendum III. A Carcerationis sententia licet appellare etiam post lapsum decendium. Ratio est, quia incarceratio habet tractum successivum, & infert continuum gravamen.

577. Dicendum IV. In Imperio per Germaniam consuetudine introductum est, ut in causis criminalibus, & processu Inquisitorio regulariter appellare non liceat, nec appellationi deferatur, sed eà remotâ post sententiam condemnatoriam latam statim pro Judicis arbitrio executio fiat in criminibus maximè capitalibus, quippe quorum causæ in supremo Cameræ Judicio, ne quidem per viam simplicis querelæ recipiuntur, ne criminum punitio per moram evanescat. uttradunt Gail. & alij relati à Carpzov. q. 139. n. 15.

Confirmata est hæc Consuetudo Sanctione Caroli V. & Statuum Imperij in Recess: Imper: Augustan. de Anno 1530. ibi. [Cùm ab aliquo tempore in causis Criminalibus frequenter ad nostram Imperialem Cameram appellatum, & appellatio recepta, processus institutus, & judicialiter actum sit, hoc verò antiquæ consuetudini in Sacro Imperio advertetur, sancimus & ordinamus, ut deinceps in causis criminalibus nulla appellatio recipiatur, sed inveteratæ consuetudini insistatur.] Et in Ordinatione Cameræ Imperialis *p. 2. tit. 28.* ibi. [Quando item pristinæ consuetudini contrarium foret, in criminalibus causis appellationem admitti, ordinamus ac volumus, ut porrò in criminalibus causis corporalem pœnam infligentibus, coram Imperiali nostro Judicio Cameræ nulla appellatio recipiatur, sed in hoc vetus consuetudo observetur.]

578. Additur tamen hæc limitatio. [Veruntamen si quis coram nostro Tribunali Cameræ conquereretur, in causis criminalibus, & corporalem pœnam concernentibus, ipso non vocato, nec audito, & sic nulliter, aliasque adversus naturalem rationem, & æquitatem contra ipsum procederetur, ageretur, ac pronuntiaretur, ideoque principaliter super nullitate processus interpellaret, instaretque; siquidem tunc Judex, cujus actus pars prædicto modo insimulat, nostro Judicio Cameræ sine medio est subjectus, interpellanti parti, hujus nullitatis gratiâ Citatio decernatur, ac Juris remedium impartiatur. Et si ex deductione causæ constaret, prædicto modo nulliter actum & proununtiatum fuisse, tunc quidem causa principalis ad ordinariam potestatem, ad formaliter ac legitimè in ea procedendum decernendúmque, remittatur.]

579. Dicendum V. In processu tamen Ordinario, & interveniente Accusatore, & oblato libello accusatorio, ac lite contestatâ, probationibúsque utrinque deductis, si Sententia feratur, appellatio ad Magistratum superiorem admittitur. Ità Moller, & cum eo Carpzovius.

580. Quæret aliquis I. Quænam sit ratio differentiæ, cur in processu Inquisitorio non admittatur appellatio, sicut in Ordinario. Non invenio in Auctoribus responsionem. Censeo tamen esse bonam rationem differentiæ, quòd faciliùs contingere possit, ut per malitiam Accusatoris innocens injustè condemnetur, (cujus exempla plura habentur in S. Scriptura) quàm per viam Inquisitionis, ut patet ex illis, quæ antecedenter ad Inquisitionem legitimè instituendam requiri suprà retulimus.

Pro consuetudine autem non recipiendi appellationem in processu Inquisitorio, supposito jam dato discrimine, graves rationes sunt. Nempe ut præcidatur Reis mora differendi executionem, fortè usque ad naturalem mortem, vel ut se aperiat via evadendi, vel per importunas supplicationes & intercessiones gratiam impetrandi, sicque delicta denique maneant impunita.

Quæres II. Quando Reus appellavit in Ordinario processu, ad quem spectet illius Custodia, dum lis pendet. R. Custodia pertinet ad Judicem à Quo, donec appellatio recipiatur; quia lite pendente, an appellatio sit legitimè facta, nihil est innovandum. Receptâ appellatione transmittendus est reus ad Judicem *ad Quem*, nam tunc Custodia est pars Judicij Appellationis.

APPENDIX.

De Banno, ejúsque Effectibus.

SUMARIUM.

581. VArias divinant Interpretes hujus vocis derivationes, ut videre licet apud Andr: Gail: lib. 2. de pace publ. c. 1. qui tandem existimat, derivari à Germanico vocabulo *Bann*. quòd viam publicam sive territorium significat, quòd bannitus prohibeatur uti territorio & viâ publicâ omnibus communi. Latinè idem est quod Proscriptio.

Itaque Bannum est pœna, quâ Reus ob crimen perpetratum, vel, si de eo necdum confessus aut convictus est, quia contumaciter abest, ob contumaciam in comparendo coërcetur, proscriptione ex Provincia. Comparantur Banniti illis qui olim erant Deportati, vel quibus aquâ & igni interdictum erat. Habet etiam similitudinem cum Spirituali & Ecclesiastica censura Excommunicationis, quatenus privat communione juris civilis in eo loco ex quo bannitur.

582. Duplex est Bannum. Unum Generale, sive Imperij, alterum alicujus Principis seu Statûs Imperij, vel Civitatis.

Bannum Imperiale & generale, seu Sacri Imperij Romani Proscriptio est Imperij Judicialis Censura, quâ delinquentibus, vel contumacibus aquâ & igni interdicitur, ità ut à nemine in Clientelam, fidem aut amicitiam recipi, ab omnibus verò impunè, tam in persona quàm in bonis offendi possint; & à Solo Imperatore, vel, eo absente, à Rege Romanorum irrogari potest.

583. Observat autem Carpzovius q. 140. n. 18. hodiè præter declarationem Banni ab ipso Imperatore factam extare adhuc alios tres modos banniendi. Primus fit in Camera Imperiali: Ubi si quis bannitur, perindè est acsi banniretur ab Imperatore, cùm Camera hactenus fuerit vice Præfecti Prætorio, à quo tanquam ab ipso Imperatore non licuit appellare. *l. un. ff. de Off. Praf. prator.* & ideo sic bannitus perdit in Imperio omnia Jura civilia, ubicunque locorũ.

Secundus fit à Judicio Imperiali Rotvvilano, quod tamen habet limitatam Jurisdictionem & districtum, solumque extenditur in Alsatiam, Brisgoiam, usque ad Rhenum. Unde à Rotvvilensibus bannitus si Moguntiæ v. g. vel in Hassia instituereretur hæres, vel ex forma statuti, vel ex forma juris communis, posset capere hæreditatem: quia incapacitas ejus regulatur ad Jurisdictionem Rotvvilensium, quæ sa ad illum locũ non extendit, ubi facta est institutio.

Tertius modus fit in Westphalia, cujus Imperiale Judicium etiam habet certos limites sicut de Rotvvilensi dictum est.

584. Effectus Banni Imperialis in specie sunt isti notabiles. Banniti testamentum condere non possunt, quod suam vim habeat in Imperio. 2. Successionum & hæreditatum sunt incapaces, sicuti olim deportati. 3. Ex consuetudine Imperij omnia bona tam allodialia, quàm feudalia amittunt quæ habent de præsenti. omnia verò quæ ex hæreditate bannito alioquin obvenierent in territorio banni, non fisco, sed aliis hæredibus ab intestato venientibus applicantur & accrescunt. 4. Incapaces fiunt Judiciorum, quæ etiam civilia sunt, nec non actionum, quæ in formatione sunt Juris civilis.

585. Bannum speciale, & extendens se solùm ad terminos territorij & Jurisdictionis Bannientis, ad hoc ut inducat privationem Juris communis Romani, requirit, ut proscriptus expresè declaretur hostis patriæ, ut à quovis impunè offendi queat, ac positus sit extra omnem juris communis protectionem, absque hoc illum effectum privationis non habet, ne quidem in ditione illius à quo bannum irrogatum est, nec item operatur amissionem eorum, quæ vel ex privilegijs, vel jure statutario competunt, uti nec sui naturâ ademptionem bonorum, prout alijs relatis tradit Carpzovius n. 53.

Atque hic sit finis eorũ, quæ mihi de Jure & Justitia scribenda constitui, ad majorem Omnipotentis Dei Gloriam, & utilitatem eorum, qui in materijs Juridicis Theologos legere non aspernantur.

FINIS.

REPER-

REPERTORIUM
VNIVERSALE
IN SEX TOMOS
DE
JURE PRIVATO,
ET
JUDICIIS,
A
P. CHRISTOPHORO
HAUNOLDO
SOCIETATIS JESU
CONSCRIPTOS,
AB IPSO AUCTORE CONFECTUM.
UBI

Pro expedita inquisitione, imprimis Tomus, deinde Tomi Folium, & in Folio Numerus Initialis, annotantur.



INGOLSTADII.
Apud JOANNEM PHILIPPUM ZINCK, Typographum.
Anno M. DC. LXXIV.

Abigeatus.

Tomo 1.

Abigeatûs crimen committit, qui de armento aut grege abigit aliquot capita simul, ut 10. oves, 5. porcos. vel unum ex magnis animalibus, vel equum e x stabulo. f. 118. n. 262.

Tomo 6.

Abigei, pro frequentia delicti diversimodè puniuntur, durissimè pœnâ gladij. Qui ex stabulo abigunt, pleniùs coërcentur. qui animalia circum, arbitrariè. fol. 79. n. 92. Non est Judicij publici. fol. 80. n. 95. Receptores solent relegari ad decem annos. eod.

Abortûs Procuratio.

Tomo 6.

Qui partum animatum dolo abigit, pœnâ legis Corneliæ tanquam Homicida tenetur. Imò posset puniri ut homicidium proditorium, vel ut parricidium, si à matre vel patre. fol. 80. n. 94. Tempus autem, an fœtus fuerit animatus, cùm sit dubium, illud in puniendo attendendum, quod apud Medicos omnes est indubitatum. eod.

Qui fœtum inanimatum abigit, arbitrio Judicis punitur, & posset puniri relegatione vel exilio. n. 96.

Acceptatio.

De hujus necessitate ad hoc ut pollicitatio obliget, vide *Promissio*.

De eadem vide *Lex*.

Acceptilatio.

Tomo 3.

Acceptilatio est liberatio per mutuam interrogationem, quâ utriusque contingit ab eodem nexû solutio. fol. 28. n. 165.

Hodie ad conficiendam Acceptilationem sufficit nudum pactum, neque requiritur illa scrupulosa forma à I. C. Gallo Aquilejo inventa ad quodcunque debitum solvendum, & refertur in §. 2. Inst. quib. modis oblig. toll. eod.

Illud singulariter statutum est, quòd Procurator, Tutor, Curator, & similes, non rectè alieno nomine acceptum faciant, aut rogent, nisi præcedente novatione, quâ Jus aut obligatio in novantem transfundatur. fol. eod. n. 166.

Accessio.

Tomo 1.

Est Modus acquirendi Jure gentium, quando materia minùs principalis aliena jungitur materiæ propriæ principaliori jam formatæ. v. g. si vesti jam factæ intexatur purpura aliena, toti cedit. fol. 419. n. 110.

Si bonâ fide facta est intextura, domino purpuræ competit condictio sine causa, vel actio ad exhibendum, si malâ fide, actio furti. eod.

Accrescendi Jus.

Tomo 2.

Hæredi instituto in re certa, vel quota aliquâ totius assis, si nihil de reliquo dispositum est, omnia accrescunt, perinde acsi ex asse hæres institutus esset. fol. 139. n. 608.

Si Hæres in re particulari institutus habet cohæredem universalem, nulla bona illi accrescunt, sed cohæredi tantùm, etiamsi iste tantùm in certa quota assis institutus esset, nisi iste repudiaret hæreditatem, aut sine transmissione decederet. fol. eod. n. 609.

Si plures sint instituti in re certa, & nullus cohæres universalis datus, omnia cætera illis accrescunt æqualiter, non obstante inæqualitate rerum certarum relictarum. Si verò instituti essent in quotis inæqualibus assis, cætera secundùm proportionem accrescerent. fol. eod. n. 610.

Quando ex pluribus hæredibus unus adit partem sibi relictam, alter repudiat, vel alio modo in ejus persona deficit successio, illius portio accrescit adeunti. n. 611. Possessio tamen ipsa non accresceret, sed de novo acquirenda esset. eod. Idem dicendùm est de fideicommisso ad plures spectante. eod.

In Legatis & Fideicommissis particularibus regulariter habet locum Jus accrescendi inter re conjunctos legatarios aut fideicommissarios. fol. 140. n. 612.

Accrescendi Jus cedit Substitutioni. fol. 168. n. 46.

Plura vide. *Ususfructus*.

Accusatio. Accusator. Accusatus.

Tomo 6.

Ab accusando nemo repellitur; qui suam suorumve injuriam persequitur. vel qui agit ad pœnam fisco applicandam ex delicto privato. fol. 107. n. 21.

Clericus nunquam potest accusare ad publicam vindictam, etiamsi non sit causa Sanguinis. fol. 107. n. 22. Licitè tamen accusat prosequendo suam offensam, vel Ecclesiæ suæ, si delicto non est imposita pœna sanguinis. eod.

Milites hodie ab accusando non repelluntur. nu. 23.

Laicus potest Clericum in certis criminibus accusare. eod.

Filius familias potest, etiam absque patris consensu accusare. eod.

Servus non admittitur ad accusandum nisi in criminibus exceptis. n. 24.

Minor viginti annis non admittitur nisi ad prosequendam suam & suorum injuriam. nu. 25.

Mulier in novem casibus, in quibus non prosequitur suam aut suorum injuriam, accusare potest, quos vide. n. 26.

Infamis tantùm infamiâ Facti ab accusando non repellitur. Infamis infamiâ Juris admittitur in criminibus exceptis, & prosecutione suæ suorumque injuriæ. fol. 109. n. 28.

Accusatus necdum inter reos receptus, potest accusare suum accusatorem, & quemvis alium de majore crimine. Receptus autem non nisi extraneum, vel prosequendo suam & suorum injuriam, vel ad inchoandam accusationem. Vel denique per viam exceptionis opponere crimen. fol. 209. n. 29.

Inimicus capitalis, Jure Canonico, non admittitur, Jure Civili est suspectus. fol. 210. n. 30.

Hodie rarò quæritur, an Accusator sit idoneus, quia Judex potest procedere per viam Inquisitionis. n. 31.

Qui semel ab accusando destitit, ampliùs non admittitur. n. 32.

Accusatus de uno crimine, de eodem ab alio simul accusari non potest, benè tamen de alio, & tunc de utroque simul cognoscendum. n. 33.

Concurrentibus pluribus accusare volentibus, Judicis est eligere. Nisi aliqui sint gradu proximiores illi, cujus injuriam prosequuntur. nu. 34 tunc enim illi præferuntur etiam spurij. nu. 35. & seq.

Magistratus Majores de delicto ante Magistratum commisso, non possunt tempore Magistratûs accusari. fol. 211. n. 39.

Semel ab accusatione absolutus, super eodem crimine ampliùs accusari, nisi ex gravi causa, non potest, benè tamen super nova qualitate aggravante, ante Sententiam latam, & tunc hæc accusatio præferenda. n. 40. & seqq.

Condemnatus ad pœnam incompetentem, eo quòd Judex competentem infligere non potuit, potest iterum accusari ad pœnam competentem. fol. 212. n. 43.

Relaxatus sub fidejussione de se sistendo, potest iterum ex novis indicijs molestari. n. 44.

Ad accusandum admittitur Syndicus alicujus Universitatis. fol. 213. n. 46.

Hodiernis moribus (secùs de Jure civili) in quavis causa criminali admittitur Accusatoris Procurator ad accusandum, & accusationem prosequendam. n. 48.

In causis Criminalibus Rei absentis Procurator seu defensor ad merita causæ tractanda non admittitur. fol. 214. n. 50.

Admittitur tamen ad absentiam excusandam, & ad opponendas Exceptiones declinatorias Judicij n. 51.

In PublicisJudicijs, non tendentibus ad pœnam corporis afflictivam, sed solam pecuniariam, potest admitti Procurator. n. 52.

Quando Reus est in Judicio præsens, potest assistere Procurator, non quidem ad respondendum, sed ad alios actus. n. 53. & seqq.

Non solùm Supremus Princeps, sed etiam inferior Judex potest Accusationem rescindere, & repudiare, si non sit instituta ad proprium Accusatoris interesse, & constat, ex ea plùs incommodi quàm commodi in Republica nasciturum. fol. 215. n. 57.

In libello Accusatorio regulariter exprimenda: nomen Accusatoris, Accusati, Judicis, malitium commissum, Persona circa quam, Locus, Tempus. fol. 216. n. 59. Dies etiam exprimendus, si expedit reo, & petitur. fol. 217. n. 62.

Possunt in libello poni Indicia commissi delicti, in hunc finem, ut si delictum fortè non probetur, sit locus torturæ. fol. 218. n. 66. Imò ad Indicia probanda, etsi non posita in libello, datur regressus. n. 67.

Probatâ substantiâ, etsi non probatâ qualitate assertâ, reus est puniendus ad mensuram probati. fol. 219. n. 68. Si probetur in processu qualitas, quamvis non asserta, secundùm eam est reus puniendus. nu. 69.

Accusatori, loco Inscriptionis, est cautio præstanda. n. 70. & seqq. Accusatus absolutus habet jus conveniendi ratione cautionis, semotâ appellatione. fol. 220. nu. 72. Si Accusator non est potens cavere, est custodiæ mandandus, quamdiu non probaverit. n. 75.

Reus, lite contestatâ, si renuat respondere ad interrogationes categoricè, non hoc ipso habendus est pro Convicto & Confesso, sed, in delictis gravibus potest torqueri ad obtinendam responsionem, in levibus, cogi potest sub pœna pecuniaria, vel captis pignoribus. Nec est illi concedenda dilatio ad respondendum affirmativè vel negativè. fol. 221. n. 79 & seqq. An autem prærequiratur, ut constet de corpore delicti, pendet ex arbitrio Judicis fol. 222. n. 81.

Appellare licet etiam in criminalibus à Sententia definitiva, Jure communi, sed in Imperio contrarium observatur in processu inquisitorio. fol. 334. n. 575. & seqq. ubi vide limitationem. Admittitur tamen appellatio in processu Ordinario. fol. 335. nu. 579. Custodia Rei pertinet interim ad Judicem *à quo*.

Acta Publica & Judicialia.

Tomo 5.

Acta dicuntur, quæ fiunt coram habente Jurisdictionem quà tali. Requirunt ad sui substantiam Scripturam, præsentiam etiam Notarij, & Partium. fol. 361. n. 453. Quæ ad voluntariam Jurisdictionem spectant, sunt Acta non Judiciaria, ad quorum substantiam Scriptura non requiritur. n. 454. vocantur etiam Monumenta.

Per Acta Judiciaria probatur rem ità gestam esse, etiam in alio Judicio, & respectu quorumcunque. fol. 362. n. 455. ubi exemplum. n. 456.

Acta Ordinaria Judicij facta in uno Judicio, durante eâdem instantiâ faciunt fidem etiam coram Judice subrogato in locum prioris Judicis. n. 458.

Instantiâ per Sententiam definitivam finitâ, Acta Ordinaria effectum suum retinent inter eosdem, etiam in Instantia appellationis, vel revisionis, vel tetractationis. n. 459.

Pereunte Instantiâ Acta ordinaria respicientia ipsam litem & merita causæ, quoad effectum de futuro per-

turo peteunt per instantiæ lapsum. n. 460. Non peteunt tamen quoad effectus respicientes ipsam causam vel litem. nu. 461. Desinir etiam res esse litigiosa. n. 462. adeoque & alienari & præscribi potest. eod.

Acta Probatoria ad hoc ut in alio Judicio probent, non est necesse, fuisse publicata, v.g. partibus esse communicatas attestationes, sed satis est, fuisse in debita forma conscripta & excepta. fol. 363. n. 464.

Acta probatoria faciunt fidem durante adhuc eâdem instantiâ inter easdem personas, etiam coram Judice subrogato: n. 467. Imò inter easdem personas in alia instantia, quando prima perempta est, sive lapsu temporis, sive per absolutionem ab observatione Judicij. n. 468.

Quando Acta probatoria non sunt confirmata per subsecutionem Sententiæ, sed aliter est finita instantia, tunc quoad alias personas diversas (nisi essent successores repræsentantes litigatorem defunctum) non habent vim probandi. fol. 364. n. 471.

Acta Probatoria recepta in uno Judicio, in alio Judicio nullam faciunt fidem si causa sit diversa, & personæ litigantes diversæ. nu. 472. & seqq. ubi vide limitationem seu declarationem. Nempe nisi alius litigaret me consentiente, &, cùm possem, non impediente, cùm Jus ad me spectaret, item nisi Jus unius penderet à Jure illius qui litigavit & succubuit, quo sublato perit Jus posterioris. fol. 367. o. 475. ubi exemplum.

Sententia lata super Exceptione dilatoria contra excipientem probat inter easdem personas, & præjudicat etiam in causa principali in eo in quo opposita est exceptio. fol. 365. n. 476. ubi declaratur in exemplo.

Sententia Interlocutoria in Judicio Ordinario lata pro excipiente exceptione impediente litis ingressum, semper præjudicat agenti. Secùs si in Summario lata esset, & postea in Ordinario causa ventilaretur. n. 477.

Sententia lata super exceptione peremptoria vel incidenti, quæ opponitur meritis ipsius causæ, semper facit fidem inter easdem personas in eodem Judicio, si quidem probatâ exceptione absolvatur Reus, & factâ pronuntiatione super meritis causæ principalis, hoc ipso censetur pronuntiatum super quæstione incidenti. fol. 365. nu. 478. ubi exemplum.

Sententia definitiva lata in Ordinario Judicio vel ex confessione partis, præjudicat ijsdem personis litigantibus generaliter etiam in casu appellationis, si fatalia absque retractatione Sententiæ lapsa fuerint, & etiam in diverso foro. fol. 366. n. 479.

Si Jus aliarum personarum venit in consequentiam, Sententia præjudicat in consequentiam etiam alijs. n. 480.

Non sunt de Actis illa documenta, quæ quis producit quidem in Judicio, sed non facit illa Registrari in Actis de verbo ad verbum. Hoc casu sola productio est de Actis, & non Instrumentum ejusque tenor. fol. 485. n. 1142. adhuc tamen, petente adversario edenda essent. eod.

De Editione Actorum facienda, vide: *Editio*.

Actio. Actor.

Tomo 1.

Actionum Realium nomina sunt. Rei Vindicatio: Confessoria. Negatoria. Publiciana. Rescissoria. Pauliana. Serviana. Quasi Serviana. & suis locis explicantur. fol. 79. n. 64.

Dantur Actiones Mixtæ, quæ partim sunt in Rem, partim in personam: & sunt quatuor Finium Regundorum. Familiæ erciscundæ. Communi dividundo. Ad exhibendum. f. 79. n. 67. sed suis locis explicantur. & 10. 5. fol. 112. n. 134.

Actiones quo tempore præscribantur, vide. *Præscriptio Servitutum. Actionum & obligationum.*

Tomo 5.

Actio definitur Jus, quod sibi debetur, in Judicio prosequendi. fol. 109. n. 116.

Dividitur Actio in Realem & Personalem: hæc datur etiam adversùs hæredes, non illa. fol. 111. à n. 123. ubi declarantur.

In libello Actionis Realis, non est necesse exprimi causam remotam. fol. 112. n. 130. Benè tamen in Actione personali. n. 132.

Actiones Reales in Jure vocantur simpliciter Actiones & Vindicationes, Personales verò Condictiones. fol. 113. n. 139.

Tam Reales quàm Personales Actiones aliæ sunt Civiles, aliæ Prætoriæ. fol. 114. n. 140. Civiles sunt perpetuæ. Prætoriæ plerumque annuæ, nu. 141. Ad Civiles pertinent Actiones de novo introductæ Statutis Municipalibus. fol. 115. n. 142.

Actionum Pœnalium tres species referuntur. *Albi corrupti*. De in Jus vocando patre vel patrono veniâ non petitâ. De Exempto qui in Jus vocatus est. fol. 124. & seqq.

Actionum aliæ sunt bonæ fidei, aliæ stricti Juris. Quæ bonæ fidei sunt, referuntur fol. 127. n. 221. Cæteræ sunt stricti Juris. eod. ubi etiam traditur generalis regula eas discernendi. n. 221. & fol. 128. à n. 224. referuntur exempla, quomodo Judex supplet ea, quæ ex æquo & bono præstanda veniunt. & in seqq. variæ differentiæ inter utrumque genus.

Differentia inter Actiones bonæ fidei & stricti Juris, non est sublata Jure Canonico. fol. 129. nu. 235. Singulæ Actiones bonæ fidei vide explicatas in illis Contractibus ex quibus descendunt. Formulas autem vide hic fol. 129. & seqq.

Actio Arbitraria solet definiri: Cui officium Judicis mercenarium deservit propter aliquod extrinsecùs accidens, contra Naturam Actionis intentatæ. Vel, est Actio stricti Juris, in qua exerceatur Judicis officium mercenarium, Actioni deserviens propter accidens quoddam extrinsecum præter naturam Actionis præpositæ. fol. 133. nu. 263. Meliùs: est Actio quæ à Judicis arbitrio pendet, ità ut, si huic satisfiat, absolutio, sin minùs

gravior sequatur condemnatio. fol. 134. nu. 264.

Constituit tertiam speciem inter bonæ fidei & stricti Juris. n. 266. ubi exemplum. & n. 268. refertur in specie.

Actiones cumulati quandoque etiam tunc possunt, quando ad eandem rem, sed ex diversa causa tendunt. fol. 137. n. 278.

Quandocunque Actiones ità se habent ad invicem, ut sententia absolutoria in primâ Actione parere possit exceptionem rei judicatæ in secunda, non possunt in eodem libello cumulari. nu. 279. ubi exempla, & regulæ limitatio. n. 280. & seqq.

Illæ etiam Actiones non possunt cumulari quæ ità tendunt ad eandem rem, ut unius electio tollat alteram. Item, quæ statim ab initio ex natura sua sunt contrariæ. fol. 130. nu. 283. neque illæ, quarum unâ si obtineam, plenè mihi satisfiat, secùs, superfit altera. n. 284. Nec denique sic, ut reus habeat exceptionem Præposterationis. n. 285.

Pupilli & Minores absque Tutoris aut Curatoris auctoritate agere in suum præjudicium non possunt. valet tamen Sententia pro ipsis lata. fol. 138. n. 286.

Servi non audiuntur ne quidem in criminalibus, exceptis octo casibus. fol. 139. n. 287.

Filiusfam. nec agere nec conveniri potest proprio nomine absq; consensu patris, nisi pater sit absens, vel subsit alia causa, vel si procul absentes in peculio profectitio contraxerunt. nu. 288. benè tamen alieno nomine. nu. 290.

Excommunicati, Hæretici, Deportati, non permittuntur agere, benè tamen se defendere. fol. 139. n. 291.

Neque mulieres in Criminalibus, nisi suam vel suorum injuriam prosequantur. n. 292.

Temerè litigantium pœna universalis est, ut condemnentur in expensas & damna quæ Adversarius se incurrisse allegat, salvô moderamine à Judice faciendo. fol. 140. n. 297.

Omnes Actiones ex delicto sunt famosæ, exceptâ Legis Aquiliæ. Ex contractu Actio Tutelæ Depositi, Mandati, Pro Socio. (si dolus intervenit) directæ. fol. 141. n. 300. ad infamationem autem tria requiruntur. 1. ut Judex Sententiam tulerit. 2. ut Reus in propria persona condemnatus. 3. ut Sententia transierit in rem judicatam. n. 301. Universim condemnatus ob dolum fit infamis. n. 302. Est infamia perpetua. n. 303.

Actus.

Tomo 2.

In omni Actu subintelligitur clausula: ut valeat meliore modo quo potest, si expedit valere illi qui ponit actum. fol. 13. n. 59. & seqq. nisi aliunde colligeretur, actum esse restrictum, ex intentione agentis. fol. 15. n. 65.

Actûs Servitus.

Tomo 1.

Est Jus agendi jumentum vel vehiculum. continet etiam Jus itineris, nisi aliter conventum sit. Latitudo actûs, sicut & Itineris, arbitraria est, & conventionalis. Iret plerumque ad duos pedes, Actus ad quatuor in porrectum, octo in anfractum constituitur. f. 250. n. 178. & seq.

Addictio in diem.

De hac vide. *Emptionis resolutio per addictionem in diem.*

Ad Exhibendum Actio.

Tomo 4.

Est actio Mixta, tendens ad hoc, ut res exhibeatur ut cognosci possit, an in illa jus aliquod habeamus. fol. 355. n. 1143. Competit omni illi, cujus interest rem exhiberi, & est præparatoria ad Rei vindicationem. 1144. Veniunt res solùm mobiles, & occultabiles. 1145. Datur contra quemvis detentorem, etiamsi non possideat. fol. 356. n. 1146. Si reus conventus non exhibeat, juratur in litem, quantum interest fuisse exhibitam. fol. eod. n. 1147.

Administrator.

Tomo 5.

Administrator Ecclesiæ à Pontifice constitutus habet Jurisdictionem Ordinariam, & potest constituere Vicarium Generalem. fol. 22. n. 94.

Plura vide: *Ecclesiæ bona, eorúmque administratio.*

Adoptio. Adoptivi.

Tomo 1.

Adoptio est actus legitimus, per quem is, qui naturâ non est, fit filius electione: vel. est legitima extranei in filium assumptio. fol. 330. n. 146.

Adoptio dividitur in Arrogationem, & adoptionem specificè sumptam. f. eod. n. 148.

Arrogatio est adoptio extranei sui juris. Adoptio in specie est Adoptio alicujus extranei filijfamilias. eod.

In Arrogatione requiritur expressus consensus arrogandi, in Adoptione sufficit tacitus, & patris consensus expressus. f. eod. n. 150.

Adoptio potest fieri coram quovis magistratu municipali. fol. eod. n. 151.

Adoptare possunt, qui naturâ generare, & filios in potestate patria habere possunt. Hinc Castrati adoptare non possunt, bene tamen Spadones. n. 152. Fæminæ non nisi in solatium filiorum amissorum adoptare permittuntur, quia carent patriâ potestate. fol. 331. n. 153.

Adoptans debet Adoptandum excedere Octodecim annis ætatis. eod.

Arrogari potest Pupillus, etiam infans ex justa causa, si sanguine juncti judicaverint illi expedire, idque apud Magistratum affirmaverint. fol. 331. n. 154.

Adoptans pupillum fidejubere debet, quòd Bona arrogati, si impubes decesserit. restituere velit hæredibus pupilli. Obligatur etiam, quòd si illum sine causa emancipaverit, non solùm omnia ejus bona ei reddere velit, sed etiam quartam omnium bonorum partem relinquere. fol 331. n. 154. quòd si ex justa causa emanciparetur, perderet hane quartam partem. eod. Quarta pars autem intelligitur omnium bonorum, non portionis ab intestato debitæ. n. 156.

Arrogatus

Arrogatus in testamento prætetitus, quartam consequitur. tomo 2. fol. 90. n. 398.

Adoptati per arrogationem, subijciuntur patriæ potestati adoptantis unà cum ijs quos habent in potestate. fol. 331. n. 157.

Adoptati specificè ab avo, transeunt in potestatem Avi, eique succedunt. Adoptati ab extraneo manent in potestate patris naturalis, & huic acquirunt, ac succedunt: neque adoptans tenetur his aliquid relinquere, potestque ad libitum adoptionem resolvere: si tamen intestatus moriatur, adoptatus illi succedit, sed non alijs consanguineis. eod. Adoptatus ab avo si emancipetur, recidit in patriam potestatem patris naturalis. Si emancipetur sine causa, ad minimum succederet instar arrogati. n. 158. Imò probabilitet succederet ac si non esset emancipatus, ut dicetur in v. *Successio adoptivorum.* ubi etiam dicetur, quòd Jura succedendi patri naturali per adoptionem ab avo factam non amittantur Jure Novell. esto Jure Codicis hîc relato amitterentur.

Potest aliquis adoptare in nepotem, etiamsi nullum filium habeat. Potest item adoptare simul patrem, & filium: an autem simul possit adoptare filium in filium, & ejusdem patrem in nepotem, ità ut pater fieret filius sui filij naturalis, est inepta quæstio. fol. 332. n. 159. & seqq. In adoptione in Nepotem ut sit hæres filij, requiritur consensus Filii, non item si avus vellet suum nepotem in adoptionem dare. n. 162.

Quomodo adoptivus succedat in feuda. vide. *Feudum*, & in compendio hîc fol. 333. n. 163.

Filius adoptivus non excludit substitutum fidei commissarium sub hac conditione: *si adoptans sine liberis decesserit*. fol 333. n. 164. Filius naturalis tamen adoptati ab avo & fidei commisso gravati excluderet substitutum, quia censetetur subintellecta conditio *si sine liberis*. eod.

Non est permissum adoptare eum, cui quis obnoxius est rationibus reddendis, ob periculum fraudis. f. eod. n. 165.

Adoptator potest adoptatum iterum dare in adoptionem alteri. n. 168.

Tomo 2.

Adoptato ab ascendente, & in testamento prætetito, competit Jus dicendi testamentum nullum, quod durat 30. annis, fol. 90. n. 398. proinde non habet opus remedio prætorio possessionis contra tabulas, quod tantùm durat uno anno.

Adoptio non videtur impedire, quominus adoptatus sit à suo naturali patre hæres instituendus vel exhæredandus, & sic possit utriusque hæreditatem adipisci. fol. 90. n. 401.

Adulter, Adulterium.

Tomo 1.

Adulter prolem adulteram post triennium tenetur alere: cætera damna alijs illata, ut marito libetis &c. sunt solvenda partim ab adultero, partim ab adultera, & unus in defectum alterius. fol. 202. n. 699. Ut autem teneatut, requiritur moralis certitudo, & non prudentet dubitabile, prolem esse suam.

Si certum est, prolem esse ex adulterio, non constat autem quis ex duobus adulteris sit pater, tunc ad damna restituenda æqualiter tenentur, & unus, in defectum alterius, in solidum. n. 700. Quin & ad alimenta præstanda singuli tenentur ex parte concurrere. 701. Si ex tempore fieret præsumptio pro uno, ille solus teneretur, & proles illi adjudicaretur. eod.

Quando Mater non potest aliter cavere damnum alijs secuturum ex prole adulterina, tenetur illegitimitatem proli manifestare, si quidem filius illegitimus teneatur credere matri, vel putetur esse crediturus, nec matri immineat gravius damnum, sufficiens ad excusandum. fol. 203. n. 703. & seq. Facilior modus excusandi est, quando prudenter præsumi potest, maritum & filios malle delictum uxoris & matris manere occultum. 704.

In Ordin. Crim. Carolina sancitur in adultetos pœna capitalis, sive solutus cum conjugata, sive soluta cum conjugato, sive conjugatus cum conjugata peccaverit. fol. 203. nu. 705. Jure Bavarico plura statuuntur singularia, quæ referuntur n. eod. Vide etiam tomo 6. fol. 81. n. 98.

Conjunx innocens per se loquendo lucratur dotem vel contradotem secuto divortio, sed proprietas reservatur liberis legitimis exstantibus: nullis exstantibus marito cedit, & ex Reliquis bonis quantum est tertia pars dotis. exceptis septem Casibus. 1. Si utrinque peccatum est, si alter primum post consecutum jam lucrum peccâsset. fol. 204. n. 707. 2. Si uxor fuerit fornicata de consensu saltem tacito mariti. 3. Si mulier fuisset per vim oppressa. n. 708. 4. Si cognito adulterio alter petat debitum. 5. Si fuerit contra accusationem præscriptum. 710. 6. Si maritus moriatur, non transmittit hoc Jus ad hæredes. 7. Si adulterum occidit maritus. 711. & seq.

Leges permittentes occisionem adulteri cum uxore, aut filia nupta in patria potestate constituta, si intenderunt dare licentiam, ut tanquam Ministri occidant, non sunt justæ, pœnam tamen remittere poterant ob justum dolorem. 205. nu. 713. & seqq. & tomo 6. fol. 83. n. 108. & 110.

Facto divortio, ex communi opinione tenetur Maritus alere Uxorem adulteram. fol. 206. n. 718. *Tomo 5.*

Punitio Adulterij est mixti fori. quando tamen agitur ad separationem thori, & amissionem dotis, ac alimentorum, est fori Ecclesiastici. f. 75. n. 340. & seq.

Quanto tempore præscribatur hoc delictum vide *Præscriptio delictorum.*

Tomo 6.

Si conjugatus peccet cum soluta, non solet puniri pœnâ gladij ut adulter, sed virgarum, vel alio modo, pro locorum consuetudine, fœmina pœnâ arbitrariâ. n. 82. n. 101.

Corrumpens sponsam alienam de futuro, non est puniendus ut adulter. n. 102.

Adulterium,

Advocatus.

Tomo 3.

Tomo 5.

Aedes.

Tomo 1.

Aedificatio.

Tomo 1.

durante, ne quidem à malæ fidei ædificatore potest materia vindicari. Et quando datur contra talem actio ad exhibendum, non est intelligendum, ad destructionem ædificij, sed ad æstimationem materiæ. n. 111. Competit tamen tam contra bonæ quàm malæ fidei ædificatorem actio de tigno juncto, quâ duplum consequitur læsus, sed tunc non potest ampliùs vindicare materiam. Probabiliùs contra bonæ fidei ædificatorem solùm tunc datur, quando est fundamentum præsumendi aliquam culpam civilem. Contra malæ fidei ædificatorem ità datur, ut duplum totum sit pœna furti, & insuper compellatur solvere pretium, & simplum n. 122. & seqq. Quodsi ædificator mallet materiam restituere, quàm duplum, non haberet locum actio de tigno juncto. n. 132.

Qui ex sua materia in alieno solo ædificat, illius fit ædificium, cujus solo inhæret, & quamvis jure Digestorum ædificator etiam amitteret materiam, aliud tamen statutum est jure Codicis, quia non rectè præsumebant antiqua jura animum donandi. fol 423. n. 134.

Qui in alieno solo suo nomine ædificavit, seu bonâ seu malâ fide, si ipse ædificium non possidet, stricto jure nullâ actione illi succurritur, quâ possit suum repetere. fol 424. n. 142. Ex æquitate tamen ædificator potest possessionem repetere *condictione incerti* in ordine ad hunc effectum, ut sumptus, & expensas deducere possit, quibus res melior est facta. eod.

Aedilitium Edictum.

De hoc vide. *Emptionis Resolutio ex ædil. Edicto.*

Æstimatoria Actio.

De hac (quæ etiam *Quanto minoris* dicitur) vide. *Emptionis Resolutio ex Ædilitio Edicto.*

Æstimatorius Contractus.

Tomo 4.

Est bonæ fidei, Innominatus, ex quo nascitur Actio Præscriptis verbis, illi competens, qui rem aliquam alteri vendendam committit æstimatam, hac lege, ut vel rem ipsam integram, vel ejus æstimationem restituat. fol. 313. n. 1065.

Si ille, cui res committitur, rogavit, censetur periculum casûs fortuiti in se recepisse, secùs, præsumitur solam operam, & communem diligentiam promisisse. Hujusmodi sunt *Stationarii*. fol. eod. n. 1066.

Aggressor.

Tomo 1.

Passus ab aggressore necessitatem ad vel defendendum, vel incurrendum grave vulnus, potest se licitè defendere, etiam directè intendendo aggressoris vulnerationem, etiam lethalem, cum moderamine inculpatæ tutelæ. fol. 190. n. 630. Potest autem aggressor esse injustus formaliter, vel materialiter tantùm, ut amens, vel invincibiliter putans se justam aggrediendi causam habere, & de utroque procedit assertio. 632.

Requiritur autem, ut aggressor habuerit animũ decretorium, exteriùs proditum, te invadendi per se vel per alium, nec sufficeret quæcunque suspicio ad defensionem offensivam. f. 191. n. 634. Nec tamen est necesse, ut jam cœperit te corporaliter aggredi: satis est, si tibi constet, quòd comparaverit arma, quærat occasionem te aggrediendi, nec appareat spes animi mutandi: quo casu licita est præventio, in qua tamen magnum abusûs periculum cavendum est. f. eod. 635.

Ad fugiendum cum ignominia apud homines pseudopoliticos incurrenda, non tenetur homo Sæcularis, cui talis ignominia graviter præjudicat, benè tamen Clericus aut Religiosus. fol. 191. nu. 637. & seq. Nemo autem tenetur occidere ad sui defensionem aggressorem. f. 194. n. 660.

De Aggressore vide plura. *Injuria realis. & Homicidium.*

Agnatus.

Tomo 1.

Agnatus dicitur alicui, qui per virilis sexûs personam sanguine junctus est. fol. 470. n. 393.

Albi corrupti Actio.

Tomo 5.

Est Actio Prætoria, pœnalis & popularis, quæ datur adversùs eum, qui vel ipse per se, vel per alium, dolo malo corrupit vel sustulit id, quod in Albo Prætoris (idem dicendum de programmatis solitis) perpetuæ jurisdictionis causâ propositum est, ut mulctetur pœnâ aureorum 50. fol. 124. n. 204

Pluribus corrumpentibus, uno solvente, cæteri non liberantur. n. 205.

Pœna est applicanda Actori. n. 206.

Alimenta.

Tomo 3.

In favorem alimentorum concessa est vindicatio rei alienatæ sub modo præstandorum alimentorum sed non præstitorum. f. 56. n. 309.

Alluvio.

Tomo 1.

Est Modus acquirendi Iure gentium illud, quod per alluvionem agro nostro flumen adjicit. Est autem alluvio incrementum latens, ut intelligi non possit, quantum quoquo temporis momento adjiciatur f. 416. n. 89.

Si fundus sit fructuarius, incrementũ quoad fructum fructuarij est, quoad proprietatem proprietarij: & ideo non est canon, vel aliud onus aut, servitium augendum. f eod n 90.

Alluvio differtà vi fluminis, quòd per hanc subitò non lentè, sed uno impetu adijciatur, & non statim acquiratur fundo cui adjicitur, sed tunc primùm, cùm longiore tempore fundo cohæret, & arbores in fundum radices egerunt. f. eod. n. 91.

Altiùs tollendi, vel non tollendi Servitus.

Tomo 1.

Dupliciter hæc Servitus constitui potest. 1. Per modum necessitatis, & est Jus cogendi vicinum

ad ædes altiùs tollendas. 2. Per modum facultatis, & est Ius, quo vicinus non Jure libertatis, sed Jure à convicino constituto, ædes suas altiùs tollere potest. f. 248. n. 165. & seqq.

Servitus altiùs non tollendi, est Jus, quo vicinus ultra certum altitudinis modum ædes tollere prohibetur. f. 249. n. 169.

Alvei Mutatio.

Tomo 1.

Est Modus acquirendi Jure gentium, propinquis prædijs cum proportione dividendo relictum alveum. Inundatio tamen quia formam agri non mutat, non aufert illius dominium. fol. 417. nu. 100. & seqq.

Amentia.

Tomo 6.

Alleganti amentiam ad excusandum delictum incumbit onus probandi. f. 321. n. 528. Nisi constaret, fuisse furiosum vel amentem ante commissum delictum, tunc enim onus probandi amentiam incumberet Accusatori. fol. 322. n. 529.

Qui tantùm in certa materia delirant, non excusantur ab omni pœna, mitiùs tamen puniendi. n. 530.

Amortizationis Lex.

Tomo 5.

Videtur repugnare Immunitati Ecclesiasticæ, quamvis non satis efficaciter probetur ex cap. *Eos qui. de Immun. Eccles. in 6.* fol. 57. num. 300. & seqq.

Anastasiana Constitutio.

Tomo 4.

Ejus explicatio habetur fol. 39. num. 107. & seqq.

Annatæ.

Tomo 1.

Annatæ dicuntur primi fructus Beneficiorum vacantium. f. 2. n. 4.

Antichresis.

Tomo 4.

Antichresis pactum est quod pignoris contractui adijcitur, quo inter creditorem & debitorem convenit, ut, donec pecunia solvatur, creditor ex fundo pignorato in vicem usurarum fructus percipiat. f. 297. n. 928. Est Jure Canonico prohibitum. eod.

Apes. Alvearia.

Tomo 1.

Non est necesse, ut Apes in tua arbore mellificantes alveario artefacto includas, ut tuæ fiant, sed satis est habere animum eas unà cum arbore possidendi: si tamen ex alieno alveario huc volâssent, non licet eas tuo alveario includere, quamdiu animum redeundi non planè deposuerunt: potestque dominus eas tintinnabulis revocare. f. 415. n. 85. & seq.

Apes feris animalibus rectiùs quàm mansuetis adnumerantur. f. eod. n. 87.

Apocha, Antapocha.

Tomo 5.

Apocha est Cautio scripta solutionis factæ, & ejus probandæ causâ data debitori à creditore. fol. 372. n. 512.

Antapocha, quæ à debitore, solvente censum, pensionem vel reditus annuos, datur creditori, ut inde probare possit, ità solutum fuisse, sicque impediatur præscriptio: vocantur *litteræ reversales. eod.* Plura vide *Chirographum.*

Apostoli.

Tomo 5.

Sunt litteræ Judicis *A quo* ad Judicem *Ad quem*, quibus appellationi vel defert, vel non defert. fol 575. Hodie soli Reverentiales sunt in usu, nec facilè dantur Refutatorij. n. 455.

Plura vide. *Appellatio.*

Appellatio.

Tomo 5.

Quando dubium est, an fuerit appellatum intra fatalia, probabilius est, præsumendum esse, fuisse appellatum intra fatalia. fol. 408. nu. 710. & seq.

Appellatio est ab Inferiore ad Superiorem Judicem provocatio, ratione gravaminis illati vel inferendi. fol. 544. n. 272. Posset Statutum fieri, ut is, qui in alijs est superior, in causis Appellationis esset inferior, adeoque ab eo appellari posset ad eum, qui in alijs est inferior. f. 545 n. 274. & seq. ubi exempla.

Appellatio Extrajudicialis dicitur, quæ fit ab Actibus & Decretis Extrajudicialibus. f. 545. nu. 277. ubi exempla. & seqq. ubi quinque differentiæ assignantur inter Extrajudicialem & Judicalem appellationem.

Appellatio generaliter est facienda gradatim, regulariter loquendo. f. 547. nu. 285. & seqq. ubi referuntur septem exceptiones.

Jure Civili quando appellatum est prætermisso medio, non hoc ipso Appellatio est inutilis & nulla, sed remittitur Appellatio ad immediatum prætermissum. f. 548. n. 294.

In foro Ecclesiastico talis habetur pro nulla, nisi sit facta ad Summum Pontificem, vel Legatum à latere. n. 295.

Appellatio ad Imperatorem, prætermisso medio facta, remittitur ad immediatum. n. 296.

Jure communi non nisi bis appellari in eadem causa & ab eodem victo potest. fol. 548. nu. 297. Si tamen Judex secundæ Appellationis imponeret novum gravamen, posset ab hoc gravamine tertiò appellari. n. 299. Sic etiam victor in prima, victus in secunda, posset tertiò appellare. fol. 549. n. 300. Neque duplex Appellatio præjudicat tertio, si eo ignorante litigatum est, quominus ratione proprij interesse possit tertiam appellationem addere. n. 301. & seqq. ubi quid in Camera & Bavaria.

Culpâ

Culpâ suâ sentiens gravamen, appellare non permittitur, ut Contumax: Convictus & confessus: professus se non appellaturum: approbans Sententiam. fol. 549. n. 304. & seqq.

Appellare licet omnibus, qui se in Sententia gravatos cum aliqua verisimilitudine & non frivolè existimant, si appellent cum debito respectu. fol. 550. n. 309.

Non solùm ipsi Principales, sed & eorum nomine Procuratores, saltem generale mandatum habentes ad litem, provocare possunt. f. 550. nu. 311. Appellationem tamen à definitiva non tenetur Procurator prosequi. n. 312.

Tutores & Curatores durante officio tenentur in causa dubia appellare. n. 313.

Licitum est tertio appellationem ob suum interesse prosequi, etiam si ipse non appellaverit. Unde & victor appellatus potest adhærere appellationi factæ, & plura jura deducere, connexa cum causa principali, casu quo appellans desereret appellationem. f. 551 n. 341. & seq.

Tertius, cujus interest, potest appellare, si negligat condemnatus. Debet tamen causam appellationis exprimere. n. 316. & seqq. ubi exempla. Currit tertio tempus à puncto quo scivit Sententiam esse latam. f. 552. n. 323. Neque illi obstaret clausula: *appellatione remotâ*. n. 325.

Excommunicatus non potest appellare Extrajudicialiter. nn. 326. Appellatio à Sententia Excommunicationis non habet vim suspensivam, sed solùm devolutivam. n. 327. Conventus in Judicio potest per alium respondens appellando suspendere Sententiam. n. 328.

Appellatio facienda coram Judice à quo, vel si copia illius haberi non potest, adeundus Judex superior ad quem causa per appellationem devolvitur. f. 553. n. 330.

Valet Appellatio coram Notario, & quidem ex Ord. Cameræ, etiamsi copia Judicis haberi posset, valet appellatio coram Notario & testibus. n. 332. Modò fiat scripto. n. 333.

Si Judex *à quo* appellationem debito modo & tempore interpositam recipere nolit, potest appellari coram Notario & testibus, vel adiri Judex superior. n. 334.

A Principe Superiorem non agnoscente appellari non potest. fol. 554. n. 335.

Ab Electoribus Imperij, & Senatu Romano &c. non potest appellari. n. 337. & seqq.

Ab Episcopo, cujus Jurisdictio fuit protogata, non licet appellare. f. 555. n. 341.

Removente Judice gravamen propter quod appellatum, cessat appellatio. n. 342.

Ab Arbitro voluntario (aliud est in arbitro Juris) non licet appellare. n. 343. Quod etiam verum est de Jure Canonico. n. 344. Licet tamen appellare à Judice Reductionis. nu. 345. nisi Sententiam arbitri confirmâsset. fol. 556. n. 348.

Ut appellatio nn ius alijs non appellantibus prosit, tria requiruntur. 1. Ut ex eadem causa sint condemnati. 2. Ut eadem omnium sit condemnatio & defensio. 3. Ut unâ eâdemque Sententiâ sint condemnati. fol. 556. n. 349.

Quamvis de Jure communi quævis æstimatio litis sit appellabilis, in Camera tamen non recipitur Appellatio in sorte infra 300. Imperiales. fol. 561. nu. 371. & seqq. Quæ tamen summa in quibusdam Actionibus non attenditur: quas vide n. 378. In dubio, defertur appellanti Juramentū. n. 376. Exceptio summæ incompetentis potest etiam post litis contestationem opponi. n. 377.

In Curia Romana requiritur Summa excedens 10. aureos. f. 562. n. 379.

Appellari potest à Sententia imponente silentium ex lege *diffamari*, non solùm quando diffamans in Judicio comparuit, sed etiam quando contumax fuit. fol. 562. n. 381. & seqq.

Appellari potest à Mulcta non subrogata in locum pœnæ corporalis. vel quando est Judicis arbitrio relicta, secùs si legibus taxata. fol. 563. n. 387. & seq.

A Sententia lata in Possessorio momentaneo non admittitur appellatio. fol. 564. n. 392. Benè tamen in Possessorio Ordinario. n. 394. & seq. ubi exemplum in hærede misso in possessionem bonorum hæreditatis.

A Sententia lata super alimentis præteritis, appellari potest. Super futuris, si lata est pro alimentando, non admittitur appellatio quoad effectum suspensivum. Si contra alimentandum, admittitur. f. 565. n. 399. & seqq.

A Sententia, quâ Judex pronuntiarse esse competentem, potest appellare opponens exceptionem declinatoriam. n. 402. à lata pro incompetentia, potest appellare is cui est objecta exceptio. f. 566. n. 403.

A condemnatione Officialis in Syndicatu non potest appellari. n. 405.

Vi clausulæ: *Appellatione remotâ*: tenetur Judex non solùm frivolam, sed omnem appellationem reijcere (nisi à Jure expressè concedatur) & Apostolos denegare, sicut in casibus, quibus de Jure appellare non licet. f. 567. n. 407.

Appellatio probabilis, sed in Jure non expressè concessa, habet effectum devolutivum, non obstante clausulâ. f. 568. nu. 413. Quoad effectum suspensivum non tenetur Judex appellationi deferre. n. 416.

In litteris executorialibus, quæ dantur sine causæ cognitione, clausula nil operatur. f. 569. n. 420.

Innovationes factæ, remotâ appellatione, non per viam *attentatorum*, sed *querelæ*, possunt revocari. n. 423.

Appellatione interpositâ Judex dispiciet, an dandi sint Apostoli Reverentiales: & si non, dare debet saltem Refutatorios. fol. 569. n. 424.

Superior Judex tunc solùm cognoscit de causa refutandi. n. 425. Et appellanti licet per supplicem libellum adire Superiorem. n. 426.

Appellatione interpositâ Jurisdictio Judicis à *quo* in causa cessat, & nihil innovari potest, etiamsi appellatio non sit recepta. f. 570. n. 4 7.

Appellatio ratione devolutionis reducit causam litis ad tempus litis contestatæ. n. 429.

De attentatis tempore pendentis appellationis, vide *Attentatum.*

Appellans frustratoriè, & appellatione receptâ punitur arbitrariè. f. 572. n. 437. eâ non receptâ, si appellans accedat Superiorem, & in lite restaurata succumbat, patitur etiam jacturam famæ. n. 438.

Appellans temerè ab executione, eamque suspendens, mulctatur (jure communi) pœnâ 50. libb. auri, cum jactura æstimationis n. 439. Jure Canonico, & usu hodierno etiam in foro civili non punitur remerè appellans, nisi condemnatione in expensas. n. 440.

Appellanti non licet (benè tamen appellato) petere à Superiore Judice, ut omissâ cognitione de appellatione frivola, procedat in causa principali, nisi juramento asseveret, sibi non esse spem consequendi justitiam apud Inferiorem. n. 441.

Omnis Appellatio interponenda est intra decendium post latam Sententiam. f. 573. Ex ordinatione Cameræ non currit illi, qui petit revisionem Actorum. eod. Incipit currere à puncto quo victus scivit Sententiam contra se latam. n. 445. vel in suum præjudicium. n. 446. Idem dicendum de hærede defuncti ante lapsum decendij. n. 447.

Si Sententia lata est contra Procuratorem, & is intra decendium nec appellet, nec domino notificet, hujus negligentia nocet domino. n. 448.

Quando gravamen non est momentaneum, sed successivam causam habet, numerari potest à quocunque tempore durantis gravaminis, allegando præsens gravamen. n. 449.

Dies latæ & cognitæ Sententiæ, computatur à puncto notitiæ. f. 574. n. 450.

Tempus interponendæ appellationis, non potest ultra decendium per compromissum aut consensum prorogari. benè tamen fatalia data ad prosequendam appellationem. n. 451.

De Jure communi debet appellans petere intra 30. dies Apostolos, & quidem sæpiùs, instanter, instantiùs, instantissimè, quod tamen fieri potest uno contextu: ad quos recipiendos si Judex certum terminum statuat, & in hoc non petantur, censetur appellatio deserta. n. 452.

Petitis Apostolis, debet Judex assignare diem intra 30. dies concessos petitioni, quo daturus est: non comparente appellante, habetur appellatio pro deserta. n. 457.

Judex à *quo* debet appellanti constituere certum tempus, intra quod se cum Apostolis præsentet Judici *ad quem*, & appellationem coram eo introducat, & inhibitionem impetret ad Judicem à *quo*: attentâ locorum distantiâ. In Camera constituti sunt sex Menses, intra quos appellatio introducenda, citatio extrahenda, & cum executione reproducenda. f. 576. n. 459. & seq. ubi limitatur.

Judex *ad quem* non à *quo*, potest ex causa terminum prorogare. n. 461. Item partes mutuo consensu. n. 462.

Fatalibus elapsis, etiam tacente parte appellatâ, debet Judex ex officio desertionem agnoscere, & de ea pronuntiare. n. 463.

Tempus prosequendæ & finiendæ appellationis, à quocunque gravamine, etiam extrajudiciali, de Jure communi est annus, *& ex legitima causa biennium.* f. 577. n. 464.

Hæc fatalia jure communi incipiunt currere à tempore interpositæ appellationis: eo tamen die non computato n. 465. In Camera hæc fatalia non currunt. n. 466.

Mora Judicis non præjudicat partibus, & ideo fatalia per hanc moram lapsa, non intercidunt. n. 568.

Appellanti incumbit, ut ante finem fatalium Acta primæ instantiæ describi curet, quantùm ad suam causam justificandam faciunt, & ea coram Judice *ad quem* producat ante dimidiam partem fatalium. n. 469.

Impedimenta quæ appellans fortè allegat, per quæ factum sit, ut fatalia laberentur, ne causa finem acciperet, debent evidentissimis probationibus doceri. Et tunc indulgetur alter annus. f. 578. n. 470 Et nec Judicis assertioni nudæ crederetur. n. 471. Praxis habet, ut detur totus secundus annus, etiamsi impedimentum fuerit solùm in parte primi anni. n. 472.

Fatalia inducendæ aut prosequendæ appellationis, pauperibus non currunt, imò nec interponendæ, si ad has opus esset expensis difficulter comparabilibus, quod rarum est. n. 475. & seq.

Inhibitio & citatio appellati non est facienda, donec constet de devolutione causæ, hoc est, quòd appellatio sit recipienda. f. 579. n. 477. In Camera sufficit constare de jurisdictione saltem ex narratione appellantis. n. 479.

Quando principaliter est appellatum in causa nullitatis Sententiæ, non est decernenda Inhibitio, si nullitas requirat altiorem indaginem: nec debet impediri executio Sententiæ. num. 480 Quando ex actis liquidò constat de nullitate, vel in continenti probari potest, est locus inhibitioni. eod.

Inhibitio non est decernenda, quando appellatum est à gravamine extrajudicialiter illato. f. 580. n. 481.

Inhibitio non habet vim contra tertium. num. eod.

In Appel-

In Appellatione ab Interdicto *Retinendæ poss.* inbibitio non decernitur præcisè ad instantiam appellantis. n. 482.

Quando dubium est, an Appellatio sit deserta pronuntiandum est, non esse desertam. f. 580. n. 483.

Pronuntiatio spectat ad Judicem *à quo*, si deserta est ante introductionem. n. 485.

Appellato non comparente in termino, nihilominus est in causa procedendum. n. 486.

Sententia super deserta appellatione, habet vim definitivæ: sed executio spectat ad Judicem *à quo*.

Quando Judex *ad quem* Sententiam interlocutoriam à qua appellatum est, confirmat, nec Judex *à quo* detulit appellationi, debet Judex *ad quem* causam ad Judicem *à quo* remittere, ut de principali negotio judicet, appellantem in expensas condemnando, si appellatio fuit frivola. fol. 581. n. 493. Si verò Judex *à quo* appellationi detulit, non tenetur causam principalem remittere. n. 494. Potest tamen si velit, remittere, sed expressè. n. 495. Quodsi reformat Sententiam Interlocutoriam, tota causa ad eum devolvitur, nec locum habet remissio. n. 497.

De Revisionis remedio vide. *Revisio*.

Aquæductûs Servitus.

Tomo 1.

Est Jus aquæ ducendæ per fundum alienum. Ex quocunque loco, qui perpetuam aquam habet, constitui potest. Canalium, machinarúmque refectio ad dominum prædij dominantis spectat. f. 252. n. 185.

Postquam aqua in prædium dominans deducta est, licet hujus prædij domino aquam ulteriùs in alium locum dirigere. n. 186.

Si prædium dominans per alluvionem auctum fuerit, non propterea servitus crescit. n. 187.

Potest constitui servitus, ut aquam quærere, & inventam ducere liceat. n. 188.

Non est de ratione hujus servitutis, ut aqua per alienum fundum ducatur. n. 189.

Si fons exaruit, sed iterum rediit, servitus restituitur. eod.

Præter confessoriam actionem, datur Interdictum de aqua quotidiana, etiamsi non ducatur quotidie, quod ut competat, satis est, vel uno anni die aut nocte duxisse. Item Interdictum de aqua æstiva, quod competit, si hac vel priore æstate ducta est, imò & hyeme. Item Interdictum de rivis, & fonte. fol. 252. n. 190. & seqq.

Ad hanc servitutem revocari potest Jus aquæ derivandæ ex superiore in inferiorem locum. Item Jus aquæ non intercidendæ. fol. 253. n. 192.

Aquæ haustûs servitus,

Tomo 1.

Est Jus Aquæ hauriendæ ex flumine, fonte, vel puteo, vel alia aqua vicini, quatenus fundo dominanti, vel in eo operantibus opus est. Amisso jure hauriendi per non usum, etiam iter amitteretur, etiamsi ivisset, si non hausit.

Potest ex eodem loco pluribus aquæ haustus constitui, & servitus multiplicari. Non absimilis est Servitus appulsus pecoris ad aquam. fol. 253. n. 193.

Aquilia Lex.

Tomo 1.

Lex Aquilia quoad secundum caput in desuetudinem abijt. In primo capite sequentibus Casibus succurritur. Si quis servum alienum, vel quadrupedem ex numero pecudum occiderit, condemnatur domino in tantum, quanti plurimi tes anno retrorsum inspecto fuerit. fol. 98. n. 156. Idem dicendum si jaculando nocitum est in loco, & tempore prohibito. eod. Si damnum negans convincatur, in duplum. annus intelligitur continuus. eod. Si putando arborē, vel reficiendo tectum, occidas, tamo, vel tegulâ cadente Servum prope viam publicam, non maturè proclamans, aut signum ponens, eâdem pœnâ teneris. 157. Idem de Medico, curationem Servi relinquente, vel imperitè curante, dicendum. 158. Idem de Mulione non continente Mulas. 159. Ex tertio capite hujus legis datur actio pro aliis quibuscunque damnis in re corporali factis per deteriorationem, quâ petitur, ut reus damnetur, quanti in diebus 30. proximis res damnificata plurimi fuerit, & in omnia damna secuta. 159. & 160.

Actio ex lege Aquilia quâ pœnalis datur hæredibus, sed non contra hæredes. fol. 99. nu. 162. Nisi lite contestatâ. de Jure Bavarico datur contra hæredes. 163.

Lex hæc quoad æstimationem rei pro tempore elapso non viget. 164.

Ex hac lege agi potest triplici actione. Prima est Directa; taliter dicta imprimis respectu lædentis, qui corpore suo in corpus damnum dedit: deinde respectu læsi, quia soli domino corporis deteriorati datur. Secunda Utilis respectu illius, qui non corpore suo in corpus damnum dedit, sed alio modo, & respectu illius, qui quidē non est dominus, sed aliud jus habet in corpore læso. Tertia Prætoria utilis in factum, v. g. solvendo servum compeditum ut fugiat. f. 100. n. 165.

Homo liber in suis membris deterioratus, potest agere ad æstimationem operarum, & etiam in factum ex quasi delicto. f. 100. n. 166.

Non posset ex hac lege conveniri, qui orto incendio ædes vicini ob imminens suis demolitur. f. 100. n. 167. Nec paterfamilias, si non constet, cujus culpâ incendium ortum est. 168.

Ebrietas non excusat ab hac actione. si non constet quòd privaverit usu rationis. f. 100. n. 169.

Damno à pluribus dato, potest agi contra omnes & singulos. fol. 101. n. 170.

Cædens & subducens ligna in aliena sylva, in duplum tenetur. f. 101. n. 171. De jure communi

hac actione tenetur cædens in sylva non cædua. eod.

Lex Aquilia fundatur in præsumptione culpæ Theologicæ, quâ deficiente nulla est obligatio in conscientia, & per sententiam condemnatus potest solutum occultè compensare. f. 102. n. 179. interveniente culpâ Theologicâ, tenetur ad compensandum damnum (non item excessum pœnalem) ante sententiam, & obligatio hæc transit ad hæredes, non item quoad excessum, nisi lite contestatâ. 181.

Arbiter. Arbitrium.

Tomo 1.

Sententia Arbitri non facit infamem in causa in qua Judicis sententia faceret. fol. 167. n. 510.

Tomo 5.

Arbiter Juris, hoc est qui à lege constitui jubetur, Judici æquiparatur, & ab eo appellari potest. f. 34. n. 149.

Arbiter qui per Compromissum à partibus sponte, & nullâ lege cogente eligitur, vocatur Judex *Compromissarius*, ejusque sententia *Laudum*, quia nunquam inducit infamiam. fol. eod. n. 150. Distinguitur ab arbitratore, cujus arbitrium partes non obligat, quando est manifestè iniqua, sicut obligat arbitri compromissarij. n. 151. Quodsi iste dolo corruptus fuisset, datur actio de dolo, vel ex stipulatu, si stipulatio intercessit de dolo non committendo. n. 152. Differt etiam à Mediatore, & Amicabili compositore, quod horum judicium non obliget, & possint pro libitu recedere. n. 153.

Arbiter juris habet Jurisdictionem quasi Ordinariam, & potest à Judice Ordinario, in causa suspicionis vg. ad judicandum cogi. fol. 35. n. 154. ubi vide casus. in quibus arbitro Juris locus est.

Compromissum est contractus innominatus, & in eo observanda, quæ in Contractibus innominatis. fol. 36. n. 156. Absolvitur per acceptionem arbitri, qua iste obligatur vel nudo pacto, vel stimulatione ad implendum officium arbitri. n. 157. Eo recusante, exspirat compromissum. eod.

Electio arbitri potest in arbitrium tertij remitti, non potest tamen compromitti in incertam personam ab Arbitris in discordia eligendam. fol. eod. 158. de quo iterum. n. 163.

Si in duos dissentientes compromissum est, coguntur à Judice assumere tertium, quem Judex nominaverit, cujus judicio standum est, tanquam diremptoris. fol. 36. n. 159. & fol. 46. n. 207. Si in tres compromissum, omnibus præsentibus valet sententia duorum consentientium. n. 160. & fol. 45. n. 204.

Arbiter tenetur servare formam communem Judiciorum, nisi compromittentes per adjectam clausulam remisissent. fol. eod. n. 162.

Compromissum in duos cum clausula, ut si dissentiant, possint, quem voluerint eligere, qui cum alterutro consentiens faciat arbitrium, non valet, si dissentiant, bene tamen, si consentiant, quia tunc clausula habetur pro non adjecta. fol. 37. n. 163. & seq.

Remissis à partibus Judiciorum solennitatibus, requiritur adhuc, ut arbiter audiat partes, audita examinet, quantùm satis est, & vocatis partibus proferat sententiam. fol. eod. n. 165. Non potest obligari, ad sequendam sententiam peritorum consultorum. n. 166.

Si Compromissum in mero nudo pacto constitit, neque vi illius aliquid actum est, nec adjecta pœna, nulla adhuc nascitur Actio civilis. fol. 38. n. 167.

Si partes in sententiam ab arbitro latam tacitè, vel expressè consenserunt, seu homologârunt, datur Reo possessori exceptio, si pro ipso est lata, secùs, actori actio in factum, ut ordinarius exequatur. fol. eod. n. 38. Expressè homologatur sententia subscriptione: tacitè, silentio decem dierum. n. 169. si neutro modo homologetur, videtur, jure novo, nulla nasci obligatio. eod.

Quamvis arbiter, qui se nudo pacto obligavit, cogi non possit à Judice ordinario ad ferendam sententiam, potest tamen cogi, si partes pœnam apposuerunt, non parenti solvendam. fol. 38. n. 170.

Quando pacto compromissorio accessit stipulatio, nullâ pœnâ adjectâ, adhuc tenetur arbiter progredi, ne actio ex stipulatu sit inanis. fol. 39. n. 171.

Quando arbitri sententia est manifestè iniqua, tunc etsi de jure civili nec appellationi locus sit, nec reductioni ad arbitrium boni viri, nihilominus parti læsæ per sententiam conceditur exceptio doli mali, quæ supplet defectum appellationis. fol. eod. n. 172.

Quando, adjectâ pœnâ, sententia est expressè homologata, refractarius non solùm ad pœnam condemnari potest, sed etiam ad standum sententiæ. fol. 39. n. 174. Si tantùm tacitè, & nudo pacto pœna adjecta est ab ipso arbitro, Jure scripto etiam post silentium decem dierum integrum est condemnato liberare se ab executione sententiæ solvendo pœnam. n. 175. Si verò ipsi contrahentes pœnam adjecerunt, & non expresserunt, quòd pœnâ solutâ liceat à judicatis recedere, sed neque adjecta est clausula: *manente nihilominus sententiâ*: adhuc post tacitam approbationem tenetur jure civili condemnatus stare sententiæ, & si postea conventus recuset stare, insuper in pœnam condemnandus est. n. 176.

Lege Imperiali prohibetur Compromissum juramento firmari, & arbiter debet persuadere partibus, ut potiùs pœnam adijciant. fol. 40. n. 178. Jure Canonico tamen juramento firmatur, si dolus in arbitro non intervenit. Neque hoc jure est prohibitum Ecclesiasticis, adijcere tale juramentum. fol. 41. n. 180. Quodsi Sæculares adijcerent juramentum, non nisi venialiter peccarent. n. 181.

Imò

Imò etiam Jure Canonico pars læsa non teneretur juramento, nec opus esset relaxatione, si sententia esset injusta. n. 182. Et hoc jure standum esset juramento, etiamsi pœna adjecta esset. nu. 183.

A Sententia Arbitri Compromissarij non admittitur Appellatio propriè dicta. f. 41. n. 184. Sicubi tamen consuetudo admittit appellationem, appellandum est ad Judicem Ordinarium gravati, quæ potiùs est Reclamatio, quàm Appellatio, & proponitur per modum Exceptionis. f. 42. n. 185. & seq. Idem dicendum de Judice reducente Sententiam arbitratoris ad æquitatem. eod.

A Sententia arbitri Juris appellari potest non minùs quàm ab aliorum Sententia. fol. eod. nu. 187.

Minor viginti annis arbiter esse non potest: minor intra 25. habet Beneficium Restitutionis in integrum. f. 42. n. 188. Muti, Surdi, Furiosi, Servi, non item infames, arbitri esse prohibentur. f. 43. n. 189.

Si in duos compromissum est, & non in solidum, quorum unus prohibetur, nec alterius Sententia tenet. f. eod. n. 191. Mulier carens omni Jurisdictione, potest quidem esse Arbitratrix, sed non Arbitrix. n. 192. Religiosi non nisi quando Monasterij utilitas exposcit. n. 193.

Judex Ordinarius litigantium, nec eogere potest ad compromittendum in se ut arbitrum, nec sponte à partibus eligi, Jure Civili. benè tamen Jure Canonico. n. 194.

In Judices Delegatos compromitti etiam Jure Civili potest, ut causam tanquam arbitri definiant, quando delegata est in favorem litigantium. nu. 195.

Circa Jura Spiritualia potest quidem in Laicum cum Clerico compromitti de consensu Ordinarij, sed in solum Laicum non nisi de consensu Summi Pontificis. f. 44. n. 196. In causa temporali etiam absque consensu Ordinarij. 197.

Compromittere potest, qui transigere. Quodsi ex compromittentibus pluribus unus est inhabilis, valet quoad cæteros, si rei natura patitur. Habilitate superveniente non convalidatur. fol. 44. n. 198.

In causis criminalibus criminaliter agendis, non est locus compromisso. f. eod. nu. 199. Neque in causa liberali. n. 200. Neque in causa matrimoniali, si agitur de illius validitate. n. 201.

Alio arbitro à partibus electo, vel causâ ab ijsdem ad ordinarium Judicem delatâ, liberatur ab obligatione prior arbiter, utpote spretus. f. 45. nu. 202.

Pariter liberatur ob illatam postea gravem infamiam, causâ per Judicem cognitâ. n. 203. ubi plures causæ referuntur.

Facto in plures compromisso, & omnibus præsentibus, plurium Sententia concors valet, nisi aliud expressum esset. f. eod. n. 204. Jure Canonico in foro Ecclesiastico, & terris Romanæ Ecclesiæ subjectis, plurium Sententia concors valet, si major pars adsit, cæteri verò absque justa causa absint. n. 205.

Si ex tribus arbitris duo condemnent in summam majorem, & unus in minorem, prævalet Sententia duorum: si verò omnes discordent, prævalet Sententia condemnantis in summam minorem, in qua omnes conveniunt. fol. 46. nu. 206.

Si compromissum est in plures, cum clausula *ut omnes, aut multi, aut unus eorum expediat:* quivis potest causam expedire: sed uno inchoante non possunt se cæteri ampliùs intromittere, nisi ex justa causa prohiberetur prosequi, vel ex malitia nollet. f. eod. n. 208.

Mortuo uno ex pluribus, vel aliter impedito, exspirat compromissum, nisi expressum esset, ut ad hæredes transiret, aut in singulos in solidum compromissum esset. f. 46. n. 209.

Lapsu temporis ad ferendam Sententiam à partibus præfixi, nec factâ potestate prorogandi, exspirat compromissum. f. eod. n. 211. ubi plures casus faciendæ prorogationis.

Arbitrium eo loco exercendum est, quem litigatores constituerunt, alioquin impunè non parebitur. Si nullum constituerunt, ibi peragendum, ubi arbiter compromissum acceptavit. f. 47. n. 212. ubi vide extensionem.

Sententia absente litigatore lata, non valet, pœna tamen ab absente committitur. fol eod. n. 213.

Per litis contestationem æquè interrumpitur præscriptio in arbitrio, ac in Judicio Ordinario. f. eod. n. 214. Et quod quis in hoc Judicio confessus est, habetur pro judicialiter confesso. nu. 215.

In hoc Judicio non habet locum Reconventio, nisi esset Arbiter Juris f. 47. n. 216.

Si de pluribus causis arbitrandum est simul, tunc, etiamsi de una tulit Sententiam, potest adhuc eam mutare. secùs, si separatim, quia sunt quasi plura compromissa. f. 47. n. 217.

Nullo termino præfixo, implenda est à litigatoribus Sententia intra quadrimestre. potest tamen ante litem apud Ordinarium contestatam mora purgari. f. 48. n. 218. Secùs, si ab Arbitro fuit præfixum tempus, etiamsi quadrimestre nominâsset. n. 219.

Executio Sententiæ, & Judicium de dubijs super arbitrio natis, ad Ordinarium spectat. f. eod. n. 221

De Arbitris eligendis in casu Recusati Judicis vide *Iudex*.

Laudum non est propriè Sententia. f. 494. n. 4.

Arbitraria Actio.

Tomo 3.

Actiones illæ, quas licet Judici quodammodo inhibere, vocantur *arbitrariæ*; & aliæ sunt in Rem; ut Publiciana, Serviana de rebus coloni, quasi Serviana, seu Hypothecaria: aliæ in Personam: veluti, quibus

quibus de eo agitur, quod vi aut metûs causâ, aut dolo malo factum est: item cùm id, quod certo loco promissum est, petitur: actio ad exhibendum. fol. 10. n. 61. 62. ubi per exempla declarantur.

Archivum.

Tomo 5.

Scripturis in archivo impropriè dicto, hoc est Chartophylacio (qualia habentur in Religiosis domibus) asservatis, non creditur necessariò, nisi aliunde authenticam fidem faciant. fol. 368. n. 491.

Archivum publicum est locus auctoritate Superioris vel Magistratûs, habentis potestatem condendi leges, publicè erectus, ad hunc finem, ut in eo tabulæ & Instrumenta publica & monumenta rerum gestarum asserventur: soletque in Jure vocari Gramatophilacium. cui præficitur Archiata seu Officialis publicus. n. 492.

Scripturæ in hujusmodi archivo repertæ, faciunt in Judicio plenam fidem. n. 493.

Archivarij seu Commentariensis inscriptio tunc solùm requiritur, quando scriptura ex Archivo in alium locum deferenda est. fol. 369. n. 494.

Scriptura in Archivo asservata, probat etiam in aliis territoriis, & apud non subditos. n. 496.

Arrestum.

Tomo. 4.

Non est Species Depositi sicut Sequestrum, nec fit Custodiæ causâ, nec tantùm exercetur in Rem, sed etiam in Personam, & in rem non litigosam. fol. 260. n. 810.

Tomo 5.

Arrestum est Interdictum, ne res aut persona loco aut statu suo moveatur, nisi rebus compositis cum eo, qui apud Judicem conquestus est. fol. 149. n. 341.

Arresti statuta, utpote Juri communi adversantia, sunt strictè interpretanda. n. 342

Creditori, cujus debitor de fuga suspectus est, vel difficulter conveniri potest, competit facultas obtinendi arrestationem bonorum debitoris. fol. eod. n. 343.

Idem potest Procurator habens speciale mandatum. n. 344. Item cui actiones cessæ sunt. n. 345. Item consors litis, etiam absque mandato. n. 346. Item Socius ratione Societatis. eod. Item conjunctæ personæ, factâ priùs cautione, principalem ratum habiturum. n. 347. denique hæres creditoris. eod.

Arrestari potest advena contrahens, & statim recessurus, si creditor non est fidem illius securus. fol. 149. n. 348.

Potest arrestum peti etiam dum lis pendet. f. 150. n. 349.

Potest etiam debitori debitoris Arrestum imponi. n. 350.

Potest aliquis arrestari ad dicendum testimonium n. 35 .

Potest Civis arrestari pro debito Civitatis obligatæ quoad bona Civium. n. 352.

Possunt Arrestari animalia in alieno prato reperta. n. 353.

Potest aliquando arrestari res in favorem ipsius domini. n. 354.

Studiosis tunc solùm potest arrestum imponi, quando suspecti sunt de fuga, & probabile periculum immineat creditoribus, ne fiat illis nimis difficilis solutio. f. 150. n. 355. & n. 356. refertur privilegium Universitatis Lovaniensis. n. 356.

Arrestari non possunt, qui ad Exercitum commeatum aut pecuniam afferunt. f. 151. n. 357.

Nec Legati Principum, si per Arrestum Legatio moram pareretur. Idem de Consiliarijs dicendum, & probabiliter de Salarijs Professorum. n. 358.

Boves aratorij, & instrumenta rusticorum, Jure scripto, arrestari non debent. Sed consuetudo aliud habet. n. 359.

Civis de fuga non suspectus arrestari non potest sicut extraneus alteri Jurisdictioni subjectus. fol. 151. n. 360.

Arrestum conceditur creditoris periculo. nu. 361.

Res arrestanda debet à debitore detineri ut propria, & in dubio ità præsumitur. f. 152. n. 362.

Qui arrestationem indebitè petijt, in expensas condemnandus est, etiamsi postea ex alio debito arrestum continuaretur. f. 152. n. 363.

Iniquè Arrestato competit Actio injuriarum, si alter non habuit causam probabilem. n. 366.

Arrestum violans puniri potest, sicut qui carcerem effringit: & eodem modo qui illum eximeret ex arresto. f. 152. n. 367. & 369.

Si debitor sufficientem cautionem (qualis tamen communiter non esset juratoria) præstet, relaxandum est à Judice arrestum. f. 153. nn. 371. & seqq.

Si creditor ex eadem causa plus debito petijt, relaxandum arrestum & creditor condemnandus in expensas. n. 375. Si ex diversis causis, non relaxatur arrestum, sed tamen in excessum expensarum condemnatur. eod.

Arrha.

Tomo 1.

Arrha est illud, quod sponsi sibi mutuò tradunt in signum & pignus matrimonij futuri. Describitur: Quæ in continenti traditur à promittentibus, hac lege adjectâ, ut si dans arrham sine justa causa resiliat, eam amittat, & alter eam lucretur: si verò resiliat accipiens, eam restituat, & eidem æquivalens. fol. 370. n. 355.

Arrha potest constitui in quavis quantitate, etiam majore, quàm sit dos. f. eod. n. 356. Potest constitui tam in certa specie, quàm in pecunia. n. 357.

Possunt arrhæ utrinque constitui, & tunc resiliendo amittitur tradita, & restituitur accepta. n. 358.

Secuto matrimonio restituitur, utpote pignus. n. 359.

Non amittitur, si matrimonium sine culpa non sequitur. fol. 370. n. 360.

Potest

Poteſt arrhæ apponi pactum tripli vel quadrupli, ſolvendi ab accipiente reſiliente. f. 371. n. 361. Minor tamen gauderet beneficio reſtitutionis in integrum. eod.

Qui ſe ſub disjunctione obligaret vel ad Matrimonium, vel ad certam pœnam, haberet electionem, nec tali pacto contraxiſſet Sponſalia. f. eod. n. 362.

Adjectâ Sponſalibus pœnâ reſiliens non tenetur, ſi ſubſit juſta reſiliendi cauſa. f. eod. n. 363.

Probabilius eſt, pactum pœnœ adjectæ obligare, ſi ſine cauſa reſiliatur. fol. eod. nu. 364. & ſeqq.

Arrha quomodo poſſit apponi Emptioni, vide *Emptio Venditio.*

Articuli Inquiſitionales.

Tomo 6.

Reorum interrogationes debent eſſe articulatæ, hoc eſt, ſingula facta, ejúſque qualitates, & circumſtantias continere. f. 243. n. 176.

Non ſunt tamen articulis inſerenda delicta, de quibus Judex antecedenter ad Inquiſitionem ſpecialem non eſt informatus, nec habentur veriſimilia indicia. n. 177. ubi exemplum.

In eodem articulo non ſunt ponenda plura interrogatoria. nu. 179. Poſſunt tamen interrogationes diverſis verbis ſæpius fieri. eod.

Ad articulos propoſitos Reus non tenetur reſpondere, niſi coram Judicibus propoſitos: aliter facti non habent vim Confeſſionis. fol. 244. n. 180.

Ab exigendo Juramento Reſpondendorū rectiùs abſtinetur, niſi conſuetudo aliud habeat. n. 181.

Redditis reſponſionibus, poteſt Judex Inquiſitionis ad articulos de novo formatos exigere reſponſionem. n. 182.

In Criminibus gravioribus, ſi Reus antecedenter crimen neget, nihilominus articuli proponuntur, imò etiam quando crimen fatetur. n. 183.

Articulorum propoſitionem debet comitari admonitio Rei, ut reſpondendo deducat, quæ ad ipſius defenſionem faciunt. f. 245 n. 188.

Interrogationes iterandæ ſunt, quamdiu non reſpondetur clarè & categoricè. n. 189.

In delictis levioribus, quorum pœna non eſt corporalis, imponitur Reo neceſſitas reſpondendi ſub pœna confeſſi, & pœnæ arbitrariæ ob contumaciam. n. 190. Quid in gravioribus obſervandum, vide: *Inquiſitio.*

Reſponſio debet eſſe vocalis, niſi mutus eſſet Reus. n. 191.

Judex poteſt Reum interrogare ſuper articulis ex præcedentibus indicijs & generali inquiſitione formatis, absque eo quòd reo manifeſtentur Indicia. Si tamen Reus petat ſibi ea manifeſtari antequam reſpondeat, Judex tenetur. f. 246. nu. 195.

Reo ſcienti Judicem interrogare cum falſa præſumptione, præſenti vel futura, licitum eſt negare. fol. 247. n. 197.

Reus, etiam juridicè interrogatus, in quibusdam caſibus non eſt obligatus dicere veritatem contra ſe, quos vide f. 247. n. 199. In levioribus tamen tenetur dicere veritatem. f. 249. n. 209.

Non tenetur Reus retractare falſitatem, ſi fuit abſolutus. f. 249. nu. 211. Imò nec ante Sententiam, niſi fuiſſet illi aſſignatus terminus, intra quem teneretur revocare. n. 212. & ſeq. Imò nec, ſi convictus duceretur ad ſupplicium, excepto hæretico ob hæreſin damnato. f. 250. nu. 215. & ſeq.

Qui vi tormentorum confeſſus crimen quod non patravit, tunc ſolùm tenetur revocare, quando ſpes eſt ſe ſalvandi, vel eſt neceſſarium ad ſalvandam famam aliorum. n. 217.

Aſſaſſinus. Aſſaſſinium.

Tomo 6.

Aſſaſſini hodie dicuntur illi, qui, ſive Fideles ſive Infideles, hominem Baptizatum per inſidias occidunt, pretio ad hoc conducti. f. 49. nu. 221. Neque refert, pretium fuiſſe exiguum, dummodo fuerit motivum principale. n. 222. Sufficit etiam fuiſſe promiſſum. n. 223. Non ſufficeret tamen ſpes conſequendi pretium, ſeclusâ promiſſione. n. 224.

Mandans talem occiſionem, punitur ut Aſſaſſinus, etiam morte non ſecutâ. f. 50. n. 228. Idem dicendum de recipientibus, defendentibus, occultantibus, ſi hac ratione fuerunt cauſa necis. n. 229.

Quomodo privetur privilegio Aſyli, vide *Aſylum.* Aſſaſſinium mandans Jure Canonico eſt ipſo facto excommunicatus, depoſitus à dignitate, honore, officio, & beneficio, & diffidatus. f. 87. n. 126. Jure Civili nulla pœna eſt conſtituta: ſed conſuetudo locorum attendenda. alicubi ad locum ſupplicij trahuntur per caudam equi: vel rotâ tunduntur: aliquando inſuper uſtulantur, &c. n. 127.

Sufficit, Jure Canonico, mandatum eſſe datum. In executore autem benignior Sententia requirit conatum proximum: imò, niſi mors ſecuta fuerit, non punitur pœnâ ultimi ſupplicij: ſed mitiore. n. 128. Communior opinio vult, in mandante ad ultimum ſupplicium ſufficere actum proximum. f. 88. n. 129.

Aſſecurationis Contractus.

Tomo 4.

Aſſecuratio eſt Contractus, quo periculum ſuſcipitur rei alicujus pro pretio aut intereſſe alio, bonæ fidei, innominatus, ſolo conſenſu initus. f. 341. n. 1093. Pretium non conſiſtit in indiviſibili, & tam ex diverſo rei valore, quàm ex diverſo periculo, creſcit, & decreſcit. n. 1094.

Sufficit, ut Aſſecurans in ſe recipiat periculum, etiamſi nullam aliam operam exhibeat. f. 342. n. 1095. Sufficit etiam, ſi ex hominum opinione ſubſit periculum, etiamſi à parte rei nullum ſit. nu. 1096.

Non valeret tamen, si assecuranti constaret de nullitate periculi, vel assecurato de rei interitu. f. eod. n. 1097.

Si sit designata certa pars assecuranda, tunc, si illa pars pereat, tenetur assecurans ad eam præstandam, etiamsi altera Salva permaneat. Si nulla pars designatur, sed indeterminatè aliqua quantitas assecuretur, pereunte toto tenetur ad partem assecuratam. Secùs, si tanta quantitas Salva esset, quanta assecurata fuerat; tunc enim ad nihil teneretur. f. 343. n. 1099.

Potest assecurari vita alicujus ad tempus. eod. 1100. ubi vide exemplum.

Assessor.

Tomo 5.

Assessores sunt Consiliarij Judicis in causarum cognitione. f. 106. n. 105. & seqq. ubi eorum officium exponitur. Assessori non licet in eadem causa Advocatum esse. Nec apud duos Magistratus esse Assessorem. f. 107. n. 109.

Assessores sunt liberi à Tutelis & quovis onere Indictionis. Restituuntur in integrum læsi officij causâ. Lucrum ex officio ad Castrensia pertinet. Ex publico ærario accipiunt Salarium. fol. eod. n. 111.

Asylum.

Tomo 6.

Immunitas confugientium Reorum ad Ecclesiam, est Jure Ecclesiastico introducta. f. 33. n. 140. Cui etiam Jus Civile suffragatur. n. 143. Est amplæ interpretationis. f. 34. n. 144.

Sufficit Ecclesiam esse Auctoritate Episcopi erectam, etsi necdum consecratam. n. 145. Nec requiritur, ut actu ibi fuerint celebratæ Missæ. n. 164. Nec, ut ædificium sit absolutum. n. 147.

Convenit hoc privilegium Ecclesiæ etiam Pollutæ, & tempore Interdicti. n. 148.

Sub nomine & spatio Ecclesiæ, non solùm hic venit interius Ecclesiæ corpus seu ambitus, verùm etiam tota Ecclesiæ fabrica, etiam Sacristia exterius conjuncta, & alia conjuncta, ut Cæmeterium. n. 149.

Gauderet hoc Asylo, qui manubrium januæ Ecclesiæ apprehenderet, cùm ingredi non posset. fol 34. nu. 150. Item, qui supra tegulas Ecclesiæ constitutus esset. n. 151.

Si Ecclesia consistat extra muros civitatis, potest receptus reus pro naturæ necessitate procedere ad 40. passus, (si sit Cathedralis) ad 30. (Si minor) ut passus habeat 5. pedes, pes 15. digitos. n. 152.

Gaudent hoc privilegio Cæmeteria etiam non contigua Ecclesiæ, dummodo sint consecrata. n. 153. Item Domus seu Conventus Religiosorum secundùm omne illud, quod intra illorum septa est, ut est claustrum, dormitorium, hortus &c. n. 154.

Eodem gaudet Palatium Episcopi, si non sit extra Diœcesin, & Episcopus non sit merè Titularis. Item palatia Cardinalium. f. 36. n. 155.

Gaudet hoc Privilegio etiam ille qui Interdicto subjacet. f. 36. n. 158. Item Excommunicatus. nu. 159. Item Hæreticus etiam non toleratus, si non ob crimen hæresis fugiat ad Ecclesiam. n. 161.

Infidelis tunc gaudet, si pro se habet præsumptionem, quòd seriò velit fieri Fidelis. n. 163.

Item gaudet, qui elapsus ex carcere fugit ad Ecclesiam. n. 164. Nisi Juramento præstito, de redeundo ad carcerem, impetrâsset dimissionem: tunc enim ob perjurium posset extrahi, nisi impetraret dispensationem. f. 38. nù. 165.

Servus fugiens ad Ecclesiam cum præjudicio domini, eatenus gaudet, quatenus solùm ad præstanda obsequia, præstitâ à Domino cautelâ, extrahi potest. n. 166.

Clericus probabiliter non gaudet Asylo respectu sui Judicis Ecclesiastici. f. 38. n. 168. Ne quidem, si delictum tam atrox esset, ut mereretur Degradationem fol. 39. n. 170. Imò probabiliter tantùm in tali casu extrahi possunt. fol. 40. nu. 175. Gaudet tamen Clericus in Minoribus existens, & nec habens Beneficium, nec in habitu & tonsura serviens Ecclesiæ. n. 176.

Religiosus contra suum Superiorem non gaudet Asylo. n. 177. Neque Apostata fugiens ad alienam Ecclesiam, ob quodcunque delictum. n. 178.

Gaudet hoc Privilegio Debitor, fugiens ad Ecclesiam ne pro Debito incarceretur. f. 40. n. 179. Imò antecedenter ad Sententiam condemnatoriam non potest invitus extrahi ad præstandos labores, quibus debitum expungat. f. 41. nù. 182. Neque etiam ob periculum fugæ potest extrahi ab Ecclesia. n. 183. Idem dicendum de debitore tributorum. n. 184. Item de obligato ad Ratiocinia. n. 185. Denique etiam gaudent Decoctores, fugientes ad Ecclesiam ne ex legibus in tales latis puniantur. n. 186.

Non gaudet hoc Privilegio Latro Publicus, & Notorius, qui sæpius palàm deprædaverit, vel per insidias in via publica, vel mari, vel in domibus privatorum. fol. 43. n. 190. & seq.

Non gaudet etiam Nocturnus depopulator agrorum per Actus frequentatos: Imò nec Diurnus. f 44. n. 193. & seq.

Neque gaudet Grassator viarum, hoc est, qui in urbe per insidias aggreditur ut spoliet, vel vulneret, in vijs frequentatis. fol. 44. nu. 195. & seq.

Neque gaudet, qui aliquem in Ecclesia occidit, vel mutilat, amputando aliquod integrum membrum, fol. 44. n. 197. ubi vide declarationem. Hoc tamen malè extenditur ad alia delicta æquè gravia in Ecclesia commissa. f. 45. n. 199.

Neque redderetur talis immunis, etiamsi fugeret ad aliam Ecclesiam. n. 201.

Neque etiam excusaretur per hoc, quòd nihil cogitaverit Reus de immunitate. fol. 46. nu. 202.

Ob vulnera-

Ob vulnerationem præcisè, si nec mutilatio fiat, nec mors sequatur, Reus non privatur hoc Privilegio, quantacunque sit sanguinis effusio. f. 46. n. 204.

Neque privatur Asylo, fugiens ad Ecclesiam cum armis prohibitis, etiam sub reatu læsæ Majest. n. 206.

Quamvis privetur immunitate, qui existens extra Ecclesiam jaculatur & occidit existentem intra Ecclesiam, probabiliter tamen non privatur existens intra Ecclesiam, & occidens existentem extra Ecclesiam. n. 207.

Neque privatur Asylo, qui mandar aliquem occidi, cum effectu in Ecclesia. f. 47. n. 210.

Neque amittit, qui vi aut dolo aliquem extrahit ex Ecclesia, & extrà occidit, & deinde fugit ad Ecclesiam. n. 212.

Qui admisit delictum non exceptum, deinde occidit in Ecclesia, & fugit ad Ecclesiam, non amittit Privilegium respectu delicti non excepti. n. 213.

Immunitate Asyli privatur Homicida proditorius. f. 48. n. 214. ubi exemplum, & quid requiratur. n. seqq. Neque excusatur, si occidit infidelem. n. 217.

Ut privetur, non sufficit vulnerâsse animo occidendi, sed debet mors esse secura. fol. 49. nu. 220.

Privilegio Asyli privatur Assassinus, occidens fidelem per insidias, pecuniâ ad hoc conductus. f. 49. n. 221. & seqq. Item Mandans. fol. 50. nu. 228. Item recipiens, defendens, occultans. si sic est causa Assassinij. nu. 229. Plura vide. *Assassinium*.

Neque Hæreticus ob hæresis delictum confugiens ad Ecclesiam, imò & qui urgentibus indicijs de hæresi suspectus est, gaudet Assylo. fol. 50. n. 230.

Neque Reus læsæ Majestatis in ipsa Principis Persona. nu. 231. ubi vide declarationem specificam hujus delicti. Debet autem Reus esse subditus Principis læsi vel ratione originis, vel ratione domicilij. n. 232. Læsio Consiliarij Principis probabiliùs non privaret Asylo. fol. 51. n. 233.

Inter delicta privantia Asyli Privilegio, non rectè ponuntur à quibusdam Raptus Virginum, Sodomia, furtum in Ecclesia factum, nec aliud quodcunque, præter ea quæ enumeravimus. fol. 51. n. 235. & seqq.

Egressus Reus ex Ecclesia exonerandi corporis causâ, capi non potest. fol 52. n. 238. Neque extractus ab alio per vim. n. 239.

Capi tamen posset, qui blanditijs fraudulentis fuisset adductus ut egrederetur, modò Judex non fuerit Auctor fraudis. f. 53. n. 240.

Prælato Ecclesiæ non licet Reum invitum consignare Magistratui, ne quidem cum illa assecuratione, quâ licebat Jure antiquo. n. 243.

Non est licitum, alligare Reum vinculis in Ecclesia ne fugiat, in eum finem, donec examinetur, an gaudeat Asylo. n. 244.

Dum Reus existit in Asylo, si habet bona propria, ex illis alendus est, nec hoc impedire licet Judici. Secùs, Ecclesia alere debet, cum onere refusionis faciendæ. f. 54. n. 247.

Non potest, Jure communi, in Reum, dum existit in Ecclesia, ferri Sententia capitalis, vel damnari ad pœnam corporalem, sed solùm ad pecuniariam, & tunc potest securè egredi. Aliud tamen habet consuetudo. n. 248. & seq.

Judici volenti injustè extrahere, resisti potest per censuras, & claudendo portas &c & Reus potest resistere omnibus modis non excedentibus moderamen inculpatæ tutelæ. f. 55. n. 250. Injustè extractus, ne quidem ob alia delicta retineri potest. nu. 251. Et Restituendus est eidem Ecclesiæ, nisi Reus in aliam consentiat. n. 252.

Ereptus Judici sæculari, quamvis injustè, si tamen fugit ad Ecclesiam, non debet restitui Judici. n. 253.

Judicis injustè extrahentis Acta post extractionem, sunt ipso Jure nulla, nec opus est appellatione. n. 254.

Injustè extrahentes excommunicantur. f. 56. n. 256. & quidem ipso facto eod. infligitur etiam pœna Nongentorum Solidorum. n. 257. Jure Civili infligitur pœna capitalis. nu. 258. & quidem tam mandanti, quàm exequenti, vel attentanti, etiam non secuto effectu. n. 259. Idem esset, si mandaretur in Ecclesia occidi. n. 260. Item, si extractio fieret in casibus quidem exceptis, sed non observatis observandis. f 57. n. 261. Ab Excommunicatione probabiliter potest absolvere Ordinarius, vel ab eo deputatus. n. 262 Sed probabilius oppositum. n 264.

Prælatus Ecclesiæ non potest Reum tradere Judici sæculari, priusquam Episcopus cognoverit, delictum esse exceptum, qui de hoc cognoscet, dum Reus detinetur in carcere Ecclesiastico. fol. 58. n. 266. nisi consuetudo habeat, ut sine consensu Episcopi extrahatur in casu delicti clarè excepti commissi n. 267. Recusante irrationabiliter Episcopo potest extrahi Reus, cavendo tamen scandalum quantùm fieri potest. eod.

Ad judicandum, quòd delictum sit exceptum, requiruntur probationes concludentes, summariè tamen expediendæ. fol. 58. n. 268.

A Sententia, quòd crimen sit, vel non sit exceptum, nec Reo nec Fisco licet appellare, nisi magnâ probabilitate constaret, malè esse judicatum. fol. 59. n. 270.

In cognitione hujus causæ an crimen sit exceptum, citandus est Fiscalis Ecclesiæ & Reus. n. 271. Testes etiam in processu informativo auditi, postea reproducendi. n. 272. In dubio, an Reus sit captus in loco sacro, cognitio spectat ad Judicem Ecclesiasticum. n. 273.

Fugientem ad Ecclesiam non licet excludere, sed recipiendus est. n. 274.

Attentatum.

Tomo 5.

Attentatum est mutatio status ejus rei seu causæ, de qua sub Judice lis pendet, facta, prætextu juris alterutrius litigantis, in præjudicium alterius, & contemptum Judicis superioris. fol. 570. n. 430.

Si Judex *à quo*, vel victor, aliquid attentat, est statim à Judice *ad quem* revocandum attentatum, si fuit appellatum à definitiva. n. 431. Et refundendæ expensæ parti læsæ, factæ ad obtinendam revocationem, priusquam in causa procedatur. fol 571. n. 432. Si attentatum non potest in continenti probari, tractabitur una cum causa principali. n. 433.

Facto attentato ab appellante sententia transit in rem judicatam, perinde acsi nunquam appellatum esset. n. 434.

B.

Bancarij.

Vide *Nummularij.*

Bannum. Banniti.

Tomo 2.

Banniti à Principe inferiore, inter Relegatos potiùs quàm Deportatos numerandi. Possunt enim testari saltem secundùm formam Juris communis. fol. 48. n. 226.

Tomo 6.

Feminæ in Bannum Imperiale incidunt, si vim publicam inferri mandent: bannitos tecto recipiant: mandatis executorialibus Cæsaris obstinatè non pareant, salvo earum pudore: & instar personarum Ecclesiasticarum omnibus beneficijs, bonis, privilegijs privantur. fol. 171. n. 488.

Bannum Imperiale à solo Imperatore, vel, eo absente, à Rege Romanorum irrogari potest. fol. 336. n. 582. Sic Banniti testamentum facere non possunt. sunt incapaces successionum. omnia bona amittunt de præsenti. Incapaces fiunt Judiciorum. n. 584.

Beneficium.

Tomo 1.

Beneficium non confertur invito, verum est per se loquendo, & quando est rationabiliter invitus, alioquin sæpè fallit. fol. 9. n. 117. ubi vide fallentias.

Beneficium quomodo triennio præscribatur, vide *Præscriptio triennalis.*

An & quando in Beneficijs commutandis aut resignandis committatur Simonia, vide *Simonia.*

Bestialitas.

De hac vide. *Sodomia.*

Bigamia.

Tomo 6.

Bigamia, seu Polygamia, sumpta prout habet rationem delicti, consistit in eo, quòd vir aut uxor, vivente conjuge, alteri se matrimonio jungere conatur. fol. 88. n. 130. Est gravius adulterio. eod.

Bigamia punitur in Imperio pœnâ gladij. fol. 88. n. 131. Jure Civili videtur punienda sicut adulterium. n. 132.

Contrahens cum habente conjugem, sed non habens conjugem, punitur pœnâ adulterij. fol. 89. n. 136.

Etiamsi Bigamus priorem non cognovisset carnaliter, adhuc puniendus esset ut bigamus. fol. 90. n. 138.

Blasphemia.

Tomo 6.

Blasphemia est crimen Læsæ Majestatis Divinæ. Consistit in dicto contumelioso in Majestatem Divinam. fol. 90. n. 139. Non est de essentia illius, verba prolata esse falsa, dummodo sint contumeliosa, ob irreverentiam, quâ proferuntur. n. 140.

In Sanctorum contumelia tunc committitur blasphemia, quando verba proferuntur cum respectu ad Deum. fol. 91. n. 141.

Audientes tenentur etiam Jure positivo arguere blasphemum, (si spes sit emendationis, & absit periculum proprium) imò & intra triduum denuntiare, (nisi sit consuetudine abrogatum) sub pœnâ blasphemorum. n. 144. & seq.

Jure Ecclesiastico variæ pœnæ in blasphemos constitutæ sunt, quas vide n. 146. & seqq. nisi blasphemus in continenti revocet. fol. 92. n. 149.

Jure Civili etiam in pœna variatum est. ut videri potest n. 150. & seqq. Jus Bavaricum pro Nobilibus statuit pœnam pecuniariam. fol. 93. n. 153.

Hæretici negantes Sanctis deberi cultum, quem sciunt per innumera miracula approbari, sunt blasphemi. n. 154.

Bonæ fidei contractus.

Tomo 4.

Aliqui solo Consensu perficiuntur, aliqui Re. Prioris generis sunt: Emptio, Venditio. Locatio, Conductio, Societas, Mandatum. Ex his celeberrimus est Emptio, Venditio. fol. 1. Ex eo quòd solo consensu perficiantur, malè intulit Giphanius, esse nudum Pactum prout hoc opponitur Contractibus: dicuntur tamen esse nudum pactum, quatenus nec verborum solennitatem, nec scripturam, nec traditionem ad substantiam requirunt. fol. 2.

Bona vacantia, vel derelicta.

Tomo 1.

Bona vacantia à peregrino in hospitali sine hærede decedente relicta, applicanda sunt ab Episcopo ad pias causas. fol. 399. n. 3.

Ut bona censeantur derelicta, non sufficit, in eum statum devenisse, ut nisi tu occupares, omninò perirent, aut non possent ad dominum sine majore sumptu reverti. Sed animus domini ex circumstantijs colligendus est, & impossibilitas moralis recuperandi talis esse debet, quæ reddat domino suum dominium nullius æstimationis. fol. 400. n. 5. & 6.

Re

Res pro derelicto habita, fit primò occupantis, si velit esse dominus, & dominij capax sit. f.eod. n.8.

Bonorum Collatio.

De Bonorum Collatione ab hæredibus facienda vide. *Collatio Bonorum.*

Bonorum Possessio.

Tomo 2.

Bonorum Possessio contra tabulas solis liberis datur, non item ascendentibus, multò minùs lateralibus, aut alijs extraneis. Liberis, inquam, præteritis in testamento, eâ præteritione, quæ non habetur pro exhæredatione. Utilitas hodie præcipua esse videtur, ut occurratur scriptis hæredibus, qui inte prætorio facilè impetrarent Bonorum Possessionem secundùm tabulas: de cætero vix potest habere utilitatem, cùm testamentum sit nullum. f.147. n.640.

Bonorum possessio secundùm tabulas conceditur cuicunque hæredi scripto secundùm tenorem testamenti, habétque plùs securitatis quàm hæreditatis petitio. fol. cod. n.641.

Ut Prætor det Possessionem *Bonorum* secundùm tabulas, non considerat an ex aliquo capite testamentum sit impugnabile, dummodò tabulæ sint supremæ, septem sigillis signatæ, factæ ab eo qui Jus testandi habuit. Impugnato postea testamento Prætoris beneficium evanescit. Dum tamen pendet appellatio à sententia contra testamentum lata, non datur bonorum possessio ab intestato proximitatis jure. fol. cod. n.642.

Quando testamentum est Nuncupativum, Bonorum Possessio secundùm nuncupationem datur. eod.

Volunt aliqui, quòd Bonorum Possessioni esset locus post elapsum tempus petendæ hæreditatis. fol.148. n.643. Alij alias utilitates quærunt, vg. quòd constitutus sub aliena potestate, posset petere Bonorum Possessioné ignorante illo, sub cujus potestate est, accedente ratihabitione: item, quòd Bonorum Possessionem etiam inferior gradus agnoscere posset; item quòd peti posset per Procuratorem, & sub conditione: quòd de singularum rerum hæreditariarum possessione habeat interdictum *Quorum Bonorum.* Alij verò negant hodie esse Bonorum Possessionis usum, eo quòd per Constitutiones Civiles plenissimè sit cautum. cod. & seq.

Bulla.

Tomo 1.

Bullam non esse receptam, intelligendum, quòd intra decennium fuerit non usu desuetudine abrogata. fol.6. n.19.

C.

Cæcus.

Tomo 2.

Cæcus nec testamentum purè nuncupativum, nec purè scriptum condere potest, sed utriusque solennitates aliquo modo observare debet, ut valeat testamentum, ut proinde sit quasi mixtum, ob fraudum majus periculum. fol. , 4. n. 246.

Jure Bavarico (secùs jure communi) requiritur tanquam substantialis solennitas, ut in testamento cæci præter nomen hæredis, exprimatur etiam cujus dignitatis, statûs aut conditionis sit. eod.

Non vitiaretur testamentum perversione ordinationis, sicut nec alia testamenta. fol.55. n.247.

Ad Cæcorum Codicillos non requiruntur septem Testes unà cum Notario, sed solùm, ut Cæcus ultra quinque testium numerum consuetum, Notarium aut sextum testem adhibeat, ac præter scripturam & subscriptionem testium, voluntatem suam expressè nuncupet. fol. eod. n.248.

Ad testamentum Cæci inter liberos, vel ad causas pias, requirit Jus Bavaricum ultra communia testamentorum inter liberos Notarium, aut ejus loco alium testem. fol.eod. n.149.

Calumnia.

Tomo 6.

Juridicè loquendo tunc committitur, quando quis alium malitiosè, & scienter in Judicio accusat de *falsis* rebus, vel conatur sustinere, quod scire debet esse iniquum, & ideo exigitur ab Actore Juramentum Calumniæ. fol.93. n.155. de quo vide: *Juramentum Calumniæ.*

Pœna Calumniæ, est arbitraria pro diversitate circumstantiarum. eod.

Cambium.

Tomo 4.

Contractus Cambij est species Permutationis, adeóque contractus innominatus, & est Pecuniæ cum pecunia permutatio: ità quidem, ut statim transferatur primo loco solutæ dominium, in quo differt ab Emptione. fol. 124. n.369. ubi vide ejus differentias à mutuo, & explicationem variorum terminorum huc spectantium.

Litterarum Cambij periculum est Campsoris, & hoc sensu gerit personam mutuantis. fol. 125. n. 372.

Quando Contractui deest titulus realis, & tantùm est apparens, vocatur Cambium Siccum, quia est Usurarium, & opponitur Reali. fol. 125 n.373.

Cambium Reale dividitur in Cambium *Manuale* seu *Minutum.* quando commutatur pecunia præsens minùs bona cum meliore: & in Cambium *Locale* seu *per Litteras*, quando commutatur præsens pecunia cum absente. fol. eod. n.374.

Quando Campsor solvit pecuniam præsentem, ut reddatur alibi suo correspondenti, solet fieri instrumentum publicum. Quando verò Campsarius solvit prior Campsori, accipit à Campsore litteras ad correspondentem, ut solvat, & in rationes referat. fol. 125. n. 375. & seqq. ubi variæ utilitates Cambij recensentur.

Cambium manuale justificatur ex pluribus titulis, ut Campsor accipere possit plùs quàm dat.

1. Lucrumcessans, & damnum emergens. 2. Officium Cambiendi à Magistratu impositum. 3. Labor in numeranda pecunia 4. Qualitas Monetæ. Denique periculum valoris variandi. fol. 126. n. 379. & seqq.

Cambij localis primus titulus est, æstimatio virtualis translationis pecuniæ in alium locum. quò pertinet Titulus Assecurationis fol. 118. nu. 384. Secundus est minor valor pecuniæ, qui titulus est controversus. n. 385. & seqq.

Cambium locale ex titulo virtualis trajectionis etiam licitum est, quando Campsor hic prior solvit. fol. 130. n. 390. Neque redderetur illicitum, etiamsi Campsori commodum esset, alibi sibi solvi. fol. 131. n. 392.

Ad defendendam praxin, quâ plùs accipitur titulo longioris dilationis solutionis, præsumendum est, semper subesse alios titulos, & quoad hoc credendum Campsoribus, & Mercatoribus, ob longam experientiam. fol. 131 n. 394.

Cambium cum Recambio quomodo fieri soleat, variè figuratur. fol. 132. n. 395. & seqq. quo fit, ut in effectu debitum in eo loco solvatur, ubi contractum est, & quidem cum lucro. Hujusmodi Recambium esset Siccum & illicitum, si Campsor sciret, petentem pecunias alibi solvendas cum lucro Cambij, non habere in illo alio loco pecunias, neque etiam aliquem ibi esse, qui suo nomine sit soluturus, adeòque reipsà constituisse pecuniam eum lucro solvere in loco ubi eas accepit. fol. 113. n. 400. Quòd si Campsor bonâ fide processisset, Campsarius verò subdolè simulâsset, se alibi soluturum, teneretur Campsori ad luerum cessans & damnum emergens. poteritque Campsor lucrum Cambij exigere eod. ubi vide plura corollaria.

Si Petro volenti accipere Romæ Mille ad Cambium Placentiæ solvendum, & dicenti, se Placentiæ nullas habere pecunias, dicat Campsor absque dolo, sed ad gratificandum, se ibi personaliter daturum Mille, ad novum Cambium, cum lucro Cambij Romæ solvendos, & quibus exigatur Placentiæ primum Cambium, manente debito tum primi Cambij, tum 1000. cum lucro secundi Cambij Romæ solvendorum, esset licitum fol. 134 n. 405. & seqq. ubi vide plures casus.

Non esset licitus cambiendi modus, quo Joannes vel ejus Procurator Antonius, vellet Placentiæ creditum ipsius Petri Romæ contractum, transferre in Petrum ad novum Cambium Romæ solvendum, quo tamen Petrus extingueret primum Cambium, sed insuper lucrum ex duplici cambio solvere teneretur. fol. 135. n. 408.

Ad varias argutias securè dijudicandas, Regula est: Si illud quod in hujusmodi modis & pactis cambiendi per virtuales & implicitos terminos conceptus involvitur, in explicitos resolvatur: tunc enim si appareat, quod in rei veritate idem sit, ac si Petrus promitteret Joanni solutionem sortis Romæ cum duplici lucro Cambij, est contractus usurarius. fol. 136. n. 409.

Simpliciter & absolutè non est improbandum Recambium, seu Cambium cum recursu, quamvis in praxi sit admodum periculosum & dissuadendum. fol. eod. n. 410. & seq.

In Bulla Pij V. prohibetur, ne fiat pactum de certo & determinato interesse, etiam pro eventu, quo sors non fuerit soluta. Nec valeret contractus, etiamsi omnis fraus abesset, & taxatio ad æqualitatem periculi fieret, quia lex annullat. fol. 138. n. 414.

In eadem Bulla præcipitur, ut Cambia Realia fiant ad proximas nundinas. fol. 139. n. 415. & seq. ubi vide limitationem & casum. Non est tamen prohibita dilatio ad remotiores nundinas, quando Campsor prior dat pecunias. n 418. Distantia loci observanda est, ut terminus competens sit ad solutionem faciendam. fol. 139. n 419.

Non licet Campsori deducere in pactum ultra justum pretium, ut casu quo Campsarius debito loco & tempore non solverit, teneatur eandem summam ad Recambium hujusmodi novum lucrum accipere, nisi alius titulus accedat. fol. 140. n. 424.

Quando ex pacto non debentur lucra & provisiones nisi finito Cambio & extincto toto debito, tunc non possunt illa lucra intermedia in sortem adjici ad Recambium, cùm necdum eorum solutio debeatur: quando verò debentur statim finito primo Cambio, possunt ad Recambium dari. fol. 141. n. 425.

Non tenetur Campsor solutionem Sortis acceptare non soluto Cambiorum interesse. fol. eod. n. 427.

Praxis inveterata Mercatorum habet, quâ pro singulis Centenarijs Scutis debetur tertia pars Scuti secundùm monetam de qua solvitur Cambium: quo fundamento defendi possit vide fol. 141. n. 429.

Si Campsor ex officio cambiat, non est illi licitum adigere Campsarium, ut dum mallet ad locum vicinum, accipiat Cambium ad locum remotiorem: secùs dicendum, si non ex officio exerceat. fol. eod. n. 430.

Captura. Captivus.

Captus à Turcis quali privilegio gaudeat, vide *Servus*.

Tomo 1.

Captus etiam in bello justo, licitè potest fugere ad suos, & sic libertatem recuperare. f. 409. n. 55.

Captus dum est in Captivitate apud hostes ubi servi fiunt, de jure scripto non posset facere testamentum, nec factum convalesceret per reditum: si tamen priùs in civitate fecisset, & à captivitate rediret, vel in captivitate moreretur, valeret f. 46. n. 209. Codicilli in Captivitate facti, si in captivitate sit mortuus, non confirmantur, quia fingitur decessisse ante captivitatem bene tamen si rediret, quia fingitur nunquam captus fuisse. n. 210. Hodiernis tamen moribus probabiliter sustinentur testamenta apud Turcas & Saracenos in captivitate facta secundùm leges illius populi. 211.

Carcer & Custodia alicujus tunc adhiberi potest, quando

quando delicti (de quo inquiritur) pœna ordinaria est in æstimatione hominum notabiliter major & gravior, quàm molestia carceris, neque Judex potest per alia media obtinere debitam delicti vindictam, prout quandoque potest in personis opulentis & habentibus bona immobilia, quorum intuitu non est periculum fugæ ad declinandam pœnam ordinariam. fol. 230. n. 116.

Ad capturam & incarcerationem requiritur in Imperio Indicia facientia aliquam probabilem conjecturam & suspicionem de crimine à tali persona perpetrato. Quænam autem sint talia Indicia, Judicis arbitrio est relinquendum. In specie autem tale indicium esset fuga, imò fundamentum prudenter suspicandi fugam. fol. 231. n. 119. & seqq.

Mulieres in delictis gravissimis, etiam honestæ, in publico carcere includuntur, separatæ tamen à conversatione virorum. fol. 232. n. 122.

Nobilitas & Doctoratus non penitus liberat ab incarceratione, quæ tamen eum moderatione fieri debet. n. 124.

Infirmi non incarcerantur, sed Judex petit assecurationem fidejussoriam; vel adhibet custodes sumptibus infirmi. n. 125.

Locus Carceris, (quando habet rationem custodiæ) per se loquendo non debet inferre extrinsecas molestias, nisi conditio personæ & delicti aliud requirerent. fol. 233. n. 126.

Incarceratio non debet extendi ultra tempus latæ sententiæ. n. 127.

Plures ejusdem delicti Complices ab invicem separandi sunt. n. 128.

Damnatus legitimè ad mortem, potest bonâ conscientiâ fugere, nullâ tamen vi illatâ Custodibus, nec effringendo carcerem; nec rumpendo vincula. fol. 234. n. 130. Idem dicendum de condemnato ad mitiorem pœnam quàm sanguinis. n. 132. Imò probabilius est, licitum illi esse effringere carcerem, & vincula disrumpere. n. 134. Excipiendi tamen Religiosi à suis Superioribus incarcerati: fol. 235. n. 136. Excipiendus etiam est, qui juràsset, se non elapsurum, adeo ut ne quidem licitè fugeret, etiamsi injustè incarceratus esset. n. 138.

Licitum etiam est juvare incarceratos ad fugam subministrando instrumenta, nisi captivus esset homo perniciosus Relpublicæ. Possunt tamen tales auxiliatores in foro externo puniri. Quodsi ipsi manum admoverent ad effringendum carcerem, ob vim publicam possent gladio puniri. f. 336. n. 143.

Carcer.

De hoc vide *Captura*. & *Debitum*.

Caupo.

Tomo 1.

Caupo ob furtum factum à Viatore, non tenetur in duplum Actione in factum ex quasi delicto, benè tamen in simplum Actione in factum de *Recepto*. f. 97. n. 150.

Causa Pia.

Quomodo sit privilegiata in Testamento, vide *Testamentum*. *Testes*. *Falcidia*.

Tomo 2.

Causâ piâ institutâ, filio præterito, Testamentum quidem esset nullum, sed filius, retentâ legitimâ, cætera gravaretur restituere causæ piæ. f. 94. n. 421.

Causa pia potest legatum sibi relictum statim vindicare, etiam ante aditam hæreditatem. f. 140. n. 336.

Censuales Libri.

Tomo 5.

Censuales Libri, seu æstimationis patrimoniorum, probant inter Superiorem, & eum cujus bonorum æstimatio descripta est, res descriptas tantum valere, nisi subditus luculenter probet, nunc minùs valere: item probat, res esse subjectas publicis oneribus, & quoad hoc sibi (non alteri privilegiato) præjudicat. f. 367. n. 483.

Liber Censualis nihil probat in præjudicium Tertij non intervenientis nec consentientis in descriptionem. n. 485.

Ex libro Censuali probatur in favorem tertij; quòd Titius v. g. fecerit inscribi aliquod bonum tanquam suum. n. 486. ubi exemplum.

Æstimatio facta in libro Censuali ab ipso Censitore, non probat justum pretium Rei in favorem tertij, quia solet minoris æstimari, quàm reverà valeat. n. 488.

Census.

Tomo 4.

Census, hoc loco, est Jus percipiendi annuam pensionem ex Re vel Persona alterius. f. 101. n. 287. Differt ab Emphyteusi, quòd dominium tam utile quàm directum fundi maneat penes Debitorem seu Censuarium. eod. Item differt, quòd Censuarius non solvens, non incidat in commissum, sicut Emphyteuta. n. 288. Differt denique quòd Censuarius possit rem censu affectam vendere irrequisito domino, cum onere transeunte ad emptorem, nec debeat solvere laudemium. Et ideo in dubio censetur Contractus esse potiùs Censualis, quàm Emphyteuticus. f. 102. n. 290.

Census dividitur in Reservativum & Consignativum. Prior est, quando quis fundum plenó Jure in alium transfert, reservatâ sibi annuâ pensione, & est potiùs Contractus Innominatus, aut Permutatio, cui potest apponi pactum commissorium. Posterior est, cùm quis alteri constituit ac designat Jus percipiendi annuos reditus ex re sua, & quia communiter constituitur emendó pro certa pecunia, ideo hic contractus est Species Emptionis. Cui tamen non potest adijci pactum commissorium, hoc sensu; ut censuarius amittat dominium non solutâ pensione, quia Creditor seu Emptor non transfert dominium in censuarium, & dat pretium longè minus quàm valet res censita. f. 102. n. 291.

Census consignativus dividitur in Realem & Personalem. Prior constituitur in Re certa, ex qua pensio solvenda, quæ rem comitatur sicut Servitus. Posterior constituitur in Persona, obligante se ad annuam pensionem, absque respectu ad aliam rem ex qua solvatur: quamvis pro Securitate possit adijci hypotheca in re certa, quâ tamen pereunte non perit census: quodsi Censuarius aliunde fieret impotens solvere census, ex re Hypothecaria peteretur, & ideo est Census mixtus. f. eod. n. 292.

Pereunte re censitâ perit census. Si res censita tertio vendetetur, non Venditor sed Emptor conveniendus esset. f. 103. n. 293.

Census Consignativus dividitur 2. in Censum Fructuarium, hoc est Jus exigendi fructus, & Pecuniarium. Uterque subdividitur in Censum quoad quantitatem rei solvendæ certum & incertum, hoc est, ut solvatur pars aliquota v.g. tertia pars fructuum.

Dividitur denique in Perpetuum & Temporalem, qui aliquando est vitalitius. Perpetuus subdividitur in Redimibilem & Irredimibilem. fol. 103. n. 294. Si nihil est expressum, præsumitur esse irredimibilis, nisi ex circumstantijs appareat alia intentio. n. 295.

Census Temporalis ad breve tempus constitutus, inter bona mobilia censetur, secùs inter imobilia: quamvis consuetudo aliquorũ locorum habeat, ut omnes census redimibiles inter mobilia censeantur. f. 104. n. 206.

Censuum emptio cum certis conditionibus approbatur à Pontificibus. fol. 104. n. 297. & seqq. ubi refertur difficile argumentum, quo probari ad apparentiam posset, contractum esse usurarium, & variæ minùs efficaces solutiones. Solutio vera hæc est. Quamvis Jus Censualistæ sit ad fructus in tempus indefinitum, & sic contingere possit, ut tandem longè plùs percipiatur, quàm fuerit pretium, æstimatio tamen horum fructuum recipit limitationem ex multis capitibus, maximè ex periculo amittendi censum, re pereunte, aut infructuosâ redditâ. f. 106. n. 302.

Ubi Bulla Pij V. recepta est, Census Personales non sunt liciti. Jure naturæ spectato vix continget, ut non excusetur hujusmodi census ab usura aliquo titulo. f. 107. n. 305.

Non est prohibitus Census personalis, quo pensiones successivè solvendæ, non excederent pretium simul solutum, cùm habeat potiùs rationem beneficij. f. 107. n. 306.

Census merè Personalis, cujus pretium non adæquat cumulum pensionum, est Jure naturæ illicitus, absentibus omnibus titulis excusantibus ab usura. f. eod. n. 307. Et hoc non solùm est verius loquendo de censu perpetuo & irredimibili, sed etiam de personali ad certum tempus. non tamen procedit de temporali ad tempus incertum, v.g. ad vitam Emptoris, vel Venditoris. nu. 308. Et ex hoc fundamento potest defendi contractus quidam à nonnullis DD. reprobatus, & relatus. fol. 108. n. 308.

Quando ex accidenti fortuito valor Censûs decrevit, potest minori pretio redimi ab ipso Venditore, quo posset ab alio tertio emi, etiamsi hoc à principio non fuerit in pactum deductum. fol. 108. n. 310.

In Bulla Pij V. videtur solùm illa variatio pretij esse prohibita, quæ gravis esset primo Venditori, non autem quæ per retrovenditionem illi esset favorabilis. f. 109. n. 312.

Probabile est, quòd si censûs justum pretium fuit vg. 1000. fl. et emit Petrus à Paulo 800. percepitque fructus seu pensiones annuas 50. per 4. annos, teneatur Paulo non solùm restituere 200. tanquam supplementum justi pretij, sed insuper partem pensionum respondentium. 200. fl. nempe 40. fl. Speculativè probabilius est oppositum. fol. eod. n. 314. Consequenter etiam verius est, si econtrario pretium fuit majus justo pretio, quòd Venditor non teneatur nisi ad restituendum pretij excessum, & interesse, nihil tamen ratione fructuum, quos emptor percipere potuisset ex prædio valente illud majus pretium. fol. eod. num. 315.

Censûs Liciti conditiones.

Quoad Conditiones in Bulla Pij V. requisitas, & quæ non sunt Juris Naturalis aut Divini, obligat Bulla eatenus, quatenus est recepta. Non esse autem ubique receptam, tradunt plures DD. fol. 110. n. 316. Conditiones in Bulla requisitæ, sunt habendæ pro substantialibus, sine quibus nec in conscientia nasceretur obligatio. n. 318. Requiruntur autem substantialiter solùm in illis censibus, in quibus contractus est utrinque onerosus, & synallagma continens. n. 319.

Prima conditio est, ut Census constituatur in re mobili, certa, & fructifera, vel quæ inter immobilia numeratur. f. 11. n. 320.

Potest in censu irredimibili alius Census constitui: in redimibili verò tunc solùm, si hujus reflexi censûs Venditor se obliget, casu quo prior Census redimatur, quòd velit Censum constituere super alia re immobili fructifera. eod.

Per hoc, quòd Pontifex requirat rem certis finibus determinatam, non excluditur census super rebus pluribus, modò illæ existant, & sint determinatæ. Excluditur tamen Census constitutus in omnibus bonis præsentibus, & futuris. Item excluditur Census in omnibus bonis præsentibus, sub terminis generalibus, non enumerando res singulas, eo modo quo enumerantur, quando venduntur. Possunt tamen cætera bona generaliter Hypothecari, pro majori securitate Censûs in re determinata. f. 111. n. 321.

Non

Non sufficit, rem merè esse frugiferam per accidens, & ex hominis industria, ut sunt Litteræ Censuales ferentes Interesse, quia evaderet census personalis. eod.

Si fructus casu fortuito uno anno non respondeant pensioni, nihilominus integra pensio solvenda est. fol. 112. n. 322. & seq.

Non est necesse, ut res censita ferat in specie illos fructus, in quibus constitutus est census, ut solvatur. fol. eod. n. 324.

Potest quis vendere censum ex re aliena, consentiente domino. fol. eod. n. 325.

Secunda conditio. Emendus est Census pecuniâ numeratâ, præsentibus testibus & Notario, & in actu celebrationis instrumenti, non priùs, recepto integro pretio. Non est tamen de jure naturæ, ut ematur integro pretio de præsenti soluto. fol. 113. n. 326. Imò de Jure naturæ sufficeret, loco pecuniæ dari aliam rem etiam non æstimatam. Jure positivo tamen, & quidem in utroque foro, talis contractus esset nullus. num. 327.

Posset constitui Census auctoritate Judicis condemnantis morosum debitorem, ut in pœnam contumaciæ sit obligatus solvere singulis annis certum Censum, donec debitum solvat. fol. 113. n. 328. Requiritur hæc eadem etiam quando Census jam semel constitutus venditur. fol. 114. n. 329.

Non valeret, si in emptione census adderetur pactum, ut venditor & debitor acceptâ pecuniâ, eáque statim redditâ, extingueret aliquod debitum præcedens. eod.

Tertia conditio. Ut non apponatur pactum faciendæ solutionis anticipatæ pensionum, aut obligans ad casus fortuitos. Non est tamen illicitum pactum solvendi partem Censûs post lapsam temporis partem proportionatam. fol. eod. n. 330.

Quarta conditio. Ut in alienatione rei censualis præferatur Censualista, exceptis habentibus jus retractûs. fol. 115. n. 331.

Quinta conditio. Re censuali pereunte, vel infructuosâ effectâ, Census pro rata perit, adeóque vi Bullæ non est licitum, apponere pactum assecurationis de solvendo, etiam re pereunte. Debet autem infructuositas esse perpetua. fol. eod. n. 332. Quodsi pars infructuosa evadat, cæteræ verò maneant fructuosæ, ità ut deductis impensis possit integer Census solvi, adhuc solvendus erit integer, quidquid dicant communiter Theologi, esse solùm solvendum proportionaliter. n. 333. & seq.

Si fundus Censualis divideretur inter plures dominos, posset Censualista exigere totum Censum ab uno solo, vel quantùm fructus paterentur. fol. 116. n. 335.

Si culpâ debitoris reddatur res infructuosa, & Census sit redimibilis, potest quidem debitor redimere, sed interea tenetur ad pensiones solvendas, ob damnum emergens. Si est irredimibilis, non tenetur Creditor acceptare pretium, sed debitor tenebitur actione de dolo, vel in factum ad solvendas pensiones, poterit tamen Censum constituere in alia re æquè fructifera. n. 336. Si in loco rei destructæ alia similis ædificetur, non propterea Census revivíscit. n. 337.

Sexta conditio. Census debet esse eodem pretio redimibilis præviâ denuntiatione, quâ factâ potest cogi ad redimendum. fol. 116. n. 338. Vi Bullæ non solùm Census constituti facti sunt redimibiles, sed omnes deinceps constituendi, alioquin invalidi essent. fol. 117. n. 340. & seqq.

Venditor volens redimere, potest obligari ad solvendum simul totum pretium. fol. eod. n. 344. Quod verum est, etiamsi ad plures perveniret res Censualis, non enim teneretur Emptor acceptare partialem solutionem ab uno. fol. 118. n. 345.

Denuntiatio facienda est à Venditore bimestri ante redemptionem, nec potest Emptor intra hæc cogi ad redemptionem, seu acceptionem pretij & extinctionem Censûs. fol. eod. n. 346. Potest Censualista intra bimestre cogere Debitorem ad extinguendum Censum, nec cogitur exspectare reliquos decem menses. n. 347.

Septima conditio. Non valet pactum redimendi in favorem Emptoris adjectum, ut nempe Venditor obligetur redimere, quando voluerit Emptor, invito debitore. fol. 118. nu. 348. Imò etiam in Bulla prohibetur pactum hujusmodi in pœnam moræ adjectum. fol. 119. n. 349. ubi vide in compendio relatas undecim conditiones in Bulla requisitas.

Deficiente aliquâ conditione in Bulla requisitâ totus Contractus est nullus, & non præcisè in quantum opponitur conditioni. fol. 120. n. 351.

Violatâ Bullâ Fiscus non vindicat pretium Venditori solutum, sed ea solùm, quæ per donationem aut remissionem lædens acquireret à læso. fol. eod. n. 352.

Jure Naturæ esset licitum pactum de redimendo Censu non solùm eodem pretio, sed in eadem specie moneta, si æquale sit periculum decrementi aut incrementi. fol. 120. n. 354. Ratione hujus oneris probabiliter esset augendum pretium. n. 355. Non esset tale pactum contra Bullam, neque si certa alia species in pactum deduceretur. n. 356.

Ex eo, quòd Census perpetuus, quamvis redimibilis, adnumeretur rebus immobilibus, non potest constitui in bonis Minoris, sine Judicis decreto. fol. 121. n. 357.

Vasallus & Emphyteuta possunt constituere Censum inscio domino ad tempus duraturi Feudi. &c. fol. eod. n. 358.

In fundo dotali non potest maritus sine consensu uxoris constituere Censum, si habeat tantùm dominium civile. fol. eod. n. 359.

Proprietarius non potest Censum constituere in re, cujus usumfructum alius habet. fol. eod. n. 360.

Non valet pactum obligans Censuarium solvere pen-

re pensionem in loco domicilii Censualistæ. fol. eod. n. 361.

Emptor poteſt licitè exigere fidejuſſores. f.. eod. n. 362.

Censuarius obligatur simul cum pretio quo redimit, solvere quotam pensionis respondentem tempori elapso. fol. 122. n. 363.

Volens redimere censum hypothecatum, non tenetur monere creditorem, cui est oppignoratus, nisi ab hoc fuisset requisitus. fol. eod. n. 364.

Cùm Censûs extinctio non sit propriè alienatio, non requiritur decretum Judicis, ut à minore redimatur. quamvis Censuario consultius sit, si adhibeatur. f eod. n. 365.

Sic etiam redimi potest census Dotalis à marito, item ab Administratoribus bonorũ Ecclesiæ, fisci, executore testamenti &c. fol. 123. n. 366.

Si creditor tergiversetur in acceptando pretio, sistitur cursus pensionum, si factâ protestatione pretium apud Judicem deponatur, vel Sequestrum, cui creditor debebit solvere salarium, & sors cedit illius periculo. fol. eod. n. 267. ubi vide aliquas conditiones.

Ex censu reservativo Censualista non habet jus prælationis respectu creditorum privilegiatorum, si isti velint esse censuarii, & rem censualem sibi appropriari: habet tamen in re subjecta censui consignativo non solùm in sorte & pretio, sed etiam in pensionibus cessis, & cedendis. antiquioribus tamen hypothecarijs non præfertur. fol. 123. n. 368.

Cessio Bonorum

Tomo 1.

Cessio bonorum est beneficium, quo succurritur debitoribus illis, qui non in fraudem Creditorum sua bona dilapidârunt, neque sunt debitores ex delicto. f. 153. n. 433.

Habet autem debitor, (qui ob debita incarcerari potest, eo quòd non constet quòd non sit solvendo) electionem inter Carcerem, vel Cessionem bonorum. f. 154. n: 436.

Cessio bonorum habet hunc effectum, ut cedens quoad bona, quæ postmodum acquisiturus est, non possit iterum cogi ad cedendum illis, sed ex illis solùm teneatur solvere restantia debita, quantùm commodè potest. fol. 154. n. 436.

Si debitor juret, se nihil ad solvendum habere, nec suâ culpâ ad inopiam redactum, liber erit à carcere, & cessione bonorum, beneficio Novellæ. 35. fol. 154. n. 437.

Beneficium cessionis denegatur. 1. illis qui ex delicto debent; quò spectant, qui in fraudem creditorum bona alienârunt, vel spe cessionis contraxerunt debita, vel per prodigalitatem depauperati sunt, qui scientes se non esse solvendo æs contraxerunt, vel qui dolosè latitant, & secundùm multos, qui debitum negans convictus est. 2. negatur tutoribus ex administratione conventis. 3. Jure Bavarico solis illis conceditur, qui casu improviso sine culpa ad inopiam pervenerunt. fol. 155. n. 443. & seq.

Potest debitor à creditoribus ad cessionem adactus, eam declinare, petendo (si non sit suspectus de fuga) inducias quinquennales ad solvendum, quibus concessis, non licet illi ampliùs confugere ad beneficium cessionis, sed vel est integrè solvendum, vel incarcerandus donec integrè solvat. f. 155. n. 444.

Cedens bonis potest salvâ conscientiâ tantum bonorum occultare, quibus si spoliaretur, incideret in eam necessitatem, quæ auferentem aliena excusat à furto, de qua dictum est *v. Necessitas proximi.* In Germania relinquuntur opificibus instrumenta artis necessaria ad quærendum victum. f. 156. n. 445.

Hæres negligens beneficium Inventarij conficiendi, si deinde non sit solvendo creditoribus defuncti, non minùs gaudet beneficio Cessionis, quam ipse defunctus. f. 156. n. 446.

Ut debitor possit uti beneficio cessionis, requiritur, ut a creditoribus fuerit saltem extrajudicialiter molestatus. f eod. n. 447.

Filius familias cedens bonis, non potest nec debet cedere bonis adventitiis, in quibus pater habet usumfructum, ne quidem quoad proprietatem, quia cessio non fit eorum quæ alienari non possunt. f. 156. n. 448.

Beneficium cessionis fidejussoribus non prodest, quominus post factam à principali cessionem, vel intra quinquennales inducias conveniri possint. fol. 157. n. 450. & seq.

Chirographum.

Quâ ratione fundet Mutuum civile, vide *Mutuum* &. *Pecuniæ non numeratæ exceptio.*

Tomo 5.

Chirographum continens summam debiti sine titulo, non est efficax ad probandum debitum. fol. 112. n. 133.

Chirographum est scriptura privata alicujus manu scripta, tradita ad rei gestæ fidem. Unde denominantur Creditores Chirographarij. fol. 372. nu. 512.

Chirographum confessatum à scribente, plenè probat contra scribentem, exceptis quibusdam casibus. fol. 373. n. 513. Nec est necesse fuisse Sigillum appressum. n. 514.

Si Chirographo non est expressa causa debiti, incumbit producenti allegatio & probatio causæ. n. 515. Exceptâ causâ piâ, ubi præsumitur titulus Donationis. n. 516.

Ex simplici chirographo per debitorem recognito, non probatur jus hypothecæ vel pignoris antiquioris adversùs probantem hypothecam per publicum instrumentum, nisi chirographum habeat subscriptionem trium vel plurium virorum probatæ opinionis. n. 517.

Chiro-

Chirographum non recognitum non probat. fol. 374. ubi vide quomodo producenti probandum.

Chirographum privatum nil probat pro scribente, nisi aliis adminiculis juvetur, vel ab adversario pro se producatur. fol. 375. n. 523. Neque pro tertio, aut contra tertium, (qui non sit hæres) nisi à tertio subscriptum vel mandatum probetur. n. 524.

Quomodo ad recognoscendum chirographum fieri possit litterarum comparatio, vide fol. 375. & seqq.

Citatio.

Tomo 5.

Citatio potest fieri extra territorium citantis. 1. ratione rei sitæ in territorio citantis per nuntium, non vi jurisdictionis, & ad obligandum ut reus compareat, sed ut monitus de imminente lite notitiam illius habeat. quòd si non comparet, potest Judex procedere ad immissionem. fol 82. n. 374. 2 etiam ratione rei sitæ potest reus citari per litteras ad Judicem alterius territorii, in quo domicilium habet fol. 83. n. 3 5. 3. Judex domicilij citare potest subditum extra territorium ubicunque existentem. 4 Per edictum publicum, maximè in actionibus personalibus, quod fit in defectum aliorum modorum citandi. Nec potest fieri à Judice delegato, nisi hoc illi sit specialiter concessum. n. 377. & seqq ubi casus referuntur, & praxis Cameræ.

Citatio est Juris naturalis, quatenus eâ omissâ præcluderetur Reo via defensionis. fol. 184 n. 7. Facta à Judice motu proprio, tunc solùm valet, quando tendit directè ad utilitatem publicam, & fit ex nobili officio. n. 8. Si reus casu esset præsens, adhuc citandus esset, & terminus ad respondendum concedendus, nisi se statim paratum ostenderet. fol. 185. n 9.

Realiter & per comprehensionem non nisi Judex ordinarius citare potest. Delegatus solùm in quibusdam casibus potest personaliter citare, nempe ad actus qui perProcuratorem fieri non possunt. Solet tamen Judex Ecclesiasticus ad effectum verbalis correctionis quandoque etiam in criminalibus citare personaliter. fol. 185. n 11. In citatione Personali exprimenda Causa citationis. eod.

Tam Ordinarius quàm delegatus, possunt citare verbaliter, per se vel per Nuntium aut Notarium. n. 12.

Si citatio fiat per ipsum actorem, non tenetur reus illi credere. fol. 186. n. 13.

Si nuntius publicus, & ex officio ad hoc constitutus sit ac juratus, creditur illi asserenti se citâsse, saltem ut reus jurare debeat se non fuisse citatum; secùs si non sit publicus. n. 14.

Nuntio ad citandum ab Ordinario adhiberi solito, tenetur citatus credere, etiamsi non exhibeat litteras. Non item si delegatos citet, nisi exhibeat litteras citationis, & commissionis. fol. eod. n. 15.

Citatio facta in scripto, requirit 1. ut nomen, & cognomen Judicis exprimatur. fol. 186. n. 16. 2. Nomen & cognomen citandi. 3. Nomen & cognomen illius ad cujus instantiam fit. 4. Insertoda causa. 5. Assignandus certus, & idoneus locus. 6. Dies & terminus comparendi. eod. & seq. ubi ponitur forma.

Citatio alia est Simplex, alia Peremptoria. Simplex non priùs constituit contumacem, quàm tertiò facta. Peremptoria verò, si citatus ad diem præfixum non compareat, contumacem constituit. fol. 18-. n. 19 Peremptoria si sola fiat debet, tantum temporis continere, quantum tres simplices ex locorum consuetudine continerent: de Jure intervallum est decem dierum. n. 20.

In quibusdam casibus citatio potest omitti, nempe quando ad finem defensionis non esset utilis. fol. 187. n. 21.

Citatio, quæ per nuntium facienda, arctat citandum, si nuntius fuit malitiosè impeditus, quominus in faciem citaret. o. 22. ubi casus.

In certis casibus citatio facienda in scriptura; quos vide. fol 167. n. 23.

Citatio existentis extra territorium citantis, fieri potest tripliciter per Nuntium, per Judicem rei sitæ, per Edictum. fol. 188. n. 24. & seqq. ubi vide declarationem & casus.

Si nuntio commissa citatio facienda in faciem, sed si non reperiatur, ad domum, tunc omissâ inquisitione non valeret citatio ad domum, nisi moraliter certus esset de non reperiendo. fol. 189. n. 28.

Citatio ad illam domum facienda ubi habet citandus familiam: eo absente & aliis, affigenda ad januam scheda. fol. 189. n. 29.

Per citationem à Delegato factâ hodiè nemo extra suam Diœcesin extrahendus ultra diætam, & de consensu utriusque partis. n. 30. & seqq.

Citari non possunt Magistratus non perpetui, qui sunt cum Imperio, adeo ut nec Procuratorem mittere teneantur, nisi in usu non debito officij delinquant. fol. 190. n. 34. tunc etiam adhuc in officio existentes possunt in jus vocari. fol. 191. n. 35.

Possunt hi Magistratus etiam ob alias causas citari, sed non nisi in tempus finiti Magistratûs. n. 36.

Magistratus perpetui seu in tempus indefinitum dati, possunt in jus vocari n. 38. Et quicunque Magistratus in alio territorio existens, potest ibi in jus vocari, si ibi ex aliqua causa forum nanciscatur. n. 39. Denique quivis Magistratus potest in jus vocari ad contestandam litem, sicque impediendam præscriptionem, seu ad perpetuandam actionem n. 40.

Vocatus ab uno Judice, si deinde vocetur ad majus tribunal, coràm hoc comparere cogitur. fol. 191. n. 41.

Citatus à diversis Judicibus paribus ad eundem terminum, habet electionem. si tamen una actio es-

Clericus

Clericus potest intuitu obsequiorum extraordinariorum, adijcere ex fructibus Ecclesiasticis aliquid patrimonialibus bonis, quantùm valent obsequia. f. 319. n. 95. Si etiam parciùs vixit, potest adijcere patrimonialibus, quod comparsit. 96.

Non possunt Clerici Beneficiati Alienare reditus suorum Beneficiorum ad vitam sive alienantis sive percipientis, quamvis possint transigere tanquam super re dubia, absque tamen præjudicio successorum. 97. ubi casus. & 99. Potest tamen locare ad triennium. f. 320. n. 100. Quodsi locatio facta esset ultra triennium, valeret saltem ad triennium, nisi contraria esset contrahentium intentio. 101.

Mortuo Beneficiato intra annum, & Beneficio alteri collato, fructus pendentes ad Successorem spectant, percepti & separati ad hæredes defuncti, nisi alicubi recepta sit Bulla Julij III. quâ disponitur, fructus, ubi non spectant ad Cameram tanquam spolia, spectare ad successores, dummodo realiter & cum effectu necdum percepti fuerint ab antecessore, & alijs proprijs bonis incorporati. f. 320. n. 103.

Clerici possunt Testari de bonis patrimonialibus & quasi. f. 56. n. 250. De bonis seu proventibus Ecclesiasticis superfluis, inspecto Jure scripto non possunt testari, ne quidem ad causas pias. n. 251. Nec hoc solùm procedit de bonis comparatis ex fructibus Ecclesiæ, sed etiam de ipsis fructibus perceptis. 252. & quidem de his à fortiori. 254.

Potestas tamen testandi ad causas pias, non est contra Jus Naturæ, sed potest à Pontifice concedi & consuetudine introduci fol. eod. nu. 255. Imò potest consuetudine introduci, & ab Ecclesia permitti, ut hujusmodi testamenta etiam ad causas profanas valeant, & defacto passim hoc habet consuetudo. f. 57. nu. 257. Item probabile est, hujusmodi consuetudine reddi licitam talem dispositionem, quia probabile est, non esse Jure naturæ prohibitam. 258. & seqq.

Videtur dicendum, quòd Ecclesia permittendo tam universalem consuetudinem testandi, profanet illa bona Ecclesiastica pro tempore mortis. f. 58. n. 262.

Clericus non tenetur patentes instituere hæredes, nec isti præteriti possunt Testamentum dicere nullum, legitimam tamen consequentur. f. 95. n. 423.

Clericus an possit coram Judice Laico reconveniri, vide *Jurisdictio Ecclesiastica & sæcularis ad invicem comparata.*

Tomo 5.

Privilegio fori (de quo vide: *Jurisdictio Ecclesiastica*) ut gaudeat constitutus in Minoribus, aut primâ Tonsurâ initiatus, requiritur, ut vel habeat Beneficium, vel Clericalem habitum & tonsuram deferens alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua schola vel Universitate de licentia Episcopi, quasi in via ad Majores Ordines suscipiendos, versetur. f. 61. n. 275.

Clericus Conjugatus ut gaudeat, observanda est Constitutio Bonif: IX. modò alicujus Ecclesiæ Servitio vel Ministerio ab Episcopo deputati eidem serviant, vel ministrent, & Clericali habitu & tonsurâ utantur. n. 276.

Gaudent eodem Privilegio Novitij Laici, viri & fæminæ Regulares: Oblati. Rectores Xenodochiorum, Fratres Tertij Ordinis D. Francisci in communitate viventes, Milites Ord. S. Joan. & S. Jacobi &c. f. 62. n. 277.

Clericus in Minoribus constitutus, dimissione habitûs, vel negligentiâ tonsuræ, amittit quidem Privilegium fori, si careat Beneficio, recuperat tamen habitu & tonsurâ reassumptis. f. 62. nu. 278. Idem dicendum, si dimisso habitu, & crimine perpetrato, habitum absque fraude reassumit. n. 279.

Clerici Mimi aut Histrionis personam agentes, per annum continuum privantur ipso Jure Privilegio fori. f. 63. n. 280.

Per crimen Assassinij, præcedente Sententiâ declaratoriâ, à Judice Ecclesiastico ferendâ, amittit Clericus privilegium fori. fol. eod. n. 281.

Clericus in perpetrandis enormibus criminibus incorrigibilis judicatus, traditur potestati sæculari, & ab eo punitur pœnis Jure civili constitutis. Prærequiritur autem trina monitio. f. eod. n. 282. Requiritur etiam Sententia declaratoria incorrigibilitatis. n. 283. An prærequiratur degradatio aut depositio actualis, est observanda consuetudo. n. 284. Plura de amissione Privilegij Fori in Criminalibus, vide tomo 6. f. 11. n. 48.

Clerico cum Laico peccante, potest Judex Laicus seorsim Laicum judicare & punire. f. 63. nu. 285. & seqq.

Clericus in flagranti deprehensus, potest à Ministris Magistratûs sæcularis comprehendi, ex consensu præsumpto Magistratûs Ecclesiastici, ob periculum moræ. f. 95. n. 293.

Pœnas impositas à lege, non potest Laicus à transgressoribus Clericis exigere judicialiter, & in ratione pœnæ; potest tamen pro damno facere compensationem aliter non obtinibilem. f. eod. n. 295.

An Clericus possit Privilegio fori renuntiare: item an possit consuetudine aut præscriptione minui, & alia plura, vide: Jurisdictio Ecclesiastica.

Tomo 6.

Ad Judicem Ecclesiasticum spectat cognitio, an Habitus Clerici in delicto comprehensi sit Clericalis. f. 12. n. 50.

Clericus, commisso delicto de fuga suspectus, potest capi à Magistratu Laico, ut Judici Ecclesiastico tradatur. n. 51.

Ut Clericus possit comprehendi à Laico, aliquando sufficit degradatio verbalis, si accedat incorrigibilitas, & ob contumaciam anathema. n. 52.

Si sæcularis delinquens ante capturam assumit statum Clericalem, & Judicium jam est cæptum, potest Laicus de causa cognoscere, sed non procedere contra personam nisi quoad bona: potest tamen persona capitaliter condemnari, & postea ab Episcopo degradari. Si post capturam assumeret statum Ecclesiasticum, censeretur assumpsisse in fraudem, & non liberaret à Judice sæculari. f. 13. n. 53.

Clericus Fornicarius quomodo puniatur, vide. *Fornicarius*.

Cloacæ Servitus.

Tomo 1.

Est Jus immittendi Cloacam, hoc est, meatum subterraneum in ædes, aream, agrum, vel solùm vicini, ad evehendas sordes. Unde dominus habet Jus intrandi ædes, aperiendi pavimentum Cloacæ, eámque purgandi, præstitâ cautione de damno infecto. f. 180. n 176.

Codicillus. Codicillaris Clausula.

Tomo 2.

Codicillus Militis continens institutionem hæredis, induit rationem testamenti f 2. n. 7. Potest tamen adhuc à Testamento distingui, quia non est fundamentalis Sententia, sed aliam supponens. n. 8.

Codicillus est ultimæ voluntatis species, quâ ob defectum solennitatum, directè hæreditas nec dari nec adimi potest, benè tamen indirectè, sicut & legata relinqui possunt. f. 105. n. 193.

Quamvis Exhæredatio non possit fieri in Codicillis, causa tamen exprimi potest indignitatis. Sed hæc non est exhæredatio, quia requiritur Sententia condemnatoria, & portio adjudicatur fisco. f. eod. n. 194.

In Codicillo sufficiunt quinque testes, nec necesse est, esse ad hoc specialiter rogatos. Nec requiritur sigillatio. f. eod. n. 195.

Nec clausula Codicillaris sufficeret in Testamento non habente quinque Testes. fol. 106. num. 196.

In Codicillo Cæci, quinque Testibus videtur superaddendus sextus, sicut in eorum testamentis superaddendus est supra numerum communem. f. eod n. 197.

Non est necesse Testes existere in conspectu Codicillantis. f. eod. n. 198.

Etiam fæmina potest esse Testis in Codicillo. f. eod. n. 199.

Ad Codicillum inter liberos, sufficiunt duo Testes. f. eod. n. 200.

Testes in Codicillo non requiruntur ad Substantiam, sed solùm ad probationem. Unde si Codicillus Testamento confirmatus esset, ne quidem Testes probationis requirerentur, & hæres in Codicillo nominatus, non in Codicillo, sed in Testamento datus censeretur, & in Codicillo solùm declaratus. f. 106. n. 201.

Clausula Codicillaris in Testamento minùs solenni regulariter quidem non subintelligitur, sed tamen in certis casibus. 1. In Testamento facto inter liberos. 2. Quando vel ab ipso Testatore enixæ preces de fideicommissis restituendis, vel ab hærede additur Juramentum f. 107. n 202. & seqq.

Clausulæ Codicillaris primus & præcipuus effectus est, quòd si Testamentum habeat saltem quinque Testes, sustinentur fideicommissa & Legata ab Hærede ab intestato solvenda. f. eod. n. 205.

Secundus effectus est, quòd Institutio directa Hæredis extranei, obliquètur in fideicommissariam, ut Hæres, ab intestato succedens, detractâ Trebellianicâ teneatur hæreditatem restituere Hæredi scripto f. eod. n. 206.

Tertius. eodem modo probabiliùs gravatur per talem clausulam Hæres injustè scienter præteritus aut exhæredatus, retentâ tamen Legitimâ & Trebellianicâ, non item si ignoranter esset præteritus. Idem dicendum si agnatione posthumi Testamentum rumperetur. fol. eod. nu. 207. Nisi haberet parvum institutum, cui portio relicta esset tanquam fidei commissum restituenda. f. 108. n. 209.

Non habet tamen hæc Clausula vim, ut per posterius Testamentum minùs solenne, revocetur prius Testamentum. eod.

Quartus effectus. In arbitrio Hæredis scripti est, an velit agere ex Testamento ad totam hæreditatem Jure directo, an ad dodrantem Jure fideicommissi. Variare tamen non posset (quamvis in conscientia illi deberetur fideicommissum) si postea appareret, Testamentum non habere nisi vim Codicilli f 108. n. 210. Excepto hærede in certo gradu conjuncto, cui licet variare. n. 211.

Codicillum illi soli facere possunt, qui Testamentum. Fieri tamen possunt ab intestato. fol. eod. n. 212.

Confirmantur Codicilli Testamento priùs facto, etiamsi non fiat eorum expressa mentio. Imò & Testamento postea facto, modò appareat, Testatorem à voluntate in Codicillo expressa non recessisse. Hæc Confirmatio consistit in eo, quòd Codicilli innitantur Testamento tanquam accessio, illiúsque Jus sequantur, stando & cadendo cum eodem. Unde si tale Testamentum destituatur ab Hærede, fideicommissum in Codicillo relictum erit nullum: à Testamento tamen nullo ab initio, non pendet valor Codicilli, quia non est illius pars. f. 108. n. 213.

Ex pluribus Codicillis sibi in aliquo contrarijs, in eo in quo contrarij sunt, posterior obtinebit. f. 109. n. 214.

Codicilli

Codicilli etiam infirmantur defuncti contrariâ voluntate, eâque nudâ f. eod. n. 215.

Collatio Bonorum.

Tomo 2.

Collatio bonorum, est illatio in communem bonorum parentis acervum, ex quo legitima debetur, eorum profectitiorum bonorum, quæ afferentis effecta erant, ut cum alijs tanquam Hæres in illis succedat. fol. 122. n. 541.

Jure novo tam ab emancipatis quàm *Suis* omnia illa sunt conferenda, quæ olim Jure Codicis erant conferenda, si pater ab intestato decessisset, nisi pater expressè designet, se aliqua nolle conferri. f. eod. n. 542.

Quoad Ascendentes manet Jus antiquum incorrectum, qui proinde non conferunt, quæ à liberis in vivis acceperunt. Unde non est universaliter verum, illos omnes debere conferre, quibus debetur legitima. eod. & seq.

Si quis ex liberis neglecta bonorum possessione ex cap. *unde liberi* vellet succedere ex capit. *unde cognati*, & concurrere cum cognatis, nec isti nec ille tenerentur conferre. f. 123. n. 544. & seqq.

Nepotes succedentes Jure Repræsentationis, etiam conferre debent f. eod. n. 548.

Fæminæ etiam tunc conferre debent, quando sunt institutæ Hæredes, etiamsi ex statuto à successione ab intestato excluderentur: & hoc intuitu legitimæ, à qua non excluduntur, & ratione cujus haberent etiam possessionem bonorum contra tabulas f. 124. n. 549.

Quamvis Emancipati, quando concurrunt cum *Suis*, debeant conferre, si tamen soli emancipati inter se concurrant, non tenentur conferre nisi dotem, & donationem propter nuptias. f. 124. n. 550. & seqq.

Ut cesset Obligatio conferendi, non sufficit tacita vel præsumpta inhibitio patris, sed requiritur expressa: qualis esset etiam, si pater, designatis partibus hæreditatis diceret, se velle, ut illas integras acciperent. f. 125. n. 552. & seq. Excipiendi tamen illi, pro quibus stat Juris præsumptio. eod.

Collatio non habet locum nisi in illis bonis quæ vivo Testatore quasi ab ejus patrimonio abscesserunt, ut dos, donatio propter nuptias &c. adeoque non in legatis fideicommissis, mortis causâ donationibus. f. 125. n. 552.

Quando Extraneus cum Liberis est Hæres institutus, collatio cessat respectu extranei, non respectu liberorum. n. 554

Collatio facienda est etiam tunc, quando aliqui ex Testamento, alij ab intestato succedunt. n. 555.

Quoad bona conferenda, Regula 1. Generalis tradi solet, illa solùm esse collationi subjecta, quæ accepta sunt ab eo & ex ejus bonis, ex cujus bonis legitima debetur. Unde, cùm vivente Patre Avus non debeat Nepoti legitimam, si hunc Hæredem scriberet, non teneretur res priùs ab Avo donatas conferre. 126. n. 557.

Sola Profectitia, quæ proveniunt ex patre vel matre, vel linea paterna aut materna, conferuntur in legitimam ab illis debitam: non tamen indistinctè omnia, sed quæ specialibus legibus jubentur conferri, aut in legitimam computari. fol. 126. n. 557. & seq.

Altera Regula est, ea omnia esse conferenda & in legitimam computanda, quæ pater non quidem remuneratoriè, sed ex causa necessitatis dedit, ut dotem, contradotem, &c fol. eod. n. 561.

Quando Dos est tantùm promissa, tunc non potest reipsâ conferri: conferenda tamen est æquivalenter & virtualiter per cautionem liberationis seu defensionis faciendam fratribus simul succedentibus, quòd Soror illorum, Filia Testatoris velit eos defendere adversùs Maritum, casu quo dotem exigeret. Si verò dos jam accepta fuit, est reipsâ conferenda, hoc est, confunditur cum bonis paternis, ut proinde ejus partem fratres accipiant, si quidem filia soluto matrimonio dotem recepit à marito: secùs, non confertur realiter, sed remissione tantæ partis bonorum paternorum quantam ex collata dote fratres accipere possent. Quòd si sine culpa apud maritum perijsset, liberaretur à collatione per regulam generalem, quòd debitor speciei per ejus interitum liberetur. num. eod.

Sumptus facti in elocanda filia, v. g. in convivium nuptiarum, non videntur conferendi, ex intentione nimirum patris præsumpta, sicut nec qui fiunt in celebratione primitiarum, vel ingressu filiæ in monasterium, computantur in legitimam. fol. 127. nu. 562. aliud est dicendum de vestibus pretiosis. eod.

Conferenda est etiam Dos, quam avus maternus aut mater dedit, in successione qua matri vel avo materno succeditur in bonis, ex quibus dos data est: adeoque ratione hujus successionis habetur pro profectitia, quamvis cæteroquin adventitia sit. fol. eod. n. 563.

Non esset tamen conferenda annua summa à patre data filio ad sustinenda onera matrimonij, utpote quæ censeretur habere rationem alimentorum. f. 128. n. 564.

Patrimonium filio pro Titulo Mensæ assignatum conferendum est, cùm sit instar donationis propter nuptias. f. eod. n. 565.

Universim illa non sunt conferenda ex Juris præsumptione, quæ ex paterno affectu & liberali quadam pietate impenduntur ad liberorum utilitatem promovendam ultra id quod ex necessitate impenditur, v. g. expensæ pro Gradibus: & quidem Iure Bavarico id constitutum est, nisi pater & mater filium pro debitore agnovisset, vel jussisset ut in legitimam ejusmodi sumptus sibi computari pateretur. f. 128. n. 566. & seqq. Quod etiam verum esset, etiamsi pater administraret bona adventitia filij, ex quibus, si vellet, posset hujusmodi sumptus subministrare: deberet enim monere de hoc filium; si vellet illos sumptus ex bonis

bonis filij facere, alioquin præsumetur ex suis fecisse; & non erunt conferenda, quia Jura probabiliùs nolunt talia conferri. f. 129. n. 570.

Libri ad studia prosequenda comparati & dati habent se sicut alia utensilia, adeoque censentur ad solùm usum concessi, & ideo studijs non absolutis sunt conferendi, quia cùm non sint ex studijs comparati, non sunt quasi Castrensia. Si consumpti essent bonâ fide, non conferuntur, sicut nec aliæ impensæ. Aliud esset, si darentur filio studijs absolutis, ut fungeretur officio litterario, sicut dantur arma aggressuris militiam. fol. 119. n. 572.

Quæ pater pro filio solvisset, ad eum v.g. ex c. ..ere liberandum, vel debita ex delicto solla, illa computarentur in legitimam, & essent ..ferenda, quia data essent ob causam necessitatis potiùs, quàm liberalis pietatis. f. eod. num. 574. & seq.

Pretium expensum à patre pro beneficio iterum vendibili, & ad hæredes transmissibili, esset conferendum, pro non transmissibili expensum non confertur Jure Bavarico, nec in legitimam computatur, idémque probabiliter de Jure communi dicitur. f. 130. n. 576.

Quæ pater expendit, ut obtineret filio Beneficium Ecclesiasticum, Commendam, Doctoratum, non conferuntur, quia hæc personæ ossibus inhærent, nec vendi aut transmitti possunt. Neque interest, an pater hæc immediatè ipsemet expendat, vel det filio ut ipse expendat. 577.

Lucrum ex peculio à patre concesso quæsitum eatenus est conferendum, ut tamen industria non gratis impensa nec debita æstimetur, & tantò minùs ex peculij lucro conferatur. f. eod. n. 578.

Donata donatione simplici, nec à lege improbatâ, non sunt conferenda, utpote liberaliter data, ut haberentur tanquam præcipua: non esset enim liberalitas, si essent conferenda. f. 131. nu. 579.

Donata donatione primùm per mortem confirmandâ, cùm habeant rationem legati, sunt conferenda, quando succeditur ex testamento, secùs quando succeditur ab intestato, nisi alius filius aut filia deberent conferre dotem aut contradotem aut aliam donationem factam ob causam. f. eod. n. 580.

Procedit autem hoc non solùm de suis, sed etiam de emancipatis, ut nempe hi donationes simplices non debeant conferre, tum quia statim valent, tú quia hæc est intentio donantis, tum deniq; quia emancipati quoad obligationem conferendi hodie comparantur non emancipatis. f. 132. n. 585.

Donationes antidorales, non excedentes notabiliter merita filij, non sunt conferendæ, sed accensentur bonis adventitijs ex propria actione partis: du mmodo de meritis constet, & donatio non sit tanta, ut inducat præjudicium legitimæ aliorum liberorum. adeoque Remuneratio sicut debet ex illa substantia patris, quæ subest liberæ dispositioni, salvâ legitimâ. Neque enim remuneratio est æs alienum, cùm non debeatur ex justitia. fol. 132. n. 586. & seq.

Quod dictum est de Donatione Remuneratoria, etiam dicendum est de donatione juramento firmata, & ideo statim valida, nisi præjudicet legitimæ. fol. 134. n. 588.

Ad consequendam collationem competit cohæredibus condictio ex lege, item exceptio de dolo si alter ageret petitione hæreditatis. Expedit tamen ut fiat imploratio Judicis, priusquam locus sit exceptioni de dolo: potest enim contingere, ut plus alteri conferendum sit, quàm ex hæreditate capturus est. fol. eod. n. 589.

Modus conferendi fit, deducendo primò æs alienum, & impensas factas in res hæreditarias. Rea perditæ in specie sine culpa, non veniunt in considerationem, cùm casus fortuitus noceat creditori. fol. eod. n. 590.

Collatio fit vel re ipsâ, vel cautione. Ad realem collationem sufficit, si rei æstimatio consentientibus cæteris conferatur, item accipiendo minus, remittendo tantum ex paternis, quantum haberet ex collatis. Quodsi unus ex cohæredibus ante collationem decesserit, illius hæredi incumbit collatio. eod.

Cautione fit collatio, si datis fidejussoribus aut pignoribus securi reddantur cohæredes de conferendo. Si quis ob inopiam conferre non possit, datur ejus portioni curator, donec caveat. Si caverit, nec tamen cautioni steterit, stipulatio committitur, sed non priusquam interpellatus fuerit. Elapso spatio condemnatur, quanti ea res erit. Si per errorem omissa est collatio, potest adhuc postea peti. eod.

Columbaria.

Tomo 5.

Columbaria sunt licita ex consuetudine. fol. 414. n. 81.

Non est licitum directè & ex intentione, medijs etiam secundùm se non inhonestis, alterius columbas allicere ad suum columbarium. n. 82.

Non licet columbas extra columbarium vagantes capere vel jaculari. n. 83.

Commissoria Lex.

Pactum legis Commissoriæ quando reprobetur vide. *Usura.*

Tomo 3.

Factâ potestate vendendi feudum, potest apponi pactum legis commissoriæ. fol. 305. n. 825.

Tomo 4.

Commissoria Lex est pactum contrahentium, quod contractui cæteroquin perfecto & absoluto adijcitur, vg. ut nisi intra certum tempus pretium ab emptore solutum fuerit, res sit inempta. fol. 67. n. 189. plura vide. *Emptionis resolutio ex pacto legis commissoriæ.*

Commisso-

Commissorium pactum quousque sit prohibitum in pignore, vide. *Pignus.*

Commodati Contractus.

Tomo 4.

Est Contractus re initus, nominatus, Juris gentium, bonæ fidei, quo res gratis ad certum usum eâ lege conceditur, ut eadem ipsa in specie finito usu restituatur. fol. 231. n. 715.

Quando eadem res duobus vel pluribus commodatur, obligantur singuli in solidum: sed uno convento, si præstet quod debet, alii liberantur. fol. eod. n. 717. ubi vide casum in contrarium.

Si pupillus, minorennis &c. sine Tutoris, aut Curatoris auctoritate aliquid commodatò dedit, non obligatur, sicut nec, si accipiat, nisi in quantum locupletior evadit. fol. 232. n. 718. Tametsi adversùs tales non detur actio commodati, datur tamen actio ad exhibendum, & Rei vindicatio. fol. eod. n. 719. Commodans illis obligatur, ut non revocet ante tempus aut usum completum. eod.

Commodatum factum homini libero, qui putatur esse servus, subsistit. fol. 232. n. 720.

Potest servus invito domino res domini validè commodare, si ità domino expediat: si tamen mallet rem non esse commodatam, contractus esset nullus ex defectu consensûs. eod.

Malæ fidei possessor potest commodare, ità ut ipsi competat actio commodati. fol. 233. n. 721.

Habens servitutem Ususfructûs, Usûs, Habitationis, potest commodare. eod.

Uxor potest res viri, eo nesciente, comodare, ità tamen, ut si prohibuerit, & res perierit, ex dote compensetur. eod.

Non solùm res mobiles quæ usu non consumuntur, sed etiam immobiles possunt esse materia commodati. fol. 233. n. 722. Res usu consumptibiles non possunt commodari nisi ad pompam. n. 723.

Quando solius Commodatarii utilitas spectatur, tenetur is ad præstandam culpam levissimam. Unde si res commodata, dum refertur ad commodantem, pereat, periculum ad commodatarium spectat, nisi tali commissum esset referendum, quem commodans solitus est ad talia adhibere. fol. 234. n. 725.

Si utriusque utilitas spectetur, non nisi levis culpa præstatur. 726. Si solius commodantis utilitas spectetur, non nisi de lata culpa tenetur commodatarius. Sicut etiam si commodans non rogatus, sed ultro rem commodatò obtulit. n. 727.

Per se & Regulariter loquendo non tenetur Comodatarius de casu fortuito, nisi ejus culpâ acciderit. fol. 235. n. 728. Potest tamen Commodatarius pacto in se recipere casum fortuitum. n. 729. ubi vide speciale Juris Bavarici. Obligans se ad casum incendij & quoscunque alios, ad illos solùm censetur se obligare, qui sunt æquè suspicabiles. n. 730.

Si Commodatarius est in mora restituendi, & res commodata fortuitò perit, non peritura eodem casu apud commodantem, si restituta fuisset suo tempore, periculum est commodatarij. Idem est, si utatur alio modo, quàm fuerit concessum, & exinde incidit in casum fortuitum. fol. 235. n. 731.

Quando Commodatarius dolo aut contumaciâ rem non restituit, & inde res perit, aut deterioratur etiam casu fortuito, conceditur commodanti ut juret in litem, æstimando rem secundùm tempus rei judicandæ. fol. 236. n. 732.

Si res commodata ex intrinseco vitio, accedente usu concesso, deterioretur aut pereat, damnum est commodantis. eodem. ubi vide casum.

Si res commodata fuit æstimata æstimatione faciente venditionem, tenetur commodatarius solvere æstimationem, etiamsi casu fortuito pereat, quia æstimatio facit, ut in eventum quo periret, haberetur pro vendita tanto pretio. eod. Quodsi æstimatio non fuit taxata, ad id tempus referenda est æstimatio, quo res à tempore moræ quanti plurimi valuerit. n. 733.

Quomodo possit committi mora, antequam perveniatur ad Judicem, & quomodo possit perveniri ad Judicem non præcedente interpellatione, vide. *Mora.*

Si res commodata in se exstet, ac restitui possit, non est locus compensationi pro debito mandantis. Si verò in se non possit ampliùs restitui, sed sit restituenda æstimatio illius, vel si quidem restitui possit, sed non nisi deteriorata, dominus tamen vult sibi restitui unà cum compensatione deteriorationis, posset ratione deteriorationis fieri compensatio alterius debiti ejusdem rationis. fol. 238. n. 739.

Si Commodatarius in casu naufragii vg. vel incendij, salvaret omnes res suas, pretiosas æquè ac non pretiosas, non autem salvaret res commodatas, & precariò acceptas, imò & commodatas præcisè in commodum commodantis, præsumitur à Jure commisisse dolum vel culpam latam, adeóque damnaretur, sicut depositarius, ad æstimationem restituendam, nisi contraria probatione enervaret. fol. 240. n. 743.

Si res commodatæ sunt viliores quàm res propriæ commodatarij, & non possunt simul conservari, potest tamen alterutra, licitum est commodatario salvare proprias, post habitis commodatis. fol. eod. n. 744. Si tamen commodatum factum est in solius commodatarij utilitatem, tenetur commodatarius, si res commodatas posthabuit suis pretiosioribus, earum pretium refundere commodanti. fol. 241. n. 745. Si verò commodatum factum esset in utilitatem utriusque, vel solius commodantis

modantis, ad nullam refusionem tenetetur. fol. 241. 746.

Si res commodatæ sunt æquè pretiosæ ac res commodatarij, cujus solius commodum spectatur, teneturres commodatas præponete rebus proprijs, vel, si suas præfert, refundete æstimationem. fol. eod. n. 747.

Si commodatum est in commodum utriusque, & à fortiori si solius commodantis, potest commodatarius tes suas æquè pretiosas præferre rebus commodatis, nec ad ullam refusionem tenetur. fol. 241. n. 748.

Si tes commodata sit pretiosior rebus commodatarij, tenetur illam suis præferre, in cujuscunque commodum contractus sit initus. f. eod. n. 749.

Si res fuit commodata in utrinsque vel solius commodantis utilitatem, tunc conservatis pretiosioribus commodatis, & amissis propriis, potest compensare jacturam terum suarum, neque tenetur tradere commodanti res suas pretiosiores, priusquam solvat æstimationem rerum perditarum. f. eod. n. 750. Probabiliùs tamen non posset compensare, si contractus in solius commodatarij utilitatem initus fuisset, & commodata fuerunt pretiosiora : quamvis oppositum etiam sit probabile. eod.

Expensæ ordinatiæ spectant ad commodatarium. nisi aliud pactum fuerit. Extraordinariæ, & graves ad commodantem, leves etiam ad commodatarium. fol. 242. n. 752.

Damnum in re commodata, à tertio sine culpa comodatarij datum, regulariter quidem ad comodantem, quandoque ramen ad commodatarium spectat. fol. eod. n. 753. ubi vide casus.

Damnum quod Commodatarius patitur ex re commodata vitiosa, spectat ad commodantem, si scivit vitium, secùs, si probabiliter ignoravit. fol. 243. n. 754.

Si commodans dum contraxit, prævidit aut suspicatus est casum occursurum, quo nisi revocatet rem commodatam ante elapsum tempus, ipse incurreret æquè grave damnum ac commodatarius per revocationem, non licet revocare, tali casu occurrente. fol. 244. n. 757.

Si commodans fuit in illo habituali affectu erga com datarium dum commodavit, ut eodem modo fuisset commodaturus, si casum prævidisset, non licet revocare. fol. eod. n. 758. Si econtrario commodans fuisset in ea dispositione habituali, ut interrogatus respondisset, se nolle obligari pro tali casu, tunc si necdum commodavit, sed solùm promisit, non tenetur commodare, ne quidem in foro externo. eod. Probabilius est, etiam post factam commodationem in uttoque foto posse in tali casu commodatum revocari, etiamsi commodatarius tempore facti commodati potuisset aliter sibi providere, nunc autem non potest. n. 759.

Commodanti competit actio commodati directa, commodatario contraria, quibus tendunt ad obtinenda ea, ad quæ hactenus dictum est, eos sibi invicem obligari. fol. 245. n. 762.

Actione directâ conveniri etiam potest commodatarius, si re commodatâ aliter usus fuerit, vel ultra tempus, item si rem suâ culpâ deteriorarit: ità quidem, ut cum illa possint concurrere actio furti, actio legis Aquiliæ. fol. eod. n. 763. Transit hæc actio in & contra hæredes. fol. 246. n. 764.

Actio contraria tendit etiam ad obtinendas præstationes, per quas commodatarius indemnis servatur, alioquin à commodante damnum sine sua culpa passurus fol. eod. n. 765. ubi vide, quænam sint hæ præstationes.

Commodans potest actione directâ etiam consequi fructus, si quos res commodata tulit. fol. eod. n. 766. ubi exemplum.

Communi dividundo actio.

Tomo 4.

Datur ex quasi contractu illis, qui in communionem rerum singulatium absque expressa conventione incidunt, quæ est actio mixta, & tendit ad divisionem rei communis, ad præstationem fructuum perceptorum, impensarum, & ejus quod dolo, latâ aut levi culpâ in re communi admissum est. f. 349. n. 1120.

Datur hæc actio etiam illi, qui putat se esse socium, cùm illi jam alius successerit, ad sumptuum & damnorum refusionem. fol. 350. n. 1121.

Si consors consotti suam partem oppignoravit, durante pignore non potest agere ad divisionem invito creditore. fol. eod. n. 1122. Si consors alteri creditori oppignoravit, & tradidit, potest agi contra creditorem & consortem ad divisionem. nu. 1123.

Compensatio.

Tomo 1.

Compensatio occulta, pro debito, vel damno ab alio accepto, vel pro indebitè soluto, licita est cum his conditionibus. 1. ut id quod accipis, sit vel tuum vel debitoris cui accipis. 2 ut non habeas spem alio non nimis difficili medio debitum tuum obtinendi, eò quòd scias debitorem non soluturum, & sine gravi incommodo non sit accessus ad judicem. 3. ut non admittas secundam solutionem. 4. ut inde non creetur præjudicium longè gravius innocenti. 5. ut fiat minore debitoris damno, quo potest. 6. ut debitum non sit quomodocunque probabile, sed moraliter certum. fol. 133. n. 332. Non videtur opinio practicè probabilis, sufficere solam probabilitatem debiti. 334. & seqq.

Tomo 3.

Compensatio est debiti, & crediti inter se contributio. fol. 26. n. 154.

Omissâ compensatione, non tepetitur solutum quasi indebitum. fol. 27. n. 155.

Non obstante juramento solvendi, locus est compensationi, cùm sit juridica solutio. fol. eod. nu. 127.

Correcto

Correcto jure antiquo admittitur compensatio in omnibus actionibus. eod.

Compensatio non potest objici debitori incerto. fol. eod. n.127.

Sufficit debitum naturale notorium ad compensandum debitum civile. fol.27. n.158.

Non potest fieri compensatio in debito diversæ speciei. fol. eod. n.159. Potest tamen genus cum genere compensari. n.160.

Compensationi non est locus in Deposito, ne quidem cum simili deposito. fol. eod. num. 161. Neque in Commodato, aut quocunque debito determinato cum indeterminato. 162. Aliæ exceptiones habentur l.3. & fin. C. h. t. ubi una notabilis est, nempe: Possessionem alienam perpetam occupantibus, compensatio non datur. fol.28. num. 163.

Tomo 5.

Debitor unius hæredis, non potest uti Exceptione Compensationis ex eo, quòd alter cohæres sibi tantundem debeat. fol.241. n.308.

Exigente patre debitum à debitore filij, tunc solùm potest uti exceptione Compensationis debitor, si filiusfamilias suus debitor fuit à patre jussus contrahere, aut res in utilitatem patris versa est. fol.eod. n.309.

Competentiæ Beneficium.

Tomo 1.

Beneficium competentiæ est privilegium quorundam debitorum, ut conveniri non possint ultra id, quòd commodè solvere possunt, salvâ nimirum sustentatione competente. fol.157.

Convenit Parentibus conventis à liberis, & econtra. Fratri germano adversùs fratrem, socio adversùs socium. Patrono adversus libertum. Donatori adversùs donatarium. Militi armatæ militiæ. Marito adversùs uxorem repetentem dotem. fol.eod. n.454. & seqq. Probabiliter etiam convenit Doctoribus Juris, Advocatis ex officio, Magistris & Professoribus. 457. Item Clericis, qui semel in Sacris constituti sunt, vel alteri deserviunt proprio ministerio. Et probabiliter omnibus quibus favet Novella 135. nempe depauperatis per infortunium. 458. & 460.

Socero viri convenit hoc beneficium stante matrimonio, non item soluto, si conveniatur ratione dotis non solutæ. Socero uxoris convenit, si conveniatur à nuru, sive stante, sive soluto matrimonio. fol.eod. n.459.

Tomo 4.

Socio in societatis contractu convenit etiam hoc beneficium. fol. 199. n.621. & seqq.

Compromissum.

De hoc vide. *Arbiter. Arbitrium.*

Conclusio in causa.

Tomo 5.

Conclusio est probationum & disputationum ulteriorum renuntiatio. fol.488. n.1143. est ergo actus, quo Judici submittitur litis cognitio ac decisio. n.1144.

Finitis allegationibus & recessibus, Judex quæret ex partibus, an aliquid ulteriùs habeant proponendum. fol.488. n 1145. ubi n.seq. quid agendum, si unâ parte renuntiante altera habeat proponendum.

Conclusione factâ non admittitur ulterior allegatio facti, aut probatio per testes vel instrumenta, regulariter loquendo fol.489. n.1147. & seqq. ubi vide octo Exceptiones.

Conclusio in causa, videtur esse de Substantia Processûs ordinarij. f. 490. n. 1156.

Concludere in causa, potest etiam Procurator ad hoc speciale mandatum habens. n. 1157.

Tempus concludendi est tempus finiendæ instantiæ, nempe in civilibus triennium, in criminalibus biennium. n. 1158.

Jure communi nulla forma præscripta est, benè tamen Jure Bavarico. n. 1159.

Concubinatus.

Tomo 6.

Concubinatus est mixti fori. f. 28. n. 131. Nam & Legibus civilibus prohibetur. n. 132.

Concubina Clerici rectiùs permittitur punienda Magistratui Ecclesiastico: posset tamen etiam puniri à Sæculari, saltem si delictum est notorium, & indè non esset periculum scandali. fol. 29. nu. 133. & seq. Non licet tamen Magistratui sæculari, extrahere concubinam ex domo Parochi, nec exigere expensas factas in capturam concubinæ. nu. 135.

Plura vide: *Fornicatio.*

Concussio. Corruptio.

Tomo 6.

Concussionis crimen committit Judex, quando cum aliquo de Justitia ferenda vel non ferenda componit, & fœdus pecuniarium init. f 94. nu. 156. Pœna est arbitraria pro modo delicti. num. 157.

Corruptionis crimen committit, qui sponte ad corrumpendum munus oblatum acceptat. Et in eo qui se corrumpi permittit, graviter etiam punitur: sed pœnæ in Jure constitutæ hodie non sunt in usu. n. 158.

Confessio Judicialis, & extrajudicialis.

Tomo 5.

Confessio Judicialis est Assertio illius quod ab Adversario intenditur, in loco Judicij coram Judice in tribunali sedente, ad instantiam partis facta f. 176. n. 507. Hujusmodi est etiam, quæ apud Arbitrum facta. n. 508.

Confessio coram Judice facta, etiam absente adversario, est Judicialis, saltem si à Judice acceptetur. n. 509.

Procuratores absque specialissimo Mandato non possunt confiteri. n. 510.

Confessio Minoris puberis absque auctoritate

Curatoris, non nocet, benè tamen cum ea. Confessio Tutoris vel Curatoris sponte facta, non nocet principali, benè tamen, si Judicij necessitate compulsus est. n. 511.

Revocans ex intervallo confessionem factam, tenetur errorem in confessione commissum probare. f. 277. nu. 512. & ad probandum admitteretur, etiamsi iteratò confessus esset. n. 513.

Confessio qualificata potest ab Adversario acceptari quoad substantiam, & recusari quoad qualitatem faventem confesso. n. 514.

Confessio extrajudicialis facta absente Adversario, semiplenè probat. facta præsente Adversario plenè probat, saltem si fuit acceptata: vel nisi evidentibus probationibus possit impugnari. n. 516.

Confessio facta in ultimis voluntatibus, vel in Articulo mortis, nocet hæredi. f. 277. num. 517. Quodsi hæres probaret, debito confessato in Testamento nullam causam subesse, adhuc tamen deberetur ut fideicommissum. f. 278. n. 518. Nisi confessio fuisset respectu personæ, cui non potest aliquid relinqui. n. 519. Vel nisi confessio facta esset in favorem confitentis: talis confessio nihil probaret. n. 520.

Confessio facta in processu vitioso & nullo, valet ut confessio extrajudicialis. n. 521.

Confessionem Antecessoris potest Successor universalis revocare, si ipse confitens revocare potuisset. Non item Successor singularis. n. 522.

Tomo 6.

Confessio facta coram Judice incompetenre, non sufficit in vim probationis ad condemnandum. f. 7. n. 30. & seq.

Non licet Judici fictâ impunitatis promissione elicere confessionem delicti. fol. 2. 44. n. 185. Imò talis confessio sic obtenta, habenda esset pro nulla. fol. 245. n. 186. & seq.

Confessio post torturam facta quomodo ratificanda, & quid agendum si revocetur. vide *Tortura*.

Confessoria & Negatoria Actio.

Tomo 5.

Est actio Realis Civilis, quâ quis sibi vel prædiis suis servitutem ex re aliena deberi contra impedientem contendit. Cui opponitur Negatoria. fol. 115. n. 146.

Competunt hæ actiones utiles etiam pro aliis Juribus. fol. 116. n. 147. ut competant requiritur ut facta sit Quasi traditio, hoc est usus unius, & patientia alterius. n. 148. ubi formulæ.

De his actionibus plura verbo *Servitus*. & to. 1. tr. 3. c. 2. à n. 96.

Confiscatio.

Tomo 6.

In solo crimine læsæ Majestatis hodie bona confiscantur. fol. 323. n. 567. & fol. 333. n. 569. Et eorum qui sibi fugâ consulunt. n. 570. Non præfertur tamen fiscus alijs creditoribus. eod.

Confrontatio.

Tomo 6.

Confrontatio Testium cum reo, non est de Substantia Processûs. f. 266. n. 290.

Si Testes dicant, se reum cognoscere solùm ex visu, non de nomine, Confrontatio est simpliciter necessaria in forma recognitionis. n. 292.

Si Socius criminis confrontatur, & persistunt in contradictorijs, est ad movendus torturæ in præsentia rei. n. 293.

Possunt Testes cogi ad subeundam confrontationem, quando ea est necessaria. n. 294.

Præcisè ad Rei instantiam non est obligatio confrontandi. n. 295.

Ante Confrontationem reus examinandus circa personam Testis, an habeat pro viro probo &c. n. 296.

In forma recognitionis æquum est, Testi objici Iures similes Reo. n. 297.

In Confrontatione repetendum Juramentum vel Tortura, etiamsi priùs facta. f. 267. n. 298.

Ad formam confrontationis spectat, ut Testi legantur ad faciem Rei, quæ deposuit in separato examine. n. 299

Confrontatio non impedit universaliter Testiũ repetitionem, ad instantiam rei. n. 300. & seq. ubi casus.

Teste aberrante in rei recognitione, nihil inde vel reo vel assignato præjudicatur. n. 302.

Confusio. Commixtio.

Tomo 1.

Est modus acquirendi Jure gentium. Quando enim duorum materiæ liquidæ ità confunduntur, ut discerni non possint, si vel utriusque consensu, vel casu fortuito facta est, fit totum commune, etiamsi Specificatio facta esset. Si verò fiat unius solius voluntate, & sine Specificatione, manet etiam commune: si verò cum Specificatione, fit Specificantis. f. 420. n. 112. Vide etiam *Specificatio*.

Quando materiæ confusæ possent ab invicem separari, obtinet, quod in simili dictum est de Specificatione. n. 114.

Confusio differt à Commixtione, quòd hæc fiat in corporibus solidis. n. 114. In Commixtione itaque illud speciale constitutum est, ut si ex unius voluntate commisceantur, v. g. tuum & meum frumentum, tunc non fiat unus cumulus communis utrique, quia singula corpora manent in sua substantia, & secundùm se sunt adhuc separata à cæteris, esto discerni non possint. Quantitas ergò venit in Actionem, qualitatis verò ratio habetur officio Judicis. f. 420. n. 116.

In commixtione pecuniæ specialiter constitutum est, quòd fiat commiscentis alienam cum sua, propter usum quotidianum in commercio, ne dominium sit incertum. f. eod. n. 118.

Conjuges.

Quomodo sibi invicem succedant ab intestato, vide Successio Conjugum.

De Dominio Conjugum in Bonis suis, vide *Dos: Paraphernalia* &c.

Tomo 2.

Portio, quæ conjugi pauperi in bonis divitis ab intestato debetur, si in Testamento non relinquatur, potest peti vel Condictione ex lege, vel extraordinarâ bonorum possessione. non tamen potest querelâ inofficiosi impugnare testamentum. f. 97. n. 434.

Conjuncti.

Tomo 2.

Conjuncti possunt esse Hæredes, vel Legatarij tripliciter. Re tantùm. Verbis tantùm. Re & Verbis. f. 222. nu. 264. Plura de his vide. *Accrescendi Jus. Legatum. Legatarij.*

Conjunctio.

Tomo 1.

Conjunctio potest fieri tribus diversis modis. vel Re tantùm, vel Re & verbjs, vel verbis tantùm. f. 231. n. 86.

Constitutæ Pecuniæ Actio.

Tomo 5.

Est Actio Prætoria, quâ succurritur illi, cui alius nudo pacto promisit se soluturū. f. 121. n. 184. Ad eam non sufficeret debitum merè civile. 185.

Servo aut filiofamilias constitutâ pecuniâ acquiritur Actio domino vel patri. n. 186.

Datur adversùs hæredes constituentis. n. 187. Et pro quacunque Re promissa priùs ex pacto debita. n. 588. Et est perpetua. f. 122. n. 189.

Constitutio.

Tomo 1.

Aliquando sumitur pro Statuto, hoc est lege Inferiorum Principum aut Civitatis. Strictiùs est Decretum Summorum Pontificum. f. 2. n. 2.

Plura vide *Lex.*

Consuetudo.

Tomo 1.

Consuetudo abrogans Legem, differt à Desuetudine, quòd illa sit Nonusus Legis jam acceptatæ. f. 5. n. 22.

Consuetudo alia est Facti, alia Juris. f. 24. nu. 120. Alia secundùm Legem, alia præter Legem, alia contra Legem. 121.

Consuetudo est Jus moribus constitutum, quod pro lege suscipitur cùm deficit Lex. fol. 24. num. 122.

Consuetudo rationabilis esse debet, nec Juri Naturali aut Divino aut Canonico repugnans, nec peccandi ansam aut licentiam præbens, aut aliter Reipublicæ perniciosa. f. 24. n. 123. Consuetudo contra legem sufficienter est rationabilis, si utilitati Reipub. non adversetur. Præter Legem, esse positivè expedientem reipublicæ. 124. & seqq. ubi Exemplis illustratur.

Consuetudo facti abrogans Legem ex suppositione taciti consensûs Principis, non est propriè præscriptio. nec regulanda regulis præscriptionis quoad tempus, sed completur, quando dissimulatio Principis verisimiliter indicat, quòd Legis observationem nolit urgere, unde ne quidem decem anni requiruntur. f. 25. n. 130.

Consuetudine posse contra Legem præscribi, varijs Juribus statutum est. f. 25. nu. 132. Ad hoc non plus temporis requiritur, quàm ad alias præscriptiones. 133. Idem dicendum de Consuetudine præter legem, hoc est Jus & obligationem inducente: itaque sufficiunt decem anni. 135.

Non tamen requiritur ad eam, ut incipiat cum bona fide, sicut aliæ præscriptiones, & ideo non est propriè Præscriptio, sed quasi. fol. 26. num. 136.

Ad talem consuetudinem præter Legem, non sufficiunt duo Actus etiam Judiciales, sed tot requiruntur, ut inde argui possit populi consensus in obligationem. Contra Legem verò tot requiruntur, ut inde appareat Legis obligationem non expedire. f. 26. n. 138.

Consuetudinis Actus debent esse voluntarij plenè, nec metu nec dolo obtenti. f. 26. n. 139. Debent procedere ex Scientia, quòd necdum sit aliunde obligatio, ut præter Legem fiat consuetudo, & ex Scientia Legis contrariæ, ut contra Legem. 140. Item debent fieri ex intentione inducendi obligationem præter Legem. n. 141. & seq. ubi indicantur varia indicia hujusmodi intentionis. Ad præscribendum contra Legem, requiritur intentio se liberandi ab obligatione legis. 143. In Principe sufficit consensus generalis & antecedens, qualis est, quatenus per Leges approbantur præscriptiones hujusmodi. 145.

Consuetudinis præscriptio contra Legem, impeditur per Clausulam *Contrariâ consuetudine non obstante.* 146.

Consuetudo universalis abrogatur per contrariam Legem æquè universalem, etiam nullâ factâ consuetudinis mentione. f. 28. nu. 147. non item particularis, nisi ponatur clausula derogatoria saltem generalis. 148. Imò nec consuetudo particularis per Legem particularem Principis universalis, sine dicta clausula. 149. nec dicta Clausula generalis sufficeret ad abrogandam consuetudinem immemorialem. 151.

Conditio.

Quando Institutioni hæredum apponi possit conditio, & quam vim habeat. vide. *Institutio conditionata sub turpi vel impossibili conditione.*

Tomo 3.

Conditio alia est possibilis, alia impossibilis. Possibilis alia Potestativa, alia Casualis, alia Mixta f. 47. n. 266.

Conditio possibilis quando est de præsenti, vel præterito, non suspendit valorem contractûs, etsi de ejus validitate non constet ob ignorantiam conditionis. f. eod. n. 267

Conditio de futuro contingenti, definitur: Qualitas dispositioni adjecta, vel inhærens, quæ in dubium eventum futurum suspendit aut dissolvit. Fundat tamen statim obligationem exspectandi eventum. f. 47. n. 268.

Conditio Impossibilis, vel est ex Natura Rei talis, vel ex Legis prohibitione. eod.

Conditio necessariò futura, etiam suspendit obligationem, si promittens ignoret ejus necessitatem. Quodsi ante eventum certificaretur de futuritione conditionis, statim inciperet obligatio, sicut ab initio incepisset, si ab initio constitisset. f. 48. n. 270.

Seclusâ Lege positivâ, conditiones ex se impossibiles vitiant contractum. Legibus tamen excipitur dispositio ultimæ voluntatis, & Matrimonium, in his enim habentur pro non adjectis. f. 48. n. 271.

Quoad ultimas voluntates Lex fundatur in præsumptione, quòd Testator fuerit habitualiter ità comparatus, ut eam ablaturus fuisset, si scivisset esse impossibilem: & ideò Lex illam aufert. Erat enim homini expetibile, non mori intestatum, & ultimam suam voluntatem etiam habitualem exitum habere. In Contractibus inter vivos, hoc non erat necessarium, cùm ipsimet contrahentes possint, per se loquendo, suam voluntatem declarare, & ablatâ conditione contrahere. f. eod. n. 273. Ipsa ergò conditionis impossibilis adjectio est reflexè conditionata: *si sit possibilis*. 274.

Quoad Exceptionem Matrimonij, vide: *Matrimonium.*

Conditiones quandoque tales sunt, ut secundùm se quidem sint possibiles, sed ex accidenti impossibiles. In bis ergò inspicienda est mens illius qui conditionem adjecit. Si enim ex circumstantijs colligi possit, non fuisse adjecturum, si scivisset esse ex accidenti impossibilem, habenda est pro non adjecta, quia ipsam conditionem non nisi sub reflexa conditione exigebat: *si defacto est possibilis*. Quodsi ex circumstantijs colligi posset, intentionem fuisse conditioni alligatam, conditio esset habenda pro adjecta, & ejus defectus vitiaret dispositionem. f. 51. n. 289.

Conditione negativâ adjectâ ultimæ voluntati, nempe quæ purificari non potest nisi post mortem Hæredis vel Legatarij, non est exspectanda illius purificatio, sed statim tradendum quod relictum est, præstitâ cautione Mutianâ, quòd si contra conditionem venerit, velit restituere bona relicta illis, quibus alioquin obvenissent. In cæteris contractibus exspectanda est conditionis impletio. Item si conditio adijciatur in favorem tertiæ personæ, si per banc steterit, quominùs conditio impleatur, non impeditur consecutio relicti per ultimam voluntatem, benè tamen valor aliorum contractuum. f. 54. n. 297.

In nullo contractu sub conditione honesta celebrato licet resilire ante conditionis eventum, f. 54. n. 300.

In quibusdam contractibus ne quidem validè potest retractari consensus altero invito, ante conditionis impletionem, & ideò purificatâ conditione evaderet contractus absolutus, absque novo consensu. f. eod. n. 301.

In illis tamen Contractibus, qui Re, seu traditione perficiuntur, & tunc primùm sunt absoluti & perfecti, quando translatum est Dominium, si ante eventum conditionis Promissor revocet promissionem, valet revocatio, ità ut eveniente conditione non absolvatur contractus. fol. 55. n. 303.

Conditiones aliquandò sunt requisitæ ad hoc ut Jus oriatur, aliquando autem supponitur Jus jam quæsitum, & illud applicant, ut operetur terminum Juris, & tales aliquando supponunt Jus ponendi conditionem, hujusmodi est Electio in stipulationem deducta, quæ supponit Jus eligendi. f. 60. n. 329. De Contractibus sub conditione celebratis, vide: *Contractuum qualitates.*

Conditiones contractibus adjici solitæ de futurò contingenti, aliæ sunt Suspensivæ, aliæ Resolutivæ. Priores sunt, quorum eventus facit, ut contractus subsistat, & absolvatur, ac retrotrahatur. Posteriores verò, quando contractus jam absolutus resolvitur conditione existente, perinde ac pacto resolutorio resolveretur. f. 64. n. 178. & seq.

Contestatio litis.

Vide, Litis contestatio.

Contractus.

Tomo 3.

Contractus solet definiri: Ultro citróque obligatio. fol. 2. n. 5. nempe ad aliquid agendum vel non agendum, quod potest re ipsâ præstari vel non præstari, impediendo jus alterius, ne consequatur suum effectum. f. 3. n. 9. Meliùs definitur: Conventio ultro citróq; habita, pariens actionem civilem. n. 12. Quæ definitio comprehendit etiam Donationem, sed quia aliqui negant esse contractum, addere debent definitioni, quòd Contractus pariat actionem Jure Digestorum. fol. 4. nu. 13.

Contractus alij sunt Nominati: hoc est, certum nomen à Jure habentes: alij Innominati. fol. 8. n. 45.

Contractus Innominati quandoque sunt Mixti, & regulantur secundùm illos Nominatos, quibus magis assimilantur. fol. 8. n. 47. In dubio regulariter judicatur contractus Nominatus. eod.

Quando Contractus innominatus est ab una parte impletus, licet impleuti pœnitere, antequam alter impleat, si sit in mora. fol. 8. n. 49. Si nolit pœnitere, habet actionem *Præscriptis verbis.* fol. 9. n. 50. De qua actione, sicut universim de Contractibus Innominatis, plura ex to. 4. tradentur, quæ videantur v. *Contractus innominatus.*

Contractus alij sunt Onerosi, utrique parti obligationem imponentes, alij Lucrativi. fol. 9. n. 53.

Item alij sunt Bonæ fidei, alij Stricti Juris, qui à prioribus

prioribus in eo principaliter differunt, quòd in prioribus Judex non tam attendat ad rigorem pacti, quàm potiùs ad æquitatem, decernendo ea, quæ æquitas postulâsset in pactum deduci, etiamsi defacto expressa non fuerint. in posterioribus verò judicet secundùm rigorem juris, & pacti, astringendo conventioni, quantùm Epiikia patitur. f. eod. n. 54.

Bonæ fidei actiones sunt: ex empto vendito, Locato, Conducto, Negotiorum gestorum, tam directa quàm contraria, Mandati, Depositi, Pro socio, Tutelæ, Comodati, Pignoratitia, Familiæ Erciscundæ, Communi dividundo, Præscriptis verbis æstimatoria, & ex permutatione, hæreditatis petitio, actio ex stipulatu, pro dote. fol. eod. n. 56.

Actiones Arbitrarias aliqui volunt constituere tertiam speciem, alii reducunt ad actiones stricti juris. Quænam sint illæ vide, *Arbitraria actio*.

Contractus alij sunt Expliciti, & formaliter tales, alij Impliciti, & virtuales, seu Quasi Contractus. De his v. *Quasi contractus*.

Contractus alij perficiuntur solo consensu, alij traditione rei, alij verbis, alii scripturâ. fol. 10. n. 65. & seq.

Contractuum Infirmatio per Errorem, Dolum, Metum.

Contractus ex errore circa substantiam est nullus ex defectu intentionis. fol. 11. n. 67.

Quando error vel dolus incidit tantumodo in contractum, nec dat causam, non vitiat. fol. 12. n. 68.

Omne illud prædicatum pertinet ad substantiam, cui de facto intentio contrahentis est alligata, quatenus aliter non vult valere contractum. f. eod. n. 72.

Ex intentionis restrictione communiter adhiberi solita, colligendum est, quid sit de substantia rei. f. 13. n. 74.

Omne illud prædicatum est de substantia rei in contractibus, ad quod ex communi hominum usu, vel ex dispositione legis præsumitur intentio saltem implicitè, & virtualiter restricta. fol. eod. n. 78.

Idem prædicatum individuale potest in uno genere contractûs pertinere ad substantiam, in alio non pertinere. f. 13. n. 80. & seqq. ubi declaratur per exempla.

Dolus dans causam contractui circa accidentia, Jure naturæ est validus, quia intentio non est illi prædicato accidentali alligata. fol. 14. n. 83.

Si dolus à contrahente commissus est, claudicat contractus jure naturæ, exceptis illis, qui non possunt à contrahentibus rescindi. fol. eod. n. 84.

Si promissio est gratuita, nulla nascitur obligatio in decepto. fol. 15. n. 85.

Etiam Jure positivo inspecto claudicant hujusmodi contractus, sive sint bonæ fidei, sive stricti juris. fol. eod. n. 86. & seqq. Itaque deceptor manet in conscientia obligatus servare contractum, si deceptus velit, non econtra. n. 92.

Si dolus à tertio commissus est, & contractus executioni mandatus, tunc ne quidem jure naturæ poterit ad libitum decepti rescindi, nec jure positivo daretur actio redhibitoria, sed deceptor de dolo conveniretur. fol. 16. n. 95. Si res integra esset, posset resilire. n. 96.

Contractus non Irritabiles, ut Matrimonium, Professio Religiosa, metu gravi injusto initi, ipso jure naturæ sunt irriti regulariter & per se. fol. 18. n. 106. Ratio cur aliud de metu, aliud de dolo dictum sit quoad irritationem horū contractuum, est, quia regulariter possumus dolum cavere per diligentem inquisitionem: & ideo non erat necesse, ut Jus positivum, aut natura succurreret. nu. 111.

Contractus Inirritabiles ex levi metu initi, sunt validi tam Jure naturali quàm positivo. f. 19. nu. 113. Cæteri contractus, qui postquam valuerunt, possunt rescindi, non sunt ipso Jure naturæ nulli, quando sunt initi ex injusto metu, sed claudicant, sive metus fuerit gravis, sive levis. f. 19. n. 114.

Imò probabiliùs nec Jure positivo sunt universim irriti, sed ad instantiam à Judice rescindendi, nisi in specie sint excepti: sic enim leges magis favent innocenti læso. Dubitatur tamen de quibusdam, ut de promissione dotis, de constitutione procuratoris, de Jurisdictionis concessione vel prorogatione. de quibus tamen probabiliter idem dicendum. n. 115.

Quando metus est illatus à tertio in eum finem, ut fieret contractus, tunc contractus irrescindibiles sunt ipso facto nulli. Rescindibiles, spectato Jure naturæ non possunt ad libitum dissolvi à metum passo, invito altero contrahente etiam innocente. Attento tamen Jure positivo releinderentur ad instantiam metum passi. f. 19. num. 116.

Si metus incutiatur à tertio non ad extorquendum contractum, contractus verò adhibeatur ut medium ad evitandum illud malum, quod metuitur, contractus non lucrativus valet irrevocabiliter. f. 20. n. 117. & seqq. De lucrativis aliud dicendum videtur in favorem metum passi, & quia alter non perdit, sed solùm de lucro certat. fol. eod. n. 120.

Si quis metum incutiat ex causa justa, sed animo simulato, contractus inde secutus ratione doli potest rescindi. f. 21. n. 122.

Ex metu gravi injusto, datur metum passo Actio & exceptio prætoria; *Quod metûs causâ*. quâ reus convenitur intra annum in quadruplum, (incluso simplo totius damni illati) si in restituendo contumax fuerit, post annum in simplum: quæ, quatenus est pœnæ persecutoria, durat annum, post annum in simplum est perpetua. Adversùs Hæredes non nisi in quantum ad eos pervenit. Dicitur *in Rem scripta* adversùs quemvis, ad quem commodum pervenit. f. eod. n. 123.

Contra-

Contractuum Firmatio per adjectum Juramentum.

Juramentum contractibus alioquin firmis adjectum, hoc operatur, ut ultra obligationem Justitiæ inducat obligationem Religionis, quo casu Juramentum sequitur naturam contractûs, eò usque se extendendo, quò se extendit obligatio Justitiæ. f. 21. n. 124.

Contractus aliqui sunt à Lege infirmati solùm in ordine ad obligationem civilem non inducendam, esto inducant obligationem naturalem. Aliqui verò irritantur adeo, ut nec naturalem obligationem inducant. f. 22. n. 126.

Leges irritantes quandoque respiciunt primariò bonum commune, secundariò bonum privatum. sæpiùs tamen respiciunt primariò bonum privatorum. eod.

Possunt tamen Leges ob reverentiam Juramenti permittere hujusmodi validationem, & eximere à Lege irritante. f. eod. n. 127. Possent etiam ex adverso nolle firmari Juramento; quâ ratione malè putant aliqui, quòd Lex civilis se immisceat rei ad Forum Ecclesiasticum spectanti. eod. ubi exemplum ex Jure Bavarico.

Contractu per Juramentum firmato, si Juramentum relaxaretur, maneret obligatio ex Justitia: unde hæc obligatio transit ad hæredes, etsi non transeat obligatio Juramenti quà talis. f. 22. n. 129.

Quando solùm juratur factum, & non obligatio, satisfit momentaneâ solutione: licétque repetere solutum, nisi juratum esset, non repetitum iri: hæredes tamen repetere possent, & alter in conscientia teneretur restituere, ob nullitatem contractûs. f. 22. n. 130.

Contractus firmantur Juramento, quando Juramentum sine peccato servari potest, & non invenitur turpitudo injustitiæ; ut dolus, metus, usura, ex parte illius in cujus favorem juratum est, & nisi Lex specialiter resistat, ac denique nisi confirmatio cederet in præjudicium tertij. f. 23. num. 135. In hoc puncto Lex *Non dubium* C. de legib. mutationem accepit per *Auth. Sacramenta puberum C. si adversus venditorem.* f. 23. n. 136.

In specie confirmantur Juramento sequentes contractus. Alienatio fundi dotalis, & donationis propter nuptias: Fidejussio mulieris; Donatio inter virum & uxorem, parentes & liberos: contractus minoris: Promissio solvendi & non repetendi quod ludo vetito amissum est: Renuntiatio futuræ successionis: Promissio instituendi hæredem, vel testamentum non revocandi: Donatio excedens 500. solidos: Donatio omnium bonorum: & sic de alijs non exceptis, prout excipitur contractus Prodigi, Impuberis &c. fol. 24. n. 139.

Contractus firmatur juramento etiam contra prius juramentum initus, nisi hoc cedat in præjudicium tertij. fol. eod. n. 143.

Id quod juratur in secundo juramento, non est in se malum, nempe quòd jurans nolit contravenire contractui illicitè celebrato: quæ negatio contraventionis non est mala, nec contraria priori juramento, etsi contractus foerat contrarius. eod. & seq.

Contractuum dissolutio.

Contractus dissolvitur. 1. Novatione, de quo vide. *Novatio.*

Dissolvitur 2. Compensatione. vide. *Compensatio.*

Dissolvitur 3. Acceptilatione. vide. *Acceptilatio.*

Dissolvitur 4. Solutione. vide. *Solutio.*

Contractuum irritatio & nullitas ex inhabilitate contrahentium.

Non hoc ipso quòd Contractus aliquis prohibeatur, est ipso jure nullus, cùm multa prohibeantur, quæ si facta fuerint, obtinent firmitatem. fol. 31. n. 179.

Contractus potest à lege irritari vel quoad solam obligationem civilem, ut nulla detur actio, vel etiam quoad obligationem naturalem. fol. eod. n. 180.

Contractus potest irritari sub hac conditione: nisi contrahens, in cujus favorem lex irritans est lata, cedat jure irritationis. fol. eod. n. 181.

Potest irritari in pœnam alicujus delicti. item ob defectum alicujus solennitatis. eod.

Potest denique irritari reddendo personam inhabilem ad contrahendum. fol. 32. n. 182.

Contractus à lege simpliciter irritati, ne quidē in conscientia pariunt naturalem obligationem. fol. eod. n. 134.

An Prodigorum contractus sint nulli, & quando. vide *Prodigus.*

An Pupillus sine Tutoris auctoritate contrahens, obligetur saltem naturaliter. vide. *Pupillus.*

Quid possent Minores sine Curatoris auctoritate. vide. *Minores.*

Quid possit Filiusfamilias. vide. *Filiusfamilias.*

Quid possint Conjuges circa fundum dotalem, Religiosi, Administratores Bonorum Ecclesiasticorum, traditum est to. Ji. tract. 4. vide in singulis vocab.

Contractuum Qualitates.

Contractûs qualitates sunt, quòd vel sit purus, vel conditionatus, vel in diem, vel sub modo, vel alternativus, vel annuus, vel firmatus adjectione pœnæ.

Contractus purus obligat statim, ut exigi possit. Unde est illud vulgare. ubi purè quis stipulatus fuerit, & cessit & venit dies: Ubi in diem cessit dies, sed nondum venit. ubi sub conditione, neque cessit, neque venit dies, pendente conditione. *Cedere diem* significat deberi. *venire* significat peti posse. f. 43. n. 148. & seq. Commodum tamen tempus, & creditori opportunum expectandum est, quod Judicis arbitrio relinquitur. f. 44. n. 250.

Obligatio

Obligatio ex contractu puro transit ad hæredes obligati, & actio respondens ad hæredes Creditoris, nisi contrarium pactum fuerit. f. eod. n. 251. & seq.

Contractus in diem dicitur, quando executioni designatur dies, vel incertus, vel certus: diei incerti (hoc est an eventurus sit) adjectio resolvitur potiùs in contractum conditionatum. Dies certus etiam tunc est, quando certò eveniet, esto nesciatur, quando. f. 44. n. 254. Et tunc obligatio statim inducitur propter certitudinem eventûs, licèt non urgeat ante diei adventum. Unde Jus transit ad hæredes etiam in ultimis voluntatibus. f. 45. n. 255.

Si ante diei adventum Actor peteret, & debitor non exciperet opponendo, quòd dies nondum venerit, Sententia teneret. f. eod. n. 256.

Adveniente die, si debitor, etiam non urgente creditore, non præstat, quod pactus est, dicitur constituitus in mora, quia dies interpellat pro creditore. f. 45. n. 257.

Si in Contractu ponatur dies certa, sed super re non transitoria ad Hæredes, est contractus potiùs conditionalis, quia non est certum, quòd promissarius seu Creditor sit usque ad illum diem supervicturus. f. eod. n. 260.

Quando adjectio diei convenit pluribus diebus ob æquivocum sensum, est intelligenda de primario die. f. 46. n. 261.

Adjecto die tanquam termino extrinseco, satisfiet per solutione illius diei. f. eod. n. 262.

Quando dies adjectus relinquitur determinandus, determinatio relinquitur Promissori, cùm illi commodum fuerit, hoc est, cùm aberit rationabile impedimentum. f. n. 263.

Promissum in singulos annos, potest peti ad initium singulorum annorum. f. eod. n. 264.

Si verba ità concipiantur, ut tempus incertum non afficiat substantiam, sed illius præstationem, v. g. *lego* 100. *Titiæ*, *quæ non dentur, donec nupserit*, dispositio esset in diem, & obligatio transmitteretur ad hæredes, etiamsi nunquam nuberet. Peti tamen non posset, donec constaret, non esse nupturam. f. 46. n. 265.

Quando Contractum vitient conditiones impossibiles, vide. *Conditio.* & *Matrimonium.*

Jus ex Contractu conditionali quæsitû ante conditionis eventum, nempe obligatio exspectandi eventum, transmittitur ad hæredes, exceptis ultimis voluntatibus conditionatis. f. 52. n. 290.

Spes futuræ conditionis operatur hunc effectum, quòd si debitor fieret suspectus, teneretur præstare cautionem de solvendo, adveniente conditione f. eod. n. 291.

Sicut Contractus conditionatus non est contractus purus, & absolutus, ità debitum conditionatum non venit nomine *debiti* simpliciter & absolutè; adeoque si cui legarentur alterius debita, non censerentur legata debita conditionata, aut in diè. f. 52. n. 292.

Spes futuræ conditionis, & obligatio exspectandi eventum, sufficit, ut conditionalis Creditor præferatur in pignore posteriori Creditori puro, si conditio postmodum purificetur, dummodo conditio sit casualis. f. 53. n. 293.

Purificatâ conditione si Creditor non petit, non propterea statim debitor incipit esse in mora, sed relinquitur illi dilatio usque ad tempus oportunum, sicut in contractu puro. f. eod. n. 294.

Si Contractus fiat sub conditione casuali, quæ tamen non sit adjecta diei, sed afficiat ipsam dispositionem, seu obligationem, tunc si dies etiam adjectus est, non sufficit, vel conditionem impletam esse, vel diem venisse, sed debet utrumq; contigisse. Quodsi dies adjiciatur conditioni, tunc si conditio pendet ex voluntate debitoris, requiritur etiam utriusque impletio: Si verò dies adjiciatur conditioni pendenti ex voluntate & facto alterius, vel sit casualis, satis est conditionem esse purificatam, & constare, nec est exspectandus dies. Si dies adjiciatur cum particula: *Tunc dabo*: etiam utrumque verificari debet. f. 53. n. 295.

Quando conditio afficit dispositionem, incipit dies currere à tempore conditionis impletæ, nisi dies adjectus esset certus, & invariabilis. f. 54. nu. 296.

Eventus conditionis negativæ, est exspectandus in contractibus inter vivos, non verò in ultimis voluntatibus. f. eod. n. 297. Plura vide. *Conditio.*

Contractus *sub Modo*, est Moderatio dispositioni adjecta ex mente disponentis, quâ alter gravatur ad aliquid præstandum: ab hujusmodi tamen obligationis impletione non pendet valor contractûs. Si fiat verbis conditionatis, ex circumstantijs judicandum est de intentione contrahentium. f. 56. n. 306.

Si contrahens consentiret quidē in Contractum, sed non in Modum adjectum, contractus esset penitus nullus, ob defectum debitæ acceptationis. f. eod. n. 308.

In favorem alimentorum Jure novo posset vindicari res tradita sub Modo præstandorum alimentorum, si Modus non servaretur. f. eod. n. 309.

In dubio an Contractus sit sub Modo, vel Conditionatus, præsumitur Conditionatus, nisi ex circumstansijs dubium tolli possit. f. eod. n. 310.

Adjecto modo turpi, contractus valet, etiamsi alter in modum non consentiat. f. 57. n. 312.

Si bonum & utilitas illius, qui Modo gravatur, intenditur, & erat motivum inducens Promissorem ad contractum, censendus est voluisse inducere obligationem, & potest exigi cautio, secùs si non fuit motivum. f. eod. n. 313.

Si post factum Contractum Modus reddatur impossibilis, non propterea potest contractus rescindi, aut res alienata revocari. f. 57. n. 314.

Contractus Alternativus, est Promissio facta sub Disjunctione, quæ potest cadere vel supra rem promissam, vel supra tempus. Res verò & tempus aliquādo differunt solùm secundùm plùs & minùs,

aliquando in prædicato æstimabili, & dicuntur Juridicè recipere *affectionem*. f. 58. n. 315.

In Rebus non recipientibus affectionem, obligatio solùm est ad illud, quod est minus, seu, quo minùs gravatur debitor. f. eod. n. 316. Unde si per errorem plùs solveret, posset excessum condicere. n. 317. In recipientibus affectionem, utraq; est disjunctivè debita, sed electio est debitoris, nisi electio in stipulationem venerit. n. 318. Sive Electio sit debitoris, sive creditoris, pereunte unâ ex debitis absque culpa Promissarij, debetur altera existens, nec satisfieret solutione æstimationis. num. 319. Etiamsi Res vilior perijsset. n. 320.

Verius est, quòd Jus eligendi concessum Promissario transmittatur ad hæredes. f. 59. num. 321. & seqq. Nisi constaret, quòd Promissor voluisset specialiter honorare arbitriû Promissarij f. 60. n. 330.

Quando Alternativa cadit supra personas, tunc potiùs disjunctio videtur copulativo modo prolata. f. eod. n. 331. & seq.

Contractus annuus dicitur, quando quis alicui promittit aliquid in singulos annos. Differt ab Annuo Legato principaliter, quòd in Contractu sit una & pura & simplex Promissio, Actio & Obligatio perpe[illegible]a, & statim oriatur pro annis futuris, & ideo transit ad hæredes Promissoris. In Legatis verò pro primo anno statim oritur Actio & Obligatio, prosequentibus verò Legatum est conditionale, si Legatarius vivat. f. 60. nu. 334. Cùm ergo Contractus sit unus, Legata verò essent plura, nempe pro singulis annis, hinc in contractu lapsus cujusvis anni constituit debitorem in mora, absque alia interpellatione, Secùs in legato annuo. Item per 30. annos præscriberetur tota Obligatio ex contractu, in Legato autem solus primus annus n. 336. & seq. ubi refertur casus.

Contractus potest adjectâ pœnâ firmari, modò servetur proportio inter pœnam & culpam Theologicam. f. 61. n. 341.

Possunt se contrahentes obligare ad pœnam conventionalem, solvendam independenter ab omni Judicis Sententia, imò & exactione non exspectatâ. f. eod. n. 341.

Quando pœna apposita est cum debita proportione ad damnum emergens & lucrum cessans, debetur in conscientia. f. 62. n. 342.

Violans contractum, tenetur in conscientia ad solvendam pœnam punitivam culpæ, non exspectatâ Sententiâ. f. eod. n. 344.

Probabile est, quòd debitor non teneatur solvere pœnam punitivam, antequam alter exigat, saltem extrajudicialiter, nisi aliud expressum esset. f. 63. n. 347. & seqq. ubi referuntur notabilis casus. nu. 349.

Quomodo ratione contractûs forum acquiratur, vide: *Forum competens*.

Contractus Innominatus.

Tomo 4.

Est omnis ille, qui proprio ac speciali Contractûs nomine caret, eo quòd nomen quo exprimitur, etiam contractibus nominatis sit applicabile. Reducuntur Innominati Contractus ad quatuor species: Do ut Des. Do ut facias. Facio ut des. Facio ut facias. f. 326. n. 1041.

In contractu *Do ut des.* periculum rei necdum traditæ absq; culpa, pertinet ad eum cui debetur, & qui jam dedit, quod debebat. f 327. n. 1042. Si verò res ex mora vel culpa perijsset, competit actio ad interesse, nisi malit re suâ sibi redditâ contentus esse. n. 1043. Re traditâ evictâ, convenit alteri Actio civilis in factum. n. 1044.

In contractu: *Facio ut des.* contra non dantem datur actio præscriptis verbis, etiam quando dolus intervenit, quamvis in hoc puncto leges diversimodè loquantur. fol. 327. n. 1045.

Quando unus paciscitur non merum factum, sed alicujus rei traditionem ad usum, ut alter det v.g. pecuniam, est etiam Contractus *Facio ut des.* fol. 328, n. 1046.

Ex initio executionis judicandum est, an sit contractus *Facio ut des.* vel. Do ut facias. n. 1047.

Si contractus isti sint negativi, reducuntur ad affirmativos. ut: *Non facio.* ad: *facio.* idem de Mixtis dicendum, nempe reduci ad Simplices, qui continentur, n. 1048. In dubio præsumitur contractus Innominatus. fol. 328. n. 1049.

De Jure civili licitum est unicuique contrahentium pœnitere, re adhuc integrâ, in hoc sensu, quòd contra nolentem non detur actio. Item illi qui ex sua parte implevit, licet pœnitere, & datum repetere, antequam alter impleverit, etiamsi non fuerit in mora, dummodo indemnis servetur. Ad repetendum datur actio: *causâ datâ causâ non secutâ*. fol. 329. n. 1050.

In conscientia potest quis se obligare ad contractum incipiendum: & si accedat stipulatio, tenebitur ex stipulatu. fol. eod. n. 1051. Potest tamen ità celebrari, ut neuter simpliciter teneatur incipere n. 1052. & nisi aliud expressum fuerit, censetur hoc modo celebratus contractus. n. 1053.

Ex his contractibus datur actio *Præscriptis verbis*. fol. 330. n. 1054.

Si ille qui implevit, velit pœnitere, datur: *Condictio dati ob causam, causâ datâ causâ non secutâ*, quâ repetit, quod dedit. fol. eod. n. 1055.

Hos contractus esse stricti juris, habet communis sententia: sed, seclusâ auctoritate, probabilius est, esse bonæ fidei. fol. 331. n. 1056.

De Contractu *Permutationis*. vide *Permutatio*.

De Contractu æstimatorio. vide. *Æstimatorius Contractus*.

De Contractu Ludi. vide. *Ludus*.

De Contractu Sponsionis. vide. *Sponsio*.

De Contractu Sortis. vide. *Sors*.

De Contractu assecurationis. vide. *Assecuratio*.

Contumacia.

Tomo 5.

Contumacia non solùm committitur & consummatur, quando quis post trinam citationem, vel unam peremptoriam non comparet, sed etiam, quando quis sine consensu saltem tacito recedit, vel se occultat, aut alio modo impedit quominùs ad ipsum citatio perveniat. f. 198. n. 81.

Quatuor

Quatuor illius species assignari possunt. Notoria. Vera. Præsumpta. Interpretativa. quarum explicationem vide. n. 82.

Contumaciam non incurrit, qui Reipublicæ causâ abest. f. 199. nu. 84. Excusant etiam sinistra valetudo, tempestas, vis fluminis, publica expeditio, locus intutus,& similia. n. 85. quod Judicate Judicis arbitrio relinquitur. n. 86. Modò allegata impedimenta aliquo modo semiplenè probentur, saltem Juramento. n. 87. Etiam paupertas excusat, quia talis comparatur incarcerato. n. 88.

Etiamsi Statutum aliquod sit, ut contumax habeatur pro convicto, non ideo statim quoad principale condemnandus, sed priùs ad probanda impedimenta. f. 199. n. 89.

Actor non comparens in primo & secundo termino, reo comparenti condemnatur in expensas litis & viaticum. f. 200. n. 90.

Actor ad peremptoriam vel trinam citationem ante litem contestatam non comparens, adhuc ter per 30. dierum intervalla citandus, & porrò per unum exspectandus: comparens intra hunc annum priusquam audiatur, reo expensas solvet, & de sistendo in Judicio cavebit, nisi probet impedimentum. Quodsi nec hoc anno comparet, debet Judex ad instantiam Rei audire Rei allegationes, probationes, & de causa definitivè pronuntiare; vel (eâ non probatâ) ab instantia Judicij absolvere, & sic citatio circumducetur. Quodsi Actor intra annum venit, sed denuo litem deserit, cadit omnino ab actione post trinam citationem & anni spatium. f. 200. n. 91.

Si Actor post litem contestatam non compareat, reo comparente, citandus est ad instantiam Rei tribus edictis, quorum quodvis ab altero distet intervallo 10. dierum: eo non comparente, Judex causam ex integro dijudicandam assumet. Et si quidem Jus stet pro Actore, non obstante absentiâ, condemnabit reum. Si verò de eo non satis liquidè constet, absolvet reum, & actorem in expensas condemnabit, nullo reservato regressu ad eandem causam. f. 201. n. 94. Et hæc inspecto Jure Communi. Quæ verò in Camera Imperiali, & Jure Bavarico statuta sint, vide fol. 202. à num. 96.

Si Actor instituit Actionem realem, non potest Judex ante litem contestatam procedere ad ferendam Sententiam, quamvis reus sit contumax. f. 202. nu. 99. Sed examinato summariè negotio mittitur Actor in possessionem rei petitæ per primum decretum. n. 100.

Si Actor agit Actione personali, fit immissio in possessionem pro modo debiti in libello expressi. Si petatur Servitus, fit Actori potestas utendi Servitutes, donec reus doceat, eam non deberi. n. 101.

Si Actio realis instituatur contra possidentem rem immobilem alieno nomine, hic nominabit dominum, faciétque comparere dominum constituto termino: non comparentem Judex citabit, & eo contumace, mittetur Actor in possessionem. f. 203. n. 102.

Post litem contestatam, si reus sit contumax, & tamen constet de Jure alterius partis, potest Judex ferre Sententiam definitivam secundùm merita causæ. Reus verò condemnatur in expensas, etiamsi vincat. Si verò non liquet nec liquere potest, Actori adjudicatur possessio, & gaudet commodis possessoris. f. eod. n. 103. Quid observetur in Camera Imperiali & Bavar. Jure, habetur à n. 104.

Primum Immissionis Decretum definitur: Jussus, quo ob contumaciam Rei Actor in bonorum Possessionem custodiæ causâ mittitur, ut ea pignoris loco detineat, donec reus compareat, vel respondeat. f. 204. n. 109. & seq. ubi modus interponendi hoc decretum.

Potestas interponendi hoc decretum, competit illis, qui saltem mixtum imperium habent. f. 205. n. 111.

Hoc Decretum potest peti à quovis Creditore, cui nunc competit Actio, etiamsi debitum esset in diem, vel conditionatum. n. 112. Et si ex pluribus Creditoribus unus obtinuit, prodest etiam cæteris, ut communionem habeant, si debitum probaverint, & expensas solverint. n. 113.

Immissio non solùm fieri potest in bona Allodialia, sed etiam in Feuda, Emphyteuses, Ususfructus. f. 205. n. 114.

Inter bona debitoris conventi actione personali, servatur ordo, ut immissio fiat primò in mobilia; his non sufficientibus in immobilia, denique in Nomina, prohibendo Debitoribus debitoris ne solvant. n. 115.

Immissus per primum decretum, acquirit Jus pignoris, non verò possessionem civilem. 116.

Unà cum immisso etiam Dominus admittitur ad custodiam, & in periculo discordiæ Judex uni attribueret totam. n. 117.

Missus in possessionem ex actione personali fructus non lucratur. Si ex actione reali, tunc etiam primo anno non lucratur, sed fructus custodire debet, ne à reo consumantur. quodsi nolit iste fructus cogere, permittitur Actori cogere fructus, eósque servare, vel venditorum pretium servare. f. 206. n. 119.

Si reus immissioni resistat, competit Actio in factum quanti interest. n. 120.

Si reus post missionem ex Actione reali intra anni spatium veniat, & contumaciam purget, tunc, præstitâ satisdatione de *Judicio sisti*, & restitutis expensis, recuperat possessionem: pariter purgatur contumacia, si reus probet legitima impedimenta non facilè amobilia. n. 122.

Purgatâ contumaciâ Judex omnia restituit in statum pristinum, quo fuissent, si reus debito tempore comparuisset. n. 123.

Actor ex actione reali immissus; si reus per annum maneat in contumacia, evadit incommutabiliter

tabiliter Possessor rei petitæ, etiam civili possessione, cum Jure lucrandi fructus, ità ut reus solùm possit de Jure proprietatis contendere. fol. 207. n. 124.

Secundum Decretum, Actori necessarium & utile in actione personali, definitur: Jussus Magistratûs, quo Actorem, qui custodiæ causâ in possessionem bonorum pro modo debiti prætensi missus jam est, ob adversarij continuatam contumaciam, verum possessorem decernit, & contumacem possessione in pœnam contumaciæ privat. Imò, si reus fuit dominus rei, etiam dominio privat, si non fuit, sed putabatur esse, tribuit Actori Jus præscribendi. f. 207. n. 125. Sæpè decernitur rerum detentarum venditio. f. 208. nu. 129. & Emptore non comparente, decernitur in solutum. n. 130.

Hoc Decretum non habet locum in debitis in diem, vel conditionatis, conditione non existente. n. 126.

In possessione bonorum non allodialium, transfertur Jus percipiendi fructus eousque, donec satisfiat debito: nam dominium transferri non potest. n. 127.

Elapso post primum decretum anno, Actor accedere debet Judicem, & allegatâ contumaciâ petere sibi bona detenta adjudicari in solutum. Judex adversarium citabit, & monebit, ut præstanda præstet: si recuset, aut non compareat, tunc cognitâ contumaciâ & actionis Jure, fit secundum decretum. f. 207. n. 128.

Tempus interponendi hujus decreti, arbitrio Judicis relinquitur, qui tamen non facilè ante anni lapsum id interponet. f. 208. n. 130.

Si post hoc decretum compareat reus, & alleget causas relevantes absentiæ, movens quæstionem de debito, restituetur in integrum. n. 131.

Forma hujus decreti ponitur. n. 132.

Ad interponendum hoc decretum, requiritur plena debiti probatio, vel formalis vel æquivalens, hoc est completa per Juramentum, ad quod reus iterum citandus est, & contumax habetur pro confesso. n. 133.

Contumacia non permittitur in Jure puniri ultra duas uncias auri, hoc est, 16. Ducatis Venetis. f. 209. n. 134.

Copiæ Fidimatæ.

Vide. *Transsumpta.*

Cooperans.

Tomo 1.

Cooperans ad damnificationem alterius, tenetur ad Restitutionem si influxit in damnum, etiamsi eo non cooperante damnum illatum esset. f. 141. n. 372.

Quo ordine, & quousque teneantur Cooperantes pro damno dato restituere, vide Restitutio.

Sunt autem cooperantes: Mandans. Consulens. Consentiens. Palpans. Recipiens. Tacens, Non obstans, non manifestans. ibid.

Correi.

Tomo 3.

Correi non solùm illi dicuntur, qui in Contractu stipulationis sunt Correi stipulandi vel promittendi, sed in quovis alio contractu. quando eadem res pluribus debetur, dicuntur correi credendi, quando debetur à pluribus, dicuntur correi debendi. fol. 85. num. 58. Plura de Correis vide. *Stipulatio.*

Quomodo Correis conveniat beneficium divisionis, vide. *Fidejussorum beneficia.*

Creditor.

Quinam ex Creditoribus habeant jus prioritatis, vide. *Prioritatis Ordo inter Creditores.*

Tomo 5.

Creditori agenti contra debitorem, asserentem, se totum debitum solvisse, & partem solutam fatenti, incumbit onus probandi, non fuisse totum solutum. f. 285. n. 30.

Culpa.

Qualis culpa theologica requiratur ad fundandam obligationem restituendi ex injusta læsione, seu secunda radice Restitutionis, vide, *Damnum injuriâ datum.* Tomo 1.

Culpa obligans ad restitutionem, quandoque provenit ex negligenti administratione officij, quandoque ex violatione obligationis initæ per contractum ad certum gradum diligentiæ præstandæ, quandoq; ex alia injusta læsione juris alieni. f. 104. n. 183.

Culpa duplex est. Theologica, & Juridica. Illa est peccatum contra Justitiam. hæc est omissio alicujus diligentiæ debitæ. eod. n. 184. Juridica est quintuplex. Latissima. Latior. Lata. Levis. Levissima. Latissima est dolus apertus. Latior, dolus præsumptus. Lata, intermissio diligentiæ communis, & in jure sæpè (non semper) dolo comparatur, Levis est omissio diligentiæ quam homines providentiores solent adhibere, & sæpè in Jure venit nomine *Culpæ* simpliciter posito. Levissima est omissio diligentiæ exactissimæ. In Judiciis non fit differentia inter Culpam Latiorem, & latam. f. 104. nu. 185.

Culpa lata præstanda est Regulariter in contractibus cedentibus in utilitatem illius, cui alter obligatur. Levis in illis, qui in utilitatem utriusque, Levissima, qui in utilitatem solius obligati. f. 114. n. 246. De quibus omnibus magis in specie videndum in singulis speciebus Contractuum.

Tametsi diversitas obligationum ad diversas culpas præstandas, ultimatè proveniat à constitutione legum, datur tamen ex ipsa rerum natura etiam aliqua diversitas. v.g. diligentia quæ in Commodatario quà tali esset communis, in Depositario quà tali esset major. adeoque hujus culpa levis posset in commodatario dici lara, formaliter & comparativè spectata. Juridicè tamen & materialiter vocatur culpa levis. f. 114. num. 248. ubi per exemplum declaratur.

Quando

Quando quis ex constitutione Legum ad certum genus culpæ cavendum obligatur, tunc nisi expresè aliter conventum fuerit, obligatur etiam in conscientia ad illam culpam vitandam ex Justitia. f. 115. f. n. 249. Non tenetur tamen ante Judicis Sententiam ob culpam ex inculpabili inconsiderantia commissam; & quia Judex ex præsumptione culpæ procedit, tenetur quidem parere Sententiæ, sed habetet Jus occultè compensandi. 250.

Curatela. Curator.

Tomo 1.

Curatela differt à Tutela, quòd primariò detur bonorum administrationi, & non præcisè ob defectum ætatis. f. 343. n. 217. Durat ab anno pubertatis usque ad 25. annum, si præcisè detur ob defectum ætatis. Jure Bavarico usque ad 21. fol. 344. n. 220.

Curator non datur invito nisi ad litem. Imò in causis spiritualibus, ut Matrimonio, Beneficio &c. & quæ annexa sunt, quisquis pubertatem adeptus est, potest sine Curatoris & Patris consensu per se vel per Procuratorem respondere. Quodsi impubes sit, adjungetur ei ab Episcopo, vel ejus Vicario Curator aut Procurator. f. 344. nu. 220.

Plura Curatoribus & Tutoribus communia, vide *Tutor.*

Curator non datur de Jure communi invito nisi ad litem. Testamento datus debet confirmari. f. 363. n. 315.

Curatores non tantùm dantur Minoribus, sed etiam alijs, qui rebus suis præesse non possunt, ut furiosis, prodigis, ægris, surdis, mutis &c. f. eod. n. 317.

Curator convenitur utili Actione tutelæ, item Actione negotiorum gestorum, quæ datur etiam durante curatelâ, sicut etiam Actione ex stipulatu. f. eod. n. 318 & seqq.

Curatori datur Actio utilis contraria. f. 364. n. 321.

D.

Damnatus.

Tomo 2.

Damnatus pœnâ capitali ante ultimam Sententiam potest cum Testamento decedere, secùs post latam Sententiam, neque testari ampliùs potest. f. 48. n. 221. & seq. & iterum tomo 6. f. 323. num. 568.

Si damnatus non habeat liberos aut conjunctos usq; ad tertium gradum, bona fisco adjudicantur, Imò in crimine læsæ Majestatis omnibus exclusis. f. 49. n. 222.

Damnatus ad perpetuos carceres, testari non potest. f. eod. n. 223.

Damnatus etiam ob Carmen famosum, Intestabilis est. f. 50. n. 226.

Damnum Injuriâ vel sine Injuria datum.

Tomo 1.

De hoc vide imprimis, *Aquilia Lex. Delictum vel Quasi. Noxalis Actio. Restitutio.*

Damnum sine culpa Theologica datum, nullam parit in conscientia obligationem reparandi. Jure naturæ, sed comparatur casui fortuito, sicut si ab amente factum esset, quia non voluntarium. f. 104. n. 187. Cùm hoc tamen stat, quòd obliget ad reparationem damni, etiamsi erravi circa personam, dummodo in genere fuerit voluntarium 190.

Ex peccato veniali ob defectû plenæ advertentiæ, si (ut aliqui volunt, sed malè) nasceretur obligatio, ea esset non solùm ad partem, sed ad totû. f. 105. n. 191. Ex semiplena advertentia, non nascitur obligatio ad reparandum damnum grave, utpote in ratione gravis non voluntarium. f. 106. n. 195.

Ex pluribus damnis levibus successivè factis, & denique damnum grave inducentibus, adhuc nascitur obligatio gravis ad restituendum tantum, quo restituto non remaneat damnum grave. f. 106. n. 197. Non tamen nascitur hæc obligatio præcisè ex peccato veniali, prout habet rationem culpæ, sed ex conventione & consensu tacito illi culpæ annexo, quo quivis quacunque læsione voluntariâ voluit esse obligatus ad restituendum damnum, quod voluntariè intulit. fol. 108. n. 208. & seqq.

Qui per errorem putat, damnum à se inferendum majus esse, quàm reipsâ sit, affectivè quidem graviùs peccat, sed non tenetur ad amplius, quàm reipsâ damnificavit. f. 110. n. 218.

Volens alium lædere, seu graviter seu leviter, non tenetur ad damna extrinseca subsecuta, & insuspicabilia. f. 110. n. 219.

Qui ex culpabili inconsiderantia non attenderet ad damna prudenter opinabilia, fortè subsecutura, teneretur ad ea quæ evenirent. f. 110. nu. 220.

Qui ex invincibili ignorantia existimat, damnum non esse connexum cum sua Actione, sive sit intrinsecum sive extrinsecum, sive secundùm æstimationem erroneam lædentis Actio sit leviter, sive graviter damnosa, non tenetur ad ampliùs, quàm ad quantitatem damni existimatam. f. 110. n. 121.

Nunquam inducitur obligatio restituendi pro damno secundùm se sibi licito præcisè ex intentione nocendi. f. 112. n. 229. & seqq.

Omnis Actio inductiva nocumenti alieni, sine commodo meo à lege mihi concesso, est injusta, inducens obligationem reparandi damnum, etiamsi damnum non fuerit intentum. f. 113. num. 240. Quando autem Actio per ipsam intentionem sit nociva, inducit obligationem restituendi. 241.

Damni illati quantitas ad peccatum mortale requisita & sufficiens, consistit quidem in indivisibili, sed motaliter indemonstrabilis: neque hujus ignorantia obest, quin potiùs prodest humano generi. f. 124. n. 285. Regula cognoscendi hanc quantitatem non rectè constituitur in certa summa pecuniaria. 286. Neque ultimatè explicatur per hoc, quòd debeat esse notabilis, æstimabilis &c. 288. Probabilis est opinio, pro diverso genere hominum diversam esse assignandam quantitatem. 289. & seqq. Probabilius tamen est, ex natura rei unam eandémque quantitatem esse sufficientem ad peccatum mortale pro quacunque hominum conditione, nisi per accidens fiat, ut minor quantitas sit læsio gravis. f. 127. n. 299. & seqq. Ex eo quòd aliqua certa damnificatio sit dissolutiva amicitiæ inter homines, non rectè infertur, quòd etiam sit dissolutiva inter Deum & hominem, adeoque sufficiens ad mortale. f. 130. n. 317. Homines in examinanda quantitate sufficiente ad peccatum mortale, non recurrunt communiter ad vim dissolutivam amicitiæ, & inductivam inimicitiæ. 318. Æstimabilitas damni est explicanda per aliquem effectum physicum & experimentalem. f. 131. nu. 320. Non potest comodior assignari, quàm tristitia seu animi dolor aut molestia, moraliter imperio voluntatis inimpedibilis, spectatâ communi hominum complexione. 322. & seq.

Non est ad praxin probabilis opinio, statuens pro quantitate ad peccatum mortale requisita Duos aureos, aut pro sufficiente Duos baccos. Aliæ taxationes non faciunt Regulam universalem, sicut nec illa, quæ taxat pretium operarij diurni. f. 32. nu. 327. & seq. Meliùs assignatur illa quantitas pro praxi, quæ impendi solet congruæ sustentationi hominis plebei unico die pro cibis ordinariis, Vestitu, & habitatione sufficiente ad bonam conservationem sui absque luxu, & supetbia, & maximè communis, ut sunt communiter Cives & Opifices commodè & frugaliter viventes: seu, quantùm plebejus civis aut opifex solet uno die circa æquinoctium lucrari. In nostris partibus erit plerumque medius florenus. f. 132. n. 329.

Damnum injuriâ datum etiam fuisset postea aliunde fortè subeundum, est tamen à lædente reparandum, nisi futurus interitus potuit probabiliter prævideri. fol. 139. n. 367.

Si res apud dominum peritura, elapso deinde periculo, vg. erepta jam ex incendio, deinde apud furem pereat, non peritura apud dominum, si fuisset restituta, tenetur fur ad restitutionem totius valoris. f. 140. n. 368. Si verò fuisset eodem infortunio apud dominum peritura, probabilius est, furem ad nihil teneri, n. 369. nisi apud furem ex negligentia periret. n. 371.

Si damnum ab uno datum, alius æquè daturus fuisset, adhuc tenetur damnificans. 140. n. 371.
Injustè damnificans non excusatur ab obligatione reparandi, etiamsi cum damno duplo majore suo facienda sit restitutio. Ad differendam tamen restitutionem cum spe postea restituendi, sufficit, si damnum excederet quadruplo illud quod damnificato affert dilatio. f. 143. n. 392. & fol. 164. n. 490. & seqq. Si nulla sit spes postea restituendi, tenetur saltem dare pauperibus, vel ad alias pias causas. Ut penitus excusetur, debet damnum in restitutione subeundum excedere quadruplum summæ restituendæ. Et si non potest restitui totum, ob gravitatem damni incurrendi, potest tamen eum damno majore restitui pars, hæc restitueuda est. f. 143. nu. 393.

Qui alterum lædit in anima, sive dementando, sive in perniciosum errorem inducendo, tenetur ad damnum hoc emendandum, & etiam ad subsecuta compensenda. fol. 201. n. 722.

Inducens ad peccatum mortale consilio vel precibus non importunis, ad nullam restitutionem ex justitia tenetur, nisi esset alteri damnosum, vel fieret per metum; tunc enim teneris metum tollere, damna secuta Restituere, ignorantem docere media pœnitentiæ. Si per fraudem induxisti, teneris tollere fraudem, & errorem. f. 207. n. 723.

Debitor. Debita.

Tomo 1.

Quem ordinem servare debeat Debitor in solvendis debitis, si omnibus solvendo non est, vide *Prioritatis ordo.*

Debitor morosus, & de quo verisimile est, quòd sit solvendo, potest mitti in carcerem, non quidem pœnalem, sed tædialem. fol. 151. n. 425. non item qui notoriè solvendo non est. 426.

Non esset iniquum statutum, ut qui solvendo non est, teneatur ad operas statui suo convenientes, & à debitore præstandas, sine extraordinario gravamine. fol. 152. n. 428. Probabile tamen est, quòd de facto Jus ex commiseratione erga debitores sine culpa insufficientes ad solvendū, resistat addictioni ad operas. fol. eod. n. 430.

Debitores quatenus gaudeant beneficio Cessionis, vide, *Cessio Bonorum.*

Quinam gaudeant beneficio competentiæ, vide. *Competentiæ Beneficium.*

Debitor debitis gravatus & in Judicio convictus, de fuga suspectus, habet à Jure sibi concessum spatium quatuor mensium, intra quod si creditoribus non satisfaciat, urgentibus creditoribus Judicis officio pignora capiuntur Judicialia, ut publicè subbastentur, Inventa vendit & satisfacit creditoribus, in horum defectum, nisi persona sit privilegiata, ad instantiam creditorum incarceratur donec satisfaciat, nisi notoriè constet, non esse solvendo. fol. 153. n. 434. Sunt autem personæ privilegiatæ. 1. Mulieres honestè viventes, etiamsi recusent bonis cedere, & debitum sit ex delicto. n. 434. 2. Milites. 3. Nobiles & Illustres. 4. Doctores & Professores. 5. Clerici. n. 435.

Habet tamen debitor electionem inter Carcerem & Cessionem bonorum. fol. 154. n. 436.

Ad hanc electionem cogi non potest debitor, qui jurejurando affirmat, se nihil ad solvendum reliquum

liquum habere, & insuper non suâ culpâ aut negligentiâ, sed ex accidenti, adversis casibus ad inopiam redactum esse. f. 154. n. 437.

Debitores ultra vires facultatum prohibentur à Sede Apost. ingredi Religionem, quibusdam exceptis. f. 165. n. 493.

Debitor ex delicto habens debita incerta, tenetur jure naturæ distribuere ad causas pias. fol. 405. nu. 38. Plura de debitis incertis ex contractu, vel alio modo, vide *Restitutio.* & *Jus prioritatis.*

Debita quomodo præscribantur, vide *Præscriptio Servitutum, Actionum & obligationum.*

Debitor certæ speciei seu individui, liberatur ejus interitu casuali. f. 561. ubi exemplum.

Decimæ.

Decimæ à Laicis quo tempore præscribi possint, item immunitas à Decimis, vide. *Præscriptionis Materia incapax.*

Defensor.

Tomo 4.

Defensor alterius non permittitur esse Reus criminis, priusquam crimen purget. fol. 212. n. 690.

Tomo 5.

Defensor est, qui pro Reo causam agit absque mandato, & ideo voluntarius dicitur: nec tenetur aliam litem prosequi quàm sponte susceptam. fol. 169 n. 473. & seq.

Procurator in rem suam non tenetur causam reconventionis defendere, nisi fraus intervenisset. n. 475. ubi casus.

Defensionem potest ipse Judex, alio deficiente adducere, si ex actis appatet. n. 476.

Invitum nemo defendere permittitur: benè tamen contumax & palàm delinquens. fol. 170. nu. 478.

Defensor satis dare debet de Judicato solvendo. n. 479. etsi locuples sit. n. 480. & bona immobilia habeat. 481. non est tamen de substantia Judicij. n. 482. Insuper in certis casibus satis dare etiam debet de rato. quos vide. n. 483. & seq.

Defensor post satisdationem non potest desistere, etiamsi reus fiat non solvendo. fol. 171. n. 485. & contra eum datur actio ex stipulatu. num. 486.

Delegatio.

Quid sit Delegare, vide. *Novatio.*

Deliberandi jus.

Tomo 2.

Jure deliberandi quinam possint transmittere hæreditatem, vide *Transmissio Hæreditatis.*

Jus deliberandi est Facultas Hæredi concessa, ut intra certum tempus consultare, & perquirere possit, an hæreditatem sibi delatam adire, vel potiùs repudiare velit. fol. 148. n. 645.

Tempus deliberandi conceditur à Principe annus, ab inferioribus Magistratibus novem menses. eod.

Forma in eo consistit, ut pendente tempore non solùm creditoribus hæreditarijs, sed etiam hæredibus institutis Prætor vel Magistratus subveniat, illisque copiam faciat Instrumentorum inspiciendorum, unde instruere se possint, expediatne agnoscere hæreditatem. Item fit copia inspiciendi Tabulas Testamenti, aperiendi, & describendi, sine quibus hæres non scit, quænam onera illi imponantur. Incipit autem deliberatio elapsis novem diebus post mortem Testatoris. fol. 149. n. 646.

Deliberatione pendente, nec creditor pignora distrahere, nec hæredes quidquam alienare ex bonis hæreditarijs, vel diminuere possunt, nisi decreto Prætoris interveniente, & cum causæ cognitione. fol. eod. n. 647.

Delictum vel Quasi.

Ex quasi delicto quomodo teneatur Judex, vide *Judex.* Item Notarius. v. *Notarius.*

Quinam teneantur ex lege Aquilia, vel ex quasi delicto, vide *Aquilia lex.* item. *Ædes.* item. *Incendium.* item. *Exercitor.* item. *Noxa.*

Tomo 1.

Qui tenetur ad reparationem damni ex Quasi delicto, non obligatur in conscientia ante Judicis sententiam ad præstandum id quod leges statuunt. fol. 101. n. 172. Neque tenetur ex naturali æquitate ad aliquam compensationem. 176. Probabile est, quòd sine culpa theologica damnificans, & condemnatus, possit solutum occultè compensare. 178. Si culpa intervenit theologica, tenetur ad compensationem ante sententiam, & obligatio transit ad hæredes. 180. non tamen ad excessum pœnalem à Judice inflictum. 181.

Tomo 6.

Delicta alia dicuntur Publica, alia Privata. Illa ab his principaliter differunt, quòd plerumque unusquisque de populo admittatur ad accusandum: in privatis solus, cujus interest. fol. 61. n. 1. Universaliter tamen denominatio sumitur à lege vel consuetudine enumerante inter publica ad certas effectus. Unde posset ex Publico fieri Privatum. n. 2. & seq.

Quos autem effectus diversos habeant, vide f. 62. nu. 5. & seqq.

Delicta, quorum pœna est vel mors, vel exilium, dicuntur Capitalia. f. 63. n. 13.

Delicta Ordinaria dicuntur, quæ certum habent criminis titulum, certâ lege & pœnâ comprehensa, quæ & legitima appellantur. fol. 64. n. 18.

Jure Canonico illa delicta dicuntur Enormia & Atrocia in ordine ad forum externum, ex quibus etiam post peractam pœnitentiam aliquid remanet de pœna, impediens Ordinum executionem, vel Beneficij retentionem, & universim, ob quæ infamia

mia incurritur. fol. 64. n. 21. Jure Civili verò tale reputatur, cui respondet pœna gravior, quàm esset pœna ultra tertiam partem bonorum hominis divitis. n. 22.

Delicta, quæ non commissa dolosè, sed ex temeritate; reputantur Juridicè inter non atrocia. fol. 65. n. 23. Commissa verò cum dolo, & appensatè, cum gravi damno alterius, vel Reipublicæ, reputantur inter atrocia. n. 25.

Delicta alia sunt Notoria notorietate Juris, alia Facti. Illa sunt, de quibus constat vel ex actis, vel ex confessione Judiciali, vel ex sententia transeunte in rem judicatam. Hæc verò, quæ nullâ tergiversatione celari possunt. f. 66. n. 28.

Quis numerus hominum de delicto sensibus percepto attestantium sufficiat, ut sit Judici notorium, arbitrio Judicis pro Communitatum diversitate committitur. fol. 66. n. 29.

In delictis Notoriis potest Judex ex officio nemine accusante procedere, absque Juris ordine. n. 32. Potest esse ità evidens, ut ne quidem citatione opus sit, quod tamen rarò contingit, nec facilè omittenda citatio. n. 33. Debet etiam Judici probata esse notorietas per idoneos testes. f. 67. n. 35.

In ijsdem non admittitur appellatio, dummodo non fiat à Judice *ad quem* Inhibitio. n. 36. Neque admittitur Recusatio Judicis tanquam suspecti. n. 37.

Delicta regulariter præscribuntur spatio 20. annorum quoad accusationem, non tamen quoad actiones civiles. fol. 70. n. 51. & seqq. Possunt tamen semper opponi in vim Exceptionis. f. 71. n. 54. Si pariat delictum actionem etiam civilem breviori tempore præscribibilem, etiam breviùs præscribitur actio criminalis. n. 55.

Præscriptio delictorum eo modo interrumpitur, quo modo aliæ. fol. 74. n. 70.

Sicut in Civilibus, & in foro civili (in Ecclesiastico non habet terminum) instantia perimitur triennio, ità in criminalibus, & utroque foro perimitur biennio, computato à die litis contestatæ, vel inceptæ inquisitionis. f. 75. n. 73. Nisi tempus lapsum esset negligentiâ Judicis. n. 74. Perit etiam morte accusatoris, nisi Judex velit & possit per inquisitionem procedere. n. 76.

Si reus crimen confessus est, non perit instantia per lapsum temporis. f. 76. n. 77. Neque etiam perimitur, quando causa agitatur in Consistorio Principis. f. 76. n. 77.

Mortuo, vel mutato Judice, conceditur Successori novus annus. n. 79.

Super delicto, à quo quis semel absolutus est, non potest regulariter denuo molestari. f. 76. n. 80 nisi alius accusator, ignarus prioris accusationis, suâ aut suorum injuriam prosequatur. n 81. aut prior accusator prævaricatus esset. eod. Conclusio procedit, etiamsi præcisè ob defectum probationis absolutus esset. f. 77. n. 83.

Post absolutionem tamen ab observatione Judicij, potest causa denuo tractari. n. 84. sicut etiam post absolutionem in Judicio Inquisitionis, potest denuo accusari. eod.

Pluribus delictis concurrentibus, nullius impunitas datur. fol. 78. n. 86. & seqq. ubi plura exempla & corollaria.

Generalis Regula, quòd in atrocioribus delictis conatus æquè puniatur, videtur in desuetudinem abijsse. fol. 175. n. 506.

Delicta aliqua dicuntur atrocia, aliqua atrocissima, nempe illa, à quibus, quamvis natura per se ità abhorreat, ut propterea rarò fiant, adhuc tamen ad hanc etiam raritatem magis impediendam necesse sit supplicium mortis speciali modo exasperari. fol. 205. n. 15. ubi exempla.

Deportatio.

Tomo 2.

Deportati hodie sunt in Imperio, qui ultra quatuor Imperij sylvas mittuntur. Non possunt testari, nec cum testamento priùs facto decedere. fol. 48. n. 219.

Deportatis adimitur Jus Civitatis, & per hoc differunt à Relegatis. & tales sunt in Imperio missi ultra 4. sylvas. fol. 5. n. 18.

Deportatio est meri Imperij, sicut etiam Relegatio. n. 19.

Depositi Contractus.

Tomo 3.

Depositario plures hæredes relinquente, si unus eorum dolum vel latam culpam in re deposita committat, cæteros hæredes non gravat. fol. 83. num. 53.

Tomo 4.

Depositum est Contractus re initus, nominatus, Juris gentium, bonæ fidei, quo res gratis custodienda alicui traditur, eo fine, ut eadem illa in specie (seu individuo) quandocunque deponenti libuerit, restituatur. fol. 250. n. 775. Per accidens tamen fieri posset, ut non esset res deposita restituenda petenti, resistente aliâ virtute, v. g. Charitatis. eod.

Non obstaret obligationi restituendi, si tempus adjectum esset, per quod res esset custodienda, quia terminus non adijceretur in præjudicium deponentis, sed ad definiendam obligationem alterius. fol. 250. n. 776.

Non est tamen contra naturam hujus contractûs, adijci pactum in commodum Depositarij, quo ponatur certa conditio, ante cujus impletionem non teneatur reddere depositum. fol. eod. n. 777. ubi exemplum: Quod si insuper data esset potestas utendi illo tempore, posset habere rationem precarij, vel contractûs innominati, vel mutui. f. 251. nu. 778.

Non peccaret depositarius, utendo re depositâ absque ejus deterioratione, putans bonâ fide, quòd

quòd deponens non esset invitus. fol. 251. n. 779.

Si deponatur res fungibilis cum translatione dominij in casum quo eam velit, depositarius alienare, adhuc retineret rationem Depositi, sed haberet admixtum aliquid de Mutuo. Nec tamen in tali contractu haberet locum Exceptio non numeratæ pecuniæ. f. eod. n. 781. Hujusmodi depositarius si esset in mora restituendi, teneretur ad usuras solvendas pro tempore moræ, eo quòd Depositum sit contractus bonæ fidei. f. 252. n. 784. In tali casu Dominium non transfertur in Depositarium, quamdiu reipsâ non utitur, & ideo periculum ad deponentem spectat, si tamen post contractum daretur facultas utendi, censeretur factum mutuum, & statim transferretur dominium. f. 252. n. 785.

Dividitur Depositum in illud quod est *Juris*, & illud quod est *facti*. Depositum Juris est, quod vel ad sistendum usurarum cursum, vel ad inducendum liberationis effectum apud Magistratum interponitur. f. 254. n. 787. Depositum Facti est, quod eo animo contrahitur, ut Depositarius ad custodiam obligetur, & dicitur Conventionale, quod inter privatos est consuetum. n. 788.

Depositum conventionale subdividitur in Voluntarium & Necessarium, hoc est quod fit exigente aliquâ necessitate vel periculo perdendi rem nisi deponatur. Qui voluntarium depositum perfidè restituere recusat, condemnatur solùm in simplum; qui verò necessariû, condemnatur in duplum. eod.

Dividitur etiam in Depositum simpliciter sic dictum, & Sequestrum. de quo vide *Sequestrum*.

Favore domini constitutum est, ut ex depositione à servo facta, domino actio acquiratur. fol. 261. n. 811.

Pupillus deponere quidem potest, non tamen Depositum accipere sine Tutoris autoritate; nec obligatur, nisi in quantùm locupletior est factus. f. 261. n. 812.

Servo deponenti, item Religioso, potest depositum tutò reddi, esto non possent in judicio exigere. eod. Clericus & Religiosus possunt Depositum accipere, quamvis Religiosus malè agat accipiendo sine consensu præsumpto Abbatis. f. 262. n. 813.

Si Depositum in utilitatem Ecclesiæ vel Monasterij versum esset, eatenus obligarentur. eod.

Fur & Prædo possunt depositum in judicio repetere. fol. eod. n. 814.

Non est contra conceptum Depositi, quòd fiat in re immobili, ità ut, etiamsi aliquid de mandato admixtum habeat, ratio tamen depositi sit principalior, & prævaleat in ordine ad effectum præstationum, ut non teneatur de levissima, imò nec levi culpa. f. eod. n. 815. & seqq.

Si res deponatur apud eum qui rei depositæ est dominus, nec tamen dominium in continenti appareat, æquum est, possessionem repetenti restitui, & deinde agi de proprietate. f. 263. n. 818. Si verò dominium statim appareat, non datur actio deponenti. n. 819.

Regulariter & de Jure communi, tenetur Depositarius solùm de culpa lata. De Jure Bavarico videtur etiam de levi teneri. Potest tamen pacto se ad majorem diligentiam obligare, & econtra ab omni culpa se deobligare. f. 264. n. 820.

Si quis plura Deposita habet, nec potest in periculo omnia salvare, electio est penes Depositarium. eod.

Etiamsi Depositarius in rebus propriis esset negligentissimus, adhuc tamen ratione depositi teneretur de culpa lata. f. eod. n. 821.

Quando Depositarius accepit mercedem pro custodia, tenetur etiam de culpa levi; quamvis potiùs ex conducto, quàm deposito. f. 265. n. 822.

Quando Depositarius profitetur aliquam artem, vel exercet aliquod officium, vi cujus tenetur ad majorem diligentiam, tenetur etiam ad eandem ratione depositi. f. eod. 823. ubi vide exempla.

Si Nauta, Caupo &c. protestentur & moneant, ut quisque res suas illatas custodiat, dum res est integra, non tenentur, bene tamen si protestatio fiat postquam res non est integra, vg. quia navis jam solvit, & ideo non possunt res ampliùs alibi deponi. f. 266. n. 825. Non liberantur, nisi protestentur, etiam si gratis recipiant. n. 826.

Qui se sponte offert, tametsi nullam utilitatem capiat ex deposito, tenetur tamen ad culpam levem. imò ex præsumptione quandoque etiam ad levissimam. f. 266. n. 827. ubi vide exemplum & declarationem.

Quando depositum fuit necessarium ob imminens periculum, adhuc depositarius tenetur tantùm de culpa lata. f. 267. n. 830.

Deponens rem nocivam, tenetur etiam de levissima culpa. f. eod. n. 831.

Deponenti competit actio Depositi directa. Depositario contraria. Directa tendit ad hoc, ut res deposita custodiatur, & si jure repetatur, restituatur, & commissâ culpâ æstimatio solvatur. f. 268. n. 832. Contraria tendit ad æstimationem damni ex culpa levissima deponentis rem nocivam, & ad sumptus factos in rei conservatione. eod.

Si plures rem communem divisibilem deposuerint, quivis tantùm ad partem debitam restituendam agere potest. si indivisibilem, non tenetur uni agenti restituere, nisi præstitâ cautione, quòd reliquis deponentibus velit satisfacere pro sua parte. fol. 268. n. 833.

Ad depositarium in mora existentem pertinet casus fortuitus, & rei periculum. f. eod. n. 834.

Actio directa competit etiam hæredi tam directo quàm fideicommissario. f. 269. n. 853.

Si ex pluribus hæredibus unus suam partem recepit, altera pars casu pereat apud Depositarium, damnum pertinet ad illum solùm, qui partem suam non recepit. nn. 836. & seqq. ubi vide, quomodo unus hæres sine alio possit suam partem consequi.

Etiam in casu commissi doli, & inde natæ obligationis, datur actio directa depositi adversus hæredem depositarij, etiamsi nihil ad eum pervenerit. Hæres tamen solùm in simplum conveniri potest in casu depositi necessarij, ex quo depositarius in duplum conveniri posset. 170. n. 839. Si unus hæredum dolum commisisset, posset in solidum conveniri, esto cæteroquin, & præcisè ut hæres non nisi pro parte quâ hæres conveniri possit. n. 840.

Si ambo hæredes rem depositam dolo intervenerunt, tunc si quivis nocumentum intulit partialiter partialitate effectûs, conveniendi sunt singuli partialiter: si verò res deposita fuit individua, & ad damnum singuli ità concurrerunt, ut quivis in totum damnum indivisibiliter sumptum influxerit solùm partialitate causæ, singuli in solidum conveniri possunt. Quodsi species ipsa restitui non potest, sed ad æstimationem devenitur, non nisi pro parte hæreditariâ singuli convenientur. Uno non existente solvendo, alter conveniri ulterius potest. fol. 170. n. 841.

Si unus ex pluribus hæredibus conventus habet facultatem restituendi totum depositum, & non restituit totum, condemnabitur in solidum f. 271. n. 842.

Si hæres bonâ fide rem depositam alienaverit, & ex pretio accepto locupletior factus sit, tenetur re cognitâ pretium restituere. f. 271. n. 843.

In deposito non est locus compensationi. f. eod. n. 844. adeo quidem, ut nec esset, si re depositâ æstimatio deberetur: & in hoc habet depositum specialem prærogativam præ commodato. f. 272. nu. 848. Neque etiam esset locus si deponens haberet vicissim depositum. n. 849.

Jure communi (secus jure Bavarico) non potest Depositarius recusare restitutionem Depositi, donec sibi solvantur impensæ in rem depositam factæ. f. 273. n. 850.

Si res deposita fuit oppignorata antequam deponeretur, non potest Depositarius hoc prætextu recusare restitutionem, nec uti exceptione pignoratitiâ, bene tamen, si postquam deposita, oppignorata est. f. 173. n. 852.

Deponenti in subhastatione bonorum depositarij, non præfertur uxor ratione dotis quoad rem depositam, si ea adhuc extet. fol. 274. nu. 854.

Si rei depositæ æstimatio debetur deponenti, deponens nullâ gaudet legali seu tacitâ hypothecâ, vi cujus alijs creditoribus præferri possit. f. 275. n. 856.

Quamvis deponens vi depositi non habeat ullum jus reale in bonis depositarij, præfertur tamen alijs creditoribus personalem tantùm actionem habentibus. An autem præferatur privilegiatis, non est in Jure satis clarè decisum, Legibus inter se valde pugnantibus. quarum probabiles Conciliationes vide. f. 275. n. 857.

Qui deposuit pecunias apud alium ut usuras acciperet, censetur privilegio renuntiâsse, & ideo venit in ordine creditorum nullum privilegium habentium. f. 277. n. 861.

Quamvis Dos ob legalem hypothecam deposito quoad æstimationem debito præferatur in concursu creditorum, superatur tamen à deposito in alijs prærogativis, quas vide. f. 277. n. 862.

Quando deponentis bona sunt confiscata, depositum fisco, non deponenti restituendum est. eod.

Non repugnat ex natura rei Depositum ità celebrari, ut depositarius posset ad libitum restituere depositum. fol. 278. n. 863.

Si nihil expressè in pactum deducatur, præsumetur Depositarius se obligâsse ad custodiendum tamdiu, quamdiu vel non repeteretur à deponente, vel non emerserit causa improvisa, urgens liberationem à cura depositi. fol. 278. n. 864.

Creditori deponentis prohibitum est denuntiare depositario, ne depositum restituat deponenti antequam sibi satisfiat: quod etiam procedit in pensionibus, & panibus civilibus, per modum alimentorum debitis. fol. 279. n. 866.

Detractio.

Tomo 1.

Detractio est alienæ famæ injusta apud alios denigratio seu diminutio, & est idem quod Juristis *Diffamatio.* f. 170. n. 170. Fit non solùm verbis, sed etiam factis; non solùm affingendo falsum, sed etiam manifestando occultum verum. eod. Vide *Diffamatio. Susurratio.*

Detractio est peccatum specie distinctum Theologicâ à Temerario Judicio. f. 170. n. 527.

Detractio in re gravi, quamvis apud unum solum hominem facta, qui rem secretò tenebit, nec aliud damnum inde timendum est, est per se loquendo, peccatum mortale. f. eod. num. 529. & seqq.

Qui notitiam alieni delicti vel defectûs injustè comparavit, tunc, si incidat casus, in quo posset licitè hujusmodi notitiam comparare, potest uti notitiâ jam habitâ, & delictum evulgare in casu necessitatis. f. 171. nu. 535. secùs non potest, ob quamcunque necessitatem aut periculum evitandum. n. 536. Si verò notitiam justè comparâsti, nec accepisti sub secreto, tunc si mihi ex silentio immineret damnum, quale non teneor ex charitate subire ad famam proximi servandam, possum manifestare, ut me indemnem servem. nu. eod.

Publici-

Publicitas seu Notorietas rei excusat à vitio detractatioois. f. 172. o. 539. Et imprimis Notorietas Juris adeo sufficit, ut possit crimeo publicari etiam in locis, quò alioquin ejus notitia noo facilè pervenisset. n. 540. Quæ verò sunt notoria Notorietate Facti, possuot in illis locis evulgari, cum quibus potest facilè haberi commercium litterarum: & talia suot communiter quæ sunt notoria in aliqua Civitate, noo item quæ in aliqua strictiore Communitate, quales sunt Religiosorum. 541. Imò etiam defectus Notorius io aliqua Civitate qoaodoque talis esse potest, ut ob grave incommodum inde timendum, non debeat alibi evulgari. 542. Notorietas facti si per oblivionem aboleatur, redit obligatio non evulgandi. 543.

Quoad Nomerum personarum, solet tradi Regula generalis, eum oumerum sufficere, ut moraliter oon sit spes de noo ulteriùs evulgando, etiamsi prohiberetur. In praxi solet pro Commuoitate, quæ v. g. constet Centum hominibos, assignari 15. vel 20. pro constante qoinque Millibus, triginta. Quodsi dubium est, an regula tradita verificetur, non licet evulgare. f. 173. n. 544.

Crimen scienter falsum non licet evulgare, quantumvis esset plurimis persuasum. liceret tamen testari de fama existente, ooo assereodo crimen. f. eod. o. 545.

Homini necdum existenti sed oascituro, potest graviter dettahi, cum obligatione retractaodi, sicut & homini defuncto, de cujus æterna damoatione non constat. f. 173. n. 546.

Ad leniendum animi dolorem præcisè, non videtur licitum evulgare Injuriam ab alio mibi factam, benè tamen, si evulgatio servit ad propulsandam injuriam. f. 174. n. 548.

Delictum Subditi quod ad Superiorem non ut Jodicem, sed ut Patrem delatum est, per se loqueodo non potest Superior alijs manifestare, nisi cum limitationibus quæ recensentur. f. eod o. 550.

Non solùm ex Charitate, sed (ob communem Auctoritatem DD.) etiam ex Justitia obligamur impedire damnum alienæ famæ, quod ex nostra Actione etiam inculpabiliter posita imminet, si possimus sine gravi incommodo. f. 175. nu. 452. & seqq.

Accusatos de crimine vero, sed oon coovictus, negando crimen, non tenetur ad restitutionem famæ Accusatoris aut Testiom, si per accidens læsa ett. f. 175. n. 556.

Detractor tenetur restitoere famam non solùm apud immediatos, sed etiam mediatos auditores, quamvis per accidens varijs modis excusari sæpè possit. f. 176. n. 557.

Crimen falsum injustè impositum, retractandum est omni meliore modo quo potest, etiam sub Juramento, si opus sit. dummodo non sit subeundum longè gravius damnnm detractori per retractationem. f. eod. n. 559. Crimen verum potest revocari, dicendo se non dixisse verum, subintelligendo: veritate publicâ. item laudando eum cui detractum est. f. 177. n. 561.

Obligatio reparandi famam injustè læsam, cessat potissimùm ex quinque capitibus. 1. Si fama aliunde recuperata est. 2. Si superinducta est stabilis oblivio. 3. Si infamatus postmodum aliâ viâ famam amisit. 4. Si rationabilitet præsumi possit, Iosamatum condonare retractationem. 5. Si iofamatio facta est per modum justæ defensionis. f. 177. n. 562.

In læsione famæ, non est locus compensationi per reciprocam infamationem. nnde non excusaris à restitutiooe famæ, si ab eodem æqualiter infamatus es, nisi dilatio restitutionis conduceret ad obtinendam ab altero restitutionem. f. 178. n. 568. Plura vide *Diffamatio.*

Dieta.

Tomo 5.

Dieta Legalis exteodit se ad viginti millia passuom. Sed in Jure Canooico Dieta solet intelligi vulgaris. f. 33. n. 141.

Diffamatio. Diffamator.

Hoc spectant quæ dicta sunt. v. *Detractio.*

Tomo 1.

Ex lege *Diffamari. C. de Ingenuis manumissis*, habetur hodie Jure communi universale remedium pro infamatis, ut Judicium diffamatorium iostituere possiot. Est instituendum apud Judicem diffamati. Non est Actio, sed Judicis imploratio. f. 180. n. 577. Teodit ad hoc, ut Diffamator citatos, probatâque diffamatiooe eò adigatur, ut in termino præfixo coram Jndice compareat, & caosas diffamationis, sub pœna impositionis perpetui silentij, deducat. si non compareat, pro injutiæ atrocitate puoiendus. n. 578.

Diffamanti iotegrum est convenire diffamatum in causa priocipali apud alium Judicem ejusdem diffamati, qui ouoc fit reus, non obstante quòd priùs apud aliom Jodicem egerit ex lege *Diffamari.* Nec potest uti Exceptione *Litis pendentis.* f. 237. n. 180.

Diffamans potest à Sententia silentiuin imponente appellare, etiamsi contumax fuerit. f. 562. n. 381. & seqq.

Diffidatio.

Tomo 6.

Diffidare est, inimicitias deoontiare, bellum iodicere, hostem se declarare. f. 95. o. 159.

Si Diffidator, bellum deountians, est subjectus Imperio, oec habet ab Imperatore facultatem diffidandi, incidit in crimen læsæ Majestatis; nisi vis vi repellenda esset. n. 163.

Ad incurrendas pœnas diffidatoribus statutas, sufficit, diffidationem factam esse conditionatè. n.164.

Comminatio alicujus specifici mali inferendi, non est propriè Diffidatio. f. 96. n. 165. Talis incarceratur, donec fide jubeat. f. 97. n. 173. Si fugiat ad loca suspecta, potest gladio puniri. eod.

Diffidatio est species violatæ Pacis publicæ. nu. 166.

Pœna Diffidantium est in Imperio ultimum supplicium. Et extenditur etiam ad illos, qui litteras diffidationum scribunt, vel concipiunt. nu. 168.

Pœnitentia diffidationis factæ tunc solùm prodest, quando ex diffidatione necdum turbatio orta est. n. 169.

Pœna quandoque moderamen accipit ob conditiones diffidatoris. f. 97. n. 172.

Dignum magis & minùs.

Tomo 5.

Non est universim verum, quòd magis dignum trahat ad se minùs dignum; sed tunc solùm, quando causæ dividi commodè non possunt. fol. 94. n. 325. & seqq. ubi exemplis declaratur.

Dilationes.

Tomo 5.

Postquam Actor libellum Reo edidit, conceditur Reo dilatio ad deliberandum, an litigare velit. f. 121.

Definitur Dilatio in genere: certi Termini ad Judiciales actus perficiendos assignatio vel prorogatio. n. 201.

In qualibet Judicij parte solent dari dilationes: & aliquæ etiam post litem finitam. earum species vide ibid.

Quæ dantur initio litis, vocantur; Citatoriæ: quæ post libelli oblationem; Deliberatoriæ: & sunt 20. dies. n. 202. hodie ex Judicis arbitrio. f. 122. n. 203. In medio litis dantur Probatoriæ, attentâ locorum distantiâ. n. 204.

In causis civilibus non nisi unica dilatio singulis Actibus & negotijs emergentibus indulgetur. n. 205. In criminalibus dantur reo tres dilationes, Accusatori duæ causâ cognitâ. Excepto crimine adulterij, ubi solùm dantur ad exhibendas personas, nisi Judex aliud ex qualitate negotij arbitretur. n. 206.

Dilationes Probatoriæ Actori non dantur, quando Reum ad Judicem extraordinarium à Principe delegatum trahit. n. 207.

Concessio Dilationis facta uni Parti alterâ absente, valeret si sub conditione ratihabitionis adversariæ Partis concederetur, & ratihaberetur. f. 122. n. 210.

Diœcesis.

Tomo 1.

Diœcesis nomine non venit in odiosis Civitas Episcopalis, nec nomine Diœcesanorum habitantes in Civitate Episcopali. fol. 59. n. 321.

Dispensatio.

Dispensatio quomodo cesset cessante causâ finali, vel alio modo, vide. *Privilegium.*

Tomo 1.

Dispensatio est exemptio alicujus à lege. fol. 53. n. 302. ubi declaratur ejus differentia ab alijs.

An Deus possit dispensare in Lege Naturali, sit tandem quæstio de nomine, & in aliquo sensu concedi potest, in alio negari. fol. 54. n. 303.

In Jure Divino Positivo ne Summus Pontifex dispensare potest, quia Pontifex in se talem potestatem non agnoscit. fol. 54. n. 304. & seqq.

Inferior non potest in lege Superioris dispensare, nisi in Casibus concessis. fol. 55. n. 309. Casus concessi tacitè vel expressè, recensentur à n. 312. ut, si materia sit parvi momenti, vel non nisi sub veniali obliget: si casus sint frequentes, in eventu extraordinario: in dubio, an opus sit dispensatione. si sit consuetudo dispensandi, ex magna causa necessitatis & utilitatis, & pluribus alijs, in specie relatis. fol. 56. n. 313.

Secum ipse potest dispensare Superior in illis casibus, in quibus potest dispensare cum alijs Subditis, ut in votis, juramentis, irregularitatibus, alijsque impedimentis vel obligationibus, imò & pœnis, nisi expressè prohibeatur, vel pœnam per Sententiam incurrisset. fol. 57. n. 314. Cum peregrinis potest dispensare in lege communi eo modo quo cum alijs subditis. non tamen in votis, impedimentis &c. nisi quando habet præsumptam voluntatem Superioris proprij territorij. 316.

Legislator in sua lege validè quidem, sed non licitè dispensat sine causa. fol. 57. n. 317. Inferior nec validè. eod. existente causâ sufficiente, tenetur quandoque Superior dispensare, quandoque non. fol. 58. n. 318.

Dolus. Doli actio.

Quando Dolus vitiet Contractum, vide. *Contractuum informatio.*

Tomo 3.

Doli mali plures sunt vindiciæ: ut actio de dolo, & exceptio. actio in factum. restitutio in integrum, pœna stellionatûs. fol. 16. n. 97.

Actio de dolo est Prætoria, Personalis, subsidiaria, famosa, quâ petitur, ut deceptor rem ipsam, si potest, restituat, si non potest, interesse & restitutionem. Durat duobus annis ut actio, perpetuò ut exceptio. eod. & num. seq.

Actio de dolo non datur ob quamcunque levem summam, cùm sit famosa: quare si summa non excedat duos aureos, sufficit actio in factum. fol. 17. n. 100. cœpta ante lapsum biennij, sed non absoluta, perimitur. n. 101.

Tomo 5.

Dolus malus est omnis calliditas, fallacia, Machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita. fol.231. n.250.

Dolus committi etiam potest merâ dissimulatione, & locum habebit exceptio Doli. eod.

Plura vide: *Exceptio doli mali.*

Domestici.

Quinam veniant nomine Domesticorum in causa testamentaria, ut in testamento testes esse non possint, vide *Testamenti scripti requisita.* & *Testium testamentorum habilitas.*

Domicilium.

Tomo 5.

Acquiritur animo habitandi perpetuò in tali loco. h. e. indefinitè. fol.77. n.349. Studiosi acquirunt, si post 10. annos domum emant aut constituant. fol.eod. Si quis quatuor anni temporibus ex æquo in quatuor diversis locis moraretur, quatuor haberet domicilia. fol.78. n.350. ubi regula constituendi domicilij. Non sufficit quasi domicilium quoad forum contentiosum, benè tamen, ut quis subijciatur Parocho. n.351.

Domicilium mutatum censetur, quando à loco habitationis bonorum, major pars in alium locum transfertur, & inde discessum est, animo non redeundi, sed ibi manendi. fol.eod. n.352.

Dominium.

Tomo 1.

Dominium plenum & perfectum, prout inter homines reperitur, est Jus perfectè disponendi de re corporali, nisi lege prohibeatur. Vel sic. Est Libera facultas disponendi circa rem vel personam, quoad usus vel actiones lege permissas, non impedibilis licitè ab alijs. fol.210. n.1. & seqq. ubi pluribus declaratur. Breviùs dici posset, esse Jus in re tam amplum & universale, ut in tali re nullus aliùs homo jus habeat stabile & perpetuum. 5. Lex prohibens aliquá dispositionem, licèt non minuat jus reale, minuit tamen aliquod jus personale. 6.

Dominium plenum non consistit in dominio directo cum exclusione dominij reflexi, hoc est, facultatis alienandi. fol.211. n.8. & seqq. ubi impugnatur subtilitas cujusdam Recentioris.

Dominium plenum potest dupliciter sumi. 1. prout excludit Dominium imperfectum, v.g. Vtile, & hoc sensu debitor manet plenus dominus pignoris. fol.212. n.11. Secundò, accipitur strictissimè, ut excludit omne jus alterius in tali re, quo sensu debitor non est plenus dominus rei oppignoratæ. Quia tamen jus pignoris non est stabile, ideo adhuc potest dici plenus dominus in communi acceptione. 12.

In Dominij definitione non est necesse addere particulas. *aut vindicandi.* neque. *Nisi vi prohibeatur.* fol. 212. n.13.

Bonorum inalienabilium dominium non est plenum & perfectum. fol. 213. n.14. Idem dicendum de dominio directo sine utili, & de dominio rei cui servitus imposita. n.17. & seq.

Dominium ejusdem rei in Solidum, non potest simul esse penes duos. fol.215. n.20. Unde in instanti donationis vel translationis dominij, transferens non habet dominium absolutum. fol.217. n.32. Neque dispositio translativa dominij est usus dominij absoluti, sed conditionati, convenientis donatori per denominationem provenientem à dominio absoluto, quod habuit in instanti immediatè præcedente. n.33. econtra is in quem transfertur dominium, est in illo instanti dominus dominio intrinseco & completo, quamvis in illo instanti non possit illud in alium transferre. 34. & seqq.

Dominium est quandoque revocabile resolutâ causâ illius. fol. 271. n.270. & fol.272. n. 270.

Dominium an repugnet statui Religioso. vide. *Religiosus. Votum.*

Dominium hominis quomodo acquiratur aut amittatur. vide. *Servus. Manumissio.*

Donatio.

Tomo 3.

Est liberalis datio, quæ nullo Jure cogente, ex sola animi benignitate alteri fit aut conceditur. Quâ definitione etiam Remuneratoria comprehenditur: quamvis in odiosis non veniat nomine Donationis. Antecedenter ad traditionem Donatio definitur: Conventio legitima, quæ acceptante donatario ad rem liberalitate donantis alienandam utriusque consensu perficitur. f. 122. n. 139.

Hoc sensu accepta Donatio, est Contractus propriè dictus, pariens obligationem civilem, nempe, Condictionem ex Lege. Quia verò non ab omnibus pro contractu habetur, ideo in odiosis non comprehenderetur nomine Contractûs. f. 123. n. 140.

Qui bonâ fide donaret alteri rem alienam, à quo titulo gratitudinis aliquid acciperet, & sic occasione rei alienæ fieret locupletior, deberet remunerationem restituere domino rei alienatæ. eod.

Donatio Remuneratoria non requirit, ut merita remuneranda non fuerint ex ulla virtute debita. f. eod. n. 142.

Si Donans sit persona non prohibita donare simpliciter seu gratuitò, ut illius donatio habeatur pro remuneratoria, sufficit eam talem asseri à donante, etiamsi merita non probentur. f. 125. n. 146.

Donatio ad turpem causam.

Conjuges habentes administrationem bonorum

 communium

communium, si quæ turpiter sine alterius consensu expendant, tenentur ex bonis proprijs resarcire. f.125. n. 147.

Militum meretrices non tenentur turpiter donata restituere nisi post Sententiam. An autem illud donum adjudicandum sit militi, an Fisco, est attendenda consuetudo. f. eod. nu. 148. Non rectè tamen hoc Jus revocandi extenditur ad Clericos, multò ineptiùs ad Doctores, Licentiatos, Advocatos. eod.

Judicibus prohibentur Jure Digestorum dari munera, quæ non sunt Esculenta & Poculenta. item Jure Novellarum. f. 126. nu. 149. denique Jure Canonico. 150. quo Jure Delegati Summi Pontificis redduntur incapaces dominij aliorum munerum, & tenentur etiam absque Sententia restituere: quod tamen non est extendendum ad Judices Sæculares. eod.

Donationis excessivæ Insinuatio.

Donationes ultra 500. solidos de Jure communi, & ultra 1000. florenos Jure Bavarico, ut valeant, sunt insinuandæ, tribus exceptis. 1. Pro Redemptione captivorum. 2. Donatione factâ militibus. 3. Donatione ad restaurationem ædium incendio absumptarum. f. 126. n. 151.

Solidi septuaginta duo, ex communi opinione, unam auri libram, & quingenti quasi septem libras constituunt. Aliqui volunt, solidum æquivalere Aureo Ungarico. f. 127. n. 152.

Constitutio Juris requirens insinuationem, non extenditur ad donationem mortis causâ. fol. 127. n. 153.

Donationes propter nuptias si excedant 500. solidos, ex parte mariti sine insinuatione non parant ei æquale lucrum ex dote in casum mortis uxoris vel injusti repudij, ex parte uxoris valent etiam sine insinuatione. f. eod. n. 154.

Donationes ad causas pias universim non videntur indigere insinuatione. f. 128. n. 155.

Etiam Inferiorum Principum donationes non indigent insinuatione. f. eod. n. 156.

Juramento potest firmari donatio excessiva, ut non possit ob neglectam insinuationem revocari. f. eod. n. 157.

Forma faciendæ insinuationis pendet ex locorum consuetudine. f. 129. n. 158. ubi exemplum refertur.

Quando pluribus simul minores summæ donantur, quæ tamen simul excedunt 500. solidos, an indigeant vel non indigeant insinuatione, considerandum est, an fiat uno impetu, ut donatarij moraliter uniantur. eod.

Non est opus insinuatione, si quis successivè & absque fraude legis, eidem donat minores summas, tandem 500. solidos excedentes. f. 129. n. 159.

Insinuatione opus est, si donatio consistat in remissione debiti, cessione, pacto de non petendo &c. ultra valorem 500. solidorum, etiamsi ex diversis causis fiant. f. eod. n. 160.

Donatarius potest excessum bonâ conscientiâ tamdiu retinere, donec à donatore repetatur. fol. 130. n. 161.

Donans neglectâ insinuatione, potest bonâ conscientiâ revocare excessum ultra 500. solidos. fol. eod. n. 162.

Donationes reciprocæ habentes debitam simultatem, etiam si excedant 500. solidos, non habent opus insinuatione, quia habent potiùs rationem commutationis. eod.

Excessus repetitur condictione *sine causa*. f. eod. n. 163.

Donatio omnium bonorum, & reciproca in tempus mortis.

Donari possunt res quævis existentes in patrimonio nostro, & in commercium cadentes, corporales, & incorporales, mobiles, immobiles. fol. 131. n. 164.

Jure Naturæ licita est donatio omnium bonorum præsentium & futurorum. fol. eod. n. 165. Etiamsi jure positivo prohibita esset, posset tamen juramento firmari. eod.

Valet etiam jure positivo donatio omnium bonorum præsentium & futurorum, quoad proprietatem, retento usufructu. Valet etiam, ne quidem retento usufructu, facta ad pias causas. eod. Imò nullo jure positivo evinci potest, hujusmodi donationem etiam ad causam profanam esse irritam: neque efficaci ratione probatur esse irritandam. fol. 132. n. 167. & seqq.

Donatio *omnium suorum bonorum*, sub his terminis comprehenderet etiam actiones, nomina, & jura. fol. 133. n. 171. an autem hujusmodi donatio se extenderet ad futura, considerandum est, qualis animus in donante præsumi possit, & plerumque præsumeretur non voluisse comprehendere. n. 172.

Donatio Reciproca in casum seu tempus mortis omnium suorum bonorum, saltem ex consuetudine valet, nec Jure reperitur clarè improbata. fol. 134. n. 174.

Donatio inter Virum & Uxorem.

Donationes inter Conjuges varijs juribus irritantur, ità ut nec naturalem nec civilem obligationem inducant tradendi rem donatam: sed nec fidejussoriâ cautione roborari possunt. fol. 135. nu. 175. Neque valeret, si per interpositas personas fieret, nisi aliarum personarum rerumque causa inseparabilis commixta esset. fol. eod. n. 176. Nec valeret remissio pretij rei venditæ. eod.

Neque etiam valeret, si donatio quidem ante nuptias facta esset, sed primùm post nuptias executioni mandata, ex dispositione & intentione donantis. eod.

Potest tamen donatarius rem donatam bonâ conscientiâ tamdiu tenere, quamdiu non revocatur,

tur, nec morte donantis confirmatur. f. 136. nu. 177. Idem dicendum de donationibus factis ante Matrimonium consummatum. n. 178.

Casu quo matrimonium est nullum, si uterque conscius est nullitatis, valet donatio. Imò valeret, etiamsi solus donans sciret. Si tamen donans ignarus fuit, non valet, ob defectum consensûs. f. eod. n. 179.

Non valet donatio inter Sponsos, hac Lege, ut Donatarius dominium nanciscatur, cùm nuptiæ fuerint secutæ. Nisi futuritio nuptiarum esset potiùs adjecta ut conditio, cujus verificitivum jam existat, etsi ignoretur à donante, qui si sciret, jam absolutè donaret. f. 137. n. 180.

Neque valeret donatio inter illos, qui aliquo modo conjuges contingunt per patriam potestatem, v.g. facta Nurui à Socero. f. eod. n. 181.

Jure Bavarico valet donatio inter conjuges si non existent liberi, nec superveniant: si superveniant, donatio annullatur, eod. in fine.

Donationes conjugũ non revocatæ, confirmantur morte donantis. fol. 138. nu. 182. Requiritur tamen ad has donationes, ut facta fuerit rei donatæ traditio, & in hoc differunt ab alijs mortis causâ donationibus. f. eod. n. 183. Sufficit tamen traditio ficta, quæ fit per clausulam *constituti*. eod.

Donatario priùs moriente, evanescit donatio, non obstante factâ traditione. f. 138. n. 184. Præsumeretur tamen pro valore donationis, si ambo v.g. eodem infortunio perirent, nec constare possit, quis prior obierit. f. 139. n. 185. Quòdsi mutuò sibi donâssent sub hac conditione, si alter supervixit, adhuc videretur utriusque donatio valere, quia conditio videretur solùm requisita fuisse ad hoc, ut alterius hæres omnia haberet. eod.

Revocatâ donatione, etsi non recuperatâ possessione, evanescit donatio, nisi de novo donaretur. f. eod. n. 186. Sufficit autem revocatio tacita, v.g. rei donatæ oppignotatio proprio nomine donantis facta. Non sufficeret tamen hypotheca generalis. n. 187.

Si rem donatam donans relinqueret eidem conjugi in ultima voluntate, per verba ambigua, potiùs ut donatio confirmaretur, quàm ut legatum, adeoque retrotraheretur quoad fructus perceptos in vita donatoris, & deberetur, etiam non aditâ hæreditate; nisi ob excessum omissâ insinuatione non posset morte confirmari, tunc enim haberet rationem legati. fol. 140. nu. 188. Imò non videretur donans recedere à priore donandi voluntate, etiamsi claris verbis rem donatam legaret; sed adhuc confirmaretur in vim donationis. f. 140. n. 189.

Censetur etiam Donatio tacitè revocari secuto divortio per animorum aversionem: item per ingratitudinem donatarij, & per graves inimicitias, nisi successerit reconciliatio. eod.

Confirmatâ donatione per mortem donatoris, retrotrahitur donatio quoad fructus perceptos vivo donatore, ut eos consequatur donatarius perinde acsi statim factâ donatione dominus fuisset. Quoad excessum tamen, neglectâ Insinuatione, sicut non confirmaretur, ità nec retrotraheretur. f. 141. n. 190. Ut autem donatarius fructus lucretur, non requiritur, ut putet donationem valuisse, satis est, quòd sciverit, se posse bonâ fide colligere, cum spe, futurum ut confirmetur. eod. Retrotrahitur non solùm quoad fructus industriales, sed etiam quoad naturales. Imò revocatâ donatione non tenetur restituere industriales. eod.

Donatio Conjugum assimilatur Legatis in revocabilitate & detractione Falcidiæ, & quod non possit præjudicare legitimæ. Contractibus verò, quia requirit acceptationem, traditionem, & insinuationem, & quòd confirmetur absque hæreditatis aditione, & absque solennitatibus ultimarum voluntatum. f. 141. n. 192.

Per Professionem in Religione successionis capaci, non confirmatur donatio, sed potest revocari usque ad mortem naturalem. f. eod. nu. 193. Si verò donans profiteatur in Religione incapaci successionis, statim confirmatur, nec est exspectanda mors naturalis. eod.

Morte civili, quâ maritus donans efficitur Servus pœnæ, confirmatur donatio, non item quâ fit Servus hominis, tunc enim donatio evanescit, nisi dominus vellet ratificare. fol. 142. num. 194.

Si donans esset Uxor, per ejus condemnationem ad mortem, donatio penitus evanesceret, nec confirmaretur. eod.

Solâ capitis maximâ diminutione, per deportationem & exilium, in aliquo sensu dicitur confirmari donatio, in aliquo sensu manet suspensa, & revocabilis à marito. f. eod. n. 195.

Confirmari potest Donatio inter Conjuges Juramento, quo donans juret, se, quantùm in se est, nolle habere Jus, neque suos hæredes, revocandi donationem. f. 142. n. 196.

Reciprocæ donationes, etiam diverso tempore factæ, non egent confirmatione per mortem, nisi quoad excessum & inæqualitatem notabilem, vi cujus alter est factus locupletior. f. 143. num. 198. & seqq.

Donationes Remuneratoriæ inter conjuges, non egent confirmatione per mortem, cùm habeant potiùs rationem compensationis quàm donationis. f. 145. n. 201. & seqq.

Donationes factæ ob conditionis disparitatem, si fiant in ipso actu dotis constituendæ, valent irrevocabiliter, non autem factæ post matrimoniũ contractum; in quo tamen consuetudo attendenda. f. 146. n. 207.

Donatio quæ fieret, si maritus caveret, se dotem (non solutam) accepisse, non valet, morte tamen confirmatur. fol. 147. n. 208.

Valet irrevocabiliter donatio facta marito ab uxore ad faciendas expensas pro honore adipiscendo. f. 147. n. 209. Item valet donatio facta ex commiseratione aut pietate. n. 210.

Valeret etiam remissio dotis ex parte seu diminutio. Remissio tamen Usurarum ex dote percipiendarum, non valeret. f. 148. n. 211.

Donatio facta in tempus soluti matrimonij valeret irrevocabiliter. f. eod. n. 212.

Donatio facta Uxori à viro ob timorem exilij, exilio secuto confirmaretur. eod.

Ut aliæ donationes sint infirmæ, & morte confirmandæ, duo copulativè requiruntur; ut donans fiat pauperior, & donatarius fiat locupletior. f. 148. n. 213. Ut autem donans censeatur factus pauperior, necesse est, ut per talem donationem minuat suum patrimonium. Unde non obstaret valori donationis, si aliquod lucrum indebitum non acceptaret in favorem conjugis. n. 214. ubi exemplum.

Donatio Rei alienæ facta ab inscio, non valet. Probabiliter tamen valeret, si bonâ fide possedisset, & Jus præscribendi in uxorem transferret, quia hoc esset solùm nolle acquirere. f. 149. num. 216. & seq.

Probabiliùs non valeret donatio facta ab eo, qui alioquin rem donatam prodegisset, quia adhuc verum esset, quòd fieret pauperior; sicut fieret, si extraneo donaret. f. 150. n. 218.

Donatio facta eâ Lege, ut à Donatario transferatur in tertium, valeret, quia Donatarius fieret locupletior. f. 150. n. 219.

Si Donatarius rem donatam sine sua culpa consumpsit, ità ut non sit factus locupletior, valet donatio, si verò ex culpa, non valet, & ideo posset revocari si donans factus est pauperior. fol. eod. n. 220.

Ut donationes inter conjuges morte confirmentur, requiritur vel vera vel ficta traditio præcedens. f. 150. n. 221. & seqq.

Jure Bavarico conjugibus non habentibus liberos, conceditur potestas donandi invicem, sed coram Magistratu, vel litteris sigillo munitis. Si tamen postea acquirant liberos, evanescit donatio. f. 153. n. 227.

Ad revocandam donationem competit donanti Rei Vindicatio, si res adhuc existat, secùs datur Condictio *sine causa*. quatenus Donatarius locupletior factus est. f. eod. n. 228. Quandoque non datur directa, sed utilis tantùm Actio rut, si ex pecunia donata res aliqua à donatario comparata est. n. 229. Si tamen res sine culpa perijsset, donatori perijsset, quia Donatarius non esset factus locupletior. eod.

Donatio Filiorumfamilias, Minorum, Parentum.

Filiusfamilias non potest res peculij non Castrensis, cujus administrationem habet, donare, nisi in quantum illi tacitè vel expressè conceditur. f. 154. n. 230.

Ex illis Adventitijs, quorum filius non solùm proprietatem, sed etiam Usumfructum, plenamque administrationem habet, potest pro libitu, sicut alius paterfamilias, donare. f. eod. n. 231.

Minor curatorem non habens, potest donare donatione quæ solo consensu perficitur, & quâ ad tradendum obligatur, si Prætor suo decreto approbaverit. f. 154. n. 232.

Pater non potest donare Liberis in potestate constitutis. Jure Codicis tamen Donatio confirmatur morte donatoris. Mater Filio, & Filiusfamilias patri donare potest. f. eod. n. 233.

Donationes factæ liberis ex causa, ut Dotis, donationis propter nuptias, ad prosequenda studia, accipiendos gradus, consequendum Beneficium &c. valent: sed quomodo hæc conferenda, actum est suo loco, sicut etiam quòd pater possit filio relinquere Usumfructum in adventitijs. f. eod. n. 234.

Donatio facta filiofam. à patre potest morte confirmari. eod.

Donatio facta ut computetur in legitimam, est revocabilis, denon est absoluta donatio, sed quædam anticipata solutio legitimæ. fol. 155. n. 235.

Donatio remuneratoria statim irrevocabiliter valet, si sit proportionata meritis. Quodsi de meritis dubium esset, morte confirmaretur, nisi constaret, intentionem fuisse meritis alligatam. f. eod. n. 236.

Donatio Regularium.

Præ oculis habendæ sunt Bullæ Pontificiæ de Largitione munerum, quæ hic referuntur. fol. 155. n. 237 & seqq. Opinio quorundam, has Bullas non esse receptas, non habet ampliùs auctoritatem post declarationem Urb. VIII. fol. 159. n. 247. His Constitutionibus non est introductum novum Jus, sed antiquum refortioatum, nisi quòd præscribatur nova forma approbationis causæ ex qua donatur, quatenus requiritur approbatio Capituli Generalis, nec posset ullus Superior aut Conventus ex causa quantumvis justa dare licentiam Religioso largiendi munus; imò requiritur unanimis consensus totius Capituli secundùm Bullam Clementis VIII. ex declaratione tamen Urbani VIII. sufficit Superiorum localium licentia, ac majoris partis Conventus. f. 159. n. 248.

Quænam quantitas requiratur, ut incurrantur pœnæ in Bulla constitutæ, est dubium; & non sufficere duos aureos, benè tamen 3. aut. 4. est magis receptum. f. 160. n. 249.

Per plures modicas donationes, non coalescentes ex intentione perveniendi ad summam gravem prædictam, non incurruntur illæ pœnæ. f. eod. n. 250.

Hac Constitutione non sunt prohibitæ donationes rerum ingenio partarum. f. eod. n. 251. Neque etiam peccaret Religiosus contra Constitutionem, locando operam alteri v. g. pingendi in & ex aliena materia. f. eod. n. 252.

Per Donationes *indirectè* factas, & etiam prohibitas, intelliguntur in Bulla illæ donationes, quæ fierent per alium, qui volens donare Religioso, dirigeretur

dirigeretur, ut Religiosi nomine donaret alteri. Huc plures aliæ revocantur, quas vide f. 160. n. 153.

Non prohibentur donationes, quibus nec bona Monasterij dissipantur, nec sunt ambitionis occasio. fol. 161. n. 254. Neque illæ, quæ fiunt ad redimendam injustam vexationem. eod.

Probabiliùs tamen sunt prohibitæ illæ, quas quis vellet excusare tanquam æquivalentes munusculis in Bulla concessis, nempe esculentis & poculentis, item ad devotionem facientibus. f. eod. n. 255. ubi exempla.

Non videntur adversari Constitutionibus, permittentibus invitationem ad convivia eorum qui ibi divertunt, aut transeunt, invitari etiam illos qui more patrio si non invitarentur, aversionem à Religione conciperent. f. eod n. 256.

Nec etiam adversantur donationes factæ illis, quos constat tantundem redonaturos, modò ambitio absit. fol. eod. n. 257.

Donationis inter vivos Revocabilitas.

Triplex causa Juribus approbata est, ex quibus Donatio inter vivos alioquin irrevocabilis ex genere suo possit revocari. Prima causa est Ingratitudo Donatarij legibus expressa. ut: atrox injuria: impiarum manuum injectio: notabilis damnificatio: vitæ periculum causatum: neglectus gravaminum in donatione injunctorum. f. 162. n. 258.

Jus Revocandi ex causa Ingratitudinis tunc solùm transit ad hæredes, si donator injuriam commissam nescivit, vel morte præventus, cùm vellet revocare non potuit, vel ingratitudo primùm post mortem est commissa: vel quando lis jam esset contestata. fol. eod. n. 259.

Ad Revocationem requiritur Judicialis causæ cognitio & sententia: si tamen res promissa, necdum tradita esset, non teneretur donator tradere. fol. 163. n. 260. Latâ sententiâ teneretur Donatarius reus etiam in conscientia rem reddere, non item fructus perceptos ante litis contestationem. n. 261.

Ingratitudo debet esse Theologicè peccaminosa, unde non sufficeret accusatio alioquin licita, aut defensio. fol. eod. n. 262.

Revocatio ex causa Ingratitudinis non permittitur adversùs hæredes donatarij, nisi lite priùs cum donatario contestatâ. f. eod. n. 263.

Revocatio conceditur hæredi donatoris, quando Ingratitudo est commissa post mortem donatoris, vel gravamini imposito non est satisfactum. f. eod. n. 264.

Jus Revocandi non rectè extenditur ad ingratitudines non expressas in lege, quamvis æquivalentes. eod.

JusRevocandi non renuntiatur validè ante commissam ingratitudinem, nisi adjecto juramento. Esset tamen tale juramentum ad instantiam donatoris relaxandum. f. 163. n. 265.

Donatio remuneratoria non potest ob ingratitudinem revocari, neque donatio dotis aut contradotis. f. 164. n. 266.

Mater ad secunda vota transiens adbuc potest revocare donationem. 1. Si filius vitæ insidietur. 2. Si manus impias intulerit. 3. Si totius substantiæ jacturam mollitus sit. f. eod. n. 267.

Ob inopiam non potest donatio revocari, etiamsi donatarius alimenta negaverit. Æquitas tamen postulat, ut si majorem partem bonorum donoaccepisset, officio Judicis cogeretur alimenta præstare ad quantitatem fructuum. f. eod. n. 268.

Re donatâ bonâ fide alienatâ, non posset æstimario revocari. nisi in quantùm ingratus donatarius locupletior factus esset. fol. 165. n. 269.

Natis præter spem liberis post factam extraneo donationem, potest donatio revocari: etiamsi unicus nascatur. f. 165. n. 270. & seq. Hoc tamen non procedit si postea quis adoptetur, aut nascatur illegitimus, nisi per subsequens matrimonium legitimetur. f. 166. n. 272.

Quanta autem debeat fuisse donatio, videtur conscientiæ donantis relinquendum, an fuisset donaturus, si prævidisset prolem nascituram, donec res ad Judicium deducatur, & tunc Judicis arbitrio standum. n. 274.

Lex *Si unquam. 8. C. de revoc. donat.* unicè fundatur in præsumptione non futuræ donationis, si spes prolis fuisset. f. 166. n. 275. Quodsi filij nati morerentur post factam revocationem, non reviviseceret donatio. n. 276.

Donatio facta Ecclesiæ vel alteri causæ piæ, non posset revocari, quia censetur fuisse remuneratoria & absoluta. f. 167. n. 277. Neque revocari posset donatio, si donator postea novo consilio Religionem profiteretur. n. 278. & seqq.

Donatio facta filio emancipato, potest à patre aut liberis postea natis solùm revocari in quantùm est inofficiosa. f. 168. n. 281.

Constitutio Legis *si unquam.* locum non habet in donatione mortis causâ. f. eod. n. 282. Neque in donatione remuneratoria excessiva. eod. Procedit tamen in renuntiatione paternæ hæreditatis, nisi facta esset à filia in contractu dotali secundùm statuta. n. 283. Procedit etiam in renuntiatione Juris primogenituræ. eod.

Donatio inofficiosa potest solùm revocari usque ad Legitimam. f. 169. n. 285. & f. 170. n. 289. Querela tamen non potest moveri nisi post mortem donatoris, & exspectandum quinquennium. Durat 30. annis. eod.

Tomo 4.

Donator non liberatur solvendo pretium, aut interesse. f. 8. n. 19.

Donatio Mortis causâ.

Tomo 2.

Donatio mortis causâ subjecta est Falcidiæ. f. 247. n. 358.

Definitur ab Imper. Donatio, quæ propter mortis suspicionem fit, cùm quis ità donat, ut si quid hu-

H

quid humanitùs ei contigiſſet, haberet is qui accipit. Sin autem ſupervixiſſet, is qui donavit, reciperet, vel ſi eum donationis pœnituiſſet, aut prior deceſſerit, cui donatum eſt. P. Molina definit: quòd ſit donatio, quâ gratis aliquid traditur, aut promittitur, ut morte donantis abſolutè, aut eâ ſolâ morte, qua de proximo quando donatio fit, timetur, ſecutâ ante donatarij mortem, res irrevocabiliter donatarij fiat, cum deambulatoria donantis uſque ad ipſius mortem facultate, revocandi omnino eam donationem. Breviùs ſic. Eſt conventio, quâ quis rem mortis intuitu donat, quam ſe magis quàm donatarium, hunc verò potiùs quàm hæredem, habere mavult. f.164. n.421.

Dupliciter hæc donatio fieri poteſt. Primò, quando nullo præſentis periculi metu, ſed ſolâ mortis futuræ memoriâ ductus donat. Secundò, quando præſenti periculo motus donat. Priore modo facta, non exſpirat, niſi revocetur. Poſteriore modo facta exſpirat, ſi ex tali periculo mors non ſequatur. fol.165. n.423.

Quando res donata traditur, transfertur dominium, ſed revocabile, niſi contrarium exprimat donator, nempe, quòd velit primùm poſt mortem dominium transferri. fol.eod. n.424.

Poteſt fieri nudo pacto, abſenti, & per nutum, & acceptata ſtatim valet. fol.eod. n.425.

Si non acceptetur ante mortem, induit naturam legati, & non valet, ſi fiat ab eo, qui quidem mortis causâ donare poteſt, ſed non legare. f.165. n.426.

Donatio hæc fit primùm irrevocabilis per mortem eo modo ſecutam, quo illi teſtator donationem annexam eſſe voluit. Unde non eſſet donatio mortis causâ, ſed potiùs in diem, ſi tempus mortis adijceretur executioni, & præſtationis deſignandæ causâ. fol.166. n.427. & ſeq.

Quando donatio facta eſt metu præſentis periculi mortis, præſumitur alligata morti ſecuturæ, quâ non ſecutâ reſolvitur, ſicut alij actus conditione non ſecutâ, abſque omni aliâ revocatione. fol.eod. n.429.

Reſolvitur etiam, ſi donatarius moriatur ante donatorem. Quodſi ſimul eod. inſtanti morerentur, donatio confirmaretur. f.167. n.431. & ſeqq.

Reſolvitur etiam ipſo jure, ſi donator pœnâ capitis afficiatur, & donatio facta ſit ex ſuſpicione pœnæ infligendæ. eod.

Revocatur etiam pœnitentiâ donatoris, vel expreſsâ, vel tacitâ, ſicut revocantur legata. fol.167. n.433. 437. 438. Quodſi donator nullum haberet hæredem, adhuc cenſeretur per pœnitentiam revocata. n.434.

Ex prole inſperato ſuperveniente, non minùs revocatur tacitè hæc donatio, quàm donatio inter vivos: imò hæc non eſt propriè revocatio, ſed evaneſcit donatio ex defectu conditionis ſub qua facta eſt: *niſi proles nata fuerit.* Unde ab hæredibus donatoris poſſet revocari & vindicari. f.168. n.439.

Ad repetendam rem donatam, datur donatori condictio *causâ datâ causâ non ſecutâ*, quâ etiam condicuntur fructus illi, ex quibus perceptis donatarius locupletior factus eſt, niſi præſumi poſſet ex modo donandi, quòd tales vellet abſolutè donator, v.g. dicendo: *utere in tuam ſuſtentationem* fol.eod. n.440.

Competit donatori etiam rei vindicatio, ſeu in rem actio, & quidem directa: nam dominium revocabile evaneſcit per revocationẽ. f.eod. n.441.

Poteſt donator donationem reddere ſaltem ex parte irrevocabilem, v.g. ut tunc ſolùm reſolvatur, ſi donatarius prior deceſſerit. fol.eod. n.442.

Si donator per pactum reflexum & ab ipſa donatione diſtinctum, ſe obligaret ad non revocandum, (quod pactum poſſet juramento firmare) talis donatio retineret naturam & effectus donationis mortis causâ. Unde revocatio ſubſecuta eſſet quidem peccaminoſa, & injurioſa, valeret tamen, manente obligatione ad intereſſe. fol. 168. n.443. & ſeqq.

Quodſi Donator motus aliquo modo à morte imminente donaret cum proteſtatione, quòd velit eſſe irrevocabilem donationem, eſſet donatio inter vivos, & mors eſſet ſolùm cauſa impulſiva, & ſic grammaticaliter ſolùm eſſet donatio mortis causâ. fol.169. n.446.

Donatio mortis causâ convenit cum ultimis voluntatibus, præſertim legatis, in ſeqq. 1. quòd ſit revocabilis. 2. quòd requirat quinque teſtes. 3. quòd non requiratur inſinuatio in quacunque ſumma fiat. 4. quòd ſubjaceat Falcidiæ, & Interdicto *Quorum legatorum.* 5. quòd in ea ſit locus juri accreſcendi. 6. quòd conditiones turpes & impoſſibiles habeantur pro non adjectis. 7. quòd ſufficiat & requiratur capacitas donatarij pro tempore mortis donatoris. 8. quòd abſque alia traditione dominium tranſeat in donatarium à morte teſtatoris, quâ confirmatur donatio. 9. quòd requirat eaſdem ſolennitates, quas codicillus. fol. 170. n.449.

Differt ab ultimis voluntatibus. 1. quòd confirmetur morte donantis independente ab aditione hæreditatis, dummodo priùs fuerit acceptata. 2. quòd requiratur acceptatio ante mortem donatoris. 3. quòd poſſit in alterius voluntatem conferri ſicut alij contractus. 4. quòd filiusfamilias licèt non poſſit teſtari aut legare, poſſit tamen donare mortis causâ. fol.170. n.450.

Quando dubium eſt, an fuerit donatio mortis causâ, aut inter vivos, alleganti donationem mortis causâ incumbit probatio, alioquin contrarium præſumitur, etiamſi in mortis periculo concepta ſit, ſi nulla mentio mortis facta ſit, niſi donans non poſſet donare inter vivos. fol.eod. n.451.

Filiusfamilias bona adventitia, in quibus pater uſumfructum habet, poteſt donare mortis causâ cum conſenſu patris, ſicut & alios contractus celebrare, quibus donatio mortis causâ in ſua productione aſſimilatur. f.171. n.452. In quibus verò filius habet etiam uſumfructum, poteſt etiam abſq; conſenſu patris donare mortis causâ. n.453. Patris enim auctoritas non ad integrandam perſonam (alioquin ſine ejus conſenſu nec inter vivos donare poſſet) filij, ſed ſolùm ob præjudicium patris requiritur. n.454.

Regula

Regula generalis: *Qui non potest testari, nec potest donare mortis causâ*: est intelligenda de personis, quæ ob vitium inhærens testari prohibentur, ut pupillus, furiosus. &c. f. 272.

Minor, cùm possit testari sine Curatoris auctoritate, etiam poterit donare mortis causâ: neque in hoc assimilatur hæc donatio contractibus inter vivos, sed ultimis voluntatibus, & ideo requiruntur quinque testes: solùm assimilatur, quòd requiratur acceptatio. f. eod. n. 460.

Conjuges etiam possunt donare invicem mortis causâ. & donationes eorum inter vivos invalidæ si non revocentur, morte confirmantur, adeo ut retrahantur ad tempus, quo donatio interposita est. f. 273. n. 462. & seq.

Donatio propter Nuptias.

De hac vide. *Dos Contrados.*

Dos Contrados.

Tomo 1.

Dos est omne illud, quod nomine uxoris datur aut promittitur Marito ratione matrimonij, ad onera illius sustinenda, completur ejus denominatio per ipsum matrimonium, sine quo non intelligitur esse dos. f. 365. n. 324.

Est vel Profectitia, vel Adventitia. Illa est, quæ vel datur ab aliquo ascendente, vel hujus intuitu ab extraneo. Adventitia, quæ aliunde habetur. f. eod. n. 325. & fol. 387. n. 453.

Contrados, seu donatio propter nuptias, seu Doarium, fit à marito, vel alio ejus nomine pro dotis assecuratione, cui regulariter debet exæquari. f. eod. n. 328.

Dotis æstimatæ æstimatione, faciente venditionem, dominium tam civile quàm naturale est penes maritum, adeo ut, soluto matrimonio, non teneatur uxor rem ipsam recipere, nec maritus eam offerre, sed pretium tanquam rei venditæ. fol. 366. n. 331. In dubio an dotis æstimatio fecerit venditionem, præsumitur fecisse, nisi loci consuetudo aliud haberet. f. eod. n. 333. Æstimatio iniqua quantumvis infra dimidium, reducitur ad æquitatem. n. 334.

Si pretium restituendæ dotis æstimatæ non exstet in bonis mariti, redit dominium rerum dotalium ad uxorem, potestque uxor vindicare exclusis omnibus creditoribus. f. eod. n. 335.

Dotis non æstimatæ dominium civile habet maritus, naturale manet penes uxorem, cui contra extraneum, durante matrimonio, etiam convenit utilis rei vindicatio, & si quid perit sine culpa mariti, perit uxori. f. 367. n. 337. & seqq. Neque maritus tenetur ex culpa levissima. n. 341.

Si tradantur in dotem res consistentes in numero, pondere & mensura, earum dominium naturale transfertur in maritum instar mutui. fol. eod. nu 342.

Constante matrimonio fructus dotis ad maritum spectant, etiamsi excedant onera matrimonij quæ sustinet. f. 368. n. 343. quæ verò non veniunt nomine fructuum, ad uxorem pertinent quoad dominium naturale, ut partus ancillæ, thesaurus in fundo dotali repertus. n. 344.

Contradotis dominium naturale manet penes maritum unà cum fructibus. Penes uxorem autem videtur esse dominium civile, quatenus etiam durante matrimonio eam vindicare potest, & non solùm actione hypothecariâ prosequi. f. 369. n. 346.

Si Contrados consistat in rebus immobilibus, non potest maritus eas alienare, ne quidem consentiente uxore, nisi transacto biennio iterum consentiat, sintque aliæ res marito pro securitate dotis. f. eod. n. 347.

Dotem dare tenetur pater legitimus si existat, & ad hoc compelli potest, si filia velit rationabiliter nubere. f. 373. n. 377. Nec excusatur, etiamsi filia aliunde dives esset, quia conducit ad acquirendum meliorem maritum. n. 379.

Filiam illegitimam non tenetur pater dotare nisi fortè modicè, multò minùs filiam quæ meretriciam vitam ageret, nec etiam quæ inscio vel invito patre ante 25. ætatis annum indigno marito nuberet, quod tamen Magistratûs arbitrio relinquitur. Denique ab obligatione dotandi excusat omnis causa sufficiens ad exhæredandum. fol. 374. n. 380. & seqq.

In defectum patris tenetur mater, si filia sit inops, sed ante matrem probabiliùs tenetur avus paternus, etiamsi mater locuples sit. f. eod. n. 384. & seqq.

In horum defectum tenetur frater ex eodem patre natus dotare sororem pauperem, si ipse sit dives. f. 375. n. 389. Et denique borum omnium hæredes tenentur, si ipsi, quando obligabantur, non dotârunt. n. 390.

Maritus potest exigere fidejussores de dote promissa, & pro dote permittitur etiam fæminis fidejubere, non obstante SC. Vellejano. f. 375. n. 393.

Uxor per se loquendo non potest à Marito, constante matrimonio, vel antè, fidejussores exigere de dote conservanda, nec, si darentur, obligarentur: potest tamen exigere extraneus si dotem dedit. Soluto matrimonio possunt exigi fidejussores de dote reddenda. f. 376. n. 394. & seq. Uxor tamen posset exigere, si esset periculum dotis prodigendæ. n. 396.

Si maritus suâ culpâ ad inopiam vergat, & evidenter constet, facultates proprias mariti non sufficere exactioni dotis, potest dos, etiam durante matrimonio repeti, ut ab alio securiùs administretur, nisi maritus fidejussores à Magistratu approbatos daret, f. 376. n. 397. Esset tamen dos marito

 iterum

iterum reddenda moribus emendatis, & sublato periculo. f. 377. n. 400. Imò, si constitisset ab initio de moribus prodigis mariti, non posset dos postea ex hac causa auferri, nec fidejussores exigi. n. 401.

Privilegio revocandi dotem ex causis de novo emergentibus, non potest mulier validè renunciare. f. 377. n. 403.

Jus repetendi dotem profectitiam stante matrimonio primario competit filiæ, sed hac negligente competit patri, cujus est dominium. fol. eod nu. 404.

Jure novo non valet alienatio fundi dotalis in præjudicium uxoris, ne quidem ab ambobus conjugibus simul facta, nec hypothecatio, nisi ex causa utili vel necessaria dum stat matrimonium. f. 378. n. 405.

Fundus communis potest validè dividi, si expediat, & socius ad divisionem provocet. f. eod. n. 406.

Valet tamen alienatio Juramento firmata spontaneo. f. eod. n. 407.

Pro alio etiam fundo subrogato potest alienari si expediat. Quamdiu autem non substituitur alius fundus, quo res mulieris melioretur, negotium pendet, & non factâ subrogatione alienatio est nulla. f. eod. n. 408.

Valet etiam alienatio ex causa necessaria, ut ad æs alienum solvendum cum consensu mariti. f. 379. n. 408.

Neque mobilia inæstimata, nec consistentia in pondere, numero & mensura, possunt validè alienari, si maritus solvendo non sit, benè tamen si sit solvendo: neque ad horum validam alienationem requiritur, ut post biennium renovetur ab uxore consensus, sicut requiritur in immobilibus. f. eod. n. 410. & seqq.

Maritus potest constante matrimonio res invalidè à se alienatas, à quocunque detentore vindicare saltem nomine uxoris, imò probabiliùs nomine proprio. f. 380. n. 415. & seqq. Soluto matrimonio potest etiam uxor fundum vindicare: imò, si maritus negligat, etiam stante matrimonio. n. 418.

Soluto matrimonio morte mariti, tunc solùm potest mulier confirmare alienationem invalidam, si fundus priùs redditus fuerit, & ità cessaverit esse dotalis. Soluto matrimonio per mortem uxoris, hæredes possunt ratificare alienationem nullâ præcedente receptione. 419.

Emptor, si scivit fundum esse dotalem, solùm potest agere ad pretium, si nescivit, etiam de Evictione ad interesse. f. eod. n. 420.

Quomodocunque valeat alienatio rerum dotalium, etiamsi earum dominium naturale habuerit maritus, est tamen dominium alienatorum revocabile ab uxore, casu quo maritus ad inopiam veniat, ut solvere dotem non possit. f. 381. n. 422. & seq.

Si dos consistat in rebus immobilibus corporalibus, & maritus solùm habuit dominium civile, soluto matrimonio statim est restituenda. Si verò in mobilibus, vel incorporalibus, vel æstimatis, vel quando certa summa est restituenda in valore, intra annum primùm est obligatio restituendi, nisi aliud pactum fuerit. n. 424.

Fructus dotis in re fructifera inæstimata à die soluti matrimonij spectant ad uxorem, in cæteris ad maritum, imò & dotis in summa consistentis spectat ad maritum ejusque hæredes quousque tenentur restituere. f. eod. n. 425.

Quamdiu dos non restituitur, alenda est uxor ab hæredibus mariti, (nisi aliunde, vel ex fructibus dotis alimenta habere posset) si velit in domo hæredum commorari, & consuetas operas præstare. f. 381. n. 426.

Marito, Socero, & filijs mariti ex conjuge repetente dotē susceptis, conceditur Beneficiū competentiæ, si dos fuit æstimata æstimatione faciente venditionem, quod Beneficium hæredibus extraneis mariti negatur, quantùm est ex hoc capite. f. 382. n. 428.

Ad repetendam dotem olim dabatur Actio rei uxoriæ *Præscriptis verbis*, Condictio ex Lege Julia. Hodie datur alia triplex. Rei Vindicatio Directa & Utilis. Hypothecaria. Ex stipulatu. Actio Rei Uxoriæ in Actionem *ex stipulatu de dote* est transfusa, & ideo hæc est bonæ fidei, sicut illa erat: & hæc Actio competit, etiamsi nulla stipulatio realiter intervenerit. Fingitur ergo intervenisse, & datur marito ad obtinendam dotem promissam, uxori ad eam repetendam: nisi pater dans dotem stipulatus esset eam sibi restitui: quæ tamen ei restituta iterum filiæ in dotem dandâ esset. fol. 382. n. 430. & seqq.

Extraneo, nisi expressè stipulatus sit, non competit Actio ex stipulatu, sed præsumitur dotem donâsse. f. 383. n. 434.

Mulier in bonis mariti habet Hypothecam tacitam ratione dotis, quæ ad Hæredes extraneos non transit, benè tamen ad descendentes. f. eod. num. 436. Vi hujus tacitæ Hypothecæ præfertur mulier alijs omnibus creditoribus anterioribus (tribus exceptis) non solùm tacitam, sed etiam expressam Hypothecam habentibus. f. 384. nu. 439. & seqq. Casus autem excepti sunt. 1. Si ex mala administratione primipilari factus sis debitor fisci, non solùm res tuæ obligantur tacitè Fisco, sed dos etiam Uxoris tuæ, ità videlicet, si bona mariti exhausta sint, neque aliquid residuum invenitur. f. 385. nu. 444. 2. Quando cum Noverca concurrunt liberi prioris Matrimonij in exactione dotis. nu. 445. 3. Funeraria Actio causæ dotis præfertur. num. 446. Falsissima est opinio Hunnij quòd in Deposito mulier præferatur deponenti. n. 447.

Marito

Marito ejúsque Hæredi competit Exceptio compensationis ob impensas necessarias, utiles, voluntate mulieris factas: item ob res amotas, quandoque etiam ob commodatas à muliere invito marito. f. 386. n. 448. Sed cùm limitatione. Nam de suo tenetur Maritus res dotales tueri, colere agros, reficere domos sumptu modico, colligere fructus &c. eod. Circa hanc exceptionem observandum, quòd non sit ex illis, quæ dantur ubi actio non datur. Nam marito etiam actiones competunt, nempe Condictio indebiti: Rei Vindicatio si res exstet, aut condictio, si non exstet: interdum utilis rei vindicatio. Actio rerum amotarum. f. 386. n. 449.

Competit etiam Marito quandoque exceptio doli, v. g. ob rem dotalem evictam, vel uxori Legatam pro dote. f. 387. n. 450.

Competit denique Exceptio non numeratæ dotis, opponenda infra annum, si intra biennium matrimonium dissolvatur, infra tres menses verò, si ultra duret usque ad decennium: quo elapso omnino tollitur. f. 387. n. 451.

De Exceptione lucratæ dotis ob adulterium vide *Adulterium*.

Privilegia dotis tunc solùm conveniunt rebus ex pecunia dotali emptis, aut cum re dotali permutatis, quando Maritus non est solvendo. fol. eod. n. 454.

In dotem dari possunt res omnes quæ in commercio sunt. f. 388. n. 455.

Si dotem constituit pater ultra vires patrimonij, datur liberis querela inoficiosæ dotis. f. 388. n. 456.

Inutilis est promissio dotis incertæ ab extraneo facta, nec in boni viri arbitrium collata. f. eod. n. 457.

Pacta quædam dotalia improbantur in Jure. Hujusmodi est. 1. Quo de hæreditate vel ejus parte præmortui conjugis agitur. 2. Reprobatur pactum, ut filia dote contenta nullum ad bona paterna regressum habeat. 3. Ut filia non obstante dote nihilominus ex æqua portione patri cum fratribus succedat. Sed de his Provinciarum varia est consuetudo, ubi, præsertim in Germania, rata habentur. f. 388. n. 458. De Jure Canonico hujusmodi pacta Juramento firmari possunt. n. 459.

Dos exigenda est in loco domicilij mariti, tempore quo fuit contractus celebratus. f. eod. num. 460.

Causa Dotis ad Judicem Sæcularem pertinet: ad hujus negligentiam supplendam ad Ecclesiasticum, vel, si judicatur accessoriè, ad causam matrimonialem. f. 389. n. 461.

Fundus dotalis non præscribitur spatio 10. annorum nisi præscriptio, incepisset antequam esset dotalis. f. 465. nu. 361.

Si ex aliquo Statuto Dos est loco Legitimæ, immunis esse debet ab omni onere. f. 120. num. 534. vide etiam. *Legitima*.

Dos quomodo conferenda aut in Legitimam computanda sit, vide. *Collatio bonorum*. & *Legitima*.

Dos quando est loco Legitimæ, est sine onere relinquenda, sicut Legitima. f. 120. n. 534. Unde, conditio adjecta: *si nupserit*: rejiceretur, & dos etiam infanti statim solvenda esset. Item rejiceretur hæc conditio: *Si sine liberis decesserit, restituat*. eod.

Fructus ex rebus oppignoratis loco dotis, potest maritus absque usura retinere, item uxor mortuo marito, donec dos solvatur. item maritus mortuâ uxore, filiorum nomine. f. 207. n. 428. & f. 209. n. 434.

Dos, soluto Matrimonio repetenda est in loco domicilij Mariti, & non ubi contractus celebratus. f. 80. n. 362.

Duellum.

Tomo 1.

Duellantes Jure Ecclesiastico incurrunt Infamiam. & hujus prætextu potest plerumque salvo honore detrectari oblatum duellum. fol. 191. nu. 641. ubi casus & exempla. item incurrunt Excommunicationem Sedi Apostolicæ reservatam. f. 193. n. 653.

Fingendo casum, quòd salvo honore non possit recusari oblatum duellum, non est tamen licita acceptatio Duelli, habens vim conventionis, quâ duellantes cedunt vicissim jure suo in vitam. fol. 192. n. 648. & 653.

Ad tuendum honorem non est necessaria acceptatio duelli, sed sufficit, & licet comparere in publico, animo se defendendi, si hostis aggrediatur, dummodo habeat probabilitatem victoriæ. f. eod. n. 649. & seqq. ubi inde 4. Casus, quibus licet acceptare duellum acceptatione impropriè dictâ, quæ habeat puram rationem defensionis. fol. 193. n. 652.

E.

Ebrietas.

Tomo 6.

Quamvis ebrius ob delictum in ebrietate commissum, nō possit puniri pœnâ ordinariâ quâ dolus punitur, puniendus tamen est, quòd inebriando se exposuerit periculo, arbitrio Judicis. fol 322. n. 532.

Si ebrietas non privavit ratione, non excusat à pœna ordinaria. fol. 323. n. 533.

Contra prætendentem ebrietatem, stat præsumptio, nisi contrarium probet, aut præsumatur. nu. 534.

Ecclesiæ Bona, eorúmque administratio.

Tomo 1.

Ecclesiæ Particulares habent Dominium illorum

 Bonorum

Bonorum; quæ illis attribuuntur. fol.311. n.64. Unde si Pontifex absque causa bona unius attribueret alteri, facienda esset restitutio. Dicuntur autem eatenus esse patrimonium Christi, quatenus non licet in alios usus quàm ad cultum Dei spectantes expendere. n.65.

Bona Ecclesiæ imobilia, & mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt, per se loquendo alienari prohibentur, nisi ob unã ex quatuor causis, & intervenicnte solennitate requisitâ in casibus non exceptis. Causæ sunt. 1. Necessitas, ut si Ecclesia sit ære alieno gravata. 2. Major Ecclesiæ Utilitas. 3. Pietas. 4. Incomoditas rei. fol.321. n.105. Solennitas est. 1. ut præcedat tractatus cum Capitulo vel cum illis ad quos res alienanda pertinet, an expediat, & adsit causa. 2. ut accedat consensus majoris partis. fol. 321. ubi n.106. refertur, quid observetur in Soc. Jesu, ex Bulla Greg. XIII. & Urb. VIII. 3. Requiritur auctoritas seu consensus saltem Prælati, qui ex munere publico Ecclesiæ præest; vel si talis deest, constituendus defensor. 4. ut fiat subscriptio à Capitularibus vel Notario. 5. ut consulatur Pontifex. Denique declaratio videnda Sacræ Congr. quæ refertur n. 107.

Si res immobilis sit exigua comparativè, & vel inutilis, vel longè dissita, potest sine solennitatibus alienari, sufficitque si administratori videatur alienatio esse necessaria. fol.321. n.109. Item res minùs utiles cum consensu sanioris partis Capituli. 110. item damnosæ, ità ut pro pretio emantur bona utilia. 111. item urgente necessitate ministrorum pauperum, & captivorum, & cùm non est recursus ad Pontificem. fol.323. nu. 112.

Ex rationabili causa debet Ecclesia cum Principe patriæ petente commutare possessiones pro pretio æquali. fol.eod. n.113.

Possunt, convocatis convocandis, bona duarum Ecclesiarum eidem Prælato subjectarum, inter se commutari, irrequisitâ licentiâ Papæ. eod.

Nomine alienationis prohibentur: Venditio, Donatio, Permutatio, Feudum, Emphyteusis, Census perpetui, vel vitalitij, Hypotheca specialis, non item generalis. fol.eod. nu.114. Feudum & Emphyteusis semel concessa, possunt renovari sine solennitatibus, si sit utile Ecclesiæ. eod. Emphyteusis potest cum solennitatibus in perpetuum concedi. n.116.

Quomodo contra Ecclesias præscribatur, & quo tempore, vide *Præscriptio longissimi temporis.*

Editio.

Tomo 5.

Edere, est Copiam Libelli, Instrumentorum, Rationum, aliorúmque Actorum adversario exhibere jussu Judicis implorati, si putet interesse editionem petentis. fol.218. n.179.

Actor tenetur regulariter edere reo omnia Instrumenta, quæ reo ad sui defensionem & fundandam intentionem servire possunt. n.181. ubi n. 182. vide exceptiones.

Reus regulariter non tenetur edere actori Instrumenta seu documenta contra se facientia. nu. 183. ubi vide tredecim exceptiones. n.184. & seqq.

Si adversarius petat reproductionem instrumenti, jam semel producti & fidem facientis, sub prætextu quòd velit illud arguere falsitatis, jurare debet, quòd absque dolo hoc petat. alter verò, si dicat, id sibi jam esse impossibile producere, jurare debet hoc ipsum, & tunc relaxatur à necessitate reproducendi: alioquin recusans arguitur charta falsitatis fol. 220. n.191.

In editione Instrumentorum non est necesse edi annum & diem quo conscripta sunt, benè tamen diem solutionis faciendæ, & rationum aut instrumentorum, quæ ad instructionem adversarij serviunt. nu. 196. & seq.

An ipsa Originalia edenda sint, vel sufficiat Copia, pendet ex fine ad quem editio petitur. nam ad probandum edenda sunt originalia, vel copiæ fidimatæ. fol. 220. n. 197.

Actio, quâ petitur editio, vocatur *de edendo* vel *in factum*. quâ quis etiam consequitur interesse, si ex defectu editionis damnum patiatur. fol.121. n. 199. & recusantem edere, Judex compellere potest mandatis pœnalibus seu Compulsorialibus; vel captis pignoribus, vel denegatâ audientiâ, vel denique manu militari. n. 200.

Instrumenta communia edere tenetur quivis, petente suo adversario. fol.389. n.604.

Sua litteraria documenta non tenetur regulariter reus edere adversario, Jure communi, nisi Judex ex officio & causâ jubeat. fol.eod. n.605. & seq. ubi vide de consuetudine.

Instrumenta ad Actorem jure dominij spectantia tenetur reus edere petenti. fol. 390. n.607.

Petens editionem, debet priùs præstare juramentum calumniæ. n.608.

Actor tenetur reo edere documenta etiam propria, quæ ad intentionem rei fundandam conducere possunt. n.609. ubi n.610. vide exceptiones.

Si Actor per se vel Procuratorem curavit scribi Rationes, & ejus intersit, tenetur reus illas exhibere. nu. 611.

Fiscus actor, sicut & aliæ causæ æquè privilegiatæ, possunt de domo Rei sumere probationes suæ intentionis. fol. 391. n. 612. Item quando agitur pro valore matrimonij, aut contra, ob perpetuum Impedimentum. n. 613. Item Usurarius reus edere tenetur. eod.

Rationes quæ fiunt ex officio publico, edendæ sunt Actori. n.614.

Reus, qui ratione præcedētis contractûs vel quasi tenebatur conficere Rationes, tenetur Actori edere Instrumenta, similésque Scripturas. n. 615.

Hæres

Hæres tenetur Legatario actori exhibere testamentum, ut inde legatum probare possit. n.616.

Si actor habet causam à reo, ratione hujus potest jure petere sibi edi instrumenta. n.617. ubi casus.

Si veritas aliter haberi nequit, æquitas suadet, ut reus officio Judicis jubeatur edere instrumenta. n.618.

Instrumentorum editionem non potest petere qui non est adversarius, si non mandavit ea fieri, nec successit in jus mandantis, nisi ipsius intersit, & hoc interesse saltem semiplenè probet. num.619. & seq.

Omnia acta Judicialia, sive causæ civilis sive criminalis, edenda sunt litigantibus, si petantur. & ijs negatis est locus appellationi. fol.486. n.1136. Allegationes tamen Jurium, quæ ad solam Judicis instructionum fiunt, non sunt necessariò edendæ. n.1137.

Acta Judicij edenda sunt cuicunque sunm Interesse prætendenti, etiamsi non fuerint ad ejus instantiam celebrata, exceptis instrumentis. fol.487. n.1138.

Toties debent Acta edi, sumptibus petentis, quoties quis petit sibi edi. in quo differt ab editione instrumenti. n.1139.

Electores.

Tomo 6.

Contra Electores committitur crimen læsæ Majestatis, ex speciali dispositione. fol.161.n.441.

Differunt etiam per alia privilegia ab alijs Principibus: quæ vide numero eod.

Emancipatio.

De hac vide. *Patria potestas.*

Emancipatus.

Tomo 2.

Emancipatus gaudet quidem Jure Suitatis, ut debeat hæres institui, sed in modo succedendi differt à non emancipato, quòd non acquirat dominium nisi per aditionem, non emancipatus autem acquirat ipso jure, & transmittat ad hæredes, non tamen possessionem. fol.84. n.377.

Emancipatus non gaudet jure transmissionis, nec in hoc est æquiparatus *Suis*, sed solùm in Jure ad æqualem legitimam. fol.137. n.600.

Emphyteusis.

Tomo 1.

Emphyteusis pervenit ad Monasterium per Professionem Emphyteutæ, cum hoc gravamine, ut exigente Domino directo, teneatur Monasterium eam alienare, transferendo in personam non magis privilegiatam, quàm fuerit Professus ante Professionem. f.303. n.25.

Quomodo possit Emphyteusis concedi aut renovari in bonis Ecclesiasticis, vide, *Ecclesiæ bona.*

Contractus Emphyteuticus in quibus conveniat cum Feudo, vel discrepet, vide *Feudum.*

Tomo 3.

Emphyteusis idem apud Latinos, quod Insitio, seu Plantatio. Finis enim hujus Contractûs est, ut res immobilis alteri tradita per arborum plantationem alio ve modo excolatur & melioretur, & ex sterili fructuosa reddatur. f.219. num. 471.

Definitur. Contractus stricti Juris, quo res immobilis conceditur quoad utile dominium alteri, cum obligatione solvendi pensionem statutis temporibus domino proprietatis ea de causa f. 219. n. 472. Non potest constitui in illis rebus, quæ mobilibus comparantur. eod.

Contractus Emphyteuticus quamvis in Jure Canonico positus sit sub titulo *Locationis*, stricte tamen ab hac differt, quia diversis pactis constituitur, & Locatio etiam in rebus mobilibus consistere potest. f. eod. n. 473. Quomodo differat à Libellario Contractu, vide *Libellarius Contractus.*

Differt à Feudo ratione Canonis solvendi, qui in feudis non solvitur, sed ejus loco servitia præstantur. f. 220. n. 474.

In dubio an celebratus sit contractus Emphyteuticus, an Censualis, nec ex instrumento colligi potest, aliqui volunt præsumendum Emphyteuticum, alij Censualem: alij meliùs, inspiciendum esse morem Regionis, quinam sæpius celebrari soleat, & talem præsumendum. f. 220. nu. 476. Si in Instrumento reperiatur vox *Venditionis*, censebitur contractus censualis, quia Emphyteusis est potiùs Locatio quàm Venditio. eod.

Esse Contractum stricti Juris, communior & verior habet opinio, nec verum est, eum comprehendi nomine Locationis: potest etiam esse Lucrativus, ità ut à principio & primò ingressu nihil sit præstandum: & pensio vocari solet honoraria, quia debet esse moderata, non adæquans Usumfructum. f. 221. n. 478.

Dividitur Emphyteusis, 1. In Ecclesiasticam & Laicam. Prior est, cujus dominium directum ad Ecclesiam spectat. Posterior (quæ communis & profana dicitur) est, quæ in bonis non Ecclesiasticis constituitur, nec habet omnes priores favores, nec requirit omnes ejusdem solennitates. f. 221. n. 479.

De litibus ortis circa Emphyteusin Ecclesiasticam, judicatur secundùm Jus Canonicum, & in quantùm Jus Civile est approbatum à Jure Canonico. Si Clerico est concessum, Judicio civili subjicitur ratione dominij utilis, v. g. ad tributa solvenda. eod.

Si Statuto aliquò Illegitimi ad successionem in Emphyteusi admitterentur, non haberet locum in Emphyteusi Ecclesiastica Laico concessa. f. 221. nu. 480.

Emphyteusis dividitur 2. in Novam & Veterem. Prior est, quæ non transcendit primum Emphy-

Emphyteutam. Posterior, quæ finito tempore primi pervenit ad secundum, vel etiam transmittitur ad hæredes: quamvis per transmissionem non fiat propriè vetus, quia vi primæ concessionis transmittitur. f. 222. n. 483. & fusiùs explicatur. f. 237. n. 551.

Emphyteusis dividitur 3. In Hæreditariam & non Hæreditariam, quæ divisio fusiùs explicatur f. 237. n. 552. Dividitur 4. In Perpetuam & non Perpetuam, v. g. ad duas generationes. Ab origine sua fuerunt omnes perpetuæ, sed usus introduxit non perpetuas. eod.

Ad substantiam Emphyteusis tam Laicæ quàm Ecclesiasticæ, requiritur Scriptura ad substantiam: quod quidem de Ecclesiastica est certum, de Laica probabilius. f. 222. n. 485. & seqq.

Emphyteuta tenetur ad illas Meliorationes, quas communis diligentiæ Colonus adhibere solet, & quæ si non adhiberentur, hoc ipso res Emphyteutica deterioraretur. f. 224. n. 491.

Finitâ Emphyteusi non potest harum meliorationum refusio peti à domino directo: non tenetur tamen Emphyteuta, sed potiùs dominus directus restaurare ea, quæ absque culpa Emphyteutæ penitus collapsa sunt, aut perierunt. eod.

Alias Meliorationes indebitè factas, potest repetere, si absque culpa resolvatur Emphyteusis. f. 224. n. 492.

Novo præcepto Principis ad quædam onera insueta, ut ad aggeres conficiendos, non solus Emphyteuta, sed etiam dominus directus adstringeretur, quia ejus utilitatem etiam concernit. f. eod. n. 493.

Ob deteriorationem Emphyteusis Ecclesiasticæ incidit Emphyteuta in commissum, ut privari possit: quod communis opinio etiam ad Laicam Emphyteusin extendit. f. 225. n. 494.

Tunc autem dicitur deteriorari, quando ab eo statu, in quo priùs erat, diminuitur, tribus insuper requisitis. 1. Ut deterioratio non sit modica. 2. Ut vergat ad perpetuam fundi deteriorationem. 3. Ut saltem levis culpa intervenerit: de levissima non tenetur. Nec necesse est, ut deterioratio fiat in singulis partibus, sed sufficit fieri in parte notabili. f. 225. n. 495.

Si res, quæ in Emphyteusin data est, fuit v. g. vinea, & fuit datum prædium magnum, in quo tanquam partes totius rei Emphyteuticæ erant domus, olivetum, vinea, aut sylva, non incideret Emphyteuta in commissum, si v. g. in una parte eradicatâ sylvâ plantâsset vineam utiliorem sylvâ. Si totam rem Emphyteuticam transformâsset, finiretur contractus, & in optione proprietarij esset, vel usurpare solum, & cogere Emphyteutam ad solvendum interesse, vel ad reparandum quod destruxit, & ad continuandũ contractũ. f. eod. 497.

Solutio Canonis seu Pensionis est de substantia Emphyteusis, & per hoc distinguitur à locatione ad longum tempus, & solvitur in recognitionem directi dominij. f. 226. n. 498.

Quantitas est ex arbitrio contrahentium taxanda, attentâ proportione fructuum sperandorum, qui quò majores sunt, etiam Canon major taxabitur, semper tamen minor ipsis fructibus. f. 226. n. 499. Potest constitui etiam in alia re quàm pecunia. eod.

Nullum certum tempus à Jure constitutum est; & si contrahentes conveniant, non singulis annis, sed de biennio in biennium solvendus constitui potest. Si nihil certi constitutum est, consuetudo attenditur, vel ad finem anni, quando fructus percepti sunt. eod.

Illa est justa pensio Emphyteusis, quæ. 20. annis collecta æquat valorem rei Emphyteuticæ: nisi consuetudo aliud habeat. f. eod. n. 500.

Emphyteuta communis incidit in comissum, si tribus continuis annis Canonem non solvat, ità ut etiam non requisitus amittat Jus cum omnibus meliorationibus, nisi aliud pactum sit. f. 227. n. 501.

In Emphyteusi Ecclesiastica si biennio non solverit, incidit in commissum, sed cum moderamine postea referendo. f. eod. n. 502.

Ut pœnam commissi incurrat Emphyteuta in conscientia, non requiritur sententia Judicis, sed benè exactio & instantia domini directi. f. eod. n. 503.

Si tempore moræ Emphyteusis communis fiat Ecclesiastica, tempus residuum ad complendum triennium dividetur in tres partes, & duæ tertiæ sufficient, ut incidat in commissum. fol. eod. nu. 504.

Si dominus post moram non urgeat restitutionem rei Emphyteuticæ, fructus post moram percepti non sunt restituendi. fol. eod. num. 505. & seqq.

In Emphyteusi Ecclesiastica celeris moræ purgatio impedit, ne incidatur in commissum. fol. 228. n. 508. non item in Emphyteusi communi. n. 509.

Excusatur etiam, si absque ulla culpa Theologica intermissa est solutio. f. 229 n. 512. Item si saltem solvit maximam partem Canonis. Neque esset necesse, ut solutio facta esset tota simul adæquans vel propè adæquans Canonem annuum. Si enim Emphyteuta significet, se partiales solutiones facere pro unius anni Canone, censetur uni anno satisfecisse. n. 513.

Mortuo Emphyteuta moroso, si dominus potuit vivo Emphyteutâ intentare revocationem, & non intentavit, censebitur remisisse. Si verò non potuit, poterit ab hæredibus Emphyteutæ revocare. eod. n. 515.

Loquendo de Emphyteusi Ecclesiastica, si dominus accipiat, postea recipiat Canonem annorum cessorum, non propterea censetur remisisse caducitatem.

ducitatem. Si verò recipiat Canonem annorum nondū cessorū, censebitur remisisse, si Ecclesia non sit Collegiata, tunc enim Prælatus remittere potest, non item sine consensu Capituli, si sit Collegiata. f. 229. n. 516. Probabilius hoc ipsum de quacunque Emphyteusi communi dicendum, ut recipiens pro anno futuro censeatur remisisse, non item recipiens pro annis præteritis, etiamsi nullam protestationem apposuisset. f. 230. n. 517.

Emphyteutâ plures Hæredes relinquente, si unus Canonem non solvat, cæteri non incidunt in commissum si solvant, quia Hæredes non accipiunt Emphyteusin formaliter ut Hæredes, hoc est, à defuncto, sed accipiunt à primo concedente. f. 230. n. 519.

Si alius solveret Canonem, sed suo, non Emphyteutæ nomine, tanquam negotiorum gestor, posset dominus solutionem recusare, quia non fieret in recognitionem dominij directi. fol. 231. n. 521.

Si dominus directus Canonem oblatum non acceptaret, Emphyteuta liberaretur consignando & deponendo Canonem: sola autem oblatio non liberaret. fol. 231. n. 522.

Domino directo non licet ullâ violentiâ post commissam moram eijcere Emphyteutam: potest tamen ingressum attentare, non attentâ resistentiâ verbali aut protestatione emphyteutæ. si certus est dominus, quòd ex culpa absque causa excusante canonem non solverit. fol. eod. n. 524.

Emphyteuta incidit etiam in commissum, si publicarum functionum apochas non exhibeat. f. 232. n. 525.

Emphyteuta potest absque periculo caducitatis rem Emphyteuticam & Meliorationes exponere ad explorandum, pro quanto pretio possit habere Emptorem. f. 233. nu. 526. Dominus tamen factâ sibi denuntiatione Emptoris & pretij, habet privilegium prælationis, ut illi præ alio vendi debeat, si idem pretium solvere sit paratus. Quodsi intra duos menses à puncto denuntiationis nihil se resolvat, potest Emphyteuta alteri vendere. n. 527. Emptor autem ejusmodi esse debet, ut non ex alio capite ab Emphyteusi meritò arceatur. n. 528. ubi exempla.

Non observatis observandis in venditione, & secutâ traditione, incidit Emphyteuta in commissum tam Juris quàm Meliorationum, & Venditio est nulla. f. 233. nu. 529. Non incideret tamen per alienationem ex alio capite nullam. n. 530.

Si venditio & traditio fieret sub conditione, si consentiat dominus, non incideret Emphyteuta in commissum, nisi traditio esset in præjudicium domini, v. g. ob difficilem recuperationem. f. eod. nu. 531. Factâ absolutâ venditione & traditione sufficiente ad commissum, non effugeret pœnam caducitatis per celerem pœnitentiam, & rei recuperationem. n. 532. & seqq.

Ad pœnam caducitatis incurrendam sufficeret ficta traditio per clausulam *constituti*. f. 234. n. 536. & seqq.

Si tantùm pars fuit illicitè alienata, incidit in commissum solùm ratione partis. f. 235. n. 539.

Si ex duobus proprietarijs ejusdem pro indiviso Emphyteusis, unus solus fuit requisitus, adhuc incidet in commissum totius Emphyteusis. f. 235. n. 540. Si utroque requisito unus velit emere, alter consentiat in venditionem, debet offerri volenti emere. n. 541.

Si post non ritè factam venditionem & traditionem, accipiat dominus ab Emptore Canonem, ratificatur contractus, nec Venditor amittit pretium. f. eod. n. 542.

A novo Emphyteuta accipitur Laudemium pro Investitura, quod quidem. Jure scripto, est quinquagesima pars pretij, sed de consuetudine solet esse vigesima. f. 236. n. 543.

Pluribus Emphyteutis ejusdem rei indivisim existentibus, potest unus alteri suum Jus alienare, & sic fieri unus Emphyteuta, nec opus est novâ investiturâ. f. eod. n. 544.

Potest Emphyteuta rem Emphyteuticam oppignorare, eique servitutem imponere, dummodo domino inde non immineat præjudicium. Servitus imposita non durat diutius quàm utile dominium. Unde etiam posset ad breve tempus locare, imò & quoad comoditatem præcisè etiam ad longum tempus, non tamen subemphyteuticare, quæ esset alienatio. f. 236. n. 546.

Posset etiam absque dolo res Emphyteutica cum alia commutari, nec domino competeret Jus prælationis. Monendus tamen esset ad cognoscendum, an Emphyteuta novus Idoneus esset, & quidem ante traditionem. f. eod n. 547.

Idem est de Donatione, ante cujus traditionem nisi moneretur dominus, incideret Emphyteuta in commissum. Non esset tamen exspectandum per duos menses: nam hi solùm conceduntur in casu quo ad emendum habet dominus Jus prælationis. f. eod. n. 548.

Non potest res Emphyteutica irrequisito domino dari in dotem, aut donationem propter nuptias, ne quidem filio aut filiæ. fol. eod. num. 549.

Casu quo ex prima constitutione Emphyteusis alicui titulo Legari aut Hæredis, aut nominationis relinqueretur, non deberetur laudemium, quia non esset novus contractus: persona tamen minùs idonea posset cogi ad Emphyteusin intra breve tempus vendendam, vel alio modo cum consensu domini alienandam, & tunc deberetur laudemium. Semper tamen novus Emphyteuta esset à domino in possessionem mittendus. fol. 236. nu. 550.

Aliud est, Emphyteusin esse novam, aliud, Emphyteutam esse novum. Quodsi quis in prima investitura fuit comprehensus, v. g. Hæres primi Emphyteutæ, Emphyteusis dicitur antiqua: nec Emphyteuta novus dicitur: unde non tenetur petere investituram, aut possessionem à domino. in quo puncto differt à Feudo. fol. 237. n. 551.

Emphyteusis hæreditaria aliquando est mixta, quæ ad filios actu hæredes exstituros restringitur. fol. 237. n. 552.

Emphyteusis ex Pacto & Providentia est, in cujus concessione non requiritur, ut successor sit hæres Emphyteutæ, sed sufficit, si sit unus ex descendentibus. fol eod. n. 553.

In Emphyteusi hæreditaria Ecclesiastica sub terminis generalibus *Hæredum* & *Successorum*, non comprehenduntur nisi descendentes: in communi verò seu privata etiam extranei hæredes. fol. eod. n. 554. Sufficit autem, ut successor sit hæres primi Emphyteutæ, etiamsi non sit ultimi possessoris. fol. 238. n. 555.

Emphyteusis concessa *descendentibus*, semper est ex pacto & providentia, unde non requiritur, ut successor sit hæres. fol. 238. num. 556. Concessa pro filijs censetur etiam concessa filiabus, nisi vel consuetudo, vel Idioma aliud obtineret. fol. eod. num. 557.

Concessa pro successoribus Masculis, etiam nepotem ex filia comprehenderet. fol. eod. n. 558.

Emphyteutâ profitente in Religione, defuncto professo, emphyteusis vendenda est. eod.

Emphyteusis Ecclesiastica pro liberis concessa, non comprehendit illegitimos non legitimatos. Legitimatus à Principe Ecclesiastico, debet specialiter ad hunc effectum legitimari. fol. 238. n. 559. Idem probabiliùs dicendum de Emphyteusi communi. eod.

Emphyteusis simpliciter hæreditaria, potest uni ex filijs donari, aut prælegari, secùs, quæ est ex pacto & providentia. tunc tamen probabiliter id posset fieri ex consensu domini per novum quodammodo contractum. Quodsi esset mixtè hæreditaria, filij, siquidem velint esse hæredes, deberent dispositionem patris approbare. fol. 239. num. 561.

Quando Emphyteusis ex culpa resolvitur, non amittit quidem Emphyteuta Meliorationes extraordinarias, v. g. si domum aut Molendinum ædificavit, amittit tamen ordinarias, & non magnis sumptibus, quamvis indebitis, factas, in pœnam commissæ culpæ. f. 240. nu. 563. Quando verò absque culpa resolvitur, potest Emphyteuta meliorationes repetere, ad quas vi contractûs non tenebatur. n. 564.

Si tota Res Emphyteutica pereat casu fortuito, finitur Emphyteusis, & liberatur Emphyteuta à Canone solvendo, etiamsi dominus vellet reparare. Si ex culpa, tenetur ad interesse, nisi dominus malit illum cogere ad reparandum. f. eod. num. 565. Si solùm pars pereat, etiam casu fortuito, non liberatur à Canone integrè solvendo, dummodo res adhuc retineat illâ denominationē, quam priùs habebat: unde non procederet, si destructâ domo maneret area, nam hæc non retinet nomen *Domûs*. Sufficeret tamen si longè minor pars quàm dimidia remaneret, ut ad totum Canonem teneretur. f. 241. n. 567.

Etiamsi per annum ex infortunio nulli fructus percepti essent, adhuc integra pensio solvenda esset, nisi aliud in pactum deductum esset, aut per hunc casum Emphytheuta impotens ad solvendum factus esset. f. eod. n. 568.

Valor Melioramentorum industrialium, non solvitur Emphyteutæ secundùm æstimationem cùm fierent, sed cùm restituuntur, nisi nunc major esset. fol. 241. num. 569. Potest Emphyteuta rem retinere, donec meliorationes solvantur. num. 570. Nec tenetur deducere ab expensis & meliorationibus fructus perceptos. n. 571.

Emphyteusis mixta, vel ex pacto & providentia, dividitur inter Successores in partes æquales, non obstante quacunque inæqualitate successionis. f. 242. n. 572.

Institutus in re certa, si sit ex personis, quibus per Emphyteusin provisum est, succedit vel solus, vel cum alijs, si adsint, æqualiter. fol. eod. num. 573.

Ex Emphyteusi ex pacto & providentia, non tenetur Hæres solvere debita, facto Inventario. f. eod. n. 574.

Hæres gravatus restituere Hæreditatem, non tenetur restituere Emphyteusin ex pacto, vel mixtam, nisi fideicomissarius esset ex personis provisis. f. eod. n. 575.

Emphyteusis Hæreditaria etiam mixta, non item ex pacto & providentia (nisi empta esset à patre) est computanda in legitimam, & conferenda. f. 242. n. 576.

Proprietarius nullo Jure cogi potest ad renovandum contractum cum aliquo Successore, qui in prima conventione non est comprehensus. fol. 243. n. 577.

Emptio Venditio. Emptor.

An Emptor rei alienæ possit ad recipiendum pretium restituere furi rem emptam, vide *Possessio*.

Tomo 4.

Emptionis Vocabulum aliquando minùs propriè, & latiùs sumitur in Jure, pro quacunque Alienatione. Hodie sumitur pro certa specie. f. 2. n. 1. Definitur optimè: Contractus Juris gentium consensu perfectus, & mutuæ præstationis, quo id agitur, ut pro certis nummis sive pecuniâ numeratâ danti res tradatur. Breviùs. Est Pactio mercis pro pretio. n. 3.

Emptio Venditio differt à Locatione & Conductione, quia per Locationem non datur Usus pro unico pretio, (sicut quando venditur) sed pro pensione successivè solvenda, & per partes, sicut per partes successivè accipitur Usus. In Emptione fit pactum de unico pretio, quod statim totum debetur, vel si constituitur, ut per successivas vices solvatur, **Nachfristen**/ vulgò dictas, non attenditur tamen, (sicut in Locatione) proportio cum usu successivo, per se loquendo, & ideo periculum semper, etiam re traditâ, pertinet ad locatorem, non ad conductorem, qui proinde re pereunte non tenetur ad ulteriores partiales solutiones, sicut tenetur Emptor, ad quem spectat periculum. f. 4. n. 7.

De Substantia Emptionis est Intentio se obligandi ad transferendum dominium, vel quasi, quantùm in se est: ipsa tamen actualis translatio non est de substantia, quia vendi potest res aliena. f. 5. n. 8.

Quando unà cum pecunia venit in pactum res aliqua ab emptore tradenda, tunc si contrahentium intentio fuit, celebrare emptionem potiùs quàm permutationem, erit emptio. Si nihil expresserunt, videndum, an valor rei tradendæ excedat, vel excedatur à pecunia. Quodsi neutrum excedat notabiliter, erit contractus mixtus: possent tamen contrahentes convenire, ut etiam quatenus esset permutatio, non esset locus pœnitentiæ &c. quamvis daretur Actio præscriptis verbis. f. 5. n. 9. & seqq.

In casu quo in contractu Emptionis intervenit scriptura, non perficitur Emptio solo consensu, si intentio contrahentium est alligata scripturæ, f. 6. n. 13. Si verò alligationem non expresserunt, præsumitur scriptura solùm requiri ad probationem, & majorem securitatem. f. 7. n. 15.

Non est Venditori integrum & liberum, ut si nolit tradere rem venditam, liberetur solvendo interesse, sed obligatur præcisè ad traditionem mercis, si ejus tradendæ habet potestatem. f. 7. n. 16. & seqq. ubi multa de discrimine inter obligationem dandi & faciendi.

Requiritur ad hunc contractum consensus de præsenti, qui non sit mera promissio vendendi expressa verbo *Vendam*. Quodsi dicatur: *volo vendere* significatur potiùs contractus de præsenti & absolutus, non minùs quàm verbo, *Vendo*. fol. 10. n. 22. & seqq.

Sufficeret ad absolutionem contractûs, si factâ promissione Venditor accepto pretio rem traderet. quia traditione significaretur consensus, & esset loco verborum formalium. f. 11. n. 25.

Venditio facta cum designatione pretij per verba: *Quod in arca habeo*: valet, quia est sufficiens certificatio pretij, & quantitatis potiùs quàm corporis designatio. f. 11. n. 26. Est etiam sufficiens certificatio pretij sub hac forma: *pro pretio quo scapha frumenti tali die & loco venditur*. f. 12. n. 28. Non esset tamen sufficiens determinatio per verba: *Pretio justo*. Nisi contrahentes arbitrium Judicis potiùs quàm proprium respexissent. num. 29.

Sufficit, si determinatio conijciatur in arbitrium tertij, qui tamen non sit primùm à contrahentibus determinandus, sed jam nominatus. nu. 30. In casu arbitrij indeterminati adjecti, non est quidem Venditio, est tamen contractus innominatus patiens Actionem *præscriptis verbis*. f. 13. n. 31.

Si in tertiam personam collatum est arbitrium, factâ determinatione pretij non retrotrahitur ad tempus conventionis, sed contractus primùm perficitur factâ taxatione. tenentur tamen contrahentes exspectare taxationem faciendam. f. 13. n. 33. Si arbiter iniquè arbitraretur, absolveretur quidem contractus, ut resilire non liceret, daretur tamen recursus ad Judicem, ut contractum ad æquitatem reduceret. n. 34.

Contractui Emptionis potest Arrha dupliciter adijci, vel ante absolutum contractum, vel post absolutum, sed nondum factâ traditione. Si primo modo adijciatur, integrum est vel contractum perficere receptâ arrhâ, vel eâ amissâ resilire. fol. 14. num. 35. Si Arrhæ dentur absoluto contractu, non licet pœnitere, quia censentur datæ ad majorem securitatem contractûs, & ut faciliùs probetur. n. 36. Si post datam arrham contractus absolvitur, arrha computatur in pretium. f. 15. n. 38.

Si Venditor certæ speciei (Philosophicè Individui) nullam singularis custodiæ curam in se suscepit rei venditæ, nec est in mora tradendi, & adhibuit custodiam diligentioris patrisfamilias, quâ excluditur levis culpa, amissâ re venditâ tenetur quidem emptori cedere actiones si quas haber, de reliquo damnum est Emptoris, ut & pretium solvere teneatur, nec habeat actionem ad interesse. f. 15. n. 39. Si verò res culpâ venditoris periret, non eodem modo peritura apud Emptorem, neque Emptore existente in mora, damnum esset Venditoris. f. 17. n. 41. & seqq.

Quando impotentia tradendi rem emptam provenit à Jure, (ut quando evincitur à domino rei venditæ, vel quando aufertur à Principe ob necessitatem Reipublicæ) damnum pertinet ad Venditorem

ditorem: quando verò provenit ex aliquo facto, aut casu fortuito, pertinet ad Emptorem. f. 19. n. 46.

Quando Contractus est conditionatus, si pereat res vendita ante conditionis eventum, perit periculo Venditoris. f. eod. n. 48. Si pendente conditione non perit tota res vendita, sed solùm deterioratur aut minuitur, & postea verificatur conditio, contractus valet, & retrotrahitur ad tempus conventionis, & damnum est Emptoris, quia petinde est, acsi jam tunc fuisset ità constituta & deteriorata. n. 49.

Si quid venderetur ad futuram explorationem, v. g. gustationem vini &c. tunc ante positam explorationem (si Emptor non sit in mora) contractus non est perfectus, quia censetur conditionalis, & ideo periculum spectabit ad Venditorem. eod.

Si res fungibiles vendantur per Aversionem, vulgò: über haupt. v. g. integrum vini dolium, periculum est penes Emptorem, postquam contractus est perfectus, independens à conditione. f. 20. nu. 50. Si vendatur ex certo corpore v. g. ex dolio vini, aliqua portio, v. g. 10. urnæ, periculum spectat ad Venditorem, quamdiu urnæ non mensurantur. n. 51.

Aliud est, rem fungibilem vendi ad Quantitatem seu mensuram, aliud ad Corpus, cum adjecta expressione quantitatis. Ad corpus dicitur vendita, quando adjectio quantitatis seu mensuræ, facta solùm est demonstrativè seu demonstrandi causâ, & discernendi corpus venditum ab alijs, & non animo taxandi. Econtra quando quantitas exprimitur tanquam restrictiva & taxativa, dicitur res vendita ad mensuram. f. 20. n. 52.

Si constet, quantitatem adjectam esse demonstrandi causâ solummodo, absque restrictione ad quantitatem, tunc qualiscunque excessus vel defectus in quantitate nominata reperiretur, esset solvendum pretium à principio constitutum, & nec minuendum ob defectum, nec augendum ob excessum. f. 21. n. 56.

Si quantitatis expressio facta à Venditore, fuit Emptori causa emendi pro tanto pretio, (diciturque adjecta esse tanquam Modus rei venditæ) tunc si minor quantitas reperiatur, Venditor tenetur minuere pretium cum debita proportione, non obstante quòd in hoc casu venditio sit per Aversionem & ad corpus, quatenus unum pretium est constitutum, & venditio incepit à Corpore, fuitque intentio emendi & vendendi totum corpus, quæcunque sit ejus quantitas, major an minor illâ, quæ fuit adjecta, & periculum esset Emptoris. f. 21. n. 57.

Quando in venditione per aversionem quantitas expressa minor est, quàm quæ reverâ inest corpori, & sufficit ad augmentum notabile Valoris rei venditæ, Emptor tenetur augere pretium ad æqualitatem in conscientia. f. 22. nu. 59. Si tamen excessus non sufficeret, ut res empta superaret justum pretium, quia adhuc infimo pretio posset sic emi, probabilius est, Emptorem non posse conveniri ad augendum pretium. n. 60.

Si in venditione totius corporis constituatur totum pretium in singulas partes. v. g. in singulas urnas, oves &c. & ante traditionem vel mensurationem pereat, vel minuatur, damnum & periculum est Vendiroris, f. 23. n. 61.

Venditor manet dominus rei venditæ etiam perfecto contractu per consensum, ut autem dominium transferat, præter rei venditæ traditionem requiritur insuper, ut vel Emptor pretium solverit, vel illud de præsenti offerat, vel cautionem fidejussoriam aut pignoratitiam præstet, vel Venditor fidem Emptoris sequatur. f. 24. nu. 63. Si tamen apud Venditorem aliquid rei venditæ accesserit, illud Emptoris commodo cedit. Fructus tempores perfecti contractûs pendentes, tam maturi quàm immaturi, sunt Emptoris, eique cum re ipsa tradendi. Quod si Venditor fecisset expensas in bonum fructuum post contractum, sunt refundendæ. n. 64. ubi vide plura corollaria.

In Sententia probabili multorum, quòd fructus nati post perfectum contractum, sed necdum translato dominio, pertineant ad Venditorem, rectè deducitur, justum esse contractum, ab usura immunem, si Venditor rei venditæ dominium in Emptorem transferat, adjecto pacto, ut dum moram traxerit in solvendo pretio vel parte illius, restituat æstimationem perceptorum fructuum, secundùm proportionem pretij non soluti, deductis expensis. f. 25. n. 65. Probabilius tamen est, illos fructus pertinere ad Emptorem. eod.

Si fructus pendentes tempore contractûs sint immaturi, adeoque minùs valeant, si postmodum maturescant ante translationem dominij, pertinebunt ad Emptorem secundùm totum suum valorem. f. 25. n. 66. & seqq. Unde etiam consequitur, quòd thesaurus quoad illam partem, quæ alioquin ad dominum fundi spectare solet, si inveniatur v. g. à famulo venditoris in fundo vendito, sed necdum tradito, sit Emptoris. n. 69.

Eâdem re individuâ duobus successivè venditâ, si neutri est tradita, posterior venditio nullam habet vim, nec inducit obligationem tradendi, sed manet obligatio tradendi primo Emptori. f. 27. n. 71.

Si Venditor secundo Emptori rem ità venderet, ut simul in eum transferret dominium tradendo, & vel pretium accipiendo, vel fidem sequendo, vel cautionem accipiendo, valeret secunda venditio, quamvis esset peccaminosa. f. eod. nu. 72. & prior Emptor habet Actionem personalem tum ad restituendum pretium, tum ad interesse. f. 28. n. 73. Si secundus Emptor esset conscius fraudis, quod

quòd res jam alteri esset vendita & personaliter obligata, quamvis per traditionem factus fuerit dominus, potest tamen prior Emptor (nisi malit agere ad interesse) intentare secundo Emptori Actionem *in factum*, & recuperare rem traditam. f. 28. n. 74.

Quando Venditor rem priori venditam, constituit eidem in hypothecam, adeoque jus in re, præsertim si alia bona simul hypothecæ supponat pro merce ipsi tradenda, & promittat se rem alteri non venditurum, tunc etiamsi alteri vendat & tradat, non transfert dominium. fol. 28. num. 75.

Si primus Emptor sit privilegiatus, ut factâ illi venditione statim acquirat dominium, tunc secundo Emptori non acquiritur dominium, etiamsi res illi tradatur. f. eod. num. 76. ubi referuntur privilegiati.

Non hoc ipso quòd Venditor tradat mercem Emptori, præsumitur fidem ejus sequi, sed hoc est exprimendum. f. eod. n. 77. Neque præsumitur habita fides, si dies vel hora ad solvendum constituatur, sed requiritur saltem tacita conventio, v. g. Si Mercator nomen illud in librum rationum retulerit, si tempus longi intervalli constiterit. f. 29. n. 78.

Habitâ fide Venditor ex Domino mercis ità fit Creditor, ut deinde, si merx adhuc exstet, & Emptor non sit solvendo, Venditor concurrat cum alijs creditoribus ad consequendam cum proportione partem mercis *actione tributoriâ*: quod etiam ad Mercatores extenditur, ut quoad merces adhuc exstantes debeant inter eos illi, qui fide de pretio habitâ vendiderunt, cum cæteris chirographarijs creditoribus in concursum venire. f. 29. n. 79.

De Jure Bavarico si Venditor sequens fidem emptoris, constituat sibi hypothecam in re vendita, præfertur alijs creditotibus hypothecarijs. Quod tamen de jure communi non satis efficaciter probatur à paritate cum eo, qui pecuniam credidit ad rem emendam pignore constituto. fol. eod. nu. 80. De eodem Jure Bavarico hæc hypotheca præfertur doti. fol. 30. n. 81.

Potest venditor emptori rem venditam pro certa pensione locare: quo casu non solùm non subjicitur periculo rei venditæ, (quod totum est emptoris) sed ne quidem ob sterilitatem aut similes causas pensionem remittere cogitur, utpote quæ non tam pro re locata, quàm pro interesse pretij non soluti præstatur, cùm ex tali locatione solus conductor non locator obligetur. fol. 30. n. 82.

Emptionis Venditionis materia.

Res nondum existens sed futura, potest esse materia hujus contractûs, modò aliquâ ratione jam existat in causa proxima. Quodsi ematur spes alicujus rei capiendæ, & res capta postea evincatur, non datur emptori actio, quæ alioquin competit re evictâ: quia quod evinci potest, perinde est, acsi captum non esset, quia retineri non potest, nec fit capientis, quale tamen solùm vendebatur. fol. 30. n. 83.

Si proprietarius vendat usumfructum, & statim moriatur, non extinguitur jus emptoris, sicut extingueretur, si fructuarius venderet usumfructum. fol. 31. n. 84.

Notabile est discrimen inter emptionem futuri partûs, & jactûs retis &c. quòd venditio partûs non sit venditio absoluta, sed conditionis: *si partus sequatur*. quo secuto retrotrahitur venditio. fol. 31. num. 85.

Res non existens, non potest vendi ut existens. Quodsi major pars rei destructa est, potest emptor à contractu resilire, vel, si malit, agere ad pretium minuendum. eod.

Si ambo contrahentes ante contractum ignorârunt rei interitum, contractus est nullus. Si pars rei emptæ maneret, sed minor illâ quæ interijt, non compellitur emptor perficere emptionem, sed si quid solvit repetere potest. Si verò dimidia vel minor pars interijt, cogitur adimplere æstimationem boni viri. Si venditor scivit totius rei interitum, emptor ignoravit, emptio est nulla.

Si verò aliquid illius remansit, valet emptio, sed venditor, quod interest, emptori restituere debet. Si emptor scivit, venditor ignoravit, stat emptio, & omne pretium est solvendum. Si uterque scivit, nihil actum est, dolo utrinque compensato. eod.

Homo liber consentiens vendi potest ut fiat servus, non obstante quòd alioquin homo liber in commercio non sit, & hoc ideo, ne emptor dolo circumveniatur hominis libertatem contemnentis improbitate. Cæterùm hominis liberi venditio nulla est, ne quidem telata in tempus quo servus futurus est. Venditor autem etiam ignarus libertatis, tenetur ad interesse, & quoad hunc effectum valet venditio. fol. 32. n. 86. & seq.

Permittitur in Jure Patri (non item matri, nec avo materno) ob extremam egestatem liberos recens natos vendere: quo casu emptor solùm acquirit jus detinendi donec redimatur. f. eod. n. 88.

Res Sacræ & Religiosæ, utpote cum quibus pecunia nullam habet proportionem, dum tales sunt, emi vendique non possunt.

Neque res furtiva validè venditur inter gnaros, rem esse furtivam. Si emptor solus scit, non obligabitur venditor; nec tamen ex vendito quidquam consequitur. Si venditor solus scit, utrinque obligatio contrahitur. fol. 33. n. 89. & fol. 41. n. 112.

Prohibentur etiam à jure vendi venena mala, arma &c. hostibus. Item non valet venditio materiæ ex domo destructa. eod.

Neque de jure valet venditio hæreditatis speratæ, utpote improba. fol. 33. n. 91. Potest tamen vendi hæreditas jam per mortem delata, ità quidem ut transeant

transeant in emptorē actiones omnes utiles activè, etiam nullâ factâ cessione. actiones autem quæ contra defunctum dabantur, non transeunt contra emptorem, sed competunt contra venditorem, ità tamen, ut, quod solvit, repetat ab emptore. fol. 34. n.92. Venditâ hæreditate testatoris non censetur vendita hæreditas illius, cui venditor est substitutus. n.93. Jus accrescendi transit etiam in emptorem hæreditatis. n.94. & seqq.

Nomina etiam vendi possunt invito debitore. fol.36. n.98. Item actiones reales, ut rei vindicatio: quo casu emptori convenit utilis in rem actio. Non possunt tamen actiones vendi post litem contestatam, quia evadunt litigiosæ. n 99. Possunt etiam, ob circumstantias, nomina quandoque licitè emi minore pretio quàm in se continent, adeo, ut etiamsi emptor postea plùs consequatur, nil teneatur restituere venditori. n.100. Licitum etiam est, emere nomina minore pretio, si emptor ex speciali causa possit totum obtinere, non item posset venditor. n.101.

Si debitum est liquidum, nulla æstimabilis difficultas in obtinenda solutione, nullum periculum damni, aut lucri cessantis, speculativè probabilius est, non esse licitum emere minori pretio sub prætextu, quòd venditor needum possit exigere debitum, sed nunc indigeat pecuniâ. practicè tamen oppositum est ab auctoritate probabile. fol.37. nu.104.

Si debitum non est liquidum, sed dubium, & anticipatio solutionis affert secum lucrum cessans vel damnum emergens debitori &c. potest actionem minore pretio emere etiam ipse debitor, non minus quàm quivis alius. Quando verò difficultas debiti obtinendi provenit ab ipso debitore, qui quod sponte solvere debebat suo tempore, & etiam facilè posset, sed non solvet sine molestia & sumptibus creditoris, non potest, sicut possent alij, ipse debitor minori pretio emere, quia suâ culpâ reddit solutionem difficilem. fol. 38. nu.105.

Quando emptor nomen emptum minoris emit, non potest, seclusâ fraude, debitor cessus uti exceptione adversùs emptorem, se non ad plùs teneri, quàm ipse solverit venditori. fol. 38. n. 106. & seqq. ubi explicatur Constitutio Anastasiana. In casu Anastasianæ constitutionis id quod emptori actionum & nominum detrahitur, potest ab ipso cedente vel vendente adhuc exigi à debitore, si venditor non sit fraudis ab emptore commissæ particeps, secùs, si ejusmodi nomen partim venditum, & partim donatum fuerit, quo casu Justinianea constitutio debitorem omnino liberat. fol. 39. n. 108. Quodsi fraudis particeps esset, meritò puniretur, ut agere non posset ad residuum. f. 40. n. 109.

Officia publica, civilem, profanam ac temporalem aliquam potestatem continentia, licitè venduntur, (attento jure naturæ, & seclusis legibus) personis tamen idoneis, de quibus spes est benè administraturos. fol 40. n.110. Jure civili tamen hujusmodi venditio interdicitur meritò, ob varia inconvenientia timenda, quamvis in pluribus Regnis permittatur, ubi inconvenientibus alio modo obviatur. eod.

Res aliena furtiva potest contractu valido, ac utrinque obligationem inducente, vendi emptori ignoranti rem esse alienam, sive venditor sciverit, sive ignoraverit. Venditor quidem obligatur ad interesse & de evictione, emptor ad solvendum pretium. Si res non sit furtiva, sed ex alio titulo aliena, valet contractus etiamsi uterque sciat esse alienam. fol. eod. n. 111. & seq. ubi declaratur, quomodo possit esse licita traditio, & sub obligatione.

Quamvis de substantia hujus contractûs sit, ut emptor obligetur ad transferendum dominium pretij, non est tamen de substantia, ut venditor obligetur tum ad rem tradendam, tum quantùm in se est, ad faciendum, ut emptori rem habere liceat. unde factâ traditione nulla superest emptori actio ex empto ad acquirendum dominium. fol.42. n.113.

Non potest quis contractu valido emere absolutè rem suam, benè tamen in casum quo desinet esse sua. fol eod. n.114.

Re alienâ venditâ, tenetur venditor emptori de evictione. fol.43. n.115. & seqq. de hoc vide. *Evictio.*

Re evictâ competit emptori actio empti ex causâ evictionis, quæ tendit ad repetendum pretium si solutum fuit: item ad interesse particulare, quanti emptoris præter expositum pretium interest rem non fuisse evictam, & hoc recipit augmentum & diminutionem. fol.44. n.117. Quoad interesse constitutum est, ut nunquam excederet duplum pretij expositi, cui ipsum pretium velut simplum inesset. n.118.

Venditor rei alienæ tenetur emptori refundere sumptus litis ab emptore factos. fol.45. n.119. Si actor succumbat, habuit tamen justam causam litigandi, eáque ex venditoris persona processit, adhuc tenetur venditor ad expensas, secùs non tenetur. n.120.

Ut emptori competat actio ex causa evictionis, requiritur, ut auctorem, hoc est venditorem, laudaverit, tempestivè denuntiando, litem sibi super re vendita motam esse, ut venditor defendat emptorem. fol.46. n.122. etiamsi venditor aliunde jam gnarus sit litis motæ, non tenetur tamen de evictione, si emptor non denuntiaverit, arbitratus denuntiationem fore superfluam. n 123.

Denuntiationi est inferenda copia libelli Actoris, & si quid aliud actum est cum emptore. fol 47. n. 124. Denuntiatio, si potest, est immediatè facienda Venditori præsenti, si absens, ad ejus domum

mum, conscijs vicinis. Quodsi venditor se dolo subduceret, emptor ab obligatione denuntiandi liber esset. Mortuo venditore denuntiatio facienda est hæredibus omnibus. n. 125.

Si constet, nullâ tergiversatione celari posse, rem alienam venditam esse, nec emptorem posse defendi, excusatur quidem emptor, securiùs tamen aget adhuc denuntiando. eod. Fidejussori non est necessariò facienda denuntiatio. fol. eod. n. 126.

Denuntiatio facienda est ante publicationem testium, & causæ conclusionem, seu antequam tempus probationum & exceptionum elapsum sit. Si in prima instantia non est facta, potest fieri in causa appellationis, re adhuc integrâ. fol 47. nu. 117.

Si venditor in se recepit defensionem, potest emptor à defensione desistere factâ denuntiatione. Si non recepit, nec declaravit, nolle se causam defendi, emptor ad defendendum bonâ fide tenetur, alioquin erit suspectus de culpa, & venditor de evictione non tenebitur. fol. 48. n. 128.

Non potest venditor declinare forum emptoris, etiamsi esset persona alioquin exempta ab hujus Judicis jurisdictione. fol. eod. n. 129.

In quibusdam casibus Venditor de Evictione non tenetur. 1. Itaque non tenetur, si convenit inter contrahentes, ut venditor de evictione non teneatur, sed solùm ad refundendum pretium, nisi dolo ità convenisset. fol. 48. n. 130. Probabilius est, quòd emptor pretium non amittat, si sciens emit rem alienam, nec expressè de evictione præstanda stipulatus est. eod. 2. Non tenetur, si culpâ Judicis imperitè vel malitiosè judicantis res evicta est, cùm de jure debuisset pro emptore judicari. fol. 49. n. 131. Si venditori certò constaret privatâ notitiâ, quòd Sententia formaliter quidem & ex juris norma justa esset, materialiter tamen injusta, posset uti occultâ compensatione. eod. 3. Non tenetur venditor de evictione, quando res evincitur culpâ emptoris. fol. 50. n. 132. ubi vide varios casus.

Si Sententia sit suspecta ob Judicis imperitiam vel malitiam, tenetur emptor appellare: item si causa est dubia & ambigua, & venditor tempore latæ sententiæ est absens, nec illi intimata sententia. fol. 50. n. 133. Si res evincatur sententiâ arbitri, amittit emptor jus evictionis, quia suâ voluntate res evincitur. eod.

Præterea & 4. Non tenetur Venditor de Evictione, si Emptor ex Principis mandato rem emptam alteri tradere compellitur, nec Venditor huic causam dedit. Et universim non tenetur, si res vendita non Jure communi, sed quodam Jure speciali evincatur, v. g. Jure Retractûs, vel Restitutionis in integrum. f. 51. n. 134. Quintò, non tenetur, si Emptor scivit rem esse alienam. quamvis etiam oppositum sit probabile. f. 51. nu. 135.

Sextò, non tenetur, si Emptor per vim expellatur à rei emptæ possessione. n. 136. Septimò, non tenetur, quando Emptor neglexit præscriptionem. n. 137.

Octavò, non tenetur Hæres, qui confecto inventario rem hæreditariam quà talem pro solutione hæreditarij æris alieni vendidit. f. 51. nu. 138. Nonò, non tenetur Creditor qui rem pignoris Jure distraxit, imò nec tenetur ad pretij restitutionem, f. 52. n. 139.

Decimò, non tenetur Fiscus rem alienam vel alteri oppignoratam vendens, quia Emptor fit dominus rei venditæ. f. eod. n. 140. Undecimò, non tenetur, qui vendit debitum, & debitor non est solvendo; nisi specialiter actum esset, quòd Emptor esset futurus indemnis. nu. 141.

Emptoris & Venditoris Obligationes & Actiones.

Sicut Emptori competit Actio *ex empto*, (de quâ suprà) ità Venditori competit Actio *ex vendito*, in quam venit imprimis pretium, & quidem certum ac determinatum. f. 52. nu. 142. Deinde veniunt usuræ pretij non soluti ex tempore moræ, nisi aliud convenerit. Item veniunt sumptus facti in rem venditam: item fructus quos cæsâ jam spicâ ante venditionem separatos, sed needum à Venditore collectos, & tamen ei de Jure debitos, Emptor invasit, cùm venditioni non accesserint. Item veniunt damna & incommoda, quorum emptor est causa, non auferendo rem emptam. eod. Denique venit repetendum id, quod plùs debito Venditor præstitit: quo casu etiam condictio indebiti conceditur. f. 53. n. 143.

Si Venditor ignoret pretium mercis ignorantiâ generali, & illius loci communi, Emptor autem sciat Scientiâ singulari & rarâ, non tenetur Venditori indicare valorem mercis, sed potest emere & solvere illo pretio, quo ex communi ignorantia communiter æstimatur. f. 53. nu. 145. Si verò Venditor ignoret ignorantiâ particulari, tenetur Emptor saltem infimum pretium justum offerre, & eatenus mercis valorem ignoranti indicare. f. 54. n. 146. Neque excusaretur Emptor ab indicando valore, etiamsi Venditor diceret, se velle excessum, si quis est, donare, eo quòd Emptor majori pretio nolit emere. eod. Quodsi ambo ignari valoris convenirent bonâ fide de pretio reipsâ inæquali, sed condonando reciprocè, neuter teneretur ad supplementum. eod. Unde posset fundus emi pretio communi, etiamsi Emptor sciret ibi latere thesaurum, vel venas metallinas. eod.

Si Emptor privatâ notitiâ sciat, Valorem pecuniæ paulò pòst publicâ lege diminutum iri, potest hodie emere pretio currente, non monito venditore: & econtra si Venditor sciat, valorem mercis minuendum, potest non monito Emptore vendere pretio currente: uno tamẽ casu excepto,

nempe

nempe, quando Magistratus volens ipse contrahere, Legis promulgationem studio differret, ut interim suas pecunias majori pretio, vel merces majori valore distraheret. f. 54. n. 147.

Quando vitium non est circa substantiam, sed circa qualitatem, & ignoratur invincibiliter ab utroque contrahente, resque venditur, qualis fuerit inventa, sive bona, sive vitiosa, ad nihil obligatur Venditor vitio postea detecto, modò in taxando pretio cætera sint paria. f. 55. n. 148.

Quando vitia ex se sunt manifesta, non est obligatio illa exprimendi, sed solùm non excedendi in pretio, quasi vitio careret. Imò, Jure civili venditor ad nihil teneretur, etiamsi negaret expressè, tale vitium adesse, si vitium secundùm se sit manifestum. fol. eod. nu. 149.

Quando vitium occultum tangit substantiam intrinsecam rei, quæ alia existimatur, & ut alia proponitur ab ea quæ est, obligatur venditor aperire vitium. fol. eod. n. 150. ubi exemplum.

Quando emptor nihil interrogat, & venditor apertè exponit merces, non occultando arte aliquâ earum vitia, distinguendum est. Si res non obstante illo vitio adhuc est tali pretio digna, & communiter solet eo pretio emi, tunc licèt huic emptori particulari non deserviat ad usum, ad quem emit, venditio est justa, si emptor non dixit, ad quem usum emere velit. Si verò ex communi modo quo merces exponuntur, significatur, eas esse idoneas ad usum, ad quem communiter emuntur, tenetur venditor vitium manifestare, quo redditur res inepta ad talem finem. fol. 55. n. 151. ubi exempla.

Emptionis Pretium Justum.

Pretium aliud est Legitimum, aliud Naturale seu Vulgare. Legitimum est, quod à Magistratu taxatur, nec à subditis variari potest. Vulgare, quod communi judicio mensuratur. fol. 56. n. 152. Quia verò judicia hominum non conveniunt, inde nascitur divisio pretij Naturalis in Sumum, Medium, & Infimum. fol. 56. n. 154.

Pro Regula justi pretij Naturalis non incomodè statuit Scotus, compensandas expensas cum æstimatione industriæ, labore, & periculo. fol. eod. num. 155.

Variatio pretij desumitur ex varijs circumstantijs, inter quas tamen non est perfectio intrinseca & physica. Præcipua circumstantia est Utilitas Communis in ordine ad usus humanos. deinde æstimatio utilitatis ad alios fines: quæ tamen æstimatio nòn debet necessariò esse hominum prudentum, sed sufficit vulgi, si communis sit eo loco. Inter has tamen circumstantias non est numeranda particularis indigentia emptoris. fol. 57. n. 156. Potest tamen venditor ob speciale commodum quo se vendendo privat, augere pretium. n. 157.

Modus vendendi etiam quandoque variat pretium. Unde cariùs venduntur res singillatim, quàm simul in magna copia. fol. eod. n. 158. ubi exemplum.

Res particulares quæ ob suam raritatem, non habent taxatum pretium, nec à lege nec à communi æstimatione, vendendæ sunt (speculativè loquendo) attentis circumstantijs, qualitate, utilitate, raritate, expensis, periculis, difficultate in afferendo, novitate, emptorum pluralitate, illo pretio, quo prudenter emi possunt, & non est augendum præcisè ob inordinatum affectum ementis. Est tamen etiam practicè probabile, posse secundùm arbitrium quantumvis imprudens ementium taxari. fol 57. n. 159. ubi vide exempla.

Circumventio infra dimidium justi pretij, quam videntur leges permittere, non est licita in hoc sensu, quasi lædens non teneatur resarcire in conscientia usque ad justum pretium: reverà enim tenetur. Sunt ergo leges intelligendæ, quòd ex tali læsione non detur læso actio. fol. 59. n. 161. & seq. ubi vide diversas interpretationes.

Emptionis factæ Dissolutio ex mutuo consensu.

Emptio venditio sicut Consensu contrahitur, ità contrario Consensu dissolvitur ante factam traditionem. fol. 60. n. 163. Potest autem non solùm quoad totum, sed etiam quoad partem contrario consensu dissolvi. Nunquam tamen dissolvitur, nisi interveniente retrotraditione, si traditio facta est. n. 166. Potest etiam acceptilatione dissolvi. fol. 61. n. 167. & seqq.

Si quis rem jam emptam à te iterum emat pluris, minorisve, dissolutus est prior contractus: secùs esset, si secunda emptio ex alio capite esset nulla. In priore casu non deberetur Gabella duplex. fol. eod. n. 169. Si secunda emptio esset conditionata, etiamsi conditio eveniret, secunda emptio esset nulla, nec ex eo agi posset, nisi pretium variatum esset, (ut proinde censerentur à priore contractu recessisse) vel alia utilitas inesset contractui conditionato. n. 170. ubi vide casum.

Res adhuc integra censetur ad dissolvendum mutuo consensu contractum, etiamsi fideiussio aut stipulatio accessisset. fol. 62. n. 171.

Ut contractus nudo pacto dissolvatur, non est necesse fieri mentionem clausulæ *constituti*, etiamsi venditor priùs per illam clausulam se nomine emptoris possidere constituisset. fol. eod. n. 172.

Non solùm si ex una parte tantùm fuit impletus contractus, sed etiam, si ex utraque, adhuc dissolveretur, nec esset novus contractus, nec Gabella deberetur, si in continenti fieret retrotraditio: quàvis oppositum sit etiam satis probabile, esse duplicem contractum, & duplicem Gabellam deberi. fol. 62. n. 173.

Ut contractus dissolvatur retrotraditione, non requiritur certa solennis formula, sed satis est, quòd contrahentes velint à contractu recedere. fol. 63. n. 175.

Si post

Si post traditionem mercis pacti essent contrahentes de recedendo à contractu per retrotraditionem, & venditor pœnitens nollet recipere, daretur emptori exceptio contra venditorem agentem ad pretium. f. eod. 176.

Contractus ritè ab habilibus celebratus, non potest superveniente inhabilitate rescindi, ne quidem ità ut claudicet. f. eod. n. 177.

Emptionis Resolutio ex Addictione in diem.

Emptio resolvitur etiam addictione in diem factâ, si intra tempus constitutum alius plùs pretij offerat. Requiritur autem primò, ut alius emptor se offerat animo sincero, absq; dolo. f. 64. n. 180. Requiritur 2. Ut novus emptor meliorem offerat conditionem, quidquid offeratur, quod ad utilitatem majorem venditoris faciat, sive consistat in augmento pretij, sive in modo solvendi, sive in majore idoneitate emptoris, sive in sublevatione alicujus oneris. f. 65. n. 181. Requiritur 3. Ut intra diem addictionis venditor non moriatur absque hærede cui offeratur. n. 182. Requiritur 4. Quòd primus emptor nolit ipse meliorem oblatam conditionem præstare. n. 183. Oblatam ab alio meliorem conditionem non tenetur Venditor acceptare. n. 184.

Si secundus emptor offerens meliorem conditionem non sit idoneus, v.g. non sit solvendo, aut non habens auctoritatem, nihilominus per addictionem illi à venditore factam prior contractus resolvitur. fol. 65. nu. 185.

Non resolvitur prima venditio per secundam cum nova addictione in diem factam. f. eod. nu. 186.

Per Venditionem cum addictione dominium non transfertur irrevocabiliter in emptorem, adeo ut oblatâ & acceptatâ meliore conditione, dominium, reique vindicatio reipsâ ad venditorem redeat. f. 65. n. 187.

Interea temporis donec dies addictionis veniat, aut melior conditio offeratur, tam dominium, quàm periculum interitûs, & omnia commoda ac incommoda ad emptorem spectant, ità tamen, ut si resolvatur contractus, etiam omnes fructus, etiam consumpti & usucapti, unà cum alijs commodis & accessionibus restituendi sint venditori, deductis impensis. eod. Sunt autem hæc restituenda venditori, etiamsi primus emptor ipse velit eandem conditionem meliorem offerre, quia fingitur propter meliorem oblatam conditionem nunquam fuisse dominus, & resolutâ priore emptione fit nova emptio. f. 66. n. 188.

Emptionis resolutio ex pacto legis commissoriæ.

Resolvitur etiam Emptionis contractus ex Pacto legis comissoriæ. Quando enim constituto tempore, quo si pretium non solvatur, res sit inempta, pretium non solvitur, dicitur lex esse commissa, & res vendita redit ipso jure ad venditorem, etiamsi nunquam fuerit interpellatus emptor. f. 67. n. 189.

Lege commissâ tenetur emptor fructus perceptos restituere, & æstimationem damni culpâ dati, nisi partem pretij solvisset, quam amittit. f. eod. n. 190. Lege commissâ resolvitur quidem contractus invito emptore, sed non invito venditore. f. 68. n. 191. Non potest tamen venditor variare, nec electo pretio pœnitere, & eligere legem commissoriam, vel econtra. n. 192.

Emptor amittit Arrham si quam dedit, & legem committit, sed tunc fructus ex æquitate retinet. Quodsi emptor paratus fuit solvere, sed impeditus, non committit legem. fol. eod. num. 193.

Emptionis resolutio ex pacto retrovendendi, & redimendi.

Pactum retrovendendi, & redimendi potest adijci vel in favorem solius venditoris, ut ad libitum suum sibi retrovendatur, vel solius emptoris, ad cujus libitum à venditore redimenda sit res empta, vel in favorem utriusque. Retrovenditio ex hoc pacto facta, est novus contractus, & non est resolutio prioris, qui manet in suo valore. f. 69. n. 194.

Requiritur nova retrotraditio, ut dominium redeat ad venditorem; nec ante competit rei Vindicatio. f. eod. n. 195.

Emptor obligatus ad retrovendendum, non liberatur solvendo interesse, invito venditore. fol. 70. n. 198.

Licitum, & ab usuræ labe immune est hujusmodi pactum, si fraus absit, quâ emptor intendat lucrari fructus quasi ex pignore, & modò pretium sit justum, æstimando onus retrovendendi in pretium, quod eo magìs diminuendum est, quo longius tempus in pactum venit. Quodsi sit perpetuum, videtur tertia pars justi pretii esse subducenda. f. 71. n. 200.

Ex natura rei non repugnat apponi emptori pactum sub conditione resolutiva dominij, si pretium fuerit oblatum, ità ut venditor sibi reservet jus reale in re vendita, ut, ad quemcunque pervenerit, oblato pretio possit rem vindicare. Est etiam probabile, sed non certum, hujusmodi pactum non improbari à legibus. Nisi tamen exprimatur, non præsumitur subesse. f. 72. n. 201.

Emptor retrovendendo non potest ad minuendum justum pretium cogi, quia vendit sine onere. f. eod. nu. 203. Potest tamen emptor pacisci, ut sibi majus pretium solvatur, quàm ipse solverat propter obligationem retrovendendi, dummodo non excedat valorem rei pro tempore retrovenditionis. num. 204. Imò potest pacisci, ut liceat sibi exigere pretium summum, etiamsi ipse emisset infimo. eod.

Si pactum de retrovendendo indefinitè conceptum est, ut in perpetuum liceat redimere, adhuc probabilius est, præscribi contra jus redimendi spatio 30. annorum. f. 73. n. 206.

Si certum tempus definitum est, & venditor intra illud tempus partem solvit animo redimendi, residuum verò post elapsum terminum quidem, sed paulò pôst, & absque præjudicio emptoris offerat, non potest exceptione repelli. n. 207.

Quando res indivisibilis venderetur à duobus cum pacto retrovendendi, non posset emptor cogi ad retrovendenum uni offerenti partem pretij, quia cogeretur venire in societatem, nisi ità expressè pactum esset. f. 74. n. 208. Quodsi unus venditorum totum pretium offerat, tunc cogitur emptor ad retrovendendum. eod. Jus redimendi sicut transmittitur ad hæredes, ità etiam potest alteri cedi. eod.

Quod rei emptæ per alluvionem accedit, in retrovenditionem non venit, sed manet primi emptoris, sicut & damnum decrementi ad eum spectaret, sive venditio facta sit ad corpus, sive ad mensuram. f. 74. n. 209.

Fructus ante retrovenditionem percepti, spectant absolutè ad primum emptorem, pendentes sunt dividendi pro rata temporis anni. f. 75. n. 210.

De Emptionis Resolutione ex Jure Retractûs, vide, Retractus.

Emptionis Resolutio ob læsionem ultra dimidium.

Etsi læso intra dimidium justi pretij non detur in foro civili, imò nec Ecclesiastico, actio directa ad rescindendum contractum, vel supplementum, in conscientia tamen lædens tenetur adæquare pretium rei emptæ. f. 84. n. 236. & seq. Neque daretur Actio, etiamsi contractus celebratus esset per Procuratorem: neque si læsio intra dimidium contingat in æstimatione dotis, etsi ob auctoritatem etiam oppositũ probabile sit. f. eod. n. 238. & seq.

Lex 2. Cod. de Rescind. Vendit. concedens Venditori læso ultra dimidium justi pretij actionem ad rescindendum contractum, vel supplendum defectum pretij justi, est etiam extendenda ad emptorem, ut possit contractum rescindere, nisi venditor malit excessũ pretij restituere. f. eod. n. 240.

Quando Venditor læsus est, tunc æstimatâ merce, quantum valuerat tempore venditionis, saltem attento pretio medio inter summum & infimum, si emptor minùs solvit quàm mediam partem justi pretij, & quidem probabiliùs infimi, favore dictæ legis uti potest. fol. 85. n. 241.

Circa Emptorem dissensio magna est, quomodo sit facienda æstimatio. An nempe si v. g. res valeat 50. sufficiat, si solverit plùs quàm 75. vel an requiratur, ut solverit ultra 100. eod. Possunt ambæ Sententiæ practicari & defendi, si dicamus, priorem sententiam posse Judicem amplecti attendendo præcisè ad quantitatem læsionis: posteriorem verò attendendo ad publicam Judiciorum quietem, & ad declinandam eorum frequentiam. & hanc posteriorem amplectitur Jus Bavaricum. Eaque videtur attendere paritatem formalem inter Venditorem & Emptorem, cùm prior tantùm attendat paritatẽ materialem. f. 86. n. 242. & seq.

Beneficium legis non solùm in rebus immobilibus, sed etiam mobilibus, esto non pretiosis locum habet. f. eod. n. 244. Neque solùm in contractu emptionis, sed etiam in alijs locum habet, tam stricti juris, quàm bonæ fidei. f. 87. nu. 245. & seq. ubi examinantur casus dubij.

Si per transactionem læditur una pars ultra dimidium ex æstimatione rei litigiosæ, quia v. g. æstimatur 100. cùm vix valeat 30. & unus transigendo solvit 90. ut illud retineat; in tali casu probabilius est, non esse locum beneficio rescissionis, si dolus absit. f. 88. num. 247. & seqq. Idem dicendum videtur, si læsio consistebat in æstimatione erronea meritorum causæ, quâ alter transigens ultra dimidium læsus est, cùm merita causæ plus valerent apud intelligentes. f. 90. n. 252.

Huic beneficio locus est, quando filia in renuntiatione etiam jurata enormiter læsa est, etiam absque dolo. f. eod. n. 253.

Cessat hoc beneficium, si ei in specie renuntiatum est, sive in ipso contractu, sive ex intervallo: non item si sub terminis generalibus: nam tunc solùm alijs juris remedijs renunciâsse censeretur. f. 90. n. 254.

Si læsus ultra dimidium dicat Emptori, se excessum donare, cognoscens valorem rei, neque inducatur ullâ fraude, vel necessitate, aut levitate animi ad donandum, certum est eum carere hoc beneficio, & probabiliùs est, cariturum, etiamsi ex necessitate vel levitate donâsset, si cæteroquin est potens donare. f. 91. n. 255. & seq. ubi casus habetur. Secùs dicendum, si ignarus valoris donaret. eod.

Sicut in dicta lege 2. *C. de rescind. Vend.* datur Emtori electio, ut vel rem emptam restituat recepto pretio, vel suppleat defectum pretij, itâ etiam venditoris est electio, ut pro excessu, quem accepit in pretio, satisfaciat, vel contractum rescindat. f. 91. nu. 257.

Non satisfaceret emptor, refundendo tantum de pretio, quod, si ab initio soluisset, non posset ex hac lege conveniri, sed cogitur ad totum justum pretium refundendum. f. eod. 258.

Si res infra dimidium empta, pereat sine culpa emptoris, liberatur à supplendo defectu pretij: nisi rem alteri vendidisset, & justum pretium consecutus esset. f. eod. n. 259.

Si emptor eandem rem alteri etiam infra dimidium vendidit, & non sit solvendo, potest primus venditor convenire secundũ emptorẽ. f. 92. n. 260.

Emptor potest meliorationes in re factas opponere venditori, exigendo ut illas prius solvat, antequàm rem recipiat. f. eod. 261.

Emptor

Emptor exigens rescissionem contractûs, & restitutionem rei, non tenetur restituere fructus interim perceptos, respondentes pretio quod esset refundendum. f. 93. n. 262.

Rescisso contractu resolvitur etiam hypotheca, si cui subjecta interim fuit res empta. f. 93. n. 263.

Ut beneficio legis sit locus, non obstat, etiamsi venditio facta sit cum decreto Judicis. f. 94. n. 264.

Ad rescindendum ex hac lege contractum, aliqui dicunt competere restitutionem in integrum, alij dicunt succurri læso ex officio Judicis, alij recurrunt ad condictionem in lege. Verius est, dari actionem ex vendito. f. 95. n. 266.

Emptionis Resolutio ex Ædilitio Edicto.

Res Vendita est sine vitio præstanda: ad quod datur actio duplex ex ædil. Edicto 1 *Redhibitoria*, & *Quantò minoris*. seu æstimatoria. Redhibitoriâ agitur ab Emptore contra Venditorem ad recipiendam rem venditam, & ad restituendum pretium, quia rem non fuisset empturus gnarus vitij. Æstimatoriâ agit emptor ad hoc, ut venditor refundat, quantò minoris emisset, si de vitio constitisset. f. 96. n. 267. & seq. His actionibus convenitur Venditor, etiamsi vitium ignoravit, ità tamen ut ad interesse non teneatur, nisi lata culpa intervenerit. eod.

Actio redhibitoria durat per sex menses. Actio *Quantò minoris* per annum. f. 96. n. 270.

Ad eosdem effectus, ad quos dantur hæ actiones Prætoriæ, datur etiam actio civilis ex empto, non tamen nisi eodem modo temporalis, quo sunt actiones illæ prætoriæ. f. 97. n. 271.

Ob vitia animi, sive in brutis sive in mancipijs non dantur actiones ædilitiæ. f. eod. nu. 272.

Electâ unâ actione, si emptor in eâ succumbat, non licet eligere alteram, nisi in casu quo ideo negaretur redhibitoria, quia sex menses effluxerunt. f. eod. nu. 273.

Si redhibitâ re emptâ Venditor est in mora reddendi pretium, datur emptori actio in factum, quæ quia non est pœnalis, sed rei persecutoria, ideo est perpetua, & supponit jam actum rescissum. f. 97. n. 274.

Epijckia.

Tomo 1.

Definitur Emendatio legis ex parte quâ deficit propter universale. f. 53. nu. 300. cujus triplex est fundamentum. peccatum cavendum, difficultas observationis, benignitas legislatoris. 301.

Episcopus.

Tomo 1.

Episcopus potest in sua diæcesi, quod Papa in totaEcclesia, intelligendo de illis, quæ antecedenter ad legem Pontificiam specialiter prohibentem pertinent ad gubernationem & regimen in genere. f. 55. n. 311. unde non potest dispensare in lege Pontificis. n. 309.

Episcopus non potest cum infamibus dispensare ut ad Ordines ascendant: in susceptis tamen ut ministrent post peractam pœnitentiam, si delicta fuerint adulterio minora. f. 167. n. 508.

Epistolæ.

Tomo 5.

Epistola à scribente recognita, plenè probat adversùs scribentem. f. 378. num. 537. etiamsi nec dies nec locus appositus esset. n. 539.

Confessio facta in Epistola cum relatione ad aliquid aliud, v. g. ad librum rationum, in quo tamen nihil tale reperitur, tunc solùm probaret, si certa aliqua summa expressa esset. n. 540.

Epistolâ ab alio scriptâ potest uti tertius ad probandum contra scribentem. f 379. n. 542. Probat etiam contra hæredem scribentis, si fateatur esse scriptam à defuncto. n. 543.

Si Epistola non habet subscriptionem, ex oblivione omissam, adhuc probat, secùs non. nn. 544. Sufficeret autem esse subscriptum pronomen, si quidem scribens solitus est omittere cognomen. num. 545.

Epistola non reddita, sed cæteroquin absoluta, probaret quidem quoad asserta, sed non quoad promissa. n. 547.

Epistolam fuisse à tali scriptam, potest probari per literarum comparationem. f. 380. nu. 548. de hac comparatione vide, *Chyrographum*.

Epistola missiva probat pro scribente plenè, si is in cujus præjudicium est scripta, eam apud se sine contradictione retinuit. n. 550.

Si per Epistolam requisitus ad aliquid præstandum, non contradicit, censebitur voluisse se obligare, si tanto tempore non contradicit, quo communiter solet contradici, & non ulteriùs deliberari. f. 380. n. 551. & seqq. ubi casus.

Evictio.

Tomo 4.

Evictio est rei nostræ, quam adversarius legitimo titulo acquisivit, per Judicem facta recuperatio. Vel. Est rei aut emptæ aut ex alia legitima causa acceptæ, interposito decreto Judicis abductio, vel amissio. f. 43. n. 115.

Evictio habet locum 1. Quando detinetur res aliena ex permutatione, vel alio contractu innominato. 2. Si res aliena detur in solutum. 3. Si data est in dotem. 4. In hæreditaris vel bonorum communium divisione, sed cum aliqua limitatione, ut tradens rem alienam non teneatur ad interesse. 5. Locum habet in transactione. 6. In re frugifera vendita, in qua evincitur ususfructus. 7. Et frequentiùs in venditione. eod.

Donator rei alienæ non tenetur de Evictione, nisi ad hanc se reflexè obligaverit. f. 43. n. 116.

Evictionis duo sunt capita, unum ad rem defendendam, ut venditor emptorem instruat, liti assistat, & probationes afferat; alterum, ad id quod interest. Ex priori agi potest ante sententiâ, sed post litem motâ. Ex posteriori post sententiam, re evictâ. f. 44. n. 117.

Motâ controversiâ tenetur Emptor landare auctorem, eique denuntiare, litem motam esse. fol. 46. nu. 122. Neque obstat, etiamsi jam aliunde sciat. n. 123.

Plura vide. *Emptio, Venditio.*

Exceptio.

Tomo 5.

Exceptio in Jure quandoque latissimè sumitur pro quacunque Responsione, qua se reus vel actor ab intentione adversatij expedire conatur: quo sensu erit exceptio, si quis neget id quod altet asserit, conijciendo onus probandi in asserentem. Item Replicatio, Duplicatio &c. f. 228. nu. 236.

Exceptio strictiùs sumpta est Inficiatio alicnjus conditionis, quæ deberet subesse, ut actio teneret: sive: affirmatio alicujus, *v. g. pacti, doli &c.* cujus absentia esset necessariò requisita, ut actio teneret. f. 229. n. 237. Unde definitur: *Actionis Exclusio.* Alias definitiones vide à n. 238.

Exceptio Doli mali.

Vide *Dolus.*

Exceptio doli latissimè: & universim quoties actio infringi potest æquitate defensionis, huic locus est. f. 231. n. 251. ubi exemplum. Unde in ipsa intentatione actionis dolus romitti potest. eod.

Qui neglectâ exceptione doli solvit, potest solutum repetere condictione indebiti. f. 232. num. 252.

Exceptio doli potest à filio opponi hæredi patris, non ob dolum à patre commissum, (tunc enim actio in factum instituenda, quæ famam non sugill t) sed rommissum ab hætede in ipsa actione. n. 2 3.

Exceptio doli non infamat, sicut Actio de dolo. n. 2 4.

Exceptio in factum ex errore promittentis.

Competit illi, cujus promissio ex errore facta fuit alligata oppositæ veritati. f. 232. n. 255.

Exceptio non numeratæ pecuniæ.

Vide: *Pecuniæ non numeratæ Exceptio.*

Exceptio Pacti de non petendo.

Cùm tale Pactum indneat obligationem in conscientia, parit in Jure Exceptionem. Quando dubium esset, an ità paciscens voluerit debitum simpliciter temittere, vel solùm se obligare ad non petendum in Judicio, vel ab ipsa persona debitoris, præsumeretur voluisse debitum penitus temittere. f. 233. n. 261.

Exceptiones Dilatoriæ.

Tres earum classes sunt. Prima ipsum Jndicinm concernit. Secnnda litigatores. Tertia litem ejusque materiam. f. 235. n. 263.

Prima Exceptio Dilatoria dicitur Declinatoria fori, seu Incompetentiæ Judicis. f. 235. nu. 264. Proponenda à prinripio litis, ne Jurisdictio fortè prorogetur. Petitque reus absolvi ab instantia cnm refusione expensarum. n. 265. Et ipse Judex cognoscit de Incompetentia. eod.

Secunda est exceptio *Laudationis*, competens illi, qui habet alinm sibi de evictione obligatum. fol. 235. n. 267.

Tertia (quæ potiùs est declinatoria) est exceptio *Præventionis* factæ ab alio Judice in eadem causa Jurisdictionem habente. n. 268. ubi declaratur in exemplo. Non competeret contra secundum Judicem, si respectu priùs citantis contumax fuisset. fol. 236. n. 269.

Quarta est exceptiò *Recusationis* Judicis. opponenda ante litis contestationem & omnes alias exceptiones, & de ea cognoscendum. n. 270. de recusatione vide *Judex.*

Quinta est *Loci non tuti.* quæ locum habetet, etiamsi appellatio prohiberetur. n. 272. non solùm ante, sed etiam post litem contestatam opponi potest, ob gtavamen successivum. n. 272.

Sexta est *Legitimationis* personarum in Judicio comparentium. n. 273.

Septima. Exceptio *Contumaciæ.* contra actorem contumacem, ut rircumdueatur citatio, & absolvatur reus ab observatione Judicij. n. 2 4.

Octava. *Non impetratæ veniæ.* Nona. *Plus petitionis.* Decima. Exceptio Pacti conventi temporalis, cui non absimilis *Moratoria Præscriptio.* Undecima. *Litis pendentis.* Duodecima. Exceptio libelli obscuri, quæ constant ex alibi dictis. fol. 236. à n. 275.

Decima tertia. Exceptio ex beneficio competentiæ. (de qua vide, *Competentiæ Beneficium.*) fol. 237. n. 281.

Decima quarta. *Excussionis seu Ordinis.* compepetens fidejussori, (vide Fidejussor) opponenda ante litis contestationem. n. 283. Hue pertinet *Exceptio cedendarum actionum & Divisionis.* quæ etiam post litem contestatam ex æquitate admittuntnt. n. 284.

Decima quinta. *Exceptio spolij.* quæ differt actionem donec res spolio ablata testituatur. n. 285. ubi vide exceptiones. Opponenda est ante litis contestationem, & probanda intra qnindecim dies. n. 285. Competit, etiamsi spoliatio facta sit à tertio, dummodo majoris partis bonorum, & agatur criminaliter contra spoliatum. Si verò agatur civiliter, non potest hæc exceptio opponi ad impediendam causæ definitionem, bene tamen ad impediendam executionem. fol. 237. n. 286. & seqq. Potest hæc exceptio opponi post litem contestatam; quod est singulare. fol. 238. n. 290.

Regula generalis est, exceptiones dilatorias esse opponendas ante litis contestationem per se loquendo. n. 291. Quodsi in prima instantia est neglecta, non potest opponi in secnnda. fol. 239. n. 293.

Exceptiones Peremptoriæ.

Hujusmodi sunt (de quibus videndum in proprijs materijs) exceptio ex SC. Velleiano, Macedoniano

doniano, Pacti conventi, Præscriptionis; Doli mali, Metûs: in factum ob errorem: non numeratæ pecuniæ: solutionis factæ. Novationis. Acceptilationis. Compensationis. Jurisjurandi Rei judicatæ. Transactionis. Cessionis bonorum.

Si debitor pecuniam debitam obtulit creditori nolenti acceptare, potest eam obsignare, & deponere in loco publico: quo facto competit illi exceptio peremptoria *solennis obsignationis*. fol.240. n.297. quâ penitus liberatur, etiam quoad pignora & fidejussores. Pecunia deposita incipit esse periculo creditoris, esto dominus illius sit debitor imò ad hoc sufficit oblatio. n.300. & n.seq. referuntur duo casus, in quibus cosignatio non est necessaria ad hos effectus. In duobus alijs casibus ijdem effectus obtinentur solâ consignatione, absq; oblatione, qui habentur n.302. Item duobus aliis casibus per solam verbalem oblationem inhibeotur usuræ. qui habentur n.303.

Aliquæ exceptiones peremptoriæ, si in continenti probari possint, impediunt litis ingressum, & contestationem. ut sunt: Jurisjurandi, transactionis, solutionis, præscriptionis, rei judicatæ, acceptilationis, non secuti implementi. fol.242. n.311. & seq.

Regulariter omnes opponi possunt, quando libuerit, ante sententiam. fol.242. n.314. & seqq. Imò aliquæ etiam post sententiam quæ transivit in rem judicatam possunt opponi ad impediendam executionem. Ut Exceptio ex S. C. Vell. Maced. Compensationis. n. 320.

De Jure communi potest reus simul pluribus Exceptionibus uti, etiam quando actiones cumulari non possunt, dummodo illæ inter se non pugnent. f.244. n.322. Eodem jure non est quidem obligatus omnes simul eodem tempore, & unâ die juridicâ opponere, in quantum successionem patiuntur, potest tamen Judex certum tempus præscribere, intra quod omnes dilatorias proponat reus, quo elapso, ad ulteriorem allegationem non admittitur. n. 323. ubi vide praxin Cameræ.

Jure communi potest reus in primo termino propositis quibusdam dilatorijs protestari de alijs postea proponendis. f. 244. n. 325.

Exceptiones contrariæ possunt cumulari sub disjunctione. n. 326.

Exceptiones peremptoriæ plerumque etiam fidejussoribus prosunt. f. 245. n.332.

Exceptio Cessionis bonorum fidejussoribus non competit. n.333.

Regula est, illas Exceptiones non competere fidejussoribus, quarum intuitu fidejussores debitori principali substituuntur pro majori securitate, ut si fortè jura succurreret principali, recurri possit ad fidejussores. f. 245. n. 334.

Quodsi fidejussor per pactum de non petendo liberatus esset, non obligaretur de novo per pactum debitoris subsequens de solvendo. f. 246. n. 335.

Si debitor principali non utatur Exceptione quæ etiam fidejussorem liberaret, potest eâ ni, fidejussor ad sui liberationem. nu. 336. ubi exemplum.

Quod de fidejussoribus dictum, etiam de Mandantibus fidejussionem, sponsoribus, & alijs accessoribus dicendum. n. 337.

Executio Sententiæ.

Tomo 5.

Si fuit appellatum ab Interlocutoria, & Judex sententiam confirmavit, executio pertinet ad Judicem *à quo*, & ad eum causa principalis remittitur. f. 591. n. 535.

Inhærendo Juri scripto, executio Sententiæ pertinet ad Judicem *ad quem*, etiam quando sententiam confirmavit, & ità observatur in Camera. n. 537.

Si partes per pactum aut transactionem ab appellatione discedant, adhoc executio pertinet ad Judicem, ad quem Jurisdictio per appellationem est devoluta. n. 539.

Jus paratæ executionis, seu petendi manuum injectionem, competit omnibus creditoribus, qui vel pro se habent Sententiam quæ transijt in judicatum, vel partis confessionem, vel instrumenta guarentigiata seu confessata, vel alia liquida recognita: item competit ex laudo homologato, ex Juramento litis decisorio, transactione coram Judice. f. 592. n. 540.

Extenditur regula ad fidejussorem per viam executivam conventum. n. 541. Ad hæredes ex testamento. n. 542. ad legatarios & fideicommissarios. n. 543.

Licitum est pactum, ut liceat processum ab executione inchoare. f. 592. n. 545. Non tamen, ut liceat morosum debitorem privatâ auctoritate apprehendere, vel includere, ne quidem ad Judici statim sistendum. f. 593. n. 550. Benè tamen, ut Judex statim per famulos absque alio processu apprehendat & incarceret. n. 552.

Executio non potest fieri in fundo communi pro indiviso possesso cum alio non condemnato. f. 594. n. 556.

In vestibus alijsque vulgaribus utensilibus, & rebus ad agriculturam spectantibus, non fit executio nisi alijs omnibus deficientibus. num. 557. & seq.

Mulierum bona dotalia & paraphernalia, circa executionem super debito mariti privilegiata sunt, ne pignori capiantur. n. 559. Et quidem, etiamsi debitum esset marito cum uxore commune. Imò mulier potest pro suo interesse se opponere executioni faciendæ in bonis mariti debitoris. eod. In fructibus tamen, etiam necdum à solo separatis, dummodo ultima cultura fuerit adhibita fundo dotali, potest executio fieri. f. 595. n. 560. ubi vide limitationem.

In bonis feudalibus, in subsidium & defectum aliorum bonorum, posset creditor mitti in possessionem, ut saltem fructus perciperet. n.561. & fusiùs fol.600. n.590 & seqq.

Pro delicto patris non potest fieri executio in peculio profectitio filij. Nec pro delicto filij in peculio adventitio, cujus usum fructum pater habet. nec in libris scholaribus, nisi in defectum aliorum bonorum. n.562. & seq.

Pro debito Monachi non potest fieri executio nisi in bonis per Monachum monasterio quæsitis. n.564.

In fructibus beneficij debitoris non fit executio, nisi in defectum aliorum bonorum. n.565. & folio. 601. n.596. Idem dicendum de stipendijs militum, & armis, & Doctorum. eod.

Pro debito Universitatis non fit executio in ijs quæ sunt ad usum communem civium. n.566.

In bonis secundi mariti potest fieri executio pro debito tutelari uxoris. n.567.

Non licet Judici proprio motu executionem decernere, sed est à creditore requirendus. fol.596. n.568. Instrumentum obligationis in originali exhibendum. n.569. Inde Judex decernit debitori præceptum executivum, cujus formam vide. nu. 570.

In actionibus realibus, ad opponendas exceptiones contra executionem, nullus terminus indulgetur, in personalibus indulgetur quadrimestre, quod potest, Jure Canonico Judex arctare, prorogare. Quod tamen in Camera non observatur, si sententia transit in rem judicatam per appellationis desertionem. fol.59 t. n.575.

Condemnato reo in rem certam, in illa facienda executio, eâ non existente, ad æstimationem veniendum. fol.598. n.577.

In re specialiter hypothecata, præ omnibus alijs facienda executio. Quodsi simul creditor haberet generalem hypothecam, posset eligere, bonâ fide. n.578. Extra hos casus observandus est Judici ordo, ut primò capiantur pignora Judicialia mobilia & se moventia. his deficientibus immobilia. denique Jura & nomina, quod tamen in pupillis exceptionem habet, ut à nominibus incipiat executio. fol.599. n.586. Ordine non observato processus est nullus. n.579. Æquum etiam est, ut inter immobilia priùs illa capiantur, quæ minùs pretiosa sunt, & sufficiunt ad debitum extinguendum. fol.599. n.583.

Si per errorem in quantitate debiti datus est in solutum fundus plùs valens debito, repeti quidem potest: sed à creditore tenebitur, donec ex fructibus, vel alio modo debitum consequatur. Si erratum in æstimatione fundi, solùm pro parte revocatur. n.585.

Quis ordo servandus sit Jure Bavatico, vide. fol. 600. n.589.

Exercitor.

Tomo 1.

Exercitor, ad quem quotidianus quæstus pertinet, tenetur in factum ex quasi delicto, si à ministris damnum datum est, in duplum. fol.96. n. 149. Rector navis tenetur etiam de furto rerum in littore ablatarum, si eas recæpit navi imponendas. eod. Tenetur etiam exercitor de damno per incendium à ministris in officio dato. eod.

Exhæredatio.

Exhæredatio vel institutio disjunctivè quomodo requiratur in testamento parentum, vide. *Testamentum Parentum.*

Tomo 2.

Non sufficit exhæredatio *inter cæteros.* sed specialiter & nominatim, saltem æquivalenter exhæredandi sunt liberi. fol.100. n.448.

Exhæredatio non est facienda sub conditione, sed purè. fol.eod. n.449. Nec à re certa, sed ab universitate bonorum. 450.

Exhæredatio, ut valeat testamentum, facienda est tam ab omnibus personis institutis, (hoc est, ut nulli sit substitutus) quàm ab omnibus gradibus hæredum, si plures gradus facti sunt. fol.101. n.451.

Ut valeat exhæredatio, debet aliquis hæres institutus esse, & is hæreditatem adijsse. quodsi hæreditatem non adijt, redit res ad causam intestati, & exhæredatus adibit hæreditatem petendo possessionem bonorum contra tabulas. f. eod. n. 452.

Jure novo facienda est exhæredatio ex causa legitima, & onus eam probandi incumbit hæredi scripto, alioquin competit querela inofficiosi, imò jus dicendi testamentum nullum, nisi defunctus probando prævenisset, f. eod. n. 453.

Causæ exhæredandi liberos sunt quatuordecim, positæ in Novella 115. c. 3. causæ exhæredandi parentes octo, positæ c.4. causæ exhæredandi fratrem institutâ personâ turpi, tres. Nov.22. c. 47. f. 101. n.454. & f. 103. n. 462. Ad alias causas æquivalentes non licet extendere. n. 465. & seqq.

Crimen læsæ Majestatis aut proditio patriæ, Matrimonium cum inhonesta, aut contra voluntatem parentum, neglectus patris ægri, non rectè pro causis exhæredandi assignantur. Jure Bavarico tamen admittitur, si filius duceret inhonestam, volente patre providere de matrimonio honesto. f. 104. n. 469. & seqq.

Reconciliatio impedit exhæredationem faciendam, sed non tollit exhæredationem factam, nisi revocetur expressè exhæredatio: & hoc certum de Jure Bavarico. f. eod. n. 474.

Si exhæredatus ingrediatur Religionem ante mortem patris, tollitur exhæredatio, & testamentum redditur nullum, non solùm jure Canonico, sed etiam Civili. f. 105. nu. 475.

An portio exhæredati accrescat cæteris liberis. vide *Legitima.*

Expensæ.

Quænam expensæ refundendæ sint Possessori, à quo res litigiosa evincitur, vide, *Possessio.*

Tomo 5.

Tomo 5.

In expensas litis delicatas nunquam condemnatur victus, sed solùm in illas, quæ ab adversario factæ sunt circa litis instructionem & causæ prosecutionem. fol.526. n.172.

Ad necessarias expensas pertinent. 1. factæ ob ipsum processum. 2. factæ ob examen testium. 3. factæ ob sportularum solutionem. 4. ob necessaria itineri, detractis detrahendis. n.173.

Æstimatio expensarum fit à Judice, prævio juramento, quod factâ taxatione defertur, quo jurante minui non potest. fol.526. n.175.

Si victus habuit iustam causam litigandi, per se loquendo non est condemnandus in expensas. fol. 527. n.176. etiamsi in utraque instantia victus esset. n.178. Si inter litigandum factus est temerarius, ab illo tempore factas expensas refundere condemnatur. n.179. Si tantùm quoad partem articulorum, condemnandus in expensas speciales. nu. 180.

In dubio an temerè litigaverit actor, præsumitur temere litigâsse; contrarium pro reo. n.181.

An ab expensis solvendis ob justam causam litigandi excusetur litigans victus, relinquitur arbitrio Judicis. decem tamen in specie recensentur hujusmodi causæ. fol.528. n.182. & seqq.

Qui absque Procuratore vel Advocato, propriâ industriâ suam causam evicit, non potest ratione suæ propriæ personæ expensas alioquin in Advocatum faciendas prætendere, nisi simul aliorum causam egisset, quibus non tenebatur gratis servire. n.191.

Si victor expensas non petat, non tenetur quidem Judex, potest tamen in eas ex officio condemnare. fol.529. n.192. Potest autem eas victor petere toto eo die, quo sententia est lata. n.193.

Si judex ob neglectam condemnationem debuit ipse solvere expensas, non potest eas à victo repetere. n.194.

Si agatur de expensis contumaciæ, vel ratione retardati processûs, vel temeritatis, non solùm expensæ litis & retardati processûs, sed etiam damna & interesse debent restitui. fol.529. n.195. Si verò agatur de expensis victoriæ, tunc tantùm veniunt expensæ litis, nisi plùs promisisset victus. eod. Non veniunt autem nomine damnorum ea quæ victor casu improviso passus est. f. 530. n. 196.

Expensæ contumaciæ petuntur actione in factum. Expensæ victoriæ veniunt ex officio Judicis mercenario. n.197.

Si uterque litigans in expensas condemnetur, tunc possunt compensari, si nondum sunt solutæ ab eo qui prior debebat. n.198.

Si taxatio facta à victore non est manifestè nimia, sed probabilis: non est locus moderationi, casu quo victus promisit se soluturum expensas, quas victor taxaverit. n.199.

Condemnatus in expensas, debet etiam restituere illas quæ in termino moderationis factæ sunt. nu. 200. Quid Jure Bavarico sit constitutum, vide nu. 201.

Tomo 6.

Expensas factas pro defensione rei, debet reus vel hæres facere, quacunque pœnâ plectatur. fol. 333. n.572.

Omnes expensas solvere debet reus, si puniatur pœnâ solùm civili. eod. Secùs si pœnâ corporali sanguinis, tunc enim excusatur ab expensis factis in processu. fol.334. n.573. Si reus moriatur ante sententiam, hæredes ad nullas expensas tenentur. n.574.

Expensas in processu ordinario, facere debet accusator. n.575.

F.

Falcidia.

Tomo 2.

Causa constituendi Falcidiæ detractionem, erat, ne plurimi ob exiguum lucrum ab adeunda hæreditate absterrerentur. Est autem Falcidia quadrans hæreditatis, ut ultra dodrantem legari non possit. fol. 245. n.348.

. Falcidia denominatur à Cajo Falcidio Tribuno Plebis, & origine suâ est Plebiscitum. f.eod. n.349.

Falcidia non habet locum in testamento militis, ubi destituto testamento legata sustinentur. eod. Item non habet locum in legatis relictis cum perpetuâ inalienabilitate. fol.eod. n.350.

Ex legatis privilegiatis non gravantur cætera legata quoad partem deducendam, sed illa legata deducuntur ut æs alienum, ut sic hæres non cogatur ea de suo præstare, sed totum patrimonium minuatur. eod.

Falcidia deducitur etiam à Fidei commissis particularibus, utpote per omnia Legatis exæquatis. fol 246. n.352.

Quantitas patrimonij ad quam ratio Falcidiæ exigitur, spectatur mortis tempore. Unde si postea patrimonium ante aditam hæreditatem augeatur, nihil prodest legatario ad evitandam Falcidiâ, sicut econtra si diminuatur, nihil illis obest. f. 246. nu. 353.

Excipiuntur tamen legata conditionalia, & rei alienæ, utpote quorum dies non cedit nisi post aditam hæreditatem. fol.eod. n.354.

Ex legato ipsi hæredi relicto, Falcidia sicut ex alijs legatis deducitur, adeoque non totum (sicut in Trebellianicam) in Falcidiam computatur. fol. eod. n.355.

Hæres qui ex ignorantia facti plùs solvit quàm dodrantem. habet condictionem indebiti, quâ repetit Falcidiam, secùs, si sciens aut ex ignorantia juris non tolerata. fol. 246. n.356.

Legatarius tenetur in conscientia restituere, quando hæres sublatâ ignorantiâ posset solutum ultra dodrantem repetere. fol.147. n.357.

Falcidia deducitur etiam à donatione causâ mortis, & à donatione inter virû & uxorem, morte confirmanda. fol.eod. n.358.

Falcidia prohibetur in pœnam (sed non nisi post Judicis sententiam) si non confecit inventarium: item si monitus à Judice intra annum non exequitur voluntatem testatoris. item quando surripuit aliquid de bonis hæreditarijs. fol. eod. nu. 359.

Ante Falcidiæ detractionem subducitur æs alienum, funeris expensæ, aliæque in testamenti insinuatione, & inventarij confectione necessariæ, pretium servorum manumissorum. deinde legata privilegiata: denique ab eo quod residuum est, detrahitur quarta pars. fol. eod. n. 360.

Filius hæres gravatus non solùm legitimam, sed insuper etiam Falcidiam vel Trebellianicam deducit, sive legata sint pura sive conditionalia. An idem extendendum sit ad ascendentes, est magis dubium. fol. 248. n. 363. & seqq. Et primum ex co legitimè deducitur, quod legitimam filius non iure hæreditario, sed jure proprio & tanquam æs alienum consequitur, Falcidiam deinde jure hæreditario. fol. 250. n. 367. & seqq. Et licèt filius semper accipiat legitimam, quatenus est hæres necessarius, hoc est necessariò instituendus, non tamen eam accepit ex libero judicio defuncti, & potest acceptâ legitimâ ab hæreditate abstinere, sicque non esse hæres in actu secundo, esto fuerit hæres in actu primo. fol. 252. n. 375.

Quod dictum est, procedit, non solùm quando liberis debetur Triens, sed etiam quando ob numerum majorem quaternario debetur Semis. fol. 252. n. 376.

Hodierno jure licitum est Testatori gnarò sui patrimonij, prohibere Falcidiam, & si hæres non pareat, defertur hæreditas substitutis cohæredibus, fideicommissarijs, legatarijs, servis, ab intestato vocatis. fol. 253. n. 377. Debet autem prohibens esse gnatus virium sui patrimonij, & prohibitio debet fieri expressa. fol. 254. n. 383.

Non requiritur quidem, ut specifica mentio fiat Falcidiæ, requiruntur tamen talia verba, quæ æquivaleant mentioni Falcidiæ. Non videntur autē talia esse. *Volo solvi sine diminutione*: nam horū sensus esset, pleno jure, prout jura volūt: & posset præsumi locutus ex ignorantia patrimonij, vel Juris. Requiruntur ergo ejusmodi verba, quæ manifestent animum prohibendi detractionem à legatis ut excedentibus dodrantem. fol. 255. n. 385.

Legata specialiter alienari prohibita, non subjacent Falcidiæ. fol. eod. n. 386.

Si res legata est indivisibilis, v.g. libertas, aut servus, talis res in solidum præstabitur, sed factâ illius æstimatione, & ex æstimatione tantum cedet hæredi, quantum requirit Falcidiæ detractio. Si verò res sit divisibilis, Falcidia non de una aliqua re legata, sed de singulis rebus deducenda est. fol. 256 n. 388.

Falcidia, inhærendo Juris communis apicibus videtur etiam in legatis pijs locum habere. Jure Bavarico tunc solùm in legatis pijs Falcidiæ locus est, quando ex alijs legatis integra quarta haberi non potest. Eodem jure non est locus Falcidiæ in legato rei debitæ, & quando hæres Falcidiæ renuntiavir. fol. 257. n. 394.

In singulis hæredibus gravatis Falcidia locum habet, adeo, ut si sint plures hæredes scripti ex certis portionibus, quilibet debet salvam habere quartam partem suæ portionis, non obstante, quòd fortè apud alterum cohæredem maneret quarta pars hæreditatis. fol. 258. n. 396.

Si hæredis gravati, & fortè hæreditatem repudiantis portio accrescat alteri non gravato, adhuc potest intuitu portionis gravatæ detrahere Falcidiam, sicut potuisset gravatus. fol eod. n. 397.

Nec interest, an accedat alterius portio jure accrescendi, vel jure substitutionis, quia spectatur persona illa, cujus pars deficit. eod.

Econtra si pars non gravata accedit gravatæ, hoc cedit in commodum legatariorum, ut legata integra præstanda sint, si salvâ quartâ totius hæreditatis possīt. fol. 258. n. 399.

In Falcidiam imputantur illa solummodo, quæ jure hæreditario capiuntur. fol. 259. n. 400.

Falsi crimen.

Tomo 6.

Falsi crimen est mixti fori. fol. 28. nu. 230.

Committitur ab eo, qui rem aliquam externo & apparente fuco adulterat, & ad deceptionem corrumpit. fol. 97. n. 174. Ad quod requiritur 1. Dolus probatus. 2. Veritatis immutatio. n. 175. 3. Damnificatio tertij intentata. fol. 98. n. 176.

Pœna Falsariorum non est uniformis, sed pro qualitate delicti, v.g. relegatio, fustigatio, &c. num. 178.

In persona committitur falsum, quando in præjudicium tertij fingitur: v.g. suppositio falsi partûs. n. 179.

Verbis fit v.g. falsum testimonium dicendo, vel nolendo dicere verum &c. n. 180. Imò etiamsi testis verum dicat, si tamen ad hoc dicendum pecuniam accepit, incidit in pœnam falsi. fol. 99. nu. 181.

Qui abusu committit falsum, ut fallacibus mensuris utens, vel merces corrumpens per admixtionem &c. punitur duplo, & relegatione. fol. 100. num. 185.

Conficiens falsum instrumentum ordinariâ pœnâ punitur, utens confecto ab alio, mitiore. n. 186.

Fama.

Tomo 1.

Fama prout opponitur Infamiæ, (nam aliter accipitur in ordine ad processum Inquisitorium) est Bona existimatio aliorum de bonis nostris, ut sunt: Virtus. Ingenium. Doctrina. Divitiæ. Forma. Nobilitas. Valetudo bona. Gratia. Favor Principum &c. fol. 165. n 495.

Juridicè definitur, Dignitatis illæsæ status, legibus & moribus comprobatus, qui ex delicto nost.o

nostra auctoritate legum aut minuitur, aut consumitur. fol.166. n. 501.

Fama, quomodo lædatur, & pro ea satisfaciendum sit, vide, *Judicium temerarium. Detractio. Diffamatio.*

Fama proximi duplex considerari potest, radicalis & formalis. Radicalis est notitia habitualis v.g. de doctrina proximi. formalis est ipsum actuale judicium de doctrina Proximi. fol.170. n. 526.

Tomo 5.

Fama est modus quidam probandi, & hoc sensu definitur: Publica communisque alicujus regionis assertio ex sola suspicione proveniens. fol.338. nu. 326.

Hæc fama debet traxisse originem à personis fide dignis, Juridicis, & de quorum commodo non agitur, & apparet, quâ ratione ortum habuerit, & asseri debet à majori parte populi, totum populum repræsentante. fol.338. n.328.

Si res concernat utrumque sexum, etiam mulieres sunt attendendæ. si solum sexum masculinum, soli mares, & econtra, & sic cum proportione de alijs, v.g. de peritis in arte. fol. 339. n.329.

Quando fama trahit originem ab ipso facto, ignoratâ personâ quæ primò sparsit, non potest in personas primò spargentes inquiri. n. 331.

Si traxit à persona quæ est certa, & tendit in personam ejus qui primus eam sparsit, fama est inepta ad probandum; si est pro alio vel contra alium, debet fama, regulariter, habuisse originem à personis honestis: nisi esset in tali materia, in qua non posset habere originem ab honestis. n.332.

Ad probandam famam sufficiunt duo testes. nu. 333. Qui dicant, se scire, talem famam existere, quia ipsi à majori parte illius populi audierunt dici, nec sufficeret, si dicerent, se audivisse ab aliquibus, hanc famam esse in populo. fol.340. n.337. Imò nec sufficeret, si testis diceret, se audisse per totam civitatem. n. 338. vel: hoc publicè asseri in civitate. n.340. & quamvis non sit necesse nominare tot, quot faciunt famam, interrogatus tamen nominare debet, qui mortaliter possunt memoriæ occurrere. fol.341. n.342.

Fama per testes asserta, præsumitur orta à personis honestis, nisi infamatus probet contrarium. num.343.

Quamvis testes singuli non enuntient numerum sufficientem ad famam, & ideo nec semiplenè probent, si tamen simul assignent sufficientem numerum, simul probant semiplenè. n.346. & seq. ubi declaratur in exemplo.

Probatâ famâ de aliqua re in qua plurimùm operatur & disponit communis hominum opinio, vel consuetudo loci, censetur etiam plenè probatum id, de quo est fama. fol.342. n.351. ubi exemplum.

Quando publica utilitas suadet, ut communis opinio prævaleat veritati, ut in casu legis *Barbarius, ff. de off. Prætor.* fama plenè probat. n.352.

In casu, quo difficilis est probatio directa per alia media, quàm per famam, fama plenè probat, etiamsi cedat in præjudicium tertij. fol.343. n.353. Extra hos casus non probat plenè, sed in Civilibus semiplenè. In Criminalibus quales effectus habeat, vide num. 354.

Familiæ Erciscundæ actio.

Tomo 4.

Convenit hæc actio ex Quasi contractu ob hæreditatis communionem, similis actioni *Communi dividundo* in pluribus, & in quibusdam differens. fol.350. n.1124. ubi vide differentias.

Directa competit solis hæredibus jure civili talibus, & bonorum possessoribus Jure Prætorio, & fideicommissarijs. Utilis datur arrogato ad quartam consequendam post emancipationem. fol.351. num.1125.

Datur inter solos cohæredes, etiam quando non possident. eod.

Exceptio Præposterationis tunc solùm locum habet, quando actor non possidet. fol. eod. nu. 1126.

Actiones etiam, & nomina veniunt in hanc actionem, si stipulationes interpositæ sunt, vel ob alia incommoda. f. eod. n. 1127.

Præscribitur hæc actio, sicut aliæ, 30. annis. f. 351. n. 1128.

Potest quandoque Divisio fieri facto ipso, sicut alibi diximus Societatem contrahi posse. f. 352. n. 1130.

Qui ad divisionem provocat, fatetur alterum hæredem, nec posset postea ad hæreditatis petitionem recurrere f. eod. n. 1131.

Famosus Libellus.

Tomo 1.

Est Scriptura, vel Pictura ad alterum infamandum composita. Si crimen falsum imponitur, pœna talionis, si verum, arbitrariâ punitur. & to. 6. fol. 101. n. 192. Iisdem pœnis puniuntur reperiens, & ulteriùs evulgans. Jure Canonico flagellantur. Mitiùs punitur Auctor seipsum manifestans. Jure Bavarico pœnâ gladij punitur affingens delictum pœnâ capitali dignum. f. 180. n. 580.

Si quis famosum libellum ab alio compositum acquirens non evulgavit, non est puniendus pœnâ ordinariâ. f. 181. n. 581. Qui invenit, vel ab alio recepit, & alijs ostendit, sed Auctorem manifestare paratus est, tunc nec Auctor, nec Inventor ordinariâ pœnâ puniendus videtur. eod.

Ex locorum consuetudine recepta puniuntur arbitrariâ pœnâ. In Imperio pœna est carcer & mulcta, & ademptio officij Typographici illorum, qui libellos famosos loci Magistratui non ostensos excudunt, nisi locum & tempus, nomenve Auctoris apposuerint. eod. & to. 6. f. 101. n. 190.

Tomo 6.

Læso præter actionem ad pœnam talionis, competit actio iojuriarum. f. 101. n. 193.

Scriptum cootinens defectus naturales, eósque objiciens, non est famosus libellus, sed scriptum injuriosum. f. 101. n. 194.

Actio ex famoso libello descendens, solùm durat per annum. f. 102. n. 195.

Pictura infamans etiam, venit nomine libelli famosi. n. 196.

Famosi libelli delictum est Privatum. n. 197.

Feriæ.

Tomo 5.

Feriæ sunt in Jure Dilationes concessæ, & actuū Judicialium inhibitoriæ, utroque Jure. f. 223. n. 212.

Actus Judicialis contentiosus die feriato sacro, est ipso jure nullus, celebratus verò die feriatum repentinarum vel rusticarum, non nisi invitâ aliquâ parte litigantium. nu. 213. Appellationem etiam ioterpooere, sed non prosequi licet die feriato. f. 224. n. 214.

Quod de Judice statutum, etiam de Arbitro (non tamen de Arbitratore) intelligendum est. n. 216.

Cóntra Latrones speciatim conceditur processus die quantumcuuque feriato, si periculum immineat. n. 217. Idem in causis spiritualibus locum habere potest ob oecessitatem, vel pietatis causâ. n. 218. & seq. ubi exempla.

Maodatum Executionis fieri potest die feriato, non item ipsa executio, oisi urgente necessitate & periculo. o. 220.

Non solùm omnes dies festivi sunt feriati, sed etiam aliqui non festivi, ut dies hebdomadæ Pasfioois, & Paschatis. f. 225. o. 221.

Citatio facta in diem feriatum specificè expressum, non valet, adeo ut nec sequenti die comitatur contumacia non comparendo. Si noo specificè, sed v. g. *vigesimo Octob.* & iste sit feriatus, arctat citatio ex intentione Judicis in sequentem diem. f. 225. n. 225.

Non solùm Mandatum seu Decretum Citationis fieri potest die feriato, sed etiam illius executio. f. 226. à n. 227.

Ferruminatio.

Tomo 1.

Fit, cùm metalla diversorum in unum corpus conjunguntur, ut solent contusiooe copulari frusta candentia. fol. 420. n. 111. Domino materiæ datur Actio ad exhibendum, & exhibita vindicatur. eod.

Feudum.

Tomo 1.

Feudum pervenit ad Monasterium successionis capax per Professionem Vasalli quoad commoditates, & ad vitam illius, modò sit franeum, vel concessum fœminæ, vel cum onere serviriorum etiam à monasterio præstabilium. Nisi adjecta esset conditio in investitura, ut non perveniret. fol. 303. n. 26. & seqq.

Tomo 3.

Feudorum origo communiter à Longobardis Saxooibus deduci solet. Communi etiam persuasione, fortè falsâ, compilatores librorum feudalium dicuntur fuisse Gerhardus Niger, & Obertus de Harto, Mediolanenses Consules. fol. 245. nu. 581. & seq.

Jus Feudale est origine suâ Consuetudinarium. eod.

Feudum definitur: Beneficium rei immobilis jure fidelitatis alicui concessum. Accurariùs sic. Est contractus nominatus, stricti juris, io quo dominus utile dominium rei immobilis vel æquivalentis, alteri & hæredibus illius masculis, perpetuò & gratis, investiturâ interveniente, concedit eâ conditiooe, ut is ipsi ad fidelitatem præstandam, & ad servitia hooesta & possibilia exhibenda obligetur. fol. 246. n. 583. Pactum adjectum de obsequijs iohooestis, reddit contractum nullum, nisi traditio accessisset, sed tunc ooo tenebitur Vasallus nisi ad obsequia licita. Neque resolveretur contractus, etiamsi adjectum esset pactum distractivum. num. 584.

Definitio longior quæ habetur io libris feudorum, defenditur contra Hotomannum. fol. eod. num. 585. & seqq.

Feudum convenit cum Emphyteusi. 1. Quòd consistat in rebus immobilibus. 2. Quòd transferatur utile dominium. 3. Quòd sit perpetuum. 4. Quòd invito domioo noo possit alienari. 5. Quòd Vasallus possit servitutem imponere. 6. Quòd possit cedi domino. 7. Quòd bona Feudalia possint inter vasallos dividi non requisito domino. fol. 247. n. 587. Differunt inter se. 1. Quòd in feudo, de jure communi, soli masculi succedant. 2. Quòd feudorum finis siot servitia. 3. Quòd Investitura possit fieri per procuratorem. 4. Quòd sufficiat contestatio sine scriptura. 5. Quòd Vasallus non possit feudum alteri legare, aut in morte disponere de illo. 6. Quòd Vasallus investiatur io præsentia Parium Curiæ. 7. Quòd nullus Canon solvatur. 8. Quòd feudum antiquum noo possit alieoari nisi consentientibus agoatis. 9. Quòd feudum acquiratur semper in investitura, sed gratis. 10. Quòd Vasallus non teneatur præstare servitia nisi requisitus: emphyteuta verò Canonem, etiam non requisitus. 11. Quòd ex alijs causis amittatur feudum quàm emphyteusis. 12. Quòd præstandum juramentum fidelitatis. 13. Quòd singuli successores debeant petere investituram. fol. 247. n. 588.

Feudum aliud est Proprium seu Rectum, aliud Improprium, seu non rectum. Proprium est in cujus concessione non immutantur substantialia, nec, quæ ordinariè & regulariter pacto, statuto vel consuetudine interveniunt, & cui nulla extraoea pacta adijciuntur. Improprium, in quo substantialibus feudi & coñaturalibus seu regulariter intervenire

intervenire solitis, pacto, statuto, vel consuetudine derogatum est, vel cui extranea pacta adjiciuntur. f. 248. n. 590.

Fidelitas est præcipuum substantiale contractûs feudalis: non est tamen substantiale, ut sit jurata. Requiritur etiam ad feudum improprium. Deinde est substantiale, ut sit in re immobili, saltem æquivalenter. Investitura videtur potiùs consequens ad substantialia. eod.

In dubio præsumitur feudum esse proprium, hoc est, carens pactis & conventionibus extraordinarijs. Unde potest contingere, ut Feudum alioquin absolutè improprium, respectivè esset proprium, si Statuto aut Consuetudine immutarentur aliqua, quæ alioquin essent naturalia. f. 248. nu. 591.

Obligatio præstandi servitia, in rigore distinguitur & separabilia est à fidelitate, ut patet in Feudo franco, in quo tamen etiam fidelitas requiritur. f. eod. n. 592.

Feudorum Species.

Feudum Paternum strictè loquendo est, quod ab ascendente usque ad quartum gradum inclusivè acquisitum est. Nihilominus si cui concedatur in Feudum paternum, etiam ultra Trinepotem extenditur, & reipsâ confunditur cum Feudo antiquo. f. 249. n. 593. & seq.

Feudum Antiquum hodierno jure non differt à paterno, quia in infinitum extenditur. Aliquando tamen generaliùs sumitur pro omni feudo, quod ab aliquo Antecessore Vasallo immediatè derivatum est, etiamsi non fuerit ex ascendentibus. f. eod. n. 595.

Feudum novum est, quod incipit in persona Beneficiarij, nec ad eum pervenit ex successione. In Feudo novo non admittuntur ad successionem laterales in defectum descendentium, sed soli immediati descendentes, & ex his descendentes, si immediati non existant. Ad Feudi antiqui successionem etiam laterales admittuntur. f. 249. nu. 596.

Potest Feudum novum concedi, ut in effectu sit antiquum, seu cum jure feudi antiqui: nisi concedenti aliunde hæc potestas adempta esset, prout ex plurium opinione adempta est Prælatis Ecclesiasticis. f. 250. n. 597. & seqq. ubi recensentur effectus hujus irregularis concessionis. Vi talis feudi pro hæredibus tam fœminis quàm masculis impetrati, fœminæ excluderent agnatos, quod alia antiqua feuda non habent. n. 600.

Consentientibus agnatis posset etiam ex feudo antiquo fieri novum. f. eod. n. 601.

Si Feudum per Feloniam apertum de novo concedatur, remissâ culpâ, & non exspectatâ Judicis Sententiâ, (si eà opus sit) censetur manere antiquum; si verò non sit opus Sententiâ, vel ea jam lata, fit novum, nisi concedatur in vim antiqui, saltem per verbum: *Reddimus. Restituimus.* f. 250. n. 602.

Fit etiam quandoq; Feudum ex antiquo novum Refutatione seu Cessione. f. 251. n. 603. ubi vide multiplicem distinctionem.

Fit etiam Feudum novum, si refutatum in favorem extranei concedatur his verbis: *Concedo prout refutans illud possederat*: quia verba videntur intelligenda de pertinentijs ad rem feudalem, non de formalitate Feudi antiqui. f. eod. n. 604.

Si Vasallus sua bona allodialia traderet domino directo, petens ut ea faciat Feudalia, incorporando antiquo feudo quod jam habebat, fieret Feudum adæquatè antiquum. f. 251. n. 605.

Quando Feudum mutaretur ex una specie in aliam, v. g. ex Masculino in Fœmininum, ex Providentia in Hæreditarium, fieret eatenus novum, quatenus mutatum est. f. 251. n. 606.

In dubio, an Feudum sit Novum vel Antiquum, tale præsumitur, quale prætendit esse Possessor, nisi contrarium probetur. f. 252. n. 607.

Regale Feudum est Regalis dignitatis, ut puta Regni, Electoratûs, Archiducatus, Ducatus, Marchionatus, Comitatus, & etiam, ut multi. volunt, Baronatus, à Papa, Imperatore, vel alio Principe Superiorem non recognoscente concessum. Germanicè, Fahnen-Lehen. Inferiores etiam Principes quandoque Regalia concedunt ex potestate à Supremo concessa. f. eod. nu. 608.

Feudum Nobile est, quod Personam accipientis Nobilitat, vel ex annexis nobilem arguit. fol. eod. n. 609.

Ecclesiasticum Feudum est, quod Ecclesia per suos Prælatos ab alijs, etiam sæcularibus, tenet & recognoscit. Item quod ab Ecclesiastica Persona saltem Ecclesiæ nomine datur. f. eod. n. 610.

Feudum hæreditarium est illud, quod vigore Investituræ accipitur pro se & hæredibus quibuscunque, tam *suis*, quàm extraneis, sed masculis. f. eod. n. 611.

Feudum ex Pacto & Providentia est, quod accipitur pro se & filijs seu liberis, nullâ factâ mentione hæredum quà talium. Vocatur etiam *Familiare*, & est maximè proprium. eod. Mixtum est, quod de utroque participat, quatenus accipitur pro se, liberis, & hæredibus extraneis, sed masculis.

Feudum ex Pacto & Providentia manet tale, nec fit simpliciter hæreditarium, concessum *pro se & hæredibus*, adeoque non defertur successoribus Jure hæreditario, sed manet in propria feudi natura, cum hac limitatione, ut illud filius obtinere non possit, nisi patri sit hæres. & ità in Germania receptum est. Casu quo tamen filius non esset hæres, devolveretur ad reliquos agnatos, etiamsi isti non essent hæredes. f. 252. nu. 612. & seqq. Est etiam Feudum ex pacto & providentia, etiamsi postea in clausulis executivis insereretur vox, *Hæredibus*. f. 253. n. 615.

In dubio Feudum non præsumitur Hæreditarium, sed ex Providentia, nisi consuetudo habeat, ut plera-

ut pleraque: sint hæreditaria. fol. 253. num. 616.

Feudum *Cameræ* dicitur concedi, quando conceditur in Feudum certa summa pecuniæ singulis annis ex Camera sua, seu thesauro, vel alio Reditu. Huic simile est Feudum *Cavenæ*, si conceditur quantitas; v.g. vini vel frumenti singulis annis ex Cellario, vel horreo præbenda. Horum possessio acquiritur tribus solutionibus. f. 253. nu. 617. Si Camera vel Cavena exhauriretur ex culpa Principis, tenetur ex alijs bonis solvere: secùs: differretur solutio, usque dum Camera abundaret. n. 618. Transit hoc feudum in hæredes dantis, in quo differt à Feudo *Soldatæ*. quod in solidorum donatione consistit communiter. f. 254. n. 619.

Impropriorum Feudorũ prima species est, *Ligium*, concessum à non recognoscente Superiorem, eo pacto, ut promittat fidelitatem adversùs omnem hominem, nemine præter propriam personam excepto, subijciendo se & omnia allodialia Jurisdictioni investantis. unde nec Imperator excipitur. f. 254. nu. 620. De rigore non est compossibile cum alio alterius Domini, nisi fortè ex post facto, ità ut duas personas gerat, quod tamen difficile est. n. 621. Non potest hoc feudum invito domino refutari, cùm & ipsa persona sit subjecta. eod.

Altera improprij Feudi species est Feudum *Francum*, quod Ligio opponitur, quia conceditur cum immunitate ab alijs Servitijs in investitura non expressis. Juramentum fidelitatis præstat, nisi remittatur, & eo remisso adhuc ex Justitia tenetur ad fidelitatem. n. 622.

Tertia species est, *Fœmineum*, in quo etiam fœminæ succedunt, quia vel à fœmina tanquã prima Vasalla acquisitũ est, vel in Investitura expressum. Si ab aliqua ascendẽte fuit primò acquisitũ, vocatur *Maternum*. Germanicè Gunckelehen. fol. eod. n. 623. Huc revocatur aliquod mixtum, à paucis agnitum, quod simul conceditur Marito & Uxori, ut si fortè sola filia superstes esset, feudum pro dimidia parte esset apertum. eod.

Quarta improprij feudi species est, *Feudum Conditionatum*, quãdo in Investitura certa servitia præstanda exprimuntur. quò pertinet Feudum *Aulicum*, obligans ad officia aulica, ut Mareschalli, Pincernæ, Dapiferi &c. fol. 255. n. 624. Si servitia expressa talia sint, ad quæ alij Vasalli non adstringuntur, non hoc ipso cætera communia excluduntur. eod.

Quinta species est, Feudum Castrense, Germanicè Burglehen obligans ad Castrum defendendum. fol. eod. n. 625.

Sexta, Feudũ non Jurabile, in quo remittitur Juramentum fidelitatis. eod.

Septima, Feudum temporale, ut Guardiæ, Castaldiæ, Cancellariæ. fol. eod. n. 626.

Octava, Feudum emptum, Pignoratitium. Germanicè, Beutellehen. fol. eod. n. 927.

Feudorum materia, à quibus dari & accipi possint.

Quamvis in mobilibus feuda constitui non possint per se, in consequentiam tamen talia venire possunt. fol. 256. n. 628.

Possunt in feudum concedi res utiles secluso solo, ut Superficies, Ususfructus, Servitutes, Molendina, Arbores, Sylvæ. fol. eod. n. 629.

Immobilibus æquipollent annui reditus de Camera vel Cavena, & alij ad annos saltem decem. Item actiones reales & personales ad rem immobilem tendentes. fol. eod. n. 630.

In consequentiam rei feudalis veniunt omnia, quæ unà cum re venderentur, & quæ reperiuntur ibi ad hoc destinata, ad rei utilitatem capiendam. fol. eod. n. 631.

Si non expressè pactum esset, quòd sola superficies concedatur: tunc concessâ v.g. sylvâ, vineâ: &c. etiam solum concessum censeretur, nec feudum resolveretur vineâ destructâ. fol. 257. n. 632.

Vectigalibus in feudum datis etiam caducitates concessæ censentur. fol. eod. n. 633.

Concesso Castro etiam jurisdictio annexa Castro concessa censetur, item Jus Patronatûs & similia annexa. fol. eod. n. 634. Item arce datâ, tota Toparchia concessa censetur. n. 635.

Juramentum adjectum contractui feudali putatitio, per Juris errorem non obligaret, quia contractus esset nullus. fol. eod. n. 636.

Re feudali evictâ, pretium solvendum Vasallo non esset feudale, sed allodiale. fol. 258. n. 637.

Imperator potest in feuda dare bona, quæ immediatè sunt in dominio Imperij, non solùm illa quæ jam antè solebant in feudum dari, sed etiam quæ nunquam data fuerunt. vocantúrque, *Demanialia*. item Regalia; sed sine gravi præjudicio Imperij. fol. 258. n. 639.

Feudum in discordia collatum, esset in suspenso, pendens ab eventu approbationis illius Imperatoris qui contulit. eod. Etiam deposito Imperatore feudum collatum persisteret, & à successore esset confirmandum. fol. eod. n. 640.

Omnes illi qui feuda habent, possunt hæc alteri in feudum dare. fol. eod. n. 641.

Dux non potest Ducatum totum alteri in feudum dare sine consensu supremi Principis, partem autem potest, sed sine detrimento dignitatis aut ditionis. fol. 259. n. 641.

In feudum dare possunt omnes, qui suorum allodialium liberam habent administrationem, etiam Rustici. fol. eod. n. 643. Fœminæ etiam in feudate possunt, nisi impudicè vivant, & bona dissipent. n. 644.

Minores sine Curatoris auctoritate non possunt dare novum feudum, ità ut ipsi obligentur: possent tamen legitimâ ætate superveniente contractum confirmare. Possunt antiqui feudi investituram absque Tutorum & Curatorum Auctoritate facere, quia sic non alienant. eod.

Clericus potest patrimonialia & quasi in feudum dare. fol. 260. n. 648.

Prælatus perpetuus potest rem suæ Ecclesiæ vel mensæ (non tamen ipsas Ecclesias aut Monasteria) servatis

servatis solenuitatibus, cum quibusvis pactis in feudum dare. fol.eod. n.649. Item potest Terrulas exiguas de oovo absque soleonitatibus in feudum dare, sicut & loca nunquam culta ijs à quibus recenter ad cultoram redacta sunt. eod. Potest item res Ecclesiæ vel meosæ suæ in feudum concedi solitas, & sibi vel Ecclesiæ apertas, denuò absque solenoitatibus in feudum alteri concedere. eod. Si tameo res antè inculta cultior effecta ad Ecclesiam reverteretur, vel Ecclesia ad paupertatem redacta indigeret, non permittitur nova infeudatio nisi cum consuetis alieoationis solennitatibus. eod. Non potest Prælatus feudum sibi apertum personis alterius conditionis in feudum dare quàm fuerint priores Vasalli, nec pacta antiquæ investituræ immutare, vel oova superaddere, nisi in evidentem Ecclesiæ otilitatem, vel ob specialia merita Vasalli. eod.

Capitulum, etiam Sede non vacaote, potest rem suæ Ecclesiæ propriam, & non cum Episcopo communem, ad se reversam de novo io feudum dare. Sede vacaote non potest Capitulum res communes infeudare. fol.260. n.650.

Si Dominus dat feudum servo,facit eum liberūSi Pupillo aut Minori datur fine Tutoris auctoritate, claudicat contractus, donec in debita ætate confirmetur. fol.eod. n. 651. Si filiosfamilias detur feudum, pater non acquirit in eo usumfructum. n.652.

Mutus,Surdus, Cæcus,Claudus,alijque corpore vitiati,feudum paternum retinent. fol.261. n.653.

Clericus quoque potest à Laico feudum accipere. Obsequia tamen per alium præstabit. Monachus feudum mooasterio acquirit. fol.eod. n.654.

Feudorum acquisitio per Investituram & Præscriptionem.

Investitura est basis & fundamentum Feudi, si quid io illa cootinetur derogaos naturæ feudi, obtinet. Definitur Investitura ; Soleonis actus per quem Vasallus Domioo ad fidem obligatur, & in rei feudalis possessionem mittitur. Imptopria seu abusiva est, quando dominus alio in loco quàm io præsentia rei feudalis,vel non traditā possessione Gladium,Hastam &c. porrigendo,dicit se investire. fol.262.n.655. Per abusivā iovestiturā noo inducitur vera possessio, sed datur vasallo licentia apprehendendi propriā auctoritate possessionem. nu. 656.

Ad abusivam investituram requiritur pro solennitate, ut fiat vel intervenientibus Paribus Curiæ, vel per breve Testatum à Paribus Cutiæ subscriptum, si Dominus adhuc in possessiooe est: si verò Vasallus, sufficit ab extraneis esse subscriptum, ut probet. Quæ solennitas etiam requiritur, quando Clerici investiunt de bonis proprijs. Nam si de rebus Ecclesiæ, valet investitura etiam testibus extraneis adhibitis. Defectus Parium Curiæ per extraneos suppletur. f. 263. n. 657.

Domino inficiante investiturā factā,si convincatur de mendacio,sustinetur investitura etiam non soleoniter facta. eod. Si Dominus probet, defuisse Pares Curiæ, potest feudum revocare, etiamsi instrumentum subscriptum sit ab extraneis. eod.

Si Vasallus per annum possidet sciente & patiente domino, creditur Vasallo juranti se investitum esse ; si minus anno, requiritur juramentum purgatorium. f. 264. n. 658.

Per abusivam Investituram tunc acquiritur possessio & dominium, quando in præsentia rei feudalis facta est investitura. f. eod. nu. 659. Alioquin si non esset collata possessio investito abusivè, & alius realiter investitus, iste præferretur, nisi secunda investiturā facta esset in fraudem prioris, vel si prior pro pretio, secundus gratis investitus esset n.660.

In re homogenea sufficit partem possedisse, non item in heterogeneis, nisi principale possessum esset, & cætera essent accessoria. f. 264. nu. 661.

In dubio præsumitur facta possessionis translatio per Investituram abusivam. f. eod. nu. 662.

Clausula investituræ inseri solita: *Salvo jure alterius*: liberat dominum ab obligatione de evictione. f. eod. n. 663. Clausula : *eo modo quo priores habuerunt*: si oon constet de modo, habetur pro non adjecta. o. 664. ubi vide limitationes. Clausula : *propter merita, & servitia præstita*: hoc operatur, ut feudum nec Vasallo nec posteris possit ob ullam feloniam auferri. num. 665. ubi vide plures clausulas utiliter adijciendas.

Ignoranti Vasallo à quo sit investiendus, Jure Bavarico constituit Judex terminum intra quem inquirat dominum : eo non reperto, jurejurando hoc ipsum affirmabit, quo præstito, per annum & diem fruetur feudo : & necdum reperto domioo iterum in Judicio comparebit: quo facto accipiet iovestituram à Principe : si postea compareat dominus, feudum deinceps concedet. f. eod. nu. 666.

Si Vasallus abusivè investitus non potest consequi possessionem, potest dominum conveuire vel ad interesse, vel ad aliud æquivalens concedendum, vel ad æstimationem. f. 265. n. 668.

Successor Domini Laici tenetur investituram conditiooatè, & in eventum apertionis factam confirmare, non item successor Clerici in beneficio. f. eod. n. 669. ubi vide disparitatem.

Ex pluribus filijs aut Successoribus singuli investituram petere debent, nisi in divisione ad unum solum devenisset. f. eod. n. 670. nbi aliqui casus.

Renovatio investituræ est feudi legitimè acquisiti, ob dominum aut Vasallum mutatum, soleoniter promissione fidelitatis intervenieote facta confirmatio. f. 266. n. 671. Renovatione opus est, si vel dominus feudi, vel Vasallus mortuus est, vel alia ratione mutatus. eod.

Si emptor dominij directi moriatur, superstite venditore, non petit vasallus ab hærede emptoris in vestituram, quia prior sufficit. fol. 166. n. 672.

Renovatio Investituræ ultrò petenda està vasallo vel successore, nec exspectanda Citatio. fol. eod. n. 673. Soli immediati, ad quos feudum aliquo modo pertinet, petere debent investituram. 674. Cui accrescit alterius non investiti pars, non tenetur renovationem investituræ petere, si jam antè in sua parte fuit investitus. 675.

Pubertati proximus non tenetur sub pœna caducitatis petere investituram ante completum decimum quartum annum. fol. 167. n. 676. In fendo individuo excusabitur major intuitu minoris ob neglectam petitionem renovationis. n. 677. Quatuordecim annorum ætas etiam fœminis conceditur. eod.

Quamvis de rigore posset renovatio per procuratorem peti, si tamen ex rationabili causa requireretur vasalli præsentia, deberet comparere, & consuetudo habet, ut ipse compareat. fol. 167. nu. 678.

Petenda est renovatio ab immediato dominó, etiam pupillo, saltem ab illo, quem suo nomine dominus constituit. Idem dicendum de subinvestito. fol. eod. n. 679.

Si plures sint immediati domini, sufficit peti renovationem ab uno, quem ipsi elegerint, vel si non eligunt, quem vasallus eligit. fol. eod. n. 680.

In Imperio consuetudo habet, ut pro instrumento renovationis aliquot floreni, non quidem domino, sed Cancellariæ solvantur. Jure Bavarico 7. fl. 14. kr. fol. eod. n. 681.

Posset renovatio fieri etiam extra territorium Domini, sed petenda est in loco consuetæ habitationis, aut si non procul absit. fol. 168. n. 682 Inspecto jure videntur testes, saltem extranei, requiri. eod.

Ad petendam renovationẽ indulgetur paganis annus & dies, militibus annus & mensis. Intra quod tempus tenetur nihilominus vasallus ad servitia. fol. eod. n. 683. Incipit tempus currere à die Scientiæ, quòd feudum sit apertum, & est continuum etiam quoad dies feriatos, sed tamen utile. n. 684. Non potest Vasallus, de rigore juris, purgare moram celeri satisfactione. n. 685. Si dominus petentem vasallum negligat investire, non videtur propterea cadere jure dominij, quamvis hoc plures putent: quorum auctoritati si deferendum est, incipiet domino tempus currere à die petitæ renovationis. n. 686.

Si vasallus intra hoc tempus moriatur, successori redintegratur. fol. 169. n. 687. An idem dicendum, si dominus intra illud tempus moriatur, communiter asseritur, etsi dubitari posset. eod.

Si ob inimicitias non potest Vasallus tutò adire dominum, non tenetur Renovationem investituræ petere per Procuratorem, nisi inimicitiæ culpâ Vasalli contractæ essent, quo tamen casu non tenetur cum periculo in propria persona adire. fol. 169. n. 689.

Minor potest neglectâ petitione juvari per Restitutionem in integrum. f. 180. n. 690.

Si Vasallus privatus esset feudo ob neglectam petitionem ex comuni errore, quòd Dominus esset mortuus, qui tamen postea compareret, esset postea restituendus: quia contemptus affectivus non sufficit. f. eod. n. 691.

Si feudum sit hæreditarium, Vasallo incipit tempus primùm currere post aditam hæreditatem. f. eod. n. 692.

Pendente electionis jure post defunctum dominum, v. g. Regem vel Prælatum, tempus Vasallo non currit. eod.

Quodvis feudum, & contra quemvis, præscribitur tempore immemoriali. Contra verum Vasallum tempore ordinario, vel spatio 30. annor. Præscriptio contra verum Vasallum in feudo hæreditario nocet filijs Vasalli, non item in feudo ex providentia. quod etiam post 80. annos revocari potest. Habens titulum à domino feudi, præscribit feudum contra dominum tempore Ordinatio. habens titulum à Vasallo, 30. annis contra dominum. f. eod n. 693.

Feudalis Fidelitas inter Vasallum & Dominum.

Juramentum fidelitatis non obligat ad serviendum domino in casu, quo Pietas vel alia virtus prohibet obsequium præstari, v. g. contra parentes: quamvis non repugnet, licitum fieri hujusmodi obsequium salvâ pietate. f. 172. n. 695.

Si quis habeat successivè feuda à diversis, prior est præferendus ex communi opinione, quamvis defendi possit, neutrum alteri præferendum. fol. eod. n. 696. & f. 173. n. 703.

Contra sanguine junctos non videtur obligare juramentum pro casu, quo quidem licita essent obsequia, sed adeo naturali affectui repugnantia, ut moraliter esset inobservabile. f. eod. n. 698.

Obligationes Vasalli reducuntur ad sex. quæ his verbis indicantur; Incolume. Tutum. Honestum. Utile. Facile. Possibile. f. eod. n. 699.

Vasallus debet etiam pro viribus impedire, ne dominus ab alijs lædatur, & servire debet eidem etiam offensivè se habenti. eod.

Obligatur Vasallus, etiamsi non expressa obligationum mentio facta esset, nisi expressè remittantur f. 173. n. 700.

In privata rixa, tendente ad privatam vindictam, aut in illicito duello, non tenetur assistere & juvare. eod.

Tenetur juvare dominum sua defendentem etiam extra territorium, modò bellum geratur remotè à possessionibus vasalli. tenetur etiã proprijs impensis, si feudum sit pingue, & bellum non geratur procul. fol. eod. n. 701.

Vasallus

Vasallus Vasalli debet suo immediatò præstare servitia, etiamsi dominus principalis bellum gerat. eod.

Habens Feuda à diversis, simul tamen servitia requirentibus, tenetur singulis servire si potest, secùs, antiquiori: si hoc non cònstet, primò requirenti: si simul requirant, magis indigo, aut cujus feudum pinguius est. fol.eod. n.702.

Si plures Vasalli ejusdem feudi sint,& servitium dividuum, quivis pro rata servitium debet: si individuum, eligent unum idoneum, qui omnium nomine exhibeat. fol.eod. n.704.

Feudo ipsi domino oppignorato & tradito, liberatur Vasallus à servitijs. eod.

Non ad servitia cum certissimo vitæ periculo proximè coniuncta. fol.274. n.705.

Casu quo dominus indiget servitijs, nec tamen potest Vasallum requirere, tenetur Vasallus ea præstare etiam non requisitus, alioquin est requirendus, & quidem tribus vicibus, ut in mora constituatur, & insuper indulgendum tempus se parandi. eod.

Si Vasallo nimis difficile foret in propria persona ea præstare, liceret per substitutum. Quodsi minùs habilem mittat, non committet feloniam, nisi dominus contra protestetur. eod.

Si Vasallus maluerit dimidiam partem redituum illius anni præstare, non tenetur ad alia servitia. f. 274. n. 709.

Ut contra præstanda servitia præscribatur, necesse est, ut dominus requisiverit, & Vasallus bonâ fide non præstiterit, vel dominus alios Vasallos vocaverit, non item hunc intra 30. annos. f.eod. n. 710.

Si Vasallus serviat longissimo tempore non totâ integritate, v.g. solùm cum duobus equis, cùm deberet cum 4. præscribit libertatem, si dominus ignoravit sibi deberi cum 4. equis servitium: si verò ideo non requisivit, quia non indigebat, & Vasallus præstitit tanquam partem obsequij debiti, nihil præscribit. eod.

Domino merenti stipendium militare apud alium, non tenetur Vasallus servire. f. 275. n. 711.

Licitum est Vasallo fugere in prælio, si alioquin certò occidendus est, etiamsi ex occasione hujus fugæ Dominus interficiatur: sed casus est vix possibilis, cùm teneatur subire commune periculum cum domino. eod. Fugiente domino in prælio, licitum est etiam vasallo fugere: non tamen sub prætextu, quòd per suam fugam non augeatur periculum domini. f. eod. n. 712.

Tenetur Vasallus arcere inimicos domini, hospitium illis denegare, ab eorum consuetudine abstinere, illis per se suósque resistere. f. eod. num. 713.

Vasallus non tenetur Dominum egentem alere, aut captum redimere, nisi propter Vasallum ad inopiam redactus esset: & tunc tenetur solùm ex fructibus feudi. eod.

Vasallus non potest contra dominum instituere Actionem famosam, benè tamen Interdictum, *Unde vi*. f. eod. n. 714.

Sine sufficienti fundamento asseritur, quòd Vasallus teneatur conferre ad dotandam filiam domini non habentis, unde dotet. f. eod. n. 715.

Tenetur Vasallus domino concedere servitutem Itineris & Viæ per fundum feudalem ad fundum domini absque pretio, si aliter non possit sine incommodo pervenire f. eod. n. 716.

Vasallus tenetur Domino petenti non solùm Investituram & titulum possessionis exhibere, sed etiam fines & terminos indicare. f. 276. n. 717.

Vasallus tenetur dominum transeuntem hospitio excipere, & victualia pro pretio dare, nec licet exigere vectigal. f. eod. n. 718.

Dominus econtra tenetur Vasallo auxilia præstare, abstinere ab accusando (nisi Reipublicæ bonum exigat) aut testimonium exhibendo, aut advocando. &c. f. eod. n. 719.

Dominus non potest invito Vasallo proprietatem alienare. f. eod. n. 720.

Feudorum acquisitio per Successionem & Jus accrescendi.

Ab initio nulla dabatur in feudo successio, postea moribus & legibus introducta & extensa. Non habet locum in feudis personalibus. In feudis Regalibus etiam successio introducta est, exceptis personalibus. f. 276. n. 721. & seq.

Successio in feudo ex Providentia est singularis, in hæreditario universalis. f. 277. n. 723.

In feudo hæreditario nec filius nec agnatus potest repudiatâ hæreditate succedere. Filius autem ne quidem in feudo ex Providentia potest succedere repudiatâ hæreditate, ob reverentiam patri debitam. f. 277. n. 724. & seqq.

Ex feudo hæreditario tenetur Vasallus etiam confecto inventario ad solvendum æs alienum, si allodialia non sufficiant. Quod etiam procedit in feudo mixto, in quo soli masculi succedunt. fol. 278. n. 729.

In omnibus casibus in quibus habet locum Jus accrescendi, post portionem jam semel acquisitam & amissam, multò magis habet locum Jus accrescendi ante portionem acquisitam. f. 279. num. 730. Si gratis promissum est feudum, Jus accrescendi locum non habet ante portionem quæsitam, benè tamen, si pro pretio competente. n. 731.

In feudo novo regulariter & per se loquendo non est locus juri accrescendi, sicut nulla est lateralium successio: nisi in ultima voluntate pluribus conjunctim certa res jure feudi legata esset; vel in investitura concessum esset, vel nisi res individua pluribus eâdem formulâ concessa esset: sed tunc æstimatio portionis accrescentis domino solvenda est. f. 279. n. 732. & seqq.

In feudo antiquo locus est juri accrescendi, quamvis succedens eandem portionem simul etiam jure

jure successionis acquirat. fol. 180. num. 735.

Fæminæ regulariter non succedunt ab intestato in feudo. Ex feudo tamen purè hæreditario debetur filiabus legitima: non item ex feudo mixto, si gratis concessum est. f. 281. nu. 738. & seq. sicut nec ex feudo ex pacto & Providentia seu novo seu antiquo, gratis concesso. f. 281. n. 740.

Ex feudo empto pecuniâ patris pro filijs, tenentur filij sororibus conferre æstimationem in legitimam, si major pars substantiæ paternæ in emptionem feudi conversa est, ut propterea filiæ legitimam habere non possint. f. eod. num. 741. & seqq.

Ex feudo fæmineo legitima debetur, si filiæ æqualiter cum filijs succedunt, si verò non nisi in defectum filiorum, & si gratis concessum, non debetur. f. 283. n. 745.

Si nulla hæreditaria bona exstent, æquum, & usu receptũ est, ut alimenta & dos ex feudo filiabus constituantur non solùm à fratre, sed etiam à quovis agnato, imò etiam à domino, casu quo feudum aperiatur. eod.

Ad successionem nullus admittitur, nisi ex primi requirentis sanguine legitimè prognatus. Unde excluduntur adoptivi, illegitimi, & ex his descendentes etiam legitimi. fol. 283. n. 748. Neque legitimatio Principis per rescriptum prodest, sive ante sive post acquisitionem facta, nisi adhunc ipsum finem fieret, exigente bono publico, & ex plenitudine potestatis. n. 749. De legitimatis per subsequens matrimonium, praxis habet, ut succedant. n. 750.

In feudis per se loquendo non succedunt inidonei ad obsequia præstanda, nisi post jus jam quæsitum tales evasissent. fol. 284. n. 751.

Clerici in sacris constituti, inspectis Juribus, à successione arcentur in feudis non hæreditarijs: sed consuetudo habet contrarium, modò per alium præstent servitia. Religiosi capaces dominij non excluduntur à successione & retentione feudorum, Professionem emittant. fol. eod. n. 752.

Infames non succedunt in feudis habentibus annexam dignitatem, benè tamen in alijs. fol. 285. n. 753.

Descendentes succedunt, sive Sui sive emancipati, sive ex eodem sive ex diverso matrimonio nati, sive exhæredati, sive præteriti. fol. eod. n. 755. Consanguinei non excluduntur à Germanis. n. 757. Neque excluduntur justè exhæredati, quia non est necesse, esse hæredes, nec enim repudiant hæreditatem. fol. 286. n. 758. & seqq.

Si consuetudo aut statutum habet, ut filij secundi matrimonij contenti sint cum Morgengeba, non succedunt in feudis. fol. eod. n. 760

Filij succedunt in capita, Nepotes verò in stirpes, etiamsi soli succedant. Regalia tamen non dividuntur, sed solus Primogenitus succedit. fol. eod. n. 761.

Si habens Regale feudum, relinquat ex primogenito Nepotem cum secundo genito, Nepos ob jus repræsentationis præfertur. fol. 287. n. 762. & seqq. Jus repræsentationis in infinitum extenditur. n. 765.

Ascendentes non succedunt in feudo in defectum descendentium, nisi in uno casu, nempe si pater in favorem filij feudum refutâsset, & filius ante patrem sine descendentibus succederet, tunc enim feudum ad patrem reverteretur. fol. 288. n. 767.. & seq. & filij defuncti frater à patre excluderetur. n. 770.

In contractu feudali nomine *Filij* etiam Nepotes veniunt. fol. 289. n. 771.

Collaterales non succedunt in feudo novo quà novo. si tamen concessum esset ut antiquum, succederent. fol. eod. n. 772. Unde si duo fratres simul investiti essent, uno sine liberis defuncto pars ad dominum rediret. eod.

In feudis antiquis collaterales succedunt in defectum descendentium, sed non nisi per lineam masculinam conjuncti, & ab eodem patre progeniti. fol. eod. n. 223. Primo loco veniunt fratres tam germani quàm consanguinei, & si soli sint, in capita, si verò cum fratrum filijs concurrant, isti succedunt in stirpes, & jure repræsentationis. n. 774. Si nulli fratres supersint, sed Nepotes fratrum in numero inæquali, usu receptum est, ut in capita succedant. eod. Nepotes excludunt patruos Vasalli defuncti, hoc est, sui avi fratres. fol. 290. n. 775.

Deficientibus fratribus, eorúmque descendentibus, reliqui agnati lineâ & gradu proximi admittuntur, etiam illi qui ascendentium loco sunt, ut patruus magnus. fol. eod. n. 776.

Agnati non quomodocunque sanguine proximi, sed qui lineâ proximi sunt, exclusis alijs æquè sanguine propinquis, sed alterius lineæ, succedunt. fol. eod. n. 777.

An in gradibus computandis computatio Canonica an Civilis sequenda sit, consuetudo inspicienda est. Opinio communior stat pro computatione Juris Civilis. fol. 290. n. 778. Consuetudine Germaniæ receptum est, ut Collaterales in infinitum admittantur. f. 291. n. 780.

Fæminæ succedunt in feudo fæmineo ex ipsa feudi hujus natura & qualitate. f. 291. n. 781. Non benè tamen hoc extenditur ad illa feuda, quæ à Fæmina domina masculo conceduntur, quia præsumitur non voluisse à propria feudorum natura recedere. Neque etiam est extendendum ad feudum francum: neque ad feudum conditionatum. Neque ad feudum emptum de jure communi, benè tamen de jure Bavarico. f. 292. num. 782. & seqq. Imo fæminæ non succedunt in feudo fæmineo nisi deficientibus masculis, quando scilicet ex fæmina primò accipiente, nulli ampliùs masculi exstant. f. 293. n. 786. Quod verùm etiam est, etiamsi in Investitura dictum esset: *Pro masculis & fæminis.*

Probabi-

Probabiliter tamen æqualiter succederent, si dictum esset: *Masculis cum fæminis*. n. 787. Denique præferrentur Masculi, etiamsi feudum jam sæpiùs ad fæminas transiisset. n. 788.

Si duo fratres feudum novum acquisierunt pro se & hæredibus suis masculis, &, his deficientibus, etiam fæminis, eo tenore, ut & fratres, alijque collaterales sibi invicem succedant, filiæ ex uno fratre descendentes alium fratrem ejusque hæredes masculos à successione in parte feudi paterni excludunt. fol. 293. n. 789.

Fæmina semel admissa ad successionem, non repellitur à Masculo superveniente. fol. eod. n. 790 ubi vide casus. Fæmina semel exclusa perpetuò est exclusa. fol. 294. n. 793. Non excluderetur tamen fæmina à Masculo, qui vel in partu mortuus, vel tali tempore natus esset, ut vivere per rerum naturam non posset, vg. sexto Mense. fol. 295. n. 795. Neque excluderetur, si masculus feudum repudiaret, aut ex alia causa illius incapax esset. Multò minùs in feudo hæreditario semel exclusa excluderetur perpetuò, si postmodum ad hæreditatem vocaretur. eod.

Ex testamento non succeditur in feudo non hæreditario. Neque Princeps posset hujusmodi dispositionem validare, nisi publica necessitas requireret. fol. 295. n. 796. Statuto tamen vel consuetudine posset hujusmodi successio introduci: item pacto alienandi adjecto investituræ. n. 797. & seq.

Factâ potestate amplissimâ alienandi, posset tale feudum alienari jure allodij: & hoc jus transiret ad hæredes. fol. 296. n. 798. Secluso hujusmodi pacto requireretur præter consensum domini etiam consensus agnatorum in feudo antiquo, & eorum qui in prima investitura comprehensi sunt. n. 799.

De feudo novo ne quidem cum consensu domini posset pater testari in præjudicium filiorum. eod.

Feudum Ecclesiasticum non posset alteri Ecclesiæ legari. fol. eod. n. 800. Nec valeret dispositio, etiamsi ea cederet in maiorem domini utilitatem, nisi consentiret. n. 801.

Feudorum Alienatio & Revocatio.

Alienatio feudi sine consensu Domini facta, est ipso jure nulla. fol. 297. n. 802. Etiamsi Vasallus posset ex pacto alienare feudum etiam quoad proprietatem, non posset tamen sibi ipsi appropriare. fol. 298. n. 803.

Vasallus in extrema vel gravi necessitate aliter indeclinabili, posset etiam invito domino feudum alienare, sicut posset accipere res alienas. fol. 298. n. 804.

Si plures sint Domini, omnium consensus requiritur, alioquin pro parte eorum qui contempti sunt, feudum committetur. fol. 298. n. 805. & fol. 305. n. 824.

Factâ potestate alienandi quoad totum, non licet alienare quoad partem. fol. 299. n. 806.

Prohibitio alienationis extenditur ad omnem Juris realis translationem. eod. ubi vide alienationum species. Pretium feudi illicitè venditi aliqui adjudicant Domino, alij Fisco. eod.

Divisio Feudi Regalis est etiam prohibita alienatio, non item feudorum inferiorum, adeo ut nec pactum de non dividendo valeat: & si juratum esset à filijs, nepotes non tenerentur. f. eod. n. 807. Ad divisionem faciendam satis est ab uno provocari. eod.

Vasallus non potest in feudo constituere filiæ dotem, etiamsi aliunde non habeat, unde dotet. fol. eod. n. 808. Potest tamen uxor dare marito feudum in dotem, quia dominium naturale manet penes uxorem, & hoc casu maritus præstat nomine uxoris Juramentum fidelitatis. eod.

Non potest Vasallus dare feudum in Emphyteusin ad longum tempus, etiamsi videretur meliorem facere conditionem feudi. fol. 300. n. 809. Idem de alijs servitutibus negandum est, præsertim Jure Bavarico. n. 810.

De Locatione ad longum tempus, quæ communiter dicitur alienationis species, plerique dicunt eam non licere, sed verisimilius est, eam licere. fol. 301. n. 812.

Oppignorare feudum Vasallo non licet, per se & regulariter loquendo. Potest tamen oppignorare domino directo, ità quidem, ut antichresi locus sit. f. eod. n. 813. Item si necessaria esset oppignoratio ad præstanda obsequia, nec posset consuli dominus, etiam liceret alteri oppignorare ex tacito domini consensu. fol. 302. n. 814. Si cum consensu domini oppignoraretur, feudo ad dominum reverso maneret tamdiu obligatum, donec satisfieret creditoribus. n. 815. & seqq. Consensus domini extenderetur etiam ad usuras solvendas, nisi expresè ad sortem restrinxisset. f. 303. n. 818.

Probabiliùs nec Hypotheca valeret facta inscio & invito domino. fol. 304. n. 819.

In Oppignoratione omnium bonorum, sive ab homine, sive à lege facta, non comprehenduntur feuda. f. 304. n. 820.

Etiamsi Dominus in alienationem consentiens omittat clausulam: *Salvo jure dominij directi*: non propterea sibi præjudicat: fol. eod. n. 821.

Nunquam licet Vasallo ità transigere de feudo cum alio, ut possessionem alteri cedat, bene tamen si vi transactionis feudum retineat, ut possessionem acquirat. fol. 304. n. 822.

Factâ alienatione invalidâ ex defectu consensûs domini, si cætera adsint, potest tempore immemoriali præscribi, quia fundat præsumptionem tituli & consensûs. fol. 305. n. 823.

Subinfeudatus ut licitè alienet, debet habere consensum non solùm senioris, sed etiam subinfeudantis. fol. 305. n. 824.

Factâ generali potestate alienandi, non censetur concessa alienatio in illis casibus, pro quibus dominus verisimiliter in specie non fuisset concessurus. fol. eod. n. 825.

Facta potestas vendendi non extenditur ad alios alienandi modos; benè tamen apponi posset pactum legis Commissoriæ. eod.

Si factâ potestate alienandi non utatur Vasallus, ea non transit ad hæredes. Sed nec potest ab hæredibus domini revocari. fol. eod. n. 826.

Consensus tacitus consistens in scientia & patientia domini non sufficit. eod. specialis consensus in ipso contractu alienationis non requiritur, si in Investitura præstitus est. fol. 306. n. 827.

Alienatio absoluta sine consensu domini facta, non videtur per ratihabitionem aliter validari, quàm quòd nomine ipsius domini valeat, quia feudum est commissum. eod.

Potestas alienandi nō censetur restricta ad casum quo allodialia non superfunt, nisi alienatio fieret in fraudem domini. 306. n. 828. ubi casus.

Feudum licitè alienatum non potest dominus Jure protimiseos repetere oblato pretio. eod. Alienatum consentientibus agnatis revocari ab his non potest. n. 829.

Quando verò feudum alienaretur præsente & non contradicente agnato, non censetur consensisse nisi in alienationem revocabilem tempore devolutionis. fol. 307. n. 830.

Agnatis competit Jus Protimiseos, si feudum venditum est sine illorum consensu, sed eodem pretio, nisi expressè dixissent, se nolle emere. & Jus protimiseos durat per annum. fol. eod. n. 831.

Domino non licet, invito Vasallo, proprietatem alienare, ne quidem quoad partem. fol. eod. n. 832. Oppignoratio tamen valeret, si Spes esset Reluitionis. n. 8. 33.

Consuetudo habet, ut cùm totæ Curiæ, Castra, Jurisdictiones, Comitatus, cum omnibus suis Juribus & pertinentijs alienantur, vel ususfructus constituitur, Jura Vasallorum simul transeant. fol. eod. n. 834. ubi vide declarationem.

In Feudi novi alienatione non est locus ulli revocationi, sive sit hæreditarium, sive ex Providentia, si constet, quòd alienans voluerit præjudicare filijs & agnatis, quibus necdum Jus stabile est quæsitum. Si verò non constet, censetur noluisse filijs præjudicare, sed solùm ad tempus vitæ jus alteri cedere: In feudo antiquo & ex providentia semper locus est revocationi: si hæreditarium, tunc solùm est revocabile, quando hæreditas potest à feudo separari. Factâ revocatione non tenetur revocans pretium emptori reddere, quia jure succedit. fol. 308. n. 835. Jus revocandi durat 30. annis, sicut aliæ actiones à Jure introductæ. n. 836.

Feudorum Subinfeudatio.

Subinfeudatio est actus, quo vasallus feudum vel totum, vel aliquam partem alij in feudum legitimè concedit. Germanicè: Afterlehen. quod potest Vasallus facere, sine consensu Domini, ejusdem conditionis personæ, eâdem lege, & sine fraude. fol. 309. n. 837.

Inter feudum Novum & Antiquum hoc est discrimen, quòd in novo, mortuo Subinfeudante sine hæredibus successuris, possit subinfeudatus feudum retinere, si velit servitia domino seniori præstare. fol. eod. n. 838.

Si pro Subinfeudatione acciperetur pretium ultra dimidiam partem valoris, censeretur fraude actum: item si subinfendaret cessante spe hæredum acquirendorum. eod.

Ut Subinfeudatus sit ejusdem conditionis, sufficit, si possit æquè bene præstare servitia. fol. 310. n. 839.

Laxatis terminis in investitura non valet subinfeudatio quoad excessum, de reliquo valet. eod. Potest tamen terminos coarctare, & etiam plura servitia requirere. fol. eod. nu. 840. ubi exempla.

Potest Subinfeudatio fieri in infinitum, nisi consuetudo obstet. eod.

Subinfeudatio habet etiam locum in feudo Ecclesiastico. fol. eod. n. 441. Non potest tamen Ecclesia aut Civitas subinfeudari sine consensu domini, quia non reverteretur. eod.

Consuetudo habet, ut Vasallus feudum in Curre, vel in districtu Jurisdictionis possit subinfeudando alteri concedere. fol. eod. n. 842.

Pacto de nullo modo alienando, redderet subinfeudationem nullam, etiamsi non esset expressa, quia alioquin nihil operaretur. eod.

Subinfeudatus acquirit dominium quoddam utile, sed aliquo modo subordinatum cum omni commoditatum perceptione. Absolutè loquendo est Vasallus sub infeudantis. f. 311. num. 843. ubi vide declarationem.

Subinfeudantis lineâ finitâ, aut delicto, aut voluntate ejus feudo aperto, in effectu non aliter aperitur, quàm si subinfeudatus nolit debito tempore aut modo se Domino offerre, aut feudum ab eo recognoscere. f. eod. n. 844. ubi vide Exceptionem in Jure Canonico de non subinfeudando laico in decimis.

Feudorum Refutatio, & Divisio inter Vasallos.

Refutatiò Feudi est ejusdem Renuntiatio facta à Vasallo. Vocatur etiam Cessio. Et quidem propriè fit in manus Domini, impropriè in favorem agnatorum. f. 311. nu. 845. Alijs fieri non potest. eod.

Feudò novo refutato in manus domini, præjudicatur descendentibus. Feudo antiquo refutato, præjudicatur etiam agnatis, quamdiu refutans est in vivis, eo mortuo devolvitur ad eosdem. eod.

Sive novum sive antiquum refutetur descendentibus, tenetur eos dominus investire. Item si refutetur feudum antiquum proximiori descendenti ab eo qui primus feudum acquisivit, Quodsi fieret remotiori agnato absque consensu propinquioris, daretur proximo facultas redimendi feudum restituto pretio, si quod pro refutatione acceptum est, & hoc intra annum, secùs, si gratis esset facta. eod.

Potest autem fieri refutatio etiam invito domino, dummodo necdum sit in necessitate Servitiorum constitutus. f. 312. n. 847.

Mortuo eo cui est refutatum, v. g. filio ante patrem refutantem, feudum revertitur ad patrem. f. 313. n. 848. Mortuo eo cui tanquam proximiori est refutatum, potest revocare feudum, qui evadit proximus. eod.

Feuda possunt inter hæredes feudales dividi sine consensu domini, etiam in partes æquales, imò possunt uni soli cedi. Hoc tamen non procedit, si feudum primò & pro indiuiso concessum est, quia esset alienatio. f. 313. n. 849. Feuda majora dividi non possunt. n. 850.

In feudo novo non potest aliter fieri divisio quàm in partes æquales. Si feudum antiquum dividatur in partes inæquales, fraus cavenda est. eod.

Feudorum Amissio.

Jus ad Feudum acquirendum amittitur neglectu Investituræ intra terminum præfixum, annum & diem, & quidem ex culpa. f. 314. n. 851. & seq. ubi vide causas excusantes.

Amittitur etiam recusatione juramenti fidelitatis, item non præstando debita servitia. f. 315. n. 853. Item recognoscendo feudum ab alio quàm à domino, nisi vel ingnorantiâ vel gravi metu excusetur. n. 854. Item ob abusum. n. 855. Item si Vasallus feudum abneget domino, vel ejus conditionem, vel pacta. eod.

Amittitur item, si egerit contra formulam fidelitatis. f. 316. nu. 856. ubi vide exempla. Item si negaverit Domino facere justitiam sive respectu dominij directi, sive possessionis feudi, sive in causa criminali. n. 858.

Amittitur etiam, si deserat suum Dominum; aut incarceratum relinquat, non tamen si accusaverit de crimine læsæ Majestatis, vel contra Rempublicam: vel si suam suorúmque injuriam prosequatur, vel ex officio teneatur, ut Fiscalis. fol. eod. n. 859. ubi vide casus.

Amittitur etiam, inferendo Domino graves injurias reales, vel insidiando vitæ, sive per se sive per alium. f. 317. n. 860. Item alienando absque consensu domini quando is requiritur. n. 861.

Amittitur etiam, violando uxorem domini, aut alijs libidinibus familiam ejusdem fœdando. eod.

Vasallus amittit feudum, si Subinfeudatus offendat dominum, nec, à domino requisitus, adigat eum ad satisfaciendum. f. eod. n. 862. Item, si filium offendentem dominum non adducat ad satisfactionem, aut à se separet. eod.

Denique potest Judicis sententiâ feudo privari non tantùm ex causis jure feudali expressis, sed etiam ex similibus, aut majoribus. f. 317. n. 863. & seq. ubi vide casus.

Si Vasallus Domino necem machinatus spontè destiterit, non amittet feudum. Neque privabitur, si jure defensionis salvo moderamine occiderit. f. 318. n. 865. Neque si dominum cum uxore sua deprehensum occidat. n. 866.

Vasallus privaretur feudo etiam ob verbalem injuriam atrocem, sicut ob famosum libellum. eod.

In dubio an Vasallus contraxerit amicitiam cum inimicis domini in ejusdem perniciem, præsumitur pro Vasallo, donec dominus contrarium probet. f. 319. n. 867.

Habens feudum à duobus inter se bellum gerentibus, si præstaret obsequia antiquiori domino, excusaretur ob sententiæ faventis probabilitatem; sicut etiam, si neutri. item si utrique mitteret medietatem fructuum. f. eod. n. 868.

Non excusaretur Vasallus accusans dominum de crimine capitali, prætextu quòd crimen fuerit verè perpetratum. f. 320. n. 869. Excusaretur tamen, si accusaret in causa levi. n. 870. Minorennis accusans non excusaretur ætatis imprudentiâ, nec restitueretur. n. 871.

Vasallus non privaretur feudo, utens Interdicto *Vnde vi.* etiamsi vis non fuisset armata. f. eod. nu. 872. Neque judicans justè contra dominum in causa criminali. n. 873.

Ut Vasallus ob secretorum revelationem feudo privetur, non sufficit per imprudentiam excidisse, sed

Feudum

Feudum ex pacto & Providentia antiquum ob alienationem commissum, revertitur quidem ad dominum, & apud eum manet, quamdiu alienans vixerit, & ex descendentibus aliquis Superfuerit, his tamen deficientibus, ad proximos laterales revertitur. f. eod. n. 911.

Subinfeudatus in Seniorem delinquens, antequam feudo privari possit, à Subinfeudante compellendus est, ut Seniori satisfaciat, & reconcilietur. Si paret, feudum non amittit: sin minùs, feudum ad Subinfeudantem devolvetur: si verò Seniore exigente non fuit compulsus, feudum ab utroque auferetur, & ad dominum revertetur. fol. 334. n. 912.

Ut constet, ad quem spectent fructus naturales percipiendi post mortem Vasalli intra residuam anni partem, inspecto textu, si Vasallus moriatur uno ex his mensibus: Septembre, Octobre, Novembre, Decembre, Januario, Februario, fructus illius anni (qui numeratur à Calendis Septembris usque ad easdem exclusivè) ad dominum vel agnatos, quibus aperitur, pertinent: si verò in uno ex reliquis, ad hæredes Vasalli. f. 335. n. 913. & seqq. ubi vide magis practicam declarationem ex Fachineo.

Quoad fructus Civiles, ut sunt pensiones, expectandum est tempus cessionis: nam si jam cesserint tempore mortis Vasalli, pertinebunt ad ipsius hæredes: si non cesserint, pertinebunt ad eum, cui feudum apertum est. fol. 336. n. 917.

Quando feudum ex culpa aperitur, omnes fructus pendentes tempore sententiæ latæ, nullâ habitâ ratione alterius temporis, unà cum re feudali ad dominum vel agnatos (secundùm regulas traditas) pertinent. fol. 337. n. 918.

Amisso feudo per culpam, devolvitur unà cũ meliorationibus ordinarijs ad Dominum vel Agnatos. Quodsi sine culpa, tunc penes dominũ est electio, ut eas vel permittat auferri, vel impensas meliorationis refundat: & interim potest feudo incumbere, & se tueri exceptione doli vasallus adversùs dominum aut hæredes. fol. 337. n. 919.

Si Vasallus præscribat per errorem facti partem aliquã ultra fines feudi dati, & quà vasallus, putans pertinere ad feudum, pars præscripta etiam ad dominum devolvitur, secùs si ut extraneus, & ex alio titulo fol. eod. n. 920.

Si Vasallus accepit Castrum in feudum sine Jurisdictione, deinde suâ operâ acquisivit in eodẽ Castro Jurisdictionem, extincto jure feudi non revertitur Jurisdictio unà cum Castro ad dominum. fol. 338. n. 922.

Probabilius est, theoricè loquendo, feudo ex culpa amisso, dominum non lucrari meliorationes extraordinarias, quas ex lege conventionis feudalis vasallus non tenebatur facere. fol. eod. num. 923.

Ad vindicandum feudum sufficit, si dominus fidejubendo caveat de solvendis meliorationibus non liquidis, ubi fuerint liquidati sumptus facti. fol. 339. n. 925. Non est autem æstimatio facienda secundùm valorem præsentem, sed secundùm quantitatem expensarum, si hæ minores sint valore n. 927.

Ex quibus causis seu delictis Vasallus feudum amittit, ex ijsdem à domino commissis dominus privatur proprietate. fol. 340. n. 928. & seq. ubi causæ specificantur. Arctiùs tamen obligatur Vasallus Domino quàm econtra, cujus moderamen Judicis arbitrio relinquitur. eod.

Cùm Dominus delinquit, Dominium directum acquiritur Vasallo, non successori domini in alijs bonis. fol. 340. n. 930. Si Vasallus delinquat in Subvasallum, iste eximitur à servitute immediati domini delinquentis, & jus illius filijs, agnatis, his deficientibus Domino Superiori applicatur. fol. 341. n. 931.

Si feudum sit Ecclesiasticum, & Prælatus offendat Vasallum, Ecclesia non amittit proprietatem feudi; quod tamen non est extendendum ad alios Superiores, ut Regem. fol. eod. n. 932.

Per consolidationem etiam amittit Dominus proprietatem, eam cedendo Vasallo, vel si iste præscribat. fol. 342. n. 933. Non amittit tamen dominus proprietatem feudi inconsulto domino alienati, & per 30. annos possessi. n. 934.

Feudalium causarum Judicium.

Quando feudum est promissum seu debitum, sed necdum per investituram traditum, convenit Vasallo actio personalis, diversa pro diversitate negotij, aut tituli quo debetur. fol. 342. n. 935. ubi exempla.

Factâ Investiturâ abusivâ, si Dominus recuset tradere possessionem, competit actio *ex moribus*, & à tempore moræ fructus adjudicantur Vasallo, neq; integrum est domino liberare se præstando interesse, sicut liberaretur, si præcisè teneretur ex stipulatione. Transit hæc actio ad Vasalli hæredes masculos contra dominũ & ejus hæredes. Non transit tamen contra successorem personæ Ecclesiasticæ, Prælati, nisi unà cum Capitulo abusivè investisset. fol. 343. num. 936.

Re feudali evictâ, datur Vasallo actio de evictione adhoc ut dominus aliud det feudum ejusdem bonitatis & æstimationis, cujus erat alterum evictum tempore rei judicatæ, siquidem nescivit Vasallus esse rem alienam. si verò scivit, solùm habet actionem de evictione, si hæc in stipulationem deducta fuit. fol. eod. n. 937.

Contra dominum feloniam committentem, competit Vasallo actio ex Jure Civili, nempe condictio ex lege, quâ petit se declarari immunem ab obsequio, & proprietatem ad se pertinere. Et quia est pœnalis, non transit ad hæredes, nisi lite

conteftatâ.fol.344. n. 938. Competit etiam Interdictum: *Uti possidetis.* item: Interdictum *Unde vi.* num.939.

Si feudi possessio post tealem investituram ad alium, etiamsi is dominus esset, pervenir, competit Vasallo utilis rei vindicatio. Si tertius possideat, potest etiam Dominus vindicare, sed in concursu præfertur Vasallus. fol. 344. n.940.

Vasallus volens litigare,non tenetur monete dominum, & iste debet Judicium tatum habere, sive Vasallus obtineat, sive succumbat. fol.345. n.941. Actio transit ad successores in feudo, non ad hæredes quà tales. n.942.

Domino adversùs Vasallum servitia negantem competit Condictio *causâ datâ, causâ non secutâ*, ad repetendum feudum. fol.eod. n.943. Extenditur à DD. etiam ad alia delicta. eod. Si dominus nolit revocare feudum, sed urgere servitia, competit actio *Præscriptis verbis*, vel si alius conttactus intervenit, haber actionem inde descendentem. eod.

Vasallo non agente (cùm posset) contra extraneum Rei vindicatione, potest agere dominus. fol.345. n.944.

Feudo illicitè alienato, competit etiam domino ad illud revocandum Condictio ex lege. eod.

Contra extraneum impedientem Vasallum ab obsequijs præstandis, non competerent domino Interdicta possessoria, sed actio injuriarum. f.346. n.945.

Agnati adversùs dominum negantem investitutam, agere possunt ad privationem proprietatis, vel, si malint officio Judicis cogere ad investiendum. Adversùs alium ex alienatione possidentem agere possunt condictione ex lege, vel si dominium acquisierunt rei vindicatione. f.346.n. 946. Durat adversùs extraneum 30. annis, adversùs remotiorem agnatum uno solùm anno. eod.

Si lis incidat inter fœminam descendentem & agnatos, fœmina prætendens esse allodium, est in possessione tuenda interim. fol. 346. n.947.

Si successor in feudo est simul hæres ab intestato, feudum etiam veniet in Petitionem hæreditatis. fol.eod. n.948.

Si de feudo aut re ad feudum pertinente lis est inter Convasallos, habentes eundem dominum, Judex competens est ipse dominus per se & regulariter loquendo. Quæ regula observatur etiam quando Vasallus conventus est Clericus, & Dominus Judex Laicus. fol.347. n.949.

Posset contra Dominum Judicem excipere Vasallus, si fortè invitus adactus fuit ad investiendum. fol.348. n. 950.

Non possunt Vasalli invito domino Judicium prorogare. eod. cum ejus tamen consensu, etiam tacito, possunt: imò probabiliter possunt eo invito comptomittere in arbitrum. n.951.

In controversia inter Duces, Comites, Barones &c. Rex vel Imperator Judex erit. fol.eod. n.942. ubi vide exemplum. Subinfeudatorum Judex erit Subinfeudans. eod.

Si dominus ex malitia non facit officium suum, potest actor adire Judicem ordinarium, imò agere ad privationem proprietatis. fol.eod. n.953.

Si unus litigantium neget se esse Vasallũ, adeundus est Judex ordinarius: qui si comperiet esse Vasallum, remittet causam ad dominum. eod.

Si Causa aliquo modo contingat Dominum ipsum, judicabunt Pares Curiæ. fol.349. n.954.

Litigante Vasallo cum domino de feudo, Judices sunt Pares Curiæ jurati ad id electi. Excipitur Summus Pontifex non habens Superiorem, qui præsumitur justè judicaturus etiam in propria causa. fol.eod. n. 956. ubi casus ponitur.

Si dominus neget litigantem esse Vasallum, probabilius videtur, judicium pertinere ad Judicem Ordinarium. fol.350. n. 957.

Non licet coram Paribus Curiæ reconvenire actorem in causa non feudali. fol.351. n.958. & fol. 353. n.966.

Pares Curiæ ut sint apti Judices, debent in eodem territorio cum litigante esse constituti. fol.351. n.958. Non est tamen necesse, ut Pares Curiæ habeant feuda ejusdem qualitatis & dignitatis cum feudo litigioso. eod. An novum Juramentum debeant præstare, vel sufficiat Juramentum fidelitatis, dubium est. n.959. Si litigantes malint ab aliquibus, quàm ab omnibus judicari, prior eligit dominus, posterior Vasallus in eodem numero. Quodsi unus nolit eligere, cognitio ad totam Curiam spectabit, quousque haberi potest. eod. Si Judicium toti Curiæ deferatur, duæ Tertiæ saltem debent convenire: si facta est electio, uno deficiente alius est substituendus. n.960. Ut valeat sententia, sufficit si major pars consentiat. eod. Si Pares recusent Judicium, possunt cogi. fol. 352. nu. 961. Possunt Pares Curiæ litem alteri delegare, sed delegatus non potest subdelegare. eod. Convocandi sunt pares sumptibus litigantium. eod. Si nulli sint Pares, judicium spectat adOrdinarium. n.962.

Non solùm quando lis est circa proprietatem, sed etiam quando circa possessionem inter Vasallos, judicium ad Dominum spectat. fol.352. n. 963.

Circa locum Judicij solent Pares cum partibus convenire, vel observare consuetudinem, vel locum eligere. eod.

Si non possunt haberi alij testes, quàm ipsi Pares, adeundus est Judex ordinarius. eod.

Si lis est domino vel Vasallo cum extraneo circa rem feudalem, ordinarius Judex adeundus est. fol. 353. n.964.

In causis feudalibus servanda est forma & modus, ut in Processu & Judicio de jure communi, exceptis illis, quæ in Jure feudali sunt specialiter constituta. fol.353. n.965.

Vasallo

Vasallo cum domino contendente, neutri est præstandum juramentum calumniæ, etiamsi Vasallus Juramentum fidelitatis nunquam præstitisset. fol. eod. n.966. Præstandum tamen est, quando Vasallus cum Vasallo contendit. eod.

Citatio debet esse trina, distincta, justis constans intervallis pro Judicis arbitrio, plerumque septem vel decem dierum spatio. fol. 353. n.967.

In testes plerumque sunt adhibendi pares curiæ, qui ab eodem domino feuda tenent. fol.354. n.968. Excipitur 1. Si pares nulli sint, vel recusent esse testes, vel non fuerint præsentes. 2. Si agatur de veteris investituræ probatione. 3. Si agatur de investitura à Clerico quà tali facta. nam & tunc extranei admittuntur. f. 354. n. 969.

Si quis ex paribus desijt esse Vasallus, nihilominus in testem adhiberi potest. eod. Quando lis est de Investitura, sufficiunt duo testes; si lis est de feudi amissione ex culpa, quinque testes requiruntur. Investitura probatur etiam, testibus deficientibus, per *Breve testatum* à duobus vel tribus testibus subscriptum. f. 355. n. 970.

Deficientibus his probationibus pôtest defensio fieri per Jusjurandum, seu purgationem Canonicam, & in feudis tunc adhibetur, quando dubitatur de investitura, an facta sit necne, vel de qualitate feudi. actore non probante, reus non hocipso absolvitur, sed ad juramentum devenitur. fol.eod. n.971. Hoc juramentum vel defertur à parte, vel à Judice. Quando defertur à parte, incumbit necessitas vel jurandi vel juramentum referendi. 972. ubi solennitas hujus juramenti describitur.

In controversia de Servitijs non præstitis jurat Vasallus, agente domino, se præstitisse, cum uno vel duobus convasallis. f. 356. n. 973. Regulariter illa pars jurat, quæ feudum litigiosum possidet, si insuper pro se argumentum habet. eod. Modus hic probandi per juramentum, ab aula recessit. n. 974.

Antiquis moribus erat in usu defensio per Duellum seu singulare certamen, seu Monomachiam. eod. ubi ejus forma, modus & ordo describitur.

Præsumptione etiam quandoque probatur Actoris intentio. Nam quando dubium est, an bona sint allodialia vel feudalia, præsumutur allodialia. Item in dubio præsumitur paternum, proprium &c. fol.357. n.976.

Ex pluribus Investituris exhibitis, antiquior est præferenda. fol.eod. n.977.

Si in aliquo Jus Canonicum & Civile discordant, in terris Imperij secundùm Jus Civile, in terris Ecclesiæ secundùm Jus Canonicum judicatur, nisi jus Civile esset à Jure Canonico correctum. fol. eod. n.978.

Sententia contra Vasallum possessorem lata non nocet agnatis, nisi fuerint citati, vel litis habuerint notitiam. fol.358. n.979. & seq.

In causis feudalibus appellatio fit à subinfeudante ad Superiorem Dominum, cæteroquin ad ordinarium Judicem Rei. fol.eod. n.981.

Executio sententiæ spectat ad ipsum Judicem feudalem, si habet potentiam exequendi: sin minùs, Ordinarius requirendus, & monendus est. fol.eod. n.982.

Tomo 4.

Feudum non potest à Vasallo hypothecæ subijci. fol. 290. n.999. de Opignoratione feudi plura suprà tomo 3. fol.301.

Fideicommissum. Fideicommissarius.

Tomo 1.

Monasterium capax Successionis, excludit in Fideicommisso Substitutum sub conditione: *Si hæres sine liberis decesserit.* & hæres profitetur. f. 304. nu. 31. Nisi causa pia esset substituta. nam tunc post mortem naturalem Professi est huic restituendum fideicommissum. 32. Si extraneo substituto, sine adjectione conditionis, institutus profiteatur, substitutus non excluditur à Monasterio. 33. Conditio adjecta: *si Professus fuerit*: haberetur pro non adjecta in favorem Monasterij, & substitutus excluderetur. 35.

Tomo 2.

In fideicommissis, etiam deficientibus solennitatibus, statur fidei hæredis, vel ejus qui solvere aut restituere debet, qui, si delato juramento fateatur eam fuisse defuncti voluntatem, solvere compellitur; si jurare renuat, pro confesso habetur. f. 9. n. 37. Hoc ipsum etiam ad legata ab hærede agnita extenditur. n. 38. Procedit etiam in foro conscientiæ, fideicommissario vel legatario non exigente. n. 39.

Plura vide. *Substitutio fideicommissaria.*

Fideicommissum particulare quomodo sit æquiparatum Legatis, vide, *Legatum.*

Fideicommissa quomodo subjaceant Trebellianicæ, vide *Trebellianica.*

Restitutâ hæreditate onus Legatorum spectat ad fideicommissarium. f. 262. n. 410.

Si pars hæreditatis legetur, v. g. sextans, tale legatum sapit potiùs naturam fideicommissi, quatenus onera hæreditaria pro parte transeunt in legatarium. f. 263. n. 417.

Fidejussio. Fidejussor.

Tomo 1.

Fidejussori solæ illæ Exceptiones principali competentes conceduntur, quæ aliquo modo rei cohærent, ut exceptio pacti conventi, rei judicatæ, doli mali, metûs, jurisjurandi &c. non autem beneficium cessionis bonorum. f. 157. n. 452.

Tomo 3.

Fidejussor accedens contractui Pupilli sine Tutoris auctoritate, evadit debitor principalis, quia non supponit in pupillo obligationem naturalem. Unde quando in Jure dicitur, fidejussorem non obligari, principaliter naturaliter non obligato, intelligendum est, regulariter, & secluso speciali favore

favore juris; nec ad obligandum fidejussorem aliud requiritur, quàm quòd pupillus fuisset naturaliter obligatus, nisi speciali juris privilegio munitus esset f. 36. n. 108. & seqq.

Fidejussor strictè acceptus, est: qui interroganti alterius creditori promittit se soluturum quod alius debet, salvo manente debito principali. f. 92. n. 81. ubi vide differentiam à Fidejussoribus impropriis, ut est Sponsor, Expromissor, Constitutor, Mandator.

Fidejussio potest vel præcedere, vel comitari, vel subsequi conventionem & obligationem principalem. Si præcedat, resolvitur in conditionalem. f. 93. n. 82.

Mulier quousque possit fidejubere, vide, *Velleja-num Senatûs consultum.*

Milites fidejubere non permittuntur, & si fidejusserunt, privilegio militari solvuntur, nisi in rem suam fidejusserint. Quodsi ante nomen militiæ datum fidejusserint, prætextu militiæ supervenientis non liberantur. f. 93. n. 83.

Clericus non potest fidejubere in præjudicium Ecclesiæ cujus bona administrat; & quæ alienare non potest, benè tamen in præjudicium propriorum bonorum. f. eod. n. 84.

Si Religiosus absque licentia Prælati & majoris partis Capituli fidejusserit, vel mutuum acceperit, Monasterium non obligatur, nisi quatenus in ejus utilitatem versum est. In re modica potest Prælatus fidejubere absque Capituli consensu expresso, ob consensum tacitum. In Religionibus non habentibus Capitula, sufficit facultas ejus, qui juxta statuta & privilegia Religionis potest ad fidejubendum facultatem dare. eod.

Pupillus sine Tutoris auctoritate non potest fidejubere, cum ejus tamen auctoritate potest. fol. 94. n. 85. Idem de Minore cum proportione dicendum est. Posset tamen minor sine Curatoris auctoritate validè fidejubere in illis casibus, in quibus lege Pietatis aut Charitatis obligatur proximo per talem fidejussionem subvenire. eod.

Servi per se loquendo non possunt fidejubere nisi ratione peculii si quod habent à domino. fol. 94. n. 86. Ex filiisfam. fidejussione patet sine discrimine obligatur de peculio. eod.

Fidejussor quà talis, nec in duriorem causam, nec in majorem quantitatem obligatur, quàm Principalis, in minorem potest obligari. Supponit enim fidejussio obligationem principalem, saltem fictione juris. Fortiùs etiam obligari potest quàm Principalis. fol. 95. n. 87.

Potest quidem Fidejussor juramento se obligare ad plus quàm obligetur Principalis, sed non confirmabitur obligatio fidejussionis in ratione contractûs, sed ratione excessûs obligatur tanquam principalis. Hinc potest fidejussor obligari cum hypotheca, item ad pœnam, etiamsi Principalis non obligetur tali modo. fol. 96. n. 89. & seq.

Non valeret Fidejussio, si Principalis se obligaret ad rem certam determinatè, v. g. ad triticum, fidejussor verò ad pecuniam, quia esset ad rem diversam: sed valeret, si Pricipalis se obligaret disjunctivè ad triticum vel ad pecuniam, & fidejussor ad pecuniam. fol. 97. n. 91. & seqq.

Si fidejussor se obliget ad majorem quantitatem, quàm sit obligatio Principalis, fidejussio non est simpliciter nulla, sed tenet quoad summam debiti principalis. fol. 98. n. 94.

Si fidejussor in omnem eventum fidejussisset, teneretur etiam ad illas obligationes, quas principalis ex mora incurrisset, v. g. ad usuras. fol. 99. num. 95.

Si per moram Principalis debitoris pereat res quæ sub obligatione est, tunc sicut principalis non obligatur, sed ad æstimationem tenetur, ità & fidejussor. eod.

Fidejussor non tenetur ad solvendas usuras, aliásve accessiones, vel ad pœnam à principali adjectam, nisi in omnem eventum fidejussisset, vel aliter expressisset. fol. 99. n. 96.

Potest aliquando fidejussor obligari, principali nullo modo realiter obligato, sed tantùm fictione juris, & tunc fidejussor est reipsâ principalis debitor. fol. 100. n. 97.

Potest dari Fidejussor fidejussoris, vocatúrque Fidejussor *Indemnitatis*: quo casu immediatus fidejussor est respectu fidejussoris à se dati instar Principalis, & hoc habet notabilem effectum in beneficio divisionis. eod.

Si Principalis obligetur ad pœnam pecuniariam ex delicto vel quasi, potest accedere fidejussor. Si verò obligatio est ad pœnam sanguinis, vel altetius gravioris coërcitionis, ut exilii, ad triremes, ad cordam &c. potest ex probabili sententia à Judice admitti fidejussor, qui obligetur ad factum sistendi, vel interesse, quod ejus vice præstetur. f. eod. n. 98.

Debitore non solvente, potest creditor convenire fidejussorem vel Condictione certi ex stipulatione, vel actione ex stipulatu. f. 101. n. 99.

Si Creditor non solùm fidejussoriam, sed etiam pignoratitiam cautionem accepit, & fidejussoria non præcisè in defectum pignoris accepta est, habet optionem, an velit omisso pignore, fidejussorem convenire, spectato Jure Digestorum & Codicis. eod. Qui solùm in subsidium pignoris fidejussit, pignore fortuitò pereunte non liberatur. eod. Sicut conventio fidejussoris non liberat pignora, ità nec pignorum persecutio fidejussorem. Unde etiamsi pignora vendita essent, & non sufficerent, adhuc fidejussor in residuum conveniri posset. eod.

Fidejussor potest se tueri omnibus Exceptionibus realibus, quibus ipse Principalis debitor, v. g. Rei judicatæ, transactionis, non numeratæ pecuniæ &c. f. 102. num. 100. Exceptiones personales

verò

verò quæ in favorem specialem personæ sunt concessæ, non competunt fidejussori, nisi Jura specialiter indulgeant. eod. ubi vide exempla.

Fidejussor postquam conventus solvit, si fidejussit principali consentiente, habet adversùs hunc actionem mandati, quâ repetit, quidquid solvit, vel debitorem alio modo liberavit. Repetit etiam expensas, damnum & interesse. Si verò pro ignorante fidejussit, habet actionem negotiorum gestorum. fol. 102. n. 101. Darentur hæ actiones fidejussori exhibenti instrumentum factæ solutionis, & creditore fatente, etiamsi solutio facta non esset. fol. 103. n. 102. Item darentur, si inscius debitorem soluisse, solveret. eod.

Non datur tamen actio illi, qui fidejussit pro pupillo, prodigo, furioso, sine auctoritate Tutoris obligato. eod.

Non datur Actio illi, qui per ignorantiam Juris omisit opponere exceptionem peremptoriam: non obesset tamen omissio Exceptionis procuratoriæ, vel competentis soli fidejussori & non debitori, nec etiam si omisit exceptionem soli debitori & non fidejussori competentem, sibi præjudicat. Monendus tamen est debitor, ut ipse judicium suscipiat. fol. 104. n. 103.

Non datur actio Fidejussori negligenti appellationem ex culpa, benè tamen, si ob paupertatem aut ignorantiam injustæ condemnationis. eod.

Fidejussor non potest instituere actionem Mandati, quamdiu non liberavit debitorem per se loquendo. Quandoque tamen potest urgere debitorem, ut liberetur ab obligatione. fol. 104. n. 104. ubi recensentur causæ.

Si ex pluribus Confidejussoribus unus præ cæteris conventus in solidum solvit, non habet regressum adversùs confidejussores, nisi creditor illi actionem cesserit. fol. 105. n. 105.

Fidejussorum beneficia, Excussionis, Divisionis, & Actionum cedendarum.

Jure Novellarum conceditur Fidejussoribus primo loco conventis beneficium *Ordinis* seu *Excussionis*, quo per se loquendo datur Exceptio dilatoria Judicij, quâ se fidejussor tueri potest, ut solvere non teneatur nisi priùs excusso principali, nisi constet non esse solvendo. fol. 105. n. 106. Neque fidejussor careret hoc beneficio, etiamsi fidejussio juramento firmata esset, nisi expressè renuntiâsset. fol. 106. n. 107.

Excussionis beneficium denegatur 1. fideiubenti pro aliquo non obligato civiliter, ut pro Minore. 2. Absente Principali ob difficultatem conveniendi. 3. Si Principalis sit ex alio capite difficilis conventionis. 4. Neganti & convicto fidejussori. 5. Si in specie huic beneficio renunciavit. sicut potest renuntiare fidejussor immediatus, secùs fidejussor indemnitatis. fol. eod. n. 108.

Non videtur esse necesse, ut exceptio hæc dilatoria ex beneficio ordinis opponatur ante litis contestationem. eod.

Conceditur insuper fidejussoribus, per se loquendo, beneficium *divisionis*, casu quo beneficio excussionis non possint liberari: quæ exceptio potest opponi usque ad sententiam, ut creditor debeat actiones dividere inter fidejussores, si quidem sint solvendo. fol. 107. n. 109. Negatur tamen hæc exceptio Confidejussoribus, qui pro uno Tutore intercesserunt rem pupilli salvam fore, si pupillus eos conveniat. eod. Conceditur etiam Fidejussoribus indemnitatis, & universim ad Correos promittendi extenditur. eod.

Si factâ divisione unus desiit esse solvendo, periculum spectat ad creditorem, si purè fidejussit, si sub conditione, etiam purificatâ conditione conveniri potest in solidum alter, qui purè fidejussit. fol. 107. n. 110.

Si dubium est, an aliqui sint solvendo, potest cogi creditor, ut fidejussorem dubium conveniat periculo fidejussoris non dubij, præstitâ tamen cautione. eod.

Cessantibus prædictis beneficijs adhuc succurritur fidejussori beneficio *Cedendarum actionum*, tam adversùs debitorem principalem, quàm cæteros confidejussores, ut non possit priùs cogi ad solvendum, quàm creditor illi cedat actiones suas non tantùm personales, sed etiam reales, & hypothecarias, quas habet adversùs principalem & fidejussores; & exhibere tenetur Instrumentum obligationis principalis: tenetúrque ad hanc cessionem, etiamsi fidejussor non conventus sponte offerat solutionem, & petat cessionem. fol. 108. n. 111. Petenda est autem hæc cessio, vel ante solutionem, vel in continenti: fol. 109. n. 112. Si creditor sibi cessionem impossibilem reddidisset, posset eum petentem solutionem fidejussor removere. n. 113. Fidejussor potest actiones cessas cedere alteri fidejussori. eod.

Obligatio fidejussoris transit ad hæredes. fol. eod. 114.

Fidejussor liberatur, si creditor & principalis debitor faciant Novationem, nisi de novo fidejuberet. eod.

Si fidejussor fiat hæres debitòris principalis, remanet obligatio principalis. eod.

Prorogato termino solutionis debitori principali, non liberatur fidejussor, quia non est novatio. eod.

Si adveniente tempore quo debitum erat solvendum, creditor negligens fuit in exigenda solutione, deinde debitor factus sit non solvendo, ex communi DD. fidejussor liberatur quoad eam quantitatem, in qua factus est postea non solvendo, si monuit creditorem, & ursit, ut exigeret solutionem, & excussionem. f. 110. n. 115.

Liberatio fidejussoris per vim aut metum obtenta, non est efficax, quia tenetur se in obligationem reponere. eod.

Fidejussor non liberatur oblatione alterius æquè idonei, nisi prior fidejussor necdum datus, sed tantùm promissus esset, tunc enim teneretur creditor alium æquè idoneum acceptare. eod.

Fidejussor denique liberatur, si debitori sit legata à Creditore liberatio. eod.

Plura de Exceptionibus competentibus fidejussori simul & principali debitori, & quomodo illis uti possit ad sui liberationem, vide, *Exceptiones Peremptoriæ*.

Filiusfamilias.

De peculijs filijfamilias, vide, *Peculium*.

De obligationibus ratione patriæ potestatis vide, *Patria potestas*.

Tomo 2.

Filiusfamilias ne quidem cum consensu patris potest testari de bonis adventitijs, in quibus pater usumfructum habet, ad causas profanas. fol. 50. n. 228. Benè tamen ad causas pias consentiente patre. n. 229. Idem dicendum de illis Bonis, in quibus pater nec usumfructum habet. fol. 51. num. 232. quamvis hæc bona liberè administret, & de illis inter vivos disponat. n. 233.

De bonis Castrensibus potest testari etiam absq; consensu patris, sicut & de quasi Castrensibus. fol. 50. n. 230.

Filiusfamilias Clericus factus, potest testari de illis bonis, quæ post assumptum Clericatum acquisivit propriâ industriâ, vel à consanguineis, vel alio modo, loquendo de bonis non Ecclesiasticis. fol. 50. n. 231. Sufficit autem, habere primam tonsuram, dommodo vel habeat beneficium, vel gaudeat privilegio fori: item si habeat administrationem patrimonij, ad cujus titulum est ordinatus, quantumvis à patre acceperit. fol. 51. n. 234.

Si filiusfamilias in testamento ad causas pias miscuit legata profana, hæc accrescunt hæredi, hoc est causæ piæ. fol. 51. n. 235.

Filiusfam. an possit donare mortis causâ, vide, *Donatio mortis causâ*.

Tomo 3.

Filiusfamilias pubes circa Castrensia vel Quasi etiam inconsulto patre contrahere, & civiliter obligari potest, fol. 40. n. 234.

Bona adventitia, in quibus pater habet usumfructum & administrationem, non potest filiusfam. validè alienare, sine consensu patris. fol. eod. nu. 235. Cum consensu patris, &, si materia exigat, cum decreto Judicis, validè alienat, saltem si sit majorennis. n. 236. Imò probabiliùs idem de minorrenne dicetur. n. 237.

Si Filiusfam. habeat à patre peculium profectitium, ut cum illo negotietur, potest etiam sine alio consensu patris alienare, & ità obligatur, ut etiam contra ipsum patrem detur actio juxta vires peculij. fol 41. n. 238.

Filiusfam. major 25. annis, pôtest se inscio patre personaliter obligare civiliter quovis contractu (excepto mutuo) non solùm operas suas locando, sed etiam aliquam rem suam vendendo &c. ità ut teneatur satisfacere, saltem postquam sui juris erit. fol. eod. n. 239

Tomo 4.

Filiusfam. potest dare vel accipere mandatum solvendi pro alio, si habet bona in quibus pater usumfructum non habet. fol. 223. n. 691. Solvens debitum patris mandato patris potest solutum actione mandati contrariâ consequi. n. 692.

Tomo 6.

Confiscatis bonis filijfamilias non censentur confiscata bona profectitia, nec etiam adventitia, in quibus pater usumfructum habet. fol. 68. n. 39. & seqq. Neque etiam legitima debita post mortem patris, si confiscatio fiat vivente patre. n. 43.

Confiscatis bonis patris, non censetur confiscatum peculium profectitium. fol. 69. n. 44. Neque ususfructus in bonis filij, si pater per pœnam amittat patriam potestatem, secùs, confiscatur ad tempus vitæ patris. n. 45. Neque legitima, filio debita. quæ à quo tempore computanda, vide, n. 46. Confiscatur tamen legitima confiscatis bonis matris. eod.

Finium regundorum Actio.

Tomo 4.

Datur hæc actio ex quasi contractu illis, quorum fines, seu agrorum termini confusi sunt. & quia uterque litigantium est actor & reus, utrique incumbit probare fines. Lis hæc vocatur *Quæstio finalis*. fol. 353. n. 1132.

Est contractus Stricti Juris, quia non petuntur fructus percepti ante litis contestationem. fol. eod. n. 1133. Datur non solùm domino directo, sed etiam Emphyteutæ, Fructuario, Creditori habenti hypothecæ possessionem. n. 1135. Datur non solùm ad terminos discernendos, sed etiam ad cohærentia, ut est Jurisdictio. n. 1136. Datur etiam ad interesse damni unius facti cum lucro alterius. n. 1137. Non nisi 30. annis præscribitur. eod.

Quomo-

Quomodo se Judex gerere debeat in Judicio finali, habetur varijs legibus. fol. 354. n.1138. ubi videri possunt.

Pars fundi quæ ob incommoditatem divisionis uni adjudicatur, fit illius absque alia traditione. fol.eod. n.1139.

Fiscus.

Quomodo contra Fiscum præscribatur, vide, *Præscriptio Quadriennalis.*

Quomodo Fiscus intestatis succedat, vide, *Successio Fisci.*

Fornicatio. Seu Scortatio.

Tomo 6.

Fornicatio distinguitur à stupro, quòd fæmina soluta peccans cum soluto non fuerit virgo. fol. 102. n.198.

Jure Civili nulla pœna fornicationi constituta est: Jure Bavarico est constituta pœna arbitraria. n.199. Quod etiam de Jure Canonico dicendum. eod.

Clericus fornicarius suspenditur ab exercitio Ordinum, & incorrigibilis beneficio privatur. fol. 103. n.200.

Concubinarius, sive Clericus sive Laicus, quomodo puniendus, statuitur in Concilio Tridentino. textum vide fol.103. n.205. & fol.104. n. 207.

Forum Competens.

De hoc vide plura, *Jurisdictio.* & de privilegio fori competente Clericis, *eod.* & verbo. *Clericus.*

Quænam sint Fori Mixti, vide: *Jurisdictio Ecclesiastica cum Seculari comparata.*

Tomo 5.

Forum hoc loco aliud non est, quàm territorium certum, vel sedes seu locus certus, ubi talis Judex jus dicit, extra quem si jus diceret, actus esset inanis. fol.76. n.345.

Si citatus est dubius de competentia fori, debet comparere, & exceptionem declinatoriam proponere, de qua iste judex cognoscet. fol.77. n.346.

Forum acquiritur, 1. ratione Domicilij. fol.77. n.348. Quomodo acquiratur Domicilium, vide, *Domicilium.* Domicilium Originis non sufficit, nisi conjunctum sit cum domicilio habitationis fol.78. n.351. Neque etiam sufficit, jus civitatis obtinuisse. eod.

Mutato post citationem domicilio rei, habet actor optionem litigandi, ubi voluerit. n.352.

Res hæreditariæ ibi petendæ sunt, ubi mortis tempore extiterunt, nisi alibi in perpetuum depositæ essent. n.353.

Secundò, acquiritur Forum ratione Contractûs: nam si de loco solutionis faciendæ non est actum, conveniri potest in illo loco ubi contractus celebratus est: si verò locus nominatus, ibi reus conveniri potest, nisi malit actor convenire in loco domicilij. fol.79. n.354. Neque ab hoc exceptus privilegiatus. n.355.

Mercator in loco contractûs conveniri potest, qui domum aut tabernam conduxit, aut stationem ex pergulis erexit. Secùs, si ut advena negotiatus est, tunc enim in loco domicilij conveniendus est, nec forum ratione contractûs sortitur, si creditor fidem illius secutus est. fol.79. n. 356. & plura fol. 80. n. 361. Tutores & Curatores ibi conveniri possunt, ubi negotia gesserunt. n.357.

Qui solvit indebitum, existimans se certo loco debuisse, potest ubique locorum repetere conditione indebiti. n.eod.

Debitor absens à loco contractûs, conveniendus est in loco domicilij, nisi teneatur actione Tutelæ, negotiorum gestorum, mandati, pro socio, talis enim ad locum remittendus est. fol.79. n.359.

Tertiò, acquiritur Forum ratione Delicti, nam in loco commissi delicti accusandus reus, si ibi reperiatur, quod si alibi, potest ibi accusari. fol.80. n.363. ubi plura de consuetudine Germaniæ. Si, priusquam reus inde discederet, citatione præventus est, potest judex contra illum procedere, & si non pareat citationi, tanquam contra contumacem procedi, & ferri sententia (pro ratione delicti) banni, excommunicationis, immissionis. n. 364.

Quartò, acquiritur Forum ratione litigiosæ rei sitæ, in quo loco potest Actor actione reali convenire reum, etiamsi ibi domicilium non habeat. f. 81. n.365. Si tamen malit, potest convenire in loco domicilij: nam titulus domicilij cum alijs concurrit. n. 366. Non licet tamen Actori variare. eod. Potest reus absens citari in subsidium juris. & contumax patietur immissionem. eod. Non requiritur, rem esse immobilem. n. 367.

Quintò, acquiritur Forum quandoque ratione continentiæ Causarum. Quod si duo rei in eadem causa conveniendi, habent diversos immediatos judices diversos, conveniendi sunt apud Superiorem utriusque communem, si causa dividi non potest. f. 81. n. 368.

Extra territorium jus dicenti impunè non paretur. Quod extenditur etiam ad eum, qui territorium propriè non habet, ut Rectores Academiæ. f. 82. n. 370. ubi exempla.

Ex quatuor capitibus cognosci potest, aliquem non esse de Jurisdictione citantis. 1. Ex causa. 2. Ex persona. 3. Ex loco. 4. Ex tempore. Si incertum est, an Judex sit incompetens, tenetur tamen reus comparere citatus. n. 372. & seq.

Quomodo citatio possit fieri extra territorium citantis, vide *Citatio.*

Tomo 6.

Ex privilegio potest quandoque reus conveniri in foro non suo ab accusatore. f. 10. num. 39. ubi exemplum.

Quando Jurisdictio convenit diversis cumulativè, in solidum, Accusatori competit electio Judicis. n. 40.

Ob Rei accusandi formidabilem potentiam, quâ Judex immediatus terreri posset, item si Judex suspectus esset, posset Accusator recurrere ad Superiorem, & impetrare alium Judicem. n. 41.

Patronus non tenetur Libertum accusare apud Judicem liberti, sed potest apud suum. n. 43.

Uxor accusanda est in foro mariti durante matrimonio. n. 44.

Famuli Clericorum non Episcoporum, non gaudent in criminalibus privilegio fori. n. 46.

Laicus nanciscitur forum Judicis Ecclesiastici in criminalibus, quando delictum meretur censuram Ecclesiasticam, & in alijs casibus, quos vide. f. 13. n. 54.

Vagabundus ubicunque deprehenditur, forum sortitur, ut ibi judicari possit. f. 14. n. 61. Mittendus tamen ad Judicem loci delicti, si petatur. nu. 61.

Delinquens extra territorium domicilij vel originis, nihilominus à Judice illius territorij judicari accusatus potest. f. 14. nu. 63. Potest etiam procedere per viam Inquisitionis. n. 64. quo casu processum quidem formabit secundùm statuta sui territorij, condemnare tamen debet vel secundùm jus commune, vel secundùm statuta loci ubi deliquit. f. 15. n. 65.

De Germaniæ consuetudine locus Originis hodie non constituit forum distinctum, nec ut talis attenditur. n. 66.

Habens plura domicilia, utrobivis potest accusari & inquiri. n. 67.

Judex domicilij potest delinquentem subditum citare ubicunque existat, non item Judex loci. n. 67.

In Criminalibus forum ex delicto est potentius foro ex domicilio f. 15. n. 65. Hoc tamen exceptionem habet in Personis Illustribus, qui ratione delicti forum non sortiuntur. n. 69.

Delicto in confinibus commisso, locus est præventioni. Si reus neget delictum in territorio commissum, de hoc judicabit Judex, apud quem est accusatus. n. 70.

Si reus existens extra territorium commissi delicti, habet bona in territorio, potest cum effectu citari ità, ut absentis bona annotari, & immissio fieri possit. Si non habet, non potest cum effectu citari à Judice loci delicti. f. 16. nu. 71. Praxis tamen habet, ut causa etiam contra absentem agitetur, etiamsi citatio non sit insinuata. de qua vide, n. 72.

Si delictum in via publica commissum est, cognitio spectat ad illum, qui in loco per quem transit via, habet merum Imperium, nisi consuetudo aliud habeat. f. 17. n. 75.

Franciscani.

Qua ratione sint capaces Usûs facti, non tamen Proprietatis, vide *Usus*. De eorundem capacitate Legatorum, vide *Legata*.

Frater.

Quomodo Frater instituendus à fratre, vide *Institutio fratrum*.

Quomodo Frater substituendus exemplariter, vide *substitutio exemplaris*.

Fructus.

Quinam fructus à Possessore tam bonæ quàm malæ fidei restituendi sint domino rem suam vindicanti, vide, *Possessio. Possessor*.

Fructus rerum sunt triplices. merè naturales, merè industriales, & mixti, qui tamen solent etiam simpliciter industriales vocari. His addunt aliqui Civiles, qui ex jure; alteriùsque obligatione proveniunt, ut Usuræ, pensiones, mercedes, salaria; sed vel ad mixtos, vel industriales revocantur. f. 270. num. 361. & seq. ubi specificantur.

Fructus alij sunt jam à solo separati, alij adhuc pendentes: item aliqui dicuntur percipiendi, hoc est, qui percipi potuissent à domino rei ab alio possessæ. Alij item qui præcedunt litis contestationem, alij subsequentes. f. 271. n. 263.

Fructus non habent rationem fructuum, nisi deductis expensis, quæ quærendorum, cogendorum, conservandorúmque eorum gratiâ fiunt. f. 276. n. 293.

Fur. Furtum. Furti Actio.

Tomo 1.

Non solùm ratione diuturnæ retentionis, sed etiam ratione primæ acceptionis graviter læditur jus alterius, ob periculum diuturnæ retentionis annexum. f. 93. n. 136.

Potest quis furari rem suam propriam creditori vel conductori, & ideo minùs rectè definitur, Rei alienæ acceptio. f. 116. n. 252.

Furtum est contrectatio fraudulosa lucri faciendi causâ, vel ipsius rei mobilis ab alio detentæ. vel ejus usûs, possessionisve. f. 116. n. 253.

Furtum etiam liberi hominis in patria potestate constituti fieri potest. n. 254.

Sæpè datur furtum, quin concedatur actio furti, & econtra datur quandoque Actio furti contra eum qui fur non est. f. 117. n. 258. & seq. ubi exemplis firmatur & juribus. Interest autem esse furtum, etsi non detur actio furti, quia res cadit in causam furtivam

furtivam, & ideo usucapi non potest, nisi priùs ad dominum redierit. 258.

Fur alius Diurnus, alius Nocturnus. Diurnus, qui furatur in tanta luce ut agnosci possit. f. 117. n. 259. Nocturnus jure novo non potest licitè occidi, nisi non potuerit ei sine periculo parci. eod.

Furtum dividitur in Manifestum, & Necmanifestum. Illud est, quando fur cum re furtiva deprehenditur (non tamen ex abscondito) eodem die quo furatus est, antequam rem eò detulerit, quò deferre eo die, & eum furto manere destinaverat, accedente insecutione & inclamatione. fol. 117. n. 260.

Furta quædam ob specialem perniciem specialibus nominibus in Jure designantur, & pœnis severioribus coërcentur. Ut Crimen peculatûs. de Residuis. Abigeatus. Plagium. Rapina. f. 118. nu. 261. de quibus in suis proprijs vocabulis, vide.

Furti Actio datur omnibus quorum interest rem non esse subreptam. Unde & creditori ratione pignoris, fulloni, sartori &c. datur. Concurrentibus his cum domino, huic regulariter præferuntur. Datur item Commodatario, ità tamen, ut Commodans habeat electionem inter actionem commodati & furti, & si scivit factum furtum; unâ electâ ad aliam non habet regressum. Electâ actione furti, nec furà commodatario, nec hic à commodante conveniri potest, sed commodatarius penitus liberatur. Si actio commodati electa est, solus commodatarius habet actionem furti. Si commodator ignarus fuit furti, potest, dimissâ actione commodati transire ad actionem furti, nisi commodatario jam satisfactum esset. f. 118. num. 265.

Furti Actio est merè pœnalis seu pœnæ persecutoria, in furto manifesto quadrupli, non manifesto dupli, cumulando cum condictione furtiva, quâ rei æstimatio petitur, vel rei vindicatione res ipsa, æstimatio refertur ad pretium temporis quo res fuit pretiosior. f. 119. n. 266.

Datur non solùm adversùs furem, sed etiam adversùs consiliarium & cooperantem, scienter suscipientem, celantem res furtivas. Adversùs hæredes non datur nisi de eo, quod ad ipsos scientes & contrectantes ex furto pervenit, vel si lis cum principali fuerit contestata. f. 119. n. 267.

Furti manifesti Actio, quamvis prætoria, est tamen perpetua. f. & n. eod.

Condictione furtiva (quæ etiam adversùs hæredes datur) petitur res ipsa si existat, vel ejus æstimatio etiamsi nihil ad hæredes pervenerit, nec lis fuerit cum fure contestata. f. 119. nu. 268.

Conjugi adversùs conjugem non datur Actio furti, sed rerum amotarum, & hoc in honorem matrimonij. Datur tamen etiam adversùs hæredem etiamsi nihil ad eum pervenit. Quodsi res amotæ ad hæredes plures pervenit, non possunt singuli in solidum conveniri, sed in tantum, in quantum secundùm proportionem hæreditatis ad eos pervenit. eod.

Pignus Creditori à debitore furto ablatum, non cadit in causam furtivam, ut usucapi non possit, cùm per ipsum furtum redeat ad dominum. f. 120. n. 270.

Non liberatur fur à pœna, etiamsi ante sententiam sponte restituat. f. 121. n. 271.

Furandi animus tunc præsumitur, quando quis rem occultè modo insueto accipit, nisi contrarium fortiori præsumptione elidatur, aut oppositum probetur. f. 121. n. 272.

Qui moroso debitori auffert, quantum sibi debet, furtum non committit, quia non aufert animo lucrandi. f. 121. n. 273. Sic etiam potest furi res furtiva propriâ auctoritate auferri ab eo, qui furtum passus est. eod.

Pro fure habendus est, qui rem alienam inventam detinet, sciens rei dominum, aut non debito modo investigans. f. 121. n. 274.

Non datur Actio furti contra eum, qui aliquid aufert animo furandi, quia putat dominum esse invitum, cùm non sit. f. 121. n. 275.

Qui ex Naufragio vel incendio aliquid auffert, tenetur Actione furti in quadruplum intra annum utilem, post annum in simplum, & insuper bonorum publicatione mulctatur, ac excommunicationem incurrit. f. 122. n. 277.

In cujus domo res furtiva reperitur, non præsumitur fur, nisi aut sit homo improbus, aut clàm, aut vili pretio, aut sæpius à fure emerit, nec furem ostendat, aut anctorem à quo emit. Si dicat se à transeunte ignoto emisse, suspectus est. f. 122. n. 278.

Pluribus simul furtum facientibus, habet Actor electionem, quem illorum velit in solidum convenite. f. 122. n. 279.

Datur Actio furti etiam contra Impuberem pubertati proximum. f. 122. n. 280.

Si res vendita necdum tradita furto aufferatur, habet venditor optionem, ut vel agat contra furem, vel emptori actionem cedat. fol. 122. num. 281.

Re mobili in usumfructum datâ, & furto ablatâ, Usufructuarius aget ratione fructuum, proprietarius ratione proprietatis, quantû eorum interest. f. 123. n. 282.

Jure Bavarico si quis furem in manifesto deprehendat, aut fur rem penes se habeat, potest rem auctoritate propriâ eximere. Si res furtiva in Judicio detinetur, potest eam septuaginta duobus nummis Monacensibus redimere. eod.

De quantitate furti requisita ad peccatum mortale, vide, *Damnum injuriâ datum*.

De necessitate accipiendi alienum excusante à furto, vide, *Necessitas proximi*.

De Compensatione occulta pro furto facto, vide, *Compensatio.*

Si rem furto ablatam ab uno, alius fuisset æquè furaturus, adhuc tamen fur tenetur. fol. 140. n. 371. Quando teneatur fur pro re ablata, quæ alioquin fuisset apud dominum peritura; vide. *Damnum injuriâ datum.*

Tomo 6.

In Ordinatione Carolina plurima ordinatè statuuntur circa pœnas furto pro diversa quantitate, vel cum diversis circumstantijs aggravantib' commisso constitutas, quæ referuntur. fol. 106. n. 210.

Quando taxatur in eadem Ord. furti quantitas per Florenos, ex praxi per florenum intelligitur Ducatus (qui est florenus Ungaricus) secundùm eum valorem quem habet tunc quando fit furtum. fol. 107. n. 211.

Quamvis intuitu opulentiæ illius cui fit furtum mitiùs puniatur fur cæteris paribus, non tamen ob indigentiam ejusdem læsi potest pœna ordinaria suspendij decerni, si non fit furtum taxatæ quantitatis pro suspendio. n. 212.

Quando pluralitati furtorum taxatur certa pœna, sufficit ea vel diversis locis, vel temporibus esse facta. fol. 107. nu. 213.

Qui prioribus furtis fortè jam punitis aut condonatis, superadderet aliud furtum, priora concurrerent ad faciendum numerum, & respondentem illi pœnam. n. 214. & seqq. ubi vide limitationem.

Si plures simul furati sunt, & ad unumquemq; eorum tanta summa pervenit, quæ secundùm se suspendio punitur, omnes suspendi possunt, & de jure debent, secùs, videntur fustigatione puniendi, secluso juris rigore. fol. 108. n. 218. & seq.

Si furtum factum est cum violentia periculosa & seditiosa, etiam minor summa quæcunq; sufficit ad suspendium per Ordin. Carol. secùs, si fine tali violentia, quæ indicet animum occidendi resistentes. fol. 109. n. 222. In dubio judex arbitrabitur. n. 223.

Quod de effractione dictum est, etiam de conscensione dicendum, nempe requiri, ut sit periculosa. fol. 110. n. 224.

Pœna suspendij potest in mitiorem, judicio Jurisperitorum converti à Judice, v.g. in fustigationem, si res furto ablata absque lucro furis & alterius damno ad dominum redit. fol. 110. n. 226. & seqq. ubi corollaria.

Fur pœnitens, &, antequam accusatur, rem restituens in se vel æquivalenti, punitur pœnâ arbitrariâ, carceris, relegationis, vel etiam fustigationis. n. 230. Imò, si etiam post accusationem fur transigat, vel satisfaciat, liberatur à pœna suspendij. fol. 111. n. 232.

Impuberes pubertati proximi regulariter non suspendio, sed mitiore arbitrariâ pœnâ plectendi sunt. n. 234. Imò, non facilè ad fustigationem condemnandi, nisi modicum tempus ad pubertatem deesset. eod. Ex gravitate tamen furti, & malitia supplente ætatem, posset ex consilio Jurisperitorum etiam ad ultimum supplicium procedi. n. 235.

Non improbabiliter idem dici posset de Minorenne, quamvis, inspectâ Carolinâ Ord. videtur puniendus pœnâ ordinariâ. n. 236. & seq.

Maritalis & sanguinis conjunctio excusat à pœna suspendij, adeo ut nec Judex ex officio tales criminaliter punire possit. f. 112. n. 240.

Furta Domesticorum, ex consuetudine Italiæ & Germaniæ puniuntur pœnâ ordinariâ. n. 241.

Nobilibus etiam pœna suspendij in aliam commutari solet. n 242.

In quarundam rerum furtis puniendis, diversa est locorum consuetudo, ut sunt cibaria, arbores furtim cæsæ. Si tamen arbores cæderentur diebus feriatis, fur actione furti teneretur, & criminaliter puniretur extra ordinem. fol. 113. n. 243. & seq.

Fures piscium ex piscinis, lacubus, vivarijs, possent etiam suspendio puniri. n. 243.

Auxiliatores furum pro diversitate auxiliorum arbitrariè puniuntur. n. 244. & seqq. ubi exempla.

Participans de furto, pro diversitate circumstantiarum punitur, vel relegatione, vel fustigatione, si non est cooperatus, sed participando approbat. n. 252. Idem videtur dicendum de Receptatore. n. 253.

Emens rem furtivam sciens, punitur pœnâ arbitrariâ, carceris, relegationis, pecuniariâ. fol. 115. n. 255. Si vili pretio emit, præsumitur scivisse, rem esse furtivam. n. 255. Si bonâ fide iterum vendidit, ad nullam restitutionem tenetur, nisi ex re factus esset locupletior. benè tamen, si malâ fide. n. 256.

Attentatum furtum extra ordinem arbitrariè punitur. f. 115. n. 257.

Fur deprehensus in alio territorio, potest ibi suspendi, nisi remittendus esset ad locum delicti, f. 116. n. 258.

Rem furto ablatam in alienis ædibus per publicos ministros tunc demum perquirere licet, si prægnantia sint indicia rei ibi detentæ. n. 259.

Res furto ablata non potest à Magistratu sibi jure Fisci attribui n. 260.

Dominus rei furtivæ recuperatæ, non tenetur ad solvendas ullas expensas factas à Magistratu. num. 261

Furiosus.

Tomo 2.

Furiosi testamentum, etiamsi nulla lucida intervalla præcessissent, si tamen esset factum sicut alij sanæ mentis faciunt, & testes affirmarent sibi visum esse, ad mentem rediisse, sustinendum esset favore ultimarum voluntatum, & præsumendum, quòd fuerit sanæ mentis. fol. 53. n. 243.

Gratia

G.

Gratia facta in Rescripto.

Tomo 1.

Gratia aliquando dicitur *Facta*, aliquando *Facienda*. aliquando respicit solum illum cui conceditur, aliquando conceditur facultas in favorem tertij. Aliquando ad usum indefinitum: aliquando in favorem personæ determinatæ, & circa rem determinatam. f.41. n.227. & seq.

Si totus favor consistit in prima concessione, & non in delegatione, Gratia est *facta*, adeoque non exspirat morte concedentis. fol.42. n.230. Si facultas delegatur indefinitè respectu personarum, gratia est etiam Facta. 231. Si delegetur non in favorem delegati, sed præcisè ut exerceatur erga personam determinatam, ità tamen ut liberè eam exercere possit, censetur gratia *facienda*. 232. Si imponitur necessitas delegato, regulariter est etiam gratia facienda, quamvis probabile etiam sit, esse factam. 232. Item gratia censetur facta, quando Rescriptum alloquitur privilegiandum, etiamsi requiratur alterius cooperatio. 236.

Ut gratia sit facta, non requiritur acceptatio, benè tamen ut sit irrevocabilis. unde etiam post mortem concedentis acceptari potest. fol. 43. num. 238.

H.

Habitationis servitus.

Tomo 2.

Habitatio est tertia Species Servitutum Personalium, & definitur: Jus habitandi in alienis ædibus, salvâ earum substantiâ, per se vel per alium. fol.144. n.147.

Habitationis servitus differt ab usûs servitute in tribus. 1. quòd in solis ædibus esse possit. 2. quòd possit alteri locari. 3. quòd non amittatur solo non usu: nam in hac servitute toties dies cedit, quoties habitare commodum est. fol.eod. n.148.

Hæreditas. Hæres.

Tomo 1.

Qui aufert aliquid ex hæreditate jacente, non committit furtum, juridicè loquendo, sed crimen expilatæ hæreditatis, quia nullius detentionem vel possessionem intervertit. fol.117. n.258.

Hæres scriptus, quomodo post sublatum Adriani edictum possit mitti in possessionem, vide, *Interdictum Quorum bonorum.*

Tomo 2.

Hæres non potest esse testis in testamento quo scriptus est hæres. fol. 29. n.134.

Hæres etiam injusto metu adiens hæreditatem fit hæres, restitutionis tamen beneficio gaudet. fol. 40. n.140.

Hæreditas, quæ As vocatur, in duodecim Uncias dividitur, & pro diversitate numeri diversa nomina sortitur, ut Sextans, Quadrans, Triens, Quincunx, Semis, Septunx, Bes, Dodrans, Dextans, Deunx. fol. 63. n. 289.

Plures hæredes instituti, nullâ partium designatione factâ, consequuntur partes æquales, etiamsi unus in recto, cæteri in obliquo nominati essent. fol.63. n. 290.

Institutis hæredibus necessariò instituendis habentibus ordinem conjunctionis, v.g. filio & nepote, nepos censetur filio ex asse instituto vulgariter substitutus, etiamsi jam natus sit, & etiamsi testator ordinem invertisset: & hoc ex præsumpta voluntate, nisi de contraria constaret: v.g. ex adjecta part. *unà, simul*, &c. Idem esset, si v.g. institueretur familia, in qua esset ordo, secùs, si extraneum patrem cum filio suo, tunc enim æqualiter immediatè succederent. f. eod. n.291.

Instituto uno simpliciter, & simul alijs pluribus collectivè, ille unus Semissem, cæteri alterum capient, siquidem diversis orationibus institutio facta est. fol.64. n.292.

Institutis hæredibus in partibus inæqualibus, onera quoq; proportionaliter sustinent. fol. eod. n. 293.

Si testator non absolvisset duodecim uncias, censeretur iu pauciores assem contrahere voluisse, quod illi licet. n. 294. Si verò numerum unciarum excessisset, hæreditas in totidem uncias dividenda esset. 295. nisi constaret, quòd à priore voluntate, quâ v. g. uni 12. reliquit, recessisset, & illi auferre voluisset, ac alteri relinquere. num. 296.

Uno in certa parte, alio indefinitè instituto, si duodecim uncias non excessit, reliquum ad indefinitè institutum pertinet: si excessit, videndum, quot uncias mente conceperit: vel Medietas ad indefinitè institutum pertinebit. f. 65. n. 297.

Institutis pluribus hæredibus cum relatione ad designationem partium in alia scriptura factam vel faciendam, cùm tamen nulla facta sit, succedent in partes æquales. f. eod. n. 298.

Si Testator verbis directis & non communibus usus est, & unum solum hæredem (vel plures sine differentia) in re certa instituit, detractâ rei certæ nominatione hæres ex asse erit. f. 66. n. 300.

Si duo in rebus inæqualis valoris, vel in eadem re pro partibus inæqualibus scripti sunt, tunc in tali re vel rebus inæquales erunt tanquam in prælegato, in reliqua hæreditate æquales, nisi aliunde constaret, quòd testator vellet proportionaliter esse inæquales. f. eod. n. 301. & seq.

Jure Novo, hæredibus *suis* in re certa institutis, debent hæredes reliqui scripti legitimam implere, alioquin rumpent testamentum. f. eod. n. 303.

Quodsi testator adderet, se velle, ut hæres extraneus cum tali re determinata contentus sit, habendus esset ut legatarius, & succederent hæredes ab intestato, possentque Falcidiam detrahere ex illa re, casu quo Falcidiæ locus esset. f. 67. n. 305. & seqq.

Institutus in re certa, participat aliquid juris de Legatario, & aliquid de hærede; de Legatario quidem

quidem, quòd patiatur Falcidiam, si alius cohæres est, & quòd non utatur actionibus hæreditarijs, nec illis conveniri possit. De hærede verò participat titulo institutionis, r. non impugnet testamentum, & nullo alio hærede existente totam hæreditatem consequatur. f. 67. n. 309. Hæres ex testamento an aliquando concurrat cum hærede ab intestato, vide, *Testator*.

Hæredis institutio an alieno arbitrio committi possit, vide, *Institutio*.

Hæres Suus ille dicitur, qui vel debet nominatim exhæredari, vel hæres institui. præteritus rumpit testamentum, ità tamen ut legata sustineantur. f. 73. n. 330. Quatenus ergo necessariò instituendus est, dicitur etiam *hæres necessarius* quamvis hodie possit abstinere ab hæreditate. fol. 84. n. 376.

Hodie sola Mancipia sunt hæredes necessarij, hoc sensu, quòd hæredes scripti debeant adire hæreditatem acceptâ libertate: & hujus nomine Bona subhastantur, sine obligatione deinceps satisfaciendi creditoribus. f. 85. n. 378. Vide *Suitas*.

Hæreditatis Petitio.

Hæreditatis petitio, est Actio quâ hæreditatem ad nos spectantem vindicamus. Quæ Actio quamvis sit in Rem scripta, per accidens tamen respicit præstationes personales, quas exigit. f. 145. num. 631.

Hæreditatis petitio alia est Civilis, alia Prætoria, nempe Bonorum possessio, continens eadem commoda & incommoda. Et ideo Bonorum possessor instar hæredis habetur. eod.

Est autem differentia inter Hæreditatem Civilem & Prætoriam, seu Bonorum possessionem, quòd illa immediatè & directè universa defuncti commoda & incommoda deferat, & dominum faciat: hæc verò solùm Jus persequendi retinendique patrimonij tribuat, seu rerum quæ defuncti fuerunt, cùm moreretur, commoda verò vel incommoda hæreditatis his mediantibus persecutionibus, aut retentionis beneficio per Exceptionem. eod.

Hæreditatis petitio datur adversùs eum, qui pro hærede vel possessore possidet bona hæreditaria, nec præscriptione longi temporis extinguitur. f. 145. n. 632. Pro hærede autem dicitur possidere, qui seu bonâ seu malâ fide dicit se hæredem esse, cùm reverà non sit. n. 633. Pro possessore possidet, qui interrogatus quare possideat, alium titulum allegare non potest, nisi dicendo: *Quia possideo*. Contra eum ergo, qui alio titulo munitus esset, v. g. qui pro emptore possideret, non daretur hæreditatis petitio, sed rei vindicatio. n. 634. Et ideo talis non tenetur restituere fructus nisi post litem contestatam perceptos: priores verò tenentur restituere omnes fructus etiam ante litem contestatam perceptos. f. 146. n. 635.

Utili hæreditatis petitione possunt etiam conveniri alij, qui loco hæredis habentur, ut Bonorum Possessor, hoc est, ille qui hæreditatem jure prætorio possidet: item fideicommissarius cui hæreditas à non hærede restituta est: item qui hæreditatem à non hærede emit. eod.

Contra Debitorem hæreditarium non datur Hæreditatis petitio, nisi dicat, se possidere debitum pro hærede. f. eod. n. 636.

Hæreditatis petitio datur contra eum, qui dolo desijt possidere, quia pro Possessore habetur: adeo ut etiamsi solvat æstimationem rei, quam dolo desijt possidere, nihilominus petitio hæreditatis detur contra verum possessorem, sed pretium deductis expensis deberet restituere priori. f. eod. nu. 637.

In petitione hæreditatis veniunt etiam res alienæ, quæ apud defunctum extiterunt, v. g. res depositæ, commodatæ, oppignoratæ, &c. f. eod. num. 639.

Hæreditatis aditio.

Hæreditas aditur vel signis, ut sunt verba, nutus, vel re, seu actu, v. g. solvendo creditoribus, petendo bonorum possessionem, relinquendo in suo testamento alteri portionem sibi relictam: nec requiritur apprehensio rerum hæreditariarū ad acquirendum dominium, sed extraneus fit adeundo dominus: hæres *suus* fit dominus ipso jure, etiam absque aditione. f. 154. n. 665.

Jure novo hæreditas furioso delata, per procuratorem adiri potest. f. eod. n. 666.

Pupillo, qui infante major est, potest quidem tutor bonorum possessionem etiam ignoranti acquirere agnoscendo: hæreditatem verò seu successionem civilem non nisi consentiente pupillo. f. eod. n. 667.

Pupillo infanti hæreditatem delatam tutor per se acquirit. f. eod. n. 668.

An substitutus pupillariter possit adire unam hæreditatem alterâ repudiatâ, vide, *Substitutus*. & hîc n. 669. & seq.

Pater potest adire hæreditatem (exclusо substituto) delatam filiofamilias etiam hoc invito. fol. 165. n. 31. & seqq.

Hæreditatis Repudiatio.

Repudiatio opponitur Aditioni, & Abstentio in hærede *suo* opponitur Immixtioni. Et sicut Extraneus repudiat declarando, quòd nolit adire, ità *Suus* abstinet, nolendo se immiscere. f. 155. num. 670.

Tutor consentiente pupillo potest repudiare, sed non pupillus sine auctoritate Tutoris. f. eod. n. 671. Nec pater sine consensu filij potest hæreditatem filio delatam repudiare. eod.

Hæreditas semel adita ampliùs repudiari non potest, nisi sit locus Restitutioni in integrum. fol. eod. n. 672.

Qui ex uno capite, v. g. *unde liberi*, repudiavit, potest ex alio capite, v. g. *unde legitimi*, ad hæreditatem pervenire. f. eod. n. 673.

Filius-

Filiusfamilias patrem nolentem adire hæreditatem, etiam repudiando hæredem facit, & hoc sufficit ad excludendum substitutum. fol. 166. n. 34. & seqq. Servus tamen repudiando non facit hæredem suum dominum adire volentem, & ideo est locus substituto præ domino. n. eod. & 38. Repudiatio filij non est causa adæquata, quòd pater fiat hæres, sed simul lex 8. §. 2. C. de bonis quæ lib. & accedente aditione patris, suppletur voluntas filij. n. 39.

Tomo 4.

Hæres non tenetur Creditoribus ex quasi Contractu ob hæreditatis aditionem, sed convenitur à creditoribus ex illo contractu, quem cum defuncto celebrârunt. fol. 354. n. 1141.

Tomo 5.

Hæreditariæ res ibi petendæ, ubi tempore mortis exstiterunt, vel ubi depositæ sunt in perpetuum. fol. 78. n. 353.

A sententia quâ hæres ex testamento missus est in possessionem, non admittitur appellatio, ne quidem quoad effectum devolutivum. fol. 564. nu. 396.

Tomo 6.

Qui ex defuncti hæreditate nondum divisa aliquid aufert, committit crimen Hæreditatis expilatæ. Nec tamen talis est Juridicè fur, nisi auferret rem oppignoratam, aut commodatam. Tunc enim posset puniri ut fur pœnâ ordinariâ. secùs extra ordinem punitur. fol. 116. n. 262. & seq.

Hæreticus.

Tomo 2.

Ubi Hæretici non tolerantur, sunt intestabiles. fol. 50. nu. 227.

Homagium.

Tomo 5.

Homagium quo fidelitas promittitur, habet rationem veri Juramenti. fol. 412. nu. 731.

Homicidium. Homicida.

Tomo 1.

Homicidium (exceptis excipiendis) est contra Justitiam, & contra jus occisi. fol. 184. nu. 591.

Nemini licet occidere seipsum propriâ authoritate, & occisio sui est contra Justitiam erga Deum. & hoc non solùm ex lege positiva, sed naturali. fol. 186. n. 601. & seqq.

Probabilius est, quòd Reus condemnatus ad mortem, posset ipse esse executor sententiæ, ità jubente Judice, vg. haurire venenum oblatum, infligere sibi vulnus lethale. fol. 186. nu. 613. & seqq.

Non peccat contra Justitiam, qui voluntarijs corporis afflictationibus, vel excessu in cibo & potu, exponit se periculo abbreviandæ vitæ, si sit major probabilitas in contrarium, vel si non sit timenda notabilis vitæ abbreviatio. fol. 187. n. 616. Multò minùs, qui non est causa positiva, sed tantùm negativa abbreviationis vitæ. nu. 617.

Nunquam, sub quocunque prætextu, licet directâ intentione occidere innocentem, benè tamen indirectè. fol. eod. n. 619. & seqq. ubi declaratur exemplis. ad hoc tamen requiritur necessitas, & comparanda sunt damna utriusque, indéque colligendum, cujus jus sit fortius. 624. & seqq.

Nunquam licet directè intendere abortum, ne quidem fœtûs necdum animati. fol. 189. n. 628. Licitum tamen est matri sumere pharmacum de se nō tendens nec ordinatum ad fœtûs expulsionem, esto sit periculum expulsionis per accidens, si mater aliter servari non possit. 629.

Quid liceat contra invasorem, vide *Aggressor*, & quâ ratione liceat vel non liceat Duellum, vide *Duellum*.

Pro defensione rerum suarum potest fur aut raptor occidi, si aliter non possit à rapina repelli, & res sit tanti valoris, ut tantam jacturam læsus non teneatur ex charitate subire. modò fiat in flagranti. fol. 193. nu. 653.

Pro Honoris mihi debiti defensione, potest quidem fieri licita occisio inhonorantis homini sæculari laico, non autem homini Clerico vel Religioso. fol. eod. nu. 654.

Homicida amittit jus succedendi occiso. fol. 195. nu. 661.

Non tenetur ad aliquid restituendum præcisè pto damno vitæ, vulnerationis aut mutilationis. fol. 195. nu 662.

Si læsus potest adhuc alijs modis lucrari, quibus non fuisset lucraturus non factâ læsione, tantò minùs restituendum est, quantò minùs damnificatur in lucro cessante. fol. 195. nu. 666. Pro securitate optima est transactio. eod.

In æstimatione vitæ occisi, quâ diutius prodesse potuisset alijs conjunctis, potest observari computatio quæ fit in lege. 68. ff. ad L. Falcid. fol. & n. eodem. vide *Vita*. In conscientia obligabitur ad illud, quod ipse sibi putaret in simili casu ab alio præstandum. eod.

Personæ quibus juxta factam æstimationem restituendum est, non sunt quæcunque aliquam liberalitatem sperare poterant, sed quæ specialiter conjunctæ, nempe parentes, liberi, uxor. fol. 196. n. 668. & seqq. Creditoribus etiam, quibus occisus potuisset satisfacere, si supervixisset, debet satisfacere occisor, nisi debitâ & impotentiam præsentem inculpabiliter ignorâsset. n. 671. & seq.

Ad hæredes transit obligatio, non obstante ultimo supplicio, nisi personæ læsæ remittant. f. eod. n. 673. Neque juvaret hæredes, etiamsi occisor fuisset irritatus, si moderamen inculpatæ tutelæ excessit. 674.

Si quis seipsum tædio vitæ occidat, bona non confiscantur, sed ad hæredes pertinent. Si verò ad declinandam pœnam publicam, bona confiscantur, si careat ascendentibus, descendentibus, & collateralibus usque ad tertium gradum inclusivè. fol. 197. n. 675.

Mandans vulnerationem salvâ vitâ, non tenetur pœnâ ordinariâ, *l. Cornelia de Sicarijs*, si mandatarius occidat. f. 197. n. 676.

Occidens poculo amatorio vel abortionis, etiam absque intentione occidendi, summo supplicio afficitur. eod.

Statutum constituens pecuniariam pœnam homicidio, est pernitiosum. eod. n. 677. Lege Corneliâ de Sicarijs pœna capitis statuitur in homicidas, nisi in gradu nobiliore essent constituti, occisus verò longè inferior esset. Quam pœnam non solùm incurrunt, qui propriâ manu occidunt, sed etiam mandantes, mercede conducentes, suadentes, auxilium ferentes. eod. Homicidium ex proposito & insidijs Jure Bavarico rotâ plectitur, & exasperatur ob circumstantias aggravantes. f. 198. n. 678.

Error circa individuum non excusat. fol. eod. n. 679. & fusiùs To. 6. fol. 125. n. 196. si vulnus fuit lethale, non admittitur exceptio, quòd mortuus fuerit ex alijs accidentibus, benè tamen, si constet, vulnus non fuisse lethale, esto fuerit causa accidentium unde mors secuta est. tenetur tamen ad reparanda damna. Si dubium est, præsumitur fuisse lethale, nisi quid aliud deprehendatur, quod causa mortis esse poterat. fol. eod. n. 680.

In dubio præsumitur Homicidium voluntarium & dolosum potiùs quàm casuale. fol. 199. n. 681.

Ex Constitutione Carolina Criminali, si plures simul ex proposito occidendi aggressi sunt, omnes ut homicidæ puniuntur pœnâ ordinariâ: si rixa est ex improviso orta, & occisor scitur, pœnâ gladij punitur. Si plura vulnera illata sunt, sed ignotatur, quâ singulari manu & vulnere mortuus sit, tunc, qui sciuntur lethaliter vulnerâsse, omnes ut homicidæ puniuntur morte. Circa reliquos qui adjutores vel auctores rixæ fuerunt, sicut &, si de nullo constare possit, qui vulneraverit, recurrendum est ad Jurisperitos. n. 683. & Tomo 6. fol. 123. n. 286.

Tomo 6.

Homicida proditorius est, qui occidit ex improviso ex insidijs nihil tale suspicantem, nec cavere potentem. fol. 48. n. 214.

Quomodo privetur privilegio asyli, vide *asylum*.

Homicidium est Publici Judicij. fol. 118. n. 266.

Homicidii simplicis destinatè commissi in rixa est pœna mortis, & plerumque gladij, sine discrimine inter Nobilem & ignobilem. n. 267.

Si constet ex qualitate instrumenti (quia ex se non est aptum & ordinatum ad occidendum) vel aliunde præsumi possit, abfuisse animum occidendi, etiamsi gladio usus sit, ex benigniore DD. sententia non videtur homicida puniendus pœnâ gladij, sed mitiore: quia ad pœnam gladij requiri videtur animus occidendi. fol. 120. n. 275. cum præcedentibus & seqq. ubi argumenta in utramque partem afferuntur, & contraria solvuntur.

Qui præter dolum & animum occidendi, dat operam rei illicitæ, unde aliquis occiditur, non punitur pœnâ ordinariâ homicidij, sed pro qualitate culpæ vg. relegatione, vel pecuniariâ pœnâ. Excipiunt tamen Jura poculum amatorium, quamvis & hanc exceptionem aliqui negent. fol. 121. n. 278.

Mandans homicidium, eo secuto, punitur ut homicida pœnâ ordinariâ. fol. 121. n. 280.

Mandans vulnerationem non lethalem, quæ in potestate sit mandatarij, ut non sit lethalis, si mors inferatur, mandans liberatur à pœna homicidij ordinaria. n. 281.

Si post vulnus lethale ab uno inflictum, alius denuo vulnerando occidit, uterque ut homicida punitur. fol. 122. n. 282.

Consilium dans, ut fiat homicidium, eo secuto, punitur pœnâ homicidij etiamsi consilium revocâsset. Item alij auxiliatores proximè homicidium promoventes. n. 283.

Qui alium occidit non quidem proditoriè, sed animo destinato, non ex iracundia in rixa, talis solet secundùm Ord. Carol. in quibusdam locis rotâ puniri: alibi gladio. fol. 123. n. 284.

Homicidiū à præstolante in publica via comissum, pœnâ gladij punitur, & rei corpus rotæ imponitur. n. 285.

Homicidium simplex repetitum, punitur cum exasperatione arbitrio Judicis. eod.

Si lethaliter vulneratus periret casu fortuito, vg. ruinâ domûs, vel naufragio, adhuc videtur vulnerans puniendus pœnâ ordinariâ. f. 214. n. 288.

Si non constet, quis in rixa occiderit, non est locus pœnæ ordinariæ: sed si ex rixantibus unus magis alijs gravaretur, posset torqueri. n. 289. & seq. Neque auctor rixæ pœnâ ordinariâ puniendus esset, si de eo non constet quòd occiderit. n. 291.

Si tamen inter rixandum omnes clamarent: *occidite*: omnes essent pœnâ ordinariâ puniendi, utpote ex condicto operantes. n. 292.

Qui ad excusandum homicidium prætendit ebrietatem, probare debet privationem usûs rationis, alioquin præsumitur non fuisse privatus, & punietur pœnâ ordinariâ: sicut etiam, si constaret, quòd se in eum finem inebriâsset, ut periculosas rixas inciperet. fol. 125. n. 295. & seq.

Si vulneri per se non lethali, esto fuerit inflictum animo occidendi, accedat symptoma causans mortem per accidens, reus punitur extra ordinem. n. 299. Quodnam sit vulnus non lethale, vide *Vulnus*. Quomodo Judex debeat inquirere in naturam vulneris, habetur n. 302. & seq.

Conatus occidendi, effectu non secuto, non punitur pœnâ ordinariâ. f. 127. n. 305.

Moderamen defensionis, etsi non servato moderamine inculpatæ, tutelæ, excusat à pœna ordinaria homicidij. Moderamen inculpatæ tutelæ ab omni pœna excusat. fol. 127. n. 307. & seq. ubi vide utriusque declarationem. Non servans moderamen tutelæ inculpatæ, punitur extra ordinem pro gravitate excessûs. fol. 128. n. 309. & seq. Idem dicendum, etiamsi dolo malo excessisset. n. 311.

Moderamen inculpatæ tutelæ non liberat à pœna ordinaria illum qui fuit auctor rixæ, & ab adversario redactus est in necessitatem se defendendi per necem illius quem aggressus est. fol. 128. n. 312.

Si ad

Si ad duellum provocatus occidit provocantem, videtur mitiùs puniendus, nisi specialis lex obstet. f. 149. nu. 313. Idem dicendum de eo qui injustè ad iram provocatus est: quibus sufficeret pœna relegationis & fustigationis. nu. 314.

Qui aggressorem fugientem, nec probabiliter reversurum, insequendo occidit, non facilè à pœna ordinaria absolvetur: posset tamen mitiùs puniri. n. 315.

Qui occidit aggressorem, quem facilè & absque dedecore declinare posset, non excusatur à pœna ordinaria. nu. 316. Idem dicendum de eo, qui ex intervallo, etsi non magno, occidit, nisi id faceret jure præventionis. nu. 317.

Sicut licet se cum moderamine inculpatæ tutelæ defendere, ità & alium quemvis proximum. fol. 150. nu. 318.

Qui salvo moderamine occidit alium ad defensionem bonorum temporalium, excusari potest ab omni pœna. n. 320.

Probatio servati moderaminis incumbit occisori, ad quam potest à Judice dirigi, & ad eam admittitur, etiam postquam negans homicidium de eo convictus est. Probabile est, sufficere probationem factæ insultationis, ut præsumatur pro occisore, nisi esset aliqua probabilis suspicio non servati moderaminis. nu. 326. & seqq. Quod si desit omnis præsumptio pro reo, potest subjici torturæ. fol. 151. nu. 330.

Honor,

Tomo 1.

Honor non est idem quod Laus, sed est Testificatio nostræ existimationis de Excellentia alterius & eminentia super alios, cum Reverentia & submissione ipsius testificantis, vel saltem cum intentione procurandi reverentiam & submissionem in alijs propter talem excellentiam: quæ est quædam radicalis Honoratio, qualiter Deus & Principes dicuntur honorare subditos. fol. 165. n. 496. & seqq.

Pro honore, etiam occultè negato, & sine famæ diminutione, ac quocunque etiam alio damno secluso, adhuc est facienda restitutio. fol. 177. nu. 563. Neque satisfieret per communem alioquin debitam honorationem, sed opus esset signis honoris specialibus. 567.

Honoris damnum potest aliquando reparari bonis fortunæ non formaliter sed causaliter, & ad hoc tenebitur lædens honorem, si non potest aliter honorem formaliter restituere. f. 195. n. 665.

Hypotheca. Hypothecarius.
Hypothecaria actio.

De Jure Prioritatis Hypothecariorum. vide *Prioritatis Ordo inter Creditores. & Hypotheca Tacita & Legales.*

Tomo 1.

Potest aliquis propriâ auctoritate imponere hypothecam tempore posteriorem, cum jure prælationis ad antiquiores hypothecas. fol. 148. n. 421

Hypothecaria actio quo tempore præscribatur, vide *Præscriptio Servitutum, actionum, & obligationum.*

Hypothecaria actio quæ sit, & cui competat, vide *Serviana vel Quasi. & Pignus.*

Tomo 4.

Hypotheca est contractus, qui solo consensu perficitur, in cæteris convenit cum pignore. fol. 281. n 869. vide *Pignus.*

Ad constituendam Hypothecam jure communi non requiritur certa verborum formula, nec scriptura. eod. De Jure Bavarico requiritur scriptura ad hypothecas saltem rerum immobilium. fol. 286. n. 871. ubi vide, à quibus scriptura conficienda.

In concursu creditorum, ille qui habet hypothecam publico instrumento munitam, præfertur illi, qui non habet publico vel æquivalente instrumento munitam, etiamsi habeat privatum scriptum, & tempore priorem se dicat, nisi hoc aliunde probet. fol. 282. n. 870.

Hypotheca differt à mutuo, quòd constituatur in Securitatem debiti, & non transferat dominium. fol. eod. n. 871. Plura de Hypotheca, vide *Pignus.*

Hypotheca dividitur in Tacitam & Expressam. Illa est, quæ rebus imponitur à Lege in favorem certorum debitorum, & subsistit absque consensu debitoris, & eo etiam invito. fol. 282. n. 872. Ex paulò pòst referentur. Expressa est, quæ fit deliberatâ conventione partium ratione rei principaliter obligatæ. eod.

Hypotheca expressa dividitur in Generalem & Specialem. Illa est, quâ omnia bona etiam futura subijciuntur, donec debitum solvatur, exceptis ijs quæ hæres postea acquiret, & illis quæ quis in specie non fuisset subjecturus, Specialis est, quâ res certæ & determinatæ obligantur, & comprehendit etiam per consequentiam accedentia, item fructus, partus, fœtus. &c. fol. 283. nu. 874.

Hypotheca tacita communiter est generalis, quandoque tamen etiam specialis. eod.

Hypotheca specialis, quâ quis vg. obligat omnes suas ædes, extenditur etiam ad ædes postea acquirendas. fol. 284. n. 875. Sub Generali hypotheca veniunt etiam merces; sed quando pro illis pretium solvitur, desinunt esse hypothecatæ, & earum loco succedit pretium. n. 876. Veniunt etiam actiones & nomina, item servitutes. fol. 285. n. 877.

Hypotheca generalis comprehendit etiam fructus postea apud alium dominum enatos & perceptos, & partus animalium, ancillarum, fructus agrorum, si à debitore sati sunt. fol. 285. n. 878. ubi vide plura de fructibus usufructuarij debitoris. Si ex fructibus natis venditis ematur aliud prædium, hoc non est sobjectum sicut fructus. n. 879. Neque comprehendontur illi fructus, qui, postquam res principalis alienata fuit, primùm sati, & percepti sunt ab eo, qui dominus rei factus est. Nec comprehenduntur fructus industriales postea ab hærede percepti, bene tamen naturales. n. 881. Nec comprehenduntur fructus sati & percepti à conductore fundi obligati. fol. 286. n. 882.

Nomina & Jura personalia possunt hypothecari. fol. 288. n. 890. Ususfructus potest hypothecari, si verò consolidetur, exspirat hypotheca, nisi dominus consensisset. 893. & seq.

Oppignorato prædio, servitutes quoque sunt oppignoratæ & hypothecatæ. fol. 289. nu. 895. & seq. ubi plura de Servitutum hypotheca, quæ vide verbo, *Pignus*.

Feuda non possunt hypothecæ subjici à Vasallo. fol. 290. n. 999. de quo plura verbo *Feudum*. Emptor feudi non habens paratam solutionem, non potest feudū oppignorare aut hypothecæ subjicere, nisi facultas vendendi in favorem Vasalli concessa esset, aut oppignoratio cederet in commodum domini. fol. 290. nu. 901.

Si dominus directus dedit consensum in hypothecam, sed cum restrictione ad certum tempus, elapso tempore exspirat hypotheca, etiam durante feudo, quia babet tacitè adjectam clausulam cassatoriam. fol. 291. n. 902.

Hypothecato prædio, non censetur hypothecatū Jus patronatûs annexum, nisi haberet annexos aliquos speciales reditus, tunc enim hoc jus esset hypothecatum. fol. eod. n. 903.

Hypotheca in diem constituta, habet prioritatem respectu posterioris absolutè constitutæ ante adventum diei, dummodo pecunia mutua priùs numerata sit. fol. 293. n. 914.

Hypotheca generalis uni facta, non impedit, quin & alteri fiat: imò etiam cum speciali hypotheca alteri facta consistit, etiam inscio priore. fol. 29. nu. 920.

Si eadem res sufficiens est pro duobus debitis exsolvendis, potest hypothecā speciali duobus obligari illis incosultis. fol. eod. nu. 921. Si non sufficiat, priore creditore consentiente, & posteriore etiam conscio, adhuc potest utrique obligari. nu. 922.

Si creditor consentit in certam aliquam personam, censendus est sibi quoad illam personam duntaxat præjudicare voluisse, si scivit, non sufficere pro utroque debito, adeoque amittit prælationem respectu hujus solius: si generaliter permisit, respectu omnium postea constitutorum hypothecariorum amittit. fol. 295. nu. 923.

Si debitor eandem rem insufficientem duobus creditoribus inscijs obliget, habet secundus creditor actionem hypothecariam personalem, ut alia res sufficiens obligetur, & agere potest de crimine Stellionatûs. f. eod. n. 924.

De Actione Hypothecaria, vide, *Pignus*. & *Serviana*.

Hypothecæ Tacitæ seu Legales.

Fiscus habet tacitam hypothecam in omnium suorum debitorum bonis omnibus, præsentibus & futuris. f. 308. n. 972.

Pupilli & Minores habent tacitam hypothecam in bonis suorum Tutorum, Curatorum. Item in bonis matris ut tutricis, & in bonis vitrici, si mater nupserit, priusquam liberis tutorem petierit, aut reliqua persolverit. eod.

Filiusfamilias habet eandem in bonis patris ratione administrationis adventitiorum maternorum, & in quibus usumfructum non haber. f. 308. n. 973. Ecclesia eandem babet in bonis Administratorum f. 309. n. 974.

Maritus pro dote sibi promissa eandem habet in bonis illius qui dotem promisit, ut dos solvatur, & si quid evincatur, ad interesse. eod. Uxor habet eandem in bonis mariti cum jure prælationis, de quo alibi. f. 309. n. 975. Idem dicendum de augmento dotis postea superaddito. f. 310. nu. 976. Idem de Paraphernalibus, si à marito administrentur. nu. 977. Mulier babet eandem ob contradotem, sed non cum jure prælationis. n. 978.

In re alteri empta ex pecunia pupilli, habet pupillus ratione pretij nondum soluti hypothecam specialem tacitam itá privilegiatam, ut in tali re præferatur omnibus anterioribus hypothecarijs, etiam expressam hypothecam habentibus. f. 310. n. 979.

Locatori sont obligati fructus prædij locati, item res illatæ in prædium urbanum ab Inquilino. eod.

Legatarij & Fideicommissarij habent tacitam hypothecam in bonis testatoris. f. 310. num. 980. Non extenditur tamen ad res alteri legatas, sed eas solùm, quæ apud hæredem manent. eod. Potest testator hanc hypothecam remittere. eod.

Credens pecuniam ad reparationem ædificij, habet in eodem ædificio tacitam hypothecam. fol. 311. n. 982. Non est tamen extendenda ad eum, qui credit ad aliquam rem emendam, aut de novo ædificandam. Faciliùs extenderetur ad eum, qui ad conservandam domum, vel aliam rem jam antè oppignoratam alteri crederet pecunias. eod.

Ignoran-

I.

Ignorantia.

Tomo 1.

Regula Juris 47. *Præsumitur Ignorantia, ubi scientia non probatur*: Non est intelligenda de legibus promulgatis. f. 5. n. 21.

Ignorantia pœnæ à lege delicto impositæ, tunc excusat à pœna, quando lex ipsa ignoratur ut prohibens actum. Si autem solùm ignoretur pœna lata, & sciatur lex prohibens, non excusat à pœna ordinaria non medicinali, benè tamen ab extraordinaria, & à medicinali, quales sunt Censuræ. f. 20. n. 102. & seqq. Vide etiam *Lex*.

Illegitimus Naturalis.

Quinam hi sint, vide *Legitimi*.

Tomo 2.

Matre, vel legitimis filijs, vel nepotibus aut pronepotibus cujusvis sexûs existentibus, unam tantùm unciam potest pater naturalibus filijs illegitimis eorúmque genitrici, vel si concubina sola extet, semiunciam relinquere si unica sit, & nulla uxor legitima existat. f. 61. n. 278. Nullis legitimis descendentibus aut ascendentibus existentibus, potest naturalibus jure novissimo pro libitu relinquere. num. 279. Videnda est Novella 89. c. 12. §. 3.

Existentibus liberis legitimis, avus non potest pro suo libitu instituere nepotes naturales ex filio naturali vel legitimo, nec potest illis plùs relinquere, quàm pater filijs naturalibus: idem de nepote legitimo ex filio naturali dicendum. f. eod. n. 280.

Immissio in Bona Debitoris.

De hac Immissione & duplici Decreto, vide: *Contumacia*.

Immunitas Ecclesiastica.

Tomo 3.

Si Principes vel Communitates contra Ecclesiæ libertatem Statuta faciant, feuda quæ ab Ecclesia habent, ipso jure amittunt. f. 329. n. 899.

Plura de Immunitate, vide, *Iurisdictio. Asylum.*

Imperium Merum. Mixtum.

De Imperio mero & mixto, vide *Jurisdictio*.

Tomo 5.

Status Imperij, & Nobiles immediati, vulgò Greyreichs-Ritterschafft, per Investituras cum Territorijs ab Imperatore Superioritatem Territorialem, & Regalia cum omnimoda Jurisdictione mero & mixto Imperio accipiunt: quod in Bavaria Principis nomine exercent Superiora Dicasteria, Præfecti Electorales, ex Landsassiis verò illi solùm, qui hoc habent annexum suis Castris, quæ ad differentiam Hoffmarchiarum mixtum solùm Imperium habentium, Herrschafft vocantur, aut quibus Princeps specialiter concessit, ut Civitates Principales. fol. 9. n. 37.

Tomo 6.

Causæ Meri Imperij non possunt, universim loquendo, alteri delegari. fol. 2. n. 2. Si tamen habens merum Imperium sit absens, potest alteri delegare, sicut & ob infirmitatem. n. 3. & 4. Et tunc censetur causa solùm mandata ad cognoscendum, non ad definiendum. f. 3. n. 9.

Quid observetur Jure Bavarico, vide n. 10.

Ad merum Imperium spectant delicta, quorum pœna est membri abscissio. Quamvis hæc pœna non sit propriè capitalis. f. 4. n. 11. & seqq.

Ad merum Imperium spectat Deportatio & Relegatio. fol. 5. n. 19.

Item spectat Incarceratio ad custodiam in causa criminali, vel perpetua pœnalis. f. 6. n. 25.

Item Tortura gravis. n. 28. & bonorum confiscatio. f. 7. n. 29.

Impubes.

Impubes an possit esse testis in testamento, vide, *Testamentum. Testium inhabilitas.*

Tomo 2.

Impubes factus pubes, admittitur ad dicendum testimonium de illis, quæ in impubertate pubertati proxima vidit. f. 28. n. 128.

Impubes, quantumvis sui juris sit, & pubertati proximus, usque ad inchoationem illius diei, quo completur decimus quartus annus in masculis, duodecimus in fæmellis, testamentum facere non permittitur. fol. 52. n. 238. Neque in hoc miles est privilegiatus. n. 239. Neque testamentum convalescit superveniente pubertate. eod. Imò nec adjecto juramento firmatetur. n. 240.

Incarceratio.

De hac vide, *Captura*.

Incendium.

Quomodo teneatur Conductor domûs ex incendio in domo conducta exorto, vide *Locatio Conductio*.

An paterfamilias domûs incensæ, aut qui demolitur ædes incensas, possit conveniri ex lege Aquilia, vide, *Aquilia lex*.

Tomo 6.

In Jure Canonico variæ pœnæ statuuntur, quæ referuntur eod. num. Item Jure Civili. n. 332. In Ord. Carol. jubentur exuti. n. 333. Nullo facto discrimine inter Nobilem & Ignobilem. f. 134. n. 334. Nec inter incendium factum ruri, vel in civitate. eod. Extenditur etiam ad mandantem. eod.

Ab hac pœna non relevaretur incendiarius prætextu præcedentis iræ ab adversario causatæ. n. 335. Neque tamen etiam facilè exasperari potest. n. 336.

In hoc crimine ad pœnam ordinariam sufficit attentatum. nu. 337. Si tamen pœnitentiâ ductus causas incendij removisset, mitiùs puniretur arbitrio Judicis. n. 338. & seq.

Quòd minor ætas excuset, non satis probatur ex Jure. f. 135. n. 340.

Qui non quidem dolo, sed tamen culpâ incendio causam dedit, proculpæ & damni diversitate punitur, quandoque etiam in corpore. n.341. Plura vide, *Aquilia lex.*

Incestus.

Tomo 2.

Nepos ex incestuosis nuptijs descendens, non potest ab Avo incestuoso hæres institui. fol.61. n.277.

Tomo 6.

Incestus committitur per copulam carnalem inter personas conjunctas gradu Dirimente matrimonium. fol.135. n.344. Idem cum conjuncta conjunctione Spirituali. fol.136. n.345.

Incestuosi in linea recta, puniendi sunt pœnâ gladij, tam mas, quàm fœmina, in quocunque gradu sint conjuncti. n. 347. Idem dicendum (spectato Jure) de lateraliter conjunctis, nisi locorum consuetudo obstet. n.348.

Nuptiarum incestarum pœna est amissio dotis vel contradotis datæ, & post mortem etiam cæterorum bonorum, & intestabilitas, nisi exstent personæ conjunctæ, quæ enumerantur n.349.

Indebiti Condictio.

Tomo 4.

Cui aliquid indebitum solutum est, tenetur restituere ex Quasi contractu, qui in pluribus differt à Mutuo. fol. 357. n. 1149.

Quando Indebitum solvitur ex re fungibili, vocatur *Promutuum.* n 1150.

Ex hoc Quasi contractu datur Condictio Indebiti, quæ etiam competit illi, qui dubitat, an debeat, & solvit reverâ indebitum. fol 357. n.1151.

De rigore juris non conceditur repetitio indebiti soluti per ignorantiam Juris, benè tamen ex æquitate, quæ ab ipso jure agnita sit. fol. 358. n. 1154.

Cessat hæc actio 1. Quando ex causa Jurisjurandi solutum est. 2. Si sine dolo fuerit transactum. 3. Quod ex causa judicati solutum est. 4. Si solvatur ex causa dubia tali, ex qua graviùs damnaretur solvens, si convinceretur. 5. Si solutum sit ex causa pietatis credita. f. 359. n. 1157.

Competit etiam solventi debitum sub conditione ante eventum conditionis, si hæc contingens sit. fol.359. n.1158. Si conditio est certò futura, posset ex æquitate repeti Interusurium. n. 1159.

Indebiti condictio competit etiam illi, qui dolo inductus ad contrahendum debitum, illud deinde solvit. f. eod. n. 1160.

Qui absolutus in Judicio agnoscit se fuisse debitorem, & solvit, non haber jus repetendi tanquam indebitum. f.360. n. 1161.

Qui per errorem solvit, quod alius debet, putans se debere, potest solutum repetere. fol. eod. num. 1162.

Qui solvit copulativè, quod solùm debebat alternativè seu disjunctivè, habet in Repetitione electionem, sicut habuerat in solutione. f. eod. n. 1163.

Datur hæc Actio hæredi & contra hæredes. fol. 361. n. 1164.

Si Procurator indebitum solvit, vel accepit, competit condictio domino, & adversus dominum, si ratum habuit, secùs, convenit procuratori, & adversùs eundem. f. eod. n. 1165.

Si res indebita soluta non ampliùs exstet, petitur æstimatio, in quantum alter locupletior factus est. f. eod. n. 1166.

Fructus merè industriales non sunt restituendi. eod.

Si duo Correi ambo solvant totum, neglecto beneficio divisionis, tunc, si simul solverunt, singuli possunt repetere solutum indebitum, si successivè, solus posterior. f. eod. n. 1167.

Potest huic Actioni à solvente validè renuntiari. f. eod. n. 1168.

Solvens indebitum per errorem transfert dominum. f. 362. 1170.

Indicia.

Tomo 6.

Indiciorum copia reo est edenda, etiam non petenti, ante condemnationem. f. 272. n.311.

De Indicijs ad Torturam prærequisitis, Vide; *Tortura.*

Indignus successione.

Tomo 1.

Successione indigni sunt, qui defunctum occiderunt; causam mortis præbuerunt, mortem ulcisci neglexerunt: ejus judicium impugnant: gravis delicti reum faciunt: status controversiam movent: qui petunt bonorum possessionem contra tabulas: qui uxorem contra leges duxerunt: inimicitias capitales cum defuncto exercuerunt: illi maledixerunt: uxorem ejus corruperunt: in fraudem legis promiserunt restitutionem facere personæ incapaci successionis: qui hæreditatem compilârunt: in quantū compilârunt: qui de hæreditate viventis improba pacta fecerunt: denique qui se à tutela testamentaria excusant. Sed horum ultimorū portio nō cedit fisco sicut reliquorum. f.498. n. 531.

Tomo 2.

Quibus tanquam indignis hæreditas aufertur, cùm non sint simpliciter incapaces hæreditatis, sed auferatur in pœnam, possunt hæreditatem retinere, donec per sententiam condemnentur. f. 63. num. 288.

Infamia. Infamator. Infamis.

Tomo 1.

Infamia alia est Juris, alia facti, quæ quidem non est auctoritate legum constituta, sed tamen opinionem apud honestos viros gravat. f. 166. nu. 502.

Infames infamiâ Juris, sunt triplicis generis. Ex delicto proprio. Ex alieno. Ex officio vili. f. 166. n. 503. ubi specificantur, qui primi generis sunt, quorum

quorum aliqui fiunt infames ipso jure, alij per sententiam condemnatoriam. Deinde qui secundi & tertij generis sunt, specificantur. f. 167. n. 504. & seq.

Omnis Infamia à Jure Civili introducta, est approbata à Jure Canonico, quo jure superadduntur Irregulares ad Sacerdotium ex delicto, Raptores Mulierum, descendentes in duellum, eorúmque patrini; Insecutores Cardinalium. fol. 167. num. 506.

Infamia facti non est perpetua, sicut Infamia Juris, nam facto contrario tolli potest. f. eod. n. 507.

Præcipuus Infamiæ Juris effectus est, quòd excludat ab omnibus dignitatibus & officijs, etiam Tabellionis & Advocati. Nec Episcopus potest dispensare cum Infamibus ut ad Ordines ascendant, in susceptis tamen ut ministrent post peractam pœnitentiam, potest dispensare, si tamen delicta fuerint adulterio minora. fol. 167. num. 508.

Contumax in causa delicti infamantis, non fit per sententiam infamis. f. eod. n. 509.

Sententia Arbitri non facit infamem, in causa in qua sententia Judicis faceret. f. 167. n. 510.

Infamia per sententiam incurrenda, potest etiam post litem contestatam evitari, si reus offerat pœnam pecuniariam, in quam esset condemnandus. f. 168. n. 513.

Infans.

Tomo 1.

Non obligatur legibus, etiam quando malitia supplet ætatem. f. 19. n. 94.

Infantem esse capacem Dominij, est de fide. f. 342. n. 208. ubi etiam ratione probatur.

Infanticidium.

De hoc vide, *Parricidium*.

Inhibitio.

Quando Inhibitio ob introductam appellationem decernenda sit, vide: *Appellatio*.

Injuria. Actio Injuriam.

Tomo 1.

Injuria Theologicè loquendo (nam in allo sensu accipitur communiter à Jurisperitis) est Voluntaria actio vel omissio actionis contra Jus alterius. Unde Regula: Scienti & consentienti non fit injuria neque dolus. fol. 89. n. 112. & seq. Et: Nemo videtur fraudare eos, qui sciunt & consentiunt. eod.

Potest quis injuriam pati, etiamsi babeat complacentiam, vel etiam desiderium Actionis injuriosæ. Ut ergo Volens non patiatur injuriam, requiritur talis voluntas, quâ quis cedat jure suo, & hæc debet lædenti innotescere. f. 89. num. 115. Hæc autem voluntas non semper est efficax, nempe quando inhabilitatur à Superiore, ut in pupillo, minore, conjuge, filiosam. sæpè inhabilitantur, de quibus alibi. 116.

Injuria nunquam fit consentienti voluntate efficaciter cessivâ juris. f. 90. nu. 118. ubi ad varias instantias respondetur. Consentienti voluntare inhabilitatâ ad cedendum jure suo, adhuc fit injuria. 124. Quod si talis positivè resisteret, & non consentiret, esset quidem peccatum ejusdem speciel, sed in majore gradu malitiæ. 125.

Injuriatum tria genera Jus considerat. Nam alia est Injuria Realis, alia Verbalis, alia Scripta. Realis fit in corpore alicujus, pulsando, pudicitiam attentando; item si quis re suâ, aut publico jure uti prohibetur. Si non debitoris, quasi debitoris bona, infamandi causâ occupantur, aut pignus proscribitur. Vestis ad invidiam alicujus mutatur. Si fidejussor idoneus non accipitur: Si is qui idoneum dabat, in Jus rapitur. Digito infami protenso cinædus demoustratur, infami picturâ notatur, &c. Verbalis. Si alicui convitium fit, vel quid probrosum objicitur. Scripta, quæ fit per libellum famosum. fol. 178. num. 569. & seq.

Injuria alia dicitur Atrox, alia Levis. Atrox æstimanda est vel ex facto, vel ex loco aut tempore, vel ex persona. f. 179. n. 571. Filius emancipatus potest atrocem injuriam persequi contra patrem, non levem; filiusfam. neutram potest. eod.

Injuriarum actio datur non solùm læso, sed etiam patri ratione filijfam. Marito ratione uxoris, socero ratione nurûs, (si maritum habet in potestate) cæteris conjunctis non nisi quando injuria in illos redundat. f. 179. nu. 572.

Potest pater factam filiosam. injuriam remittere, nisi respectivè sit vilis persona. Ex Lege Cornelia tamen nec agere, nec talem injuriam remittere potest. eod.

Actionem injuriarum civiliter intentans, æstimat injuriam pœnâ pecuniariâ sibi adjudicandâ, à Judice temperandâ. Criminaliter verò agens petit condemnari in pœnam à Judice infligendam. nec hæ actiores cumulati possunt, benè tamen cum Actione ex Lege Aquilia. f. eod. n. 573.

Actio hæc quatenus competit ex Lege Cornelia est Civilis & perpetua, alioquin est Prætoria, durans per annum. f. 176. n. 574. ubi refertur, quid in hoc Jure Bavarico observetur.

De Actione ad Palinodiam, vide, *Palinodia*. Vide etiam, *Diffamatio. Famosus Libellus*

Injuriarum Actione convictus fit infamis, nisi Judicis auctoritate transegerit, vel per Procuratorem comparuerit, vel ante sententiam ob dubium judicij eventum æstimationem solverit. fol. 180. n. 579. Jure Bavarico potest imponi recantatio absque infamia. Imò actio ex officio tolli in causa dubia. in evidenti potest Princeps. eod.

Actio

Actio injuriarum aboletur tum morte alterutrius lite non contestatâ, tum lapsu unius anni, tum transactione, tum dissimulatione, non revocando statim ad animum, non tamen, si post revocatam ad animum, postea injuriantem salutaverit, vel cum eo biberit, aut alio modo familiaris fuit. f. 181. n. 582. Eâ omissâ non datur restitutio in integrum. 583.

De Retorsione injuriæ, vide, *Retorsio.*

Injuria Realis.

Tomo 6.

Pro injuria reali, vulneratione vel alia ignominiosa percussione, commissa, si læsus agat criminaliter, potest infligi pœna corporis etiam afflictiva. f. 137. n. 351.

Imò ob nimiam atrocitatem posset puniri ultimo supplicio. n. 352.

Injuria atrocissima parentibus illata per vulnerationem, puniri potest fustigatione, vel etiam manûs amputatione: levior carcere, vel relegatione. n. 353.

Statuto prohibente, ne quis alium armis invadat, ille quoque reus esset, qui armis ad latus appensis, etsi non extractis, alium invaderet. n. 355.

Contra Statutum, puniens pœnâ graviore eum qui alium in sua domo invaderet, peccaret etiam ille, qui invaderet in vestibulo domûs. eod.

Instantia.

Tomo 6.

In causis civilibus & in foro civili perimitur triennio. In Ecclesiastico foro non habet terminum. In criminalibus utroque foro perimitur biennio. f. 75. n. 73. Plura vide, *Delictum.*

Institutio Hæredis.

De varijs modis instituendi hæredes, vide, Hæreditas, Hæres.

Institutio in arbitrium alterius collata.

Tomo 2.

Institutio hæredis conjecta in arbitrium alterius quo ipse velit vel nolit hæredem aliquem esse, etiamsi postea arbiter determinet, est nulla quoad causas profanas. f. 69. n. 316.

Valet tamen institutio, quâ alterius arbitrio committitur dispositio ad causas pias, quo casu designatus arbiter erit hæres, sed gravatus restituere causis pijs, vel potiùs testator censebitur testatus ad pias causas, & distributionem commisisse arbitrio boni viri, qui si negligeret, ad Episcopum vel Magistratum devolveretur potestas distribuendi, neque in hoc est differentia inter Jus Civile & Canonicum. f. 70. nu. 318. & seq. Neque obstaret valori, etiamsi substantia dispositionis commissa esset per verba: *Si videbitur.* Nam tunc, accedente arbitrio valeret in favorem piæ causæ, cùm ad causas profanas non valeret. f. 71. num. 320.

Si arbitrio intellectuali committeretur institutio, probabiliùs etiam valeret institutio hæredis profani. n. 321. Item si non substantia dispositionis, sed determinatio inter plures nominatos committeretur, essétque compellendus ad determinandum. 322. Item valeret, si tantùm indirectè ab alterius voluntate penderet, nempe sub conditione aliqua potestativa. n. 323.

Eodem modo alterius arbitrio intellectuali potest committi Legatum & fideicommissum. f. eod. n. 324.

Institutio Captatoria.

Illæ solæ sunt voluntates Captatoriæ à Jure reprobatæ, quibus fraudulenter allicitur alius, ut ejus hæreditate aliquid consequatur. fol. 71. num. 325.

Absente omni fraude, valeret reciproca & conditionata Institutio. *Instituo Titum in ea parte, in qua me instituit.* f. 72. nu. 326.

Non est captatoria Institutio, si ponatur conditio reciprocæ institutionis de præterito. f. eod. n. 327. Neque conditio esset impleta, si alter mutaret institutionem. n. 328.

Institutio Conditionata.

Hæres extraneus potest institui tam sub conditione potestativa, quàm casuali & mixta, etiam de futuro, & tunc suspenditur ejus vis usque ad eventum conditionis, sed postea retrotrahitur ad punctum mortis. f. 73. n. 330.

Hæres suus potest institui sub conditione potestativa. Tempore implendi designato, videtur conditio evadere negativa, ità ut si moreretur ante tempus, censeretur conditio purificata, quatenus non per totum tempus implere neglexerit. eod. Quando est dubium, an conditio fuerit potestativa, Judex definiet. f. 74. nu. 331.

Suppositâ sententiâ quorundam, (quamvis contrarium verius videatur) quòd filius hodiéque non possit institui sub conditione casuali, idem de Nepote dicendum est, nempe quòd non possit institui, sub conditione casuali novo jure, (licèt antiquo potuerit) adeoque sic institutus non tantùm legitimam consequetur, sed tanquam æquivalenter præteritus (id est non secundùm jura institutus) infirmaret testamentum non minùs quàm filius. f. 74. nu. 333. & seqq. Unde, quia mater hodierno jure non potest filium præterire, ideo (suppositâ illâ sententiâ) nec mater potest filium sub conditione casuali instituere. nu. 335. Exceptâ tamen conditione: *si fuerit emancipatus.* & hoc in favorem filij

filij. nu. 336. Unde etiam in suum favorem posset in aliquo casu sine culpa exhæredari. 337.

Hæres *Suus* si scribatur hæres sub conditione turpi, testamentum est omnino nullum; saltem antiquo jure inspecto. fol. 75. nu. 338. An jure novo illa conditio habeatur pro non adjecta; est incertum, sed probabile. fol. 76. n. 343.

Institutio sub conditione casuali de præterito, eàque purificatâ valet: & ideo non rumpitur testamentum agnatione posthumi sub conditione scripti, si ante ejus nativitatem conditio impleatur. fol. 75. nu. 339.

Si filius conditionem casualem admisit, & hæreditatem ex testamento agnovit, conservatur testamentum. fol. 76. nu. 340.

Videtur Jure novo correctum Jus antiquum, ut tamfilius quàm nepos possint hodie sub conditione casuali institui. fol. eod. nu. 342.

Si dominus servum suum instituit sub conditione casuali, conditione deficiente deficit quidem Institutio quoad hæreditatis conditionem, sustinetur tamen quoad libertatem, imò etiam quoad hæreditatem, si hæreditas non sufficiat ad extinguenda debita. fol. 77. nu. 344.

Adjectâ conditione casuali, si ab aliquo ad hæreditatem aspirante ejus eventus impediatur, perinde est, acsi conditio evenisset, nisi constaret, quòd impeditio non esset contra mentem testatoris. fol. 77. nu. 345.

Adjectâ conditione potestativâ vel mixtâ, si nullâ negligentiâ aut culpâ hæredis instituti fiat, quo minùs impleatur, perinde est, acsi evenisset. fol. eod. nu. 346. & fol. 78. nu. 348. ubi casus ponitur.

Si quis in aliqua parte est absolutè institutus, & in alia conditionatè, nullúmque habeat hæredem substitutum, non est necesse exspectare eventum conditionis. fol. 78. n. 347.

Conditio quantumvis secundùm se honesta, adjecta tamen in fraudem legis, habetur pro non adjecta. fol. eod. n. 349.

Sufficit aliquando conditionem impleri æquivalenter, ad finem à testatore intentum. fol. eod. nu. 350.

Conditionis non nisi in morte implendæ impletio, non est exspectanda ad consecutionem hæreditatis, sed cautio fidejussoria præstanda, si cohæres datus sit. fol. eod. nu. 351.

Institutio sub Conditione Turpi, vel Impossibili.

Seclusâ lege positivâ, conditio impossibilis vitiaret testamentum non minùs, quàm defactò vitiat alios contractus ex præsumptione communi hominum, quòd voluntas testatoris fuisset illi conditioni alligata. fol. 79. nu. 353.

Conditiones impossibiles habentur ex legis dispositione pro non adjectis, & dispositio sustinetur. fol. eod. nu. 354. Aliter nimirum leges præsumunt de ultima voluntate hominis, & aliter de voluntate contrahentium inter vivos: præsumunt enim habitualem animum testatoris, vi cujus ipsemet conditionem ablaturus esset, si sciret esse impossibilem, & ideo lex voluntatem suppler. nu. 356. Contrahentes verò inter vivos, possunt ipsimet suam voluntatem declarare; & ideo non est cur suppleatur. nu. 357. Itaque in favorem ultimarum voluntatum leges præsumunt, conditiones impossibiles, conditionatè adjectas esse, nimirum, si possibiles sint. nu. 358.

Conditiones turpes in ultimis voluntatibus solùm illæ rejiciuntur, & pro non adjectis habentur, quæ licitè impleri non possunt seclusâ ignorantiâ, adeóque quæ nec possunt honestè exigi. illæ verò quæ solùm sunt turpes ex parte accipientis, Intrinsecè verò honestæ, (esto fortè voluntas sit eatenus perversa, quatenus contrarium faceret, si non promitteretur aliquid) adjectæ ultimis voluntatibus sunt implendæ, alioquin dispositio corruet. fol 80. n. 360. & seq.

Quando conditio adjecta est in se possibilis, ex accidenti verò posito reddita impossibilis, vg. *si uxorem duxerit Petrus*, (quem ponamus esse Diaconum) tunc leges quandoque præsumunt intentionem alligatam, quandoque non, pro materiæ & circumstantiarum diversitate. fol. 80. n. 363. & fol. 81. n. 364. & seq.

Conditio perplexitatis, adeóque apparenter impossibilis, potest aliquando bonum sensum habere, & ideo sustinenda, vg. *si Titius Hæres erit, Cajus sit, & econtra, si Cajus erit, Titius sit.* sensus erit: sint cohæredes; sed neuter sine altero. fol. 81. nu. 366.

Conditio turpis per modum gravaminis adjecta, habetur pro non adjecta in favorem gravati, non in favorē substituti, qui excluderetur. f 81. n 367.

Si Testator exigat juramentum, non sufficit, si hæres juret, & non faciat, sufficit tamen, si faciat, etiamsi non juret. fol. eod. n. 368.

Pluribus conditionibus alternativè positis, sufficit unam purificari, nisi constaret; testatorem omnes copulativè requisivisse. fol. eod. n. 369.

Conditiones indifferentes ut impleantur vel ante vel post mortem testatoris, si non interfit testatoris, eas impleri post mortem, satis est, ante mortem ipsius impleri. fol. 83. n. 370.

Valet Institutio facta sub condition quam testator dicit se positurum in testamento, & postea nullam posuit, modò constet, testamentum fuisse perfectum. fol. eod. n.372. & seq.

In omni substitutione facta filio, seu legitimo, seu naturali, subintelligitur conditio: si Testator sine liberis legitimis vivis decesserit. fol. 85. nu. 374.

In Codicillis non potest adijci vel tolli conditio Institutionis, quia hoc esset hæreditatem aliquo modo adimere vel dare in Codicillo, quod directè fieri non potest. fol. eod. n. 375.

Institutio Conjugis.

Vide, *Conjuger*.

Institutio Fratrum.

Quamvis frater possit à fratre in testamento præteriri, si tamen institueretur persona turpis, infamis, vilis, moribus improbis, & fratri penitus nihil relinqueretur, posset frater germanus, & etiam consanguineus (non tamen uterinus) testamentum per querelam inofficiosi impugnare & rumpere. Quod si tamen aliquid fratri relictum esset, saltem titulo legati, & illud non adæquaret legitimam fratri debitam, (de qua vide *legitima*) posset solùm agere ad supplementum. fol. 96. n. 427. & seqq.

Institutio Liberorum.

Quomodo Liberi sint hæredes instituendi, vide *Testamentum parentum*, &, *Legitima*.

Institutio Parentum.

Existentibus descendentibus, non est obligatio instituendi ascendentes. nullis descendentibus existentib⁹, parentes præteriti possunt testamentū dicere nullum. f. 95. n. 422. Excepto testamento filij Clerici; quamvis parentes legitimam petere possent ab hærede scripto. n.423.

Debent Parentes ad minimum institui in legitima, alioquin agent ad supplementum: cæterùm possunt institui inæqualiter. f.eod.n.424.

In ascendentibus non habet locum repræsentatio, & ideo existente uno, vg. matre, avus paternus excluderetur, nec repræsentaret pattem defuncti nepotis: deficientibus Parentibus imediatis, sunt instituendi avus & avia. f.eod. n.425.

A Substituto pupillariter excluderetur mater etiam quoad legitimam. Jure Bavarico tamen non potest per substitutionem auferri matri legitima in illis bonis, quæ filio aliunde obtigerunt, & in legitima, quæ filio debetur à patre. fol. 96. nu. 426.

Institutio Posthumi.

Potest non solùm Posthumus *suus*, sed etiam alienus institui, & tali institutione impeditur, ne agnatione rumpat testamentum. fol.98. num.437. Qui sint hujusmodi posthumi, vide, *Posthumus*.

Valet Institutio Posthumi facta per verbum: *Posthumi*, si ignorante testatore natus sit ante factum testamentum. fol. eod. n. 438.

Posthumus non institutus rumpit testamentum si supervivat. si non: testamentum valet, quia non fuit nullum. f. 99. n.440.

Posthumus institutus, sed natus vivo testatore, non rumpit testamentum. fol.eod. n.445. adeo ut etiamsi testator tempus mortis designâsset. vg. *qui mihi post mortem meam natus fuerit, hæres esto*: adhuc idem dicendum esset. n.446.

Insula.

Tomo 1.

Insula in flumine nata, si mediam pattem fluminis tenet, comunis fit possidentibus prædia vicina. Pro modo scilicet latitudinis cujusque fundi vicini. Quod si alteri parti proximior sit, eorum est tantùm, qui ab ea parte prope ripam prædia habent. Si aliquâ parte divisum sit flumen, & infrà unitum alicujus agrum in insulam redigat, permanet ager prioris domini. fol.417.n 95.

Insula tunc dicitur de novo nasci, quando terra apparet, antè aquâ tecta. Tunc verò fieri dicitur, cùm flumen in cornua divisum circumdat agrum. f.eod. n.96.

Quomodo sit facienda divisio Insulæ per designationem ad prædia vicina, refertur ex Bartolo n.97.

Insula natans in flumine, nec solo aut alveo cohærens, fit juris publici, quia potiùs ex flumine, quàm terra prognascitur. fol.eod. n.99.

Interdicta.

Tomo 5.

Interdicta, sunt Judicia, seu Remedia possessoria. Est autem Interdictum Prætoris decretum Corpori Juris insertum, Sententia non perpetua, sed ad tempus inter litigantes de possessione, donec causa proprietatis pleniore judicio in Petitorio terminetur. f. 278. n.350.

Differebant olim Interdicta ab Actionibus ex diversitate ordinis, solennitatis, executionis, ac formulæ. Hodie, cui olim competebat Interdictum, ei competit Actio utilis seu extraordinaria in factum ad possessionem. quæ quandoque est personalis, quandoque realis. eod.

Dividuntur Interdicta 1. in Exhibitòria: Prohibitoria: Restitutoria. Exhibitoria sunt tria. 1. De libero homine exhibendo. 2. de libertis exhibendis. 3. De liberis exhibendis & deducendis. Prohibitoria

hibitoria sunt. 4. 1. Ne vis fiat ei qui in possessionem bonorum debitoris à Judice missus est. 2. De mortuo inferendo. 3. Ne quid in loco sacro ædificetur. 4. Ne quid in flumine publico, ripâtve immittatur. Restitutoria ex seqq. constabunt. fol. 279. nu. 311. Interdictum Exhibitorium competit cuivis, qui jus habet reale in personam, ut domino in Vasallum, Abbati in Monachum, Tutori in pupillum, Marito adversùs Socerum detinentem filiam, nisi mariti nimia esset sævities. eod.

Dividuntur Interdicta etiam in Interdicta Adipiscendæ, Retinendæ, Recuperandæ possessionis. fol. 280. n. 312. Adipiscendæ sunt tria. 1. *Quorū bonorum.* competens hæredi, ut possessionem acquirat contra temerè possidentes. 2. *Quod legatorum.* competens eidem contra legatarios legata propriâ auctoritate occupantes, ut possit detrahere Falcidiam. 3. *Salvianum.* competens domino fundi contra colonum, ad acquirendam possessionem rerum illatarum, & tacitè obligatarum. n. 313. & seq. Retinendæ sunt duo. 1. *Uti possidetis.* contra inquietantem possessionem immobilium, nec vi, nec clàm nec precariò obtentam. 2. *Utrobi.* pro bonis mobilibus. 315. Recuperandæ 4. 1. *Unde vi.* contra violentum invasorem, ut expellatur, restituat fructus & damna, amittat rem ipsam. competit etiam injusto possessori. item contra prohibentem ingredi possessionem. item contra nolentem cedere illi, cujus nomine possedit: item contra occupantem rem, quam scit ad alium pertinere. 2. *De precario;* contra precariò possidentem. 3. Remediū ex c. *Redintegrandæ.* concurrens cum omnibus, & plenissimum. 4. Remedium ex cap. *sæpe.* contra recipientem scienter rem invasam à spoliatore. 316. & seqq. De his vide, *Spoliatus:*

Interdictum *Quorum Bonorum.*

Datur Successoribus hæreditarijs tam ex testamento quàm ab intestato, tam hæredi ex asse, quàm ex quota, etiam liberis legitimatis contra alium possessorem, non solùm ex titulo *pro hærede*, vel *possessore*, sed Utile etiam contra possessorem ex alio titulo, non solùm contra actualem possessorem, sed etiam contra desinentem dolo possidere: non obstante exceptione dominij, nisi possit in continenti probari. fol. 281. nu. 322. & seqq. Datur etiam contra eum, qui dolo fecit, ut alius rem hæreditariam usucaperet, ad hoc ut satis faciat pro re usucapta. n. 328. Datur etiam contra possidentem res singulares hæreditatis, cùm pro his competat etiam petitio hæreditatis, cum qua Interdictum pariter procedit. fol. 282. nu. 329. Jura incorporalia, & debita hæreditaria, cùm non possideantur, non veniunt in hoc Interdicto. 330. Sublato Adriani Edicto, non admittente missionem in possessionem hæreditariam nisi post annum, mitti potest hæres scriptus statim, si exhibeat testamentum, in quo non appareat aliquod vitium apertum, non obstante appellatione. nu. 331.

Interdictum *Quorum Legatorum.*

Datur hæredi adversùs legatarios propriâ auctoritate occupantes legata, cum præjudicio hæredis, ut restituant res occupatas. fol. 283. nu. 334. Si hæres ante aditam hæreditatem consensisset, adhuc illi competeret, non item si postea. 335.

Datur hæredi hæredis, imò & successori singulari, si ipsius intersit, rem restitui. fol. eod. nu. 336.

Adversùs Fideicommissarium universalem non quidem directum, utile tamen datur. fol. 284. nu. 338.

Item datur contra eum, qui ex voluntate defuncti rem possidet tempore mortis. fol. eod. nu. 340. Idem de donatario mortis causâ dicendum. 321.

Datur etiam contra hæredem cui aliquid prælegatum est. fol. eod. 342.

Legatarius hoc interdicto conventus nōn perdit jus legati, imò habet jus exigendi cautionem de restituendo, detractis detrahendis, nisi post aditam hæreditatem subtraxisset. eod.

Interdictum Salvianum.

Datur Locatori contra Colonum, ad possessionem rerum oppignoratarum adipiscendam. Contra Conductorem prædij Urbani datur Utile. fol. 285. nu. 343.

Adversùs tertium possessorem pignoris, cujus dominium acquisivit, non datur Salvianum, ne quidem utile, sed Jure Codicis actione Servianâ opus est. fol. eod. nu. 344. Multò minùs competit alijs creditoribus contra debitores pignora habentibus Salvianum, sed quasi Serviana. fol. 286. nu. 345.

Datur etiam pro adipiscenda possessione mercium inductarum in ædem conductam, non item pro possessione instrumentorum, quibus debita continentur, quæ non censentur tacitè oppignorata. fol. eod. nu. 348.

Interdictum. *Uti Possidetis. & Utrobi.*

In his interdictis uterque litigantium est Actor & Reus, & hoc sensu dicitur esse duplex. Ille tamen habetur simpliciter pro Actore, qui primus ad judicium provocavit. fol. 287. nu. 349. Judex, cognitâ causâ, pronuntiat assertivè: Paulum possidere, deinde possessionē ità confirmat, ut condemnet adversariam in futurum ne vim faciat possidenti, quominus quietè possideat. Exigit tamen

P 2 à victore

Interusurium.

Tomo 4.

Inquisitionis Processus.

Tomo 6.

Inquisitores.

Tomo 4.

Instrumenta.

Et modus probandi per Instrumenta.

Tomo 5.

Instrumentum potest reprobari per duos testes omni exceptione majores non Instrumentarios. n. 441. nisi testes in instrumento nominati essent examinati, & pro instrumēto pari fide deponerent. eod. Vel nisi instrumentum juvaretur alijs adminiculis. f. 360. n. 446.

Præsumptiones duæ contra famam Notarij suspecti, sufficerent, ut Instrumento non crederetur. n. 447.

Probatâ falsitate in una parte instrumenti, totum viriatur, si dolo Notarij commissa probetur. 448.

Si producens conscius doli fuit, potest quidem ut falsarius puniri, non prohibetur tamen uti alijs probationibus suæ intentionis. n. 450.

Plura vide, *Archivum*, *Libri Officialium*, *Ecclesiarum*, *Mercatorum*. *Apochæ*. *Chirographum*. *Epistolæ*. *Rationes*. *Scripturæ sigillatæ*.

De Instrumentorum edendorum obligatione vide: Editio.

Tomo 6.

Conficiens instrumentum falsum, punitur pœnâ ordinariâ falsi, qui utitur, mitiore. f. 100. num. 186.

In utente instrumento falso circa factum proprium, præsumitur falsi scientia, non item circa factum alienum. n. 188.

Intextura.

Vide, *Accessio*.

Inventarij Beneficium.

Tomo 2.

Inventarij beneficio pleniùs consulitur hæredi, quàm beneficio deliberandi: quomodo autem sit conficiendum, refertur *ex lege 22. C. de Jure deliber.* f. 149. n. 648.

Commoda Inventarij sunt hæc. 1. Aditâ hæreditate cum inventario ritè confecto, (nec petito Beneficio deliberandi) non tenetur hæres ultra vires hæreditatis. 2. Si solutis debitis & Legatis non superesset quarta pars bonorum defuncti, potest à Legatis detrahi Falcidia. 3. Ignoranti quantitatem debitorum, licitum est solvere creditoribus primò comparentibus primo loco, nec potest à sequentibus inquietari, etiamsi gaudeant jure prælationis, quibus proinde solùm conceditur actio adversùs legatarios, nempe actio hypothecaria, aut condictio indebiti. 4. Hæres deducit impensas funeris, insinuationis testamenti, confectionis inventarij, & alios necessarios sumptus factos, ut de reliquo primùm satisfaciat creditoribus & legatarijs salvâ Falcidiâ. 5. Si ipse hæres fuit creditor defuncti, actiones quas habuit, non confunduntur cum hæreditarijs bonis, sed se gerit, ut alij creditores, duplicem personam sustinens. Unde & sumptus in defuncti infirmi curam factos deducit. f. 151. nu. 649. ubi refertur, quid Jure Bavarico observetur.

De substantia Inventarij non est Signum Crucis in fronte positum. f. 151. n. 650.

Cùm in praxi vix contingat, ut hæres ignoret quantitatem debiti, quia ad proclamationem conveniunt Creditores & Legatarij, si dolo ageret, solvendo priùs creditoribus minùs privilegiatis, teneretur etiam cæteris. f. eod. n. 651.

Ex eo quòd in relata constitutione per Inventarium hæres indemnis servetur, sequitur, quòd possit Creditores & Legatarios cogere, ut non existente re debitâ teneantur aliam ejusdem valoris accipere. f. 152. n. 652.

Hinc etiam si quid ex rebus hæreditarijs perit, Creditoribus & Legatarijs perit. f. eod. n. 653.

Successores universales, qui propriè hæredes non sunt, ut executores hæreditarij non sperantes lucrum ex hæreditate, item Usufructuarius universalis, item pater, qui jure peculij occupat bona filij familias defuncti, item Monasterium occupans bona Religiosi propter ingressum, item fiscus, hi, inquam, neglecto inventario non tenentur ultra vires hæreditatis. f. eod. n. 654.

Hæredes proprij, etiam causa pia, tenentur in conscientia creditoribus etiam ultra vires hæreditatis, neglecto Inventario. Causa pia tamen posset in Integrum restitui. f. eod. n. 656.

Quòd Hæres teneatur etiam solvere legata, non fundatur in præsumptione fraudis, sed est pœna neglecti inventarij. f. 153. n. 657. Unde & causa pia teneretur, si negligentiam commisisset, post judicis sententiam. 658. Si nulla culpa intervenisset, non teneretur hæres, & si de hoc constaret, nec in foro externo condemnandus esset. 659.

Inventarij confectio incipienda est intra 30. dies à tempore testamenti aperti, vel cessantis impedimenti. f. 153. n. 660. deinde ad conficiendum indulgentur alij 60. intra quos si inciperetur & absolveretur, adhuc valeret. 661.

Absentibus Legatarijs adhibentur pro testibus tres cives fide digni. f. 153. n. 662.

Fideicommissarius universalis, restitutâ sibi hæreditate necdum confecto inventario, tenetur ipse conficere, ut gaudeat beneficio. f. 154. n. 663.

Usufructuarius universalis etiam tenetur conficere inventarium, non quidem sub pœna legis, sed postulante proprietario ad reddendam rationem rerum, alioquin præsumetur dolus. f. eod. n. 664.

Inventarij confectionem non potest remittere testator in præjudicium creditorum, benè tamen in præjudicium Legatariorum aut fideicommissariorum. f. eod. n. 665.

Inventio.

Tomo 1.

Bona inventa vel in nullius dominio fuerunt, vel esse desierunt, vel habent dominum,

esto

esto ignoretur ab inventore. fol. 399. num. 1.

Ut per Inventionem rei ad neminem pertinentis dominium acquiratur, non est satis rem visu apprehendisse, sed opus est corporali apprehensione, cum animo habendi ut suam. f. eod. num. 2. Fiunt ergo hujusmodi bona primò occupantis, nisi à Republica fuerint alteri applicata. Ut fit, quando bona vacantia applicantur fisco, vel bona peregrini decedentis in Hospitali sine hærede, applicantur per Episcopum ad pias causas. n. 3.

Vide etiam: *Bona Vacantia*, *vel Derelicta*.

De Inventione Thesauri, vide, *Thesaurus*.

Inventor rei amissæ ab alio, si eam apprehendit, tenetur non solùm ex charitate, sed etiam ex justitia, pro qualitate rei inventæ, in dominum inquirere. f. 403. n. 24.

Adhibitâ frustraneâ inquisitione, probabilius est, non esse obligationem expendendi in usus pios de jure naturæ. f. eod. n. 26.

Invitus.

Tomo 1.

Invitus in Jure aliquando dicitur, qui contradicit, & prohibet, aliquando etiam qui ignorat aliquid fieri, quod prohibere posset. Nam si magnum præjudicium vertitur, pro invito accipitur etiam ignorans. f. 261. n. 228.

Inundatio.

Tomo 1.

Inundatione non solùm non amittitur dominiũ, sed nec Usucapio interrumpitur, nisi esset inundatio stabilis. f. 48. n. 102.

Inundatione stabili amittitur possessio tam naturalis quàm civilis. f. 265. n. 242.

Iracundia.

Tomo 6.

Ob iracundiam pœna ordinaria tunc solùm commutatur in arbitrariam, quando læsus lædenti antecedenter fortiorem causam præbuit, ut excederet moderamen inculpatæ tutelæ. f. 314. num. 538.

Itineris Servitus.

Tomo 1.

Est Jus eundi ambulandi hominis, non tamen jumentum agendi, vel vehiculum per fundum alterius. Ire autem dicitur etiam qui equitat, aut lecticâ vehitur. Itinere indefinitè concesso, eligenda est certa pars fundi, arbitri judicio, vel mutuo consensu. f. 250. n. 178. Itineris Possessio quomodo acquiratur, vide *Possessio*.

Potest quis impune ire per alienum agrum domino non prohibente, quamvis non habeat servitutem. Nec contra Jus agere censetur, sed agere, quod fas est. f. 261. n. 226.

Judex.

Tomo 1.

Judex per imperitiam malè judicando litem facit suam, & in tantùm condemnatur, quantùm Magistratui videbitur. f. 95. n. 145. Dicitur ex *quasi delicto* teneri, non ex delicto, sicut Medicus præsumitur. 146. ubi disparitatis ratio assignatur.

Judex ex imperitiâ malè judicans, tunc solùm potest in factum conveniri modo prædicto, pœnâque arbitrariâ ultra litis periculum affici, si pars læsa vel noluit appellare, vel propter paupertatem non potuit. f. 96. n. 147.

Tomo 5.

Judex est Persona publica quæ Jurisdictioni præest, ac populo juxta Legum Constitutionúmque præscripta, & locorum consuetudines jus dicit, hoc est, causas litigantium secundùm modũ Jurisdictionis suæ disceptat, & dijudicat, & suum cuiq; tribuit. f. 85. nũ. 2.

Suscipiens officium Judicis cum periculo eventuri gravis damni proximi ex ipsius imperitia, pec. mortaliter. f. 86. n. 4.

In dubio juris tenetur Judex à Sententia pro unâ solùm parte abstinere, propositâ partibus meritòrum æqualitate, & suggerere media: transactionem, divisionem, sortem, compromissionem. Et ad hoc ultimum, recusatis prioribus, possent cogi. f. 87. nũ. 9.

Non licet Judici pronuntiare pro parte habente minùs probabilitatis. 88. n. 14.

Si putet Judex suam opinionem reputari à Judice Superiore minùs probabilem, tenetur oppositam in praxi observari solitam, potiùs habere pro probabiliore. f. 89. n. 17.

Judicis existimati cum impedimento Juris Divini acta sunt nulla. f. 89. num. 20.

Error probabilis, comunis, cum titulo colorato sufficit, ut censeatur suprema potestas ipso facto supplere defectum Jurisdictionis ex impedimento juris humani. f. 90. n. 21. Præter errorem communem requiritur titulus coloratus, non sufficeret quasi possessio jurisdictionis. num. 24.

Judex, non obstante privatâ notitiâ de reatu, tenetur Reum nec convictum nec confessum absolvere. f. 91. n. 27. Imò nec Supremo Principi competit potestas condemnandi ex privatâ notitia. f. 92. n. 28. ne quidem in casu quo non posset ad publicum judicium perveniri. n. 31.

In causis civilibus ac minoribus criminalibus, quibus de mulcta pecuniaria agitur, vel etiam de exilio aut privatione officiorum, potest Judex sententiam ferre secundùm allegata & probata, non obstante privatâ notitiâ innocentiæ. f. 93. nu. 38. In causis criminalibus, ubi agitur de pœna mortis aut mutilationis, non licet unquam condemnare

Inno-

innocentem quantumvis convictum. fol. 94. nu. 39.

Judex inferior non potest à lege positiva in judicando recedere. fol. 95.

Si Judex negligeret imponere pœnam Fisco aut privato applicandam, non teneretur ad restitutionem. fol. 96. nu. 49.

Judex etiam non rogatus à partibus, ex officio potest mandare partibus ut præstent juramentum calumniæ. fol. eod. nu. 52. Debet etiam repellere calumniosas exceptiones. potest item opponere de jure tertij, si constet, & utrique parti silentium indicere. nu 54. Item occurrere manifestæ iniquitati, etiamsi parti via præclusa pacto esset. eod. Potest subreptionem notoriam declarare, & universim in notorijs supplere. Potest testem inidoneum, repellere. Potest testes etiam post conclusionem in causa denuo examinare. Potest etiam non requisitus ad alicujus defensionē testes examinare. potest rejicere libellum ineptum. denique reprehendere Advocatos nimiùm loquaces. fol. 97. nu. 55. & seqq.

Leges vetantes munera, tam Judicem quàm dantem obligant in conscientia. fol. 97. nu. 59. Quatenus obligant ad restituenda munera, nō obligant ante sententiam. fol. 98. nu. 60. Jus naturæ obligat ad non accipienda in ea quantitate, quæ ut plurimùm esset inductiva perversi judicij. nu. 61. Leviora, nec urbanè recusabilia, licitè accipiuntur. 62. Sententia lata accepto pretio illicito, est ipso jure nulla. 63. Danti munus, ut Judex causam non moretur, & justè judicet, hodie non daretur repetitio. 65.

Quamvis Judex delegatus recusatus non possit procedere, debet tamen litigantes adigere ad eligendum arbitrum vel arbitros juris, qui procedant eâdem formâ & potestate quam delegans præscripsit. fol.100. n.72. & fol.101. n.78 ubi vide limitationem. ab his appellandum est ad delegantem. fol. 101. n.74.

Judex ordinarius recusatus, non propterea desinit esse Judex in eadem causa, sed (pro locorum consuetudine) unà cum alijs judicabit. 75.

Jure Canonico recusatio in scripto offerenda, & recusationis causa exprimenda & coram arbitris probanda. n.76. exceptis tribus casibus, ubi non recurritur ad arbitros. fol.102. n.82.

Si Judex recusatus nihilominus procederet, posset appellari. fol.101. n.77. & processus esset nullus. 78.

Judex ordinarius legitimè recusatus, potest causam remittere ad Superiorem, vel si malit, causam principalem alicui delegare. hoc iterum recusato compellet partes ad eligendum aliquem, cui causa delegetur. fol. 102. n.79. ab hoc appellandum ad ordinarium recusatum, ut aliquem non suspectum constituat in causa appellationis. n.80.

Princeps potest tollere recusationem. fol.102. num.81.

Judex recusatus assignat terminum ad eligendos arbitros, & causam finiendam. arbitri assignant terminum ad probandam causam recusationis. fol.102. n.84. De recusatione vide etiam, *Recusatio.*

Judex sub nullo prætextu potest procedere condemnando ex notitia injustè acquisita. fol.103. n. 86. ubi vide exempla.

Judex imperitè judicans, tunc solùm potest actione in factum conveniri, pœnâque insuper arbitrariâ ultra litis periculum affici, quando pars læsa vel noluit, vel ob paupertatem non potuit appellare. fol.104. n.91. Si dolo malo iniquè judicavit, litem suam facit, ut æstimationem præstare debeat, & quidem in conscientia ante omnem sententiam. fol.104. n.92. ubi discrimina inter imperitè & dolo malè judicantem. Actio non datur adversùs hæredes. quia ex quasi delicto. n.95.

Judex simulatè promittens impunitatem, non tenetur stare promissis (& inferior nec potest) si reus tenebatur juridicè interrogatus, fateri veritatem. fol.105. n.97. Si non tenebatur, & dolo inducitur à Judice ad fatendum, perinde est, acsi fassus non fuisset. n.98.

Judicis sententia quando obliget partes, vide *Sententia.*

Jure Bavarico jubetur Judex, nisi partes sponte velint sumptus subministrare, suis sumptibus aliorum DD. judicia exquirere. fol.490. n.1160.

Discordantibus Assessoribus potest Judex assumere tertium, qui de salario Assessorum participabit. fol.491. n.1161.

Judex non tenetur sequi consilium eorum quos partes elegerunt. n.1165.

Judex dubius de causæ meritis, potest eam referre ad Superiorem, cujus relationis seu recursûs effectus est, quòd pendente consultatione nihil debeat innovari, ved de causæ meritis inquiri, sed exspectanda remissio: quâ acceptâ priusquam eam aperiat, citandæ partes, quæ si nihil opponant, aperiet, & ad recipiendam copiam terminum præfiget. fol.491. n.1167. & seqq.

Cùm de incidente quæstione agitur, quæ causæ merita tanquam à se pendentia respicit, sufficit pronuntiari super principali. fol.496. n.9. Si verò quæstio incidit ad impediendum litis progressum, debet Judex de ea interloquendo priùs pronuntiare. n.10. Item de quæstione emergente causæ merita non concernente. n.11.

Plura vide, *Sententia.*

A sententia lata pro competentia vel incompetentia, potest appellari ab eo cui nocet sententia. fol.565. n.402. & seq.

Judicatum, seu Res Judicata.

Tomo 5.

Quando à sententia primæ instantiæ non appel-

latur intra fatalia, vel appellatio deseritur, dicitur sententia transire in rem judicatam, & competit victori exceptio Rei Judicatæ. & res judicata pro veritate habetur. fol.532. n.203. & seqq.

Res inter alios judicata alijs non præjudicat regulariter loquendo. fol.532. Alteri litem scienti, cui primò & principaliter actio competebat vel defensio, præjudicat. n.208. Non item illi qui æqualiter propriam actionem vel defensionem habet. fol.533. n.209.

Quando à Jure succumbentis pendet Jus tertij, sententia condemnatoria illius nocet huic tertio, sive sciverit, sive ignoraverit causam inter alios agi, dummodo litigantes fuerint legitimi contradictores, ad quos res controversa principaliter pertinuerit. n.212. & seqq. ubi limitationes.

Sententia affirmativè lata super conditione & statu intrinseco personæ, facit jus inter omnes, omnibúsque præjudicat & opponi potest, quicunque vellet statum oppugnare: secùs, si proferretur negativè. f. 536. n.226. & seqq. ubi resolvuntur varij casus, usque ad n. 237.

Dominium rei litigiosæ non transfertur per ipsam sententiam seu Judicatum sine traditione. fol.538. n.238. & seqq.

Rei Judicatæ actio perpetua est, & rei persecutionem continet. Item hæredi & in hæredem datur. Est Actio nominata, & distincta ab actione ex qua sententia lata fuit. fol.539. n.245. est Personalis. n.248.

Exceptio rei Judicatæ competit illi, qui per sententiam quæ transijt in rem judicatam absolutus est ab actione intentata, quæ si iterum intentaretur, repelleretur. n.251. ubi casus.

Si petens aliquod totum totaliter & quoad singulas partes victus est, non potest postea petere partem, quia nocebit exceptio rei Judicatæ. secùs si petijsset totum formaliter. fol.540. n.255.

Si subsit eadem quæstio & causa petendi, nocet exceptio rei judicatæ, etiamsi sit alia actio, dummodo persistat eadem causa rei judicatæ. fol.542. n.262. ubi cas. & n.263.

Si Judex reum absolvit ex duplici causa, præfertur causa fundans exceptionem rei judicatæ. n.265.

Judicium.

Tomo 6.

Judicium aliud est Criminale, aliud Civile. Criminale est, in quo agitur ad commodum publicum. Civile verò quando agitur ad commodum privatum, etiamsi causa descendat ex delicto. f.202. n.3. & seqq. ubi per exempla declaratur.

Publicorum Judiciorum illa Capitalia dicuntur, quorum pœna mors aut exilium est. Non Capitalia, ex quibus pecuniaria, aut in corpus aliqua coërcitio est. fol. 204. n 9.

Sicut non omne Judicium Capitale est Judicium sanguinis, ità nec econtra. n. 11.

Iudicium temerarium.

Tomo 1.

Judicium temerarium est sinistra existimatio de bonis alterius ex levi fundamento, quod virum prudentem movere deberet, quia fallax admodum. fol. 168. nu. 514. Eius quatuor sunt gradus. Iudicium firmum & pertinax, Opinio, Suspicio, Dubitatio. 515. & seqq. ubi eorum discrimen declaratur. Pro diversitate horum graduum requiruntur diversa indicia excusantia à temeritate. fol. 169. n. 519. ubi exempla.

Iudicium temerarium supremi gradûs, si est in materia gravi, & deliberatum, est peccatum mortale. fol. 169. nu. 520.

Secundus gradus, nempe Opinio, sæpius à peccato mortali excusatur, sicut & cæteri gradus, qui per se loquendo nunquã sunt mortale. f. eod. n. 521.

Quando sunt utrinque probabilia indicia, non licet directè & positivè judicare contra famam alterius, neque tamen etiam teneris positivè judicare pro fama alterius, sed potes suspendere judicium. imò potes cum tali persona te circumspectè gerere, modò nihil debiti honoris, & obsequij denegetur. f. eod. nu. 523.

Iudicium temerarium quomodo differat à Detractione, vide *Detractio.*

Iuramentum.

Et modus probandi per Iuramentum.

Quomodo Iuramentum firmet Contractus, vide *Contractuum firmatio.*

Iuramentum sequitur naturam contractûs, nec aliud superaddit, quàm obligationẽ ex Religione, non tamen ad plùs obligat, quàm ipse contractus, nec continet renuntiationem alicujus beneficij à Jure concessi. fol. 106. n. 107.

Juramentum adjectum pollicitationi, æquè pendet ab acceptatione, atque ipsa pollicitatio, ut inducat obligationem. fol.72. n.22. in fine.

Tomo 5.

Juramenti promissorij cognitio est mixti fori. fol.73. n.329.

Juramento ad alterius delationem præstito, datur actio in factum, Personalis, Prætoria, quà quis ex Jurejurando legitimè præstito id quod sibi debetur, adjudicari petit. fol.123. n.196.

Etiamsi

Procu-

Procurator datus præcisè ad litem, sine speciali mandato, deferre non potest. f. 448. nu. 930. Potest etiam deferre habens mandatum *cum libera*, vel datus in rem suam. n. 931.

Servus, & filius fam. in re peculiari possunt deferre juramentum: Et tunc contra patrem (non item contra dominum) competit Actio de peculio. n. 934.

Vasallus potest deferre sine consensu domini, si non tendat ad alienationem rei feudalis. f. 448. n. 935.

In Popularibus Actionibus uno ex populo bonâ fide deferente, juramentum prodest juranti etiam contra cæteros de populo. f. 450. n. 941.

Accusatore deferente juramentum, prodest quidem contra accusatorem, non item contra alios aut Judicem. nn. 943. Reus deferens Juramentum accusatori, censetur crimen fateri. n. 944.

Si accusator crimen semiplenè probâsset, & haberet aliquod aliud adminiculum, & esset vir summè Legalis, posset Judex illi deferre juramentum suppletorium. n. 945.

Potest Judex in favorem matrimonij deferre Juramentum. n. 946.

Potest etiam deferre viduis asserentibus se esse gravidas: quo casu prodest quidem mulieri, ut de calumnia contra eam agi non possit, proli verò nec prodest, nec obest. f. 451. n. 947. & seq.

Regula, quòd Juramentum delatum non prosit, nec noceat nisi juranti, patitur aliquas exceptiones quas vide nu. 949. & seqq.

Cui delatum est juramentum, si illud extra judicium referat, nullam necessitatem imponit primo deferenti, sed potest recusari. f. 454. n. 964.

Juramentum Voluntarium semel susceptum per conventionem, non potest ampliùs recusari, sed est præstandum, nisi malit haberi pro confesso. n. 965.

Juramentum voluntarium cum perjurio præstitum, non potest à Judice inferiore retractari & rescindi, sed judicari debet secundùm quod juratum est. n. 967.

Juramentum in Judicio à parte delatum, vel est præstandum, vel deferenti referendum, quo relato deferens compellitur jurare, alioquin repellendus. f. 456. n. 976.

Deferens Juramentum in Judicio, tenetur priùs præstare juramentum calumniæ, alioquin potest recusari. f. 457. n. 980.

Si deferens juramentum revocaverit, denuo delatum potest recusari. n. 981. Sicut etiam recusari potest, si Actor non solùm nihil probaverit, sed nec præsumptione juvetur, arbitrio Judicis æstimandâ. Item recusari potest ab eo, qui suam intentionem vult legitimè probare. f. 458. n. 989.

Quamvis juramentum in judicio delatum regulariter referri possit, sunt tamen aliquæ causæ exceptæ, quas vide, n. 990. & seq.

Juramentum Judiciale regulariter præstandum est coram Judice causæ, vel ejus commissario, adversâ Parte vel ejus Procuratore præsente, vel contumace. f. 459. n. 992. Quando defertur absenti, debet venire ad Judicem, vel ad eum mitti, ut sub actorum testificatione juret, vel referat, vel recuset. nu. 993. Possunt etiam certæ personæ jurare domi. n. 994.

Juramentum Suppletorium.

Juramentum Suppletorium defertur à Judice, nec interest, an sit Ordinarius vel Delegatus. nu. 995.

Judex non potest hoc juramentum deferre nisi causâ cognitâ. n. 996.

Quibusdam personis, utpote minùs legalibus, non rectè defertur hoc juramentum. f. 460. num. 997.

Non est necesse hoc juramentum præstari in propria persona ab eo cui illud Judex defert, sed potest per Procuratorem, habentem speciale mandatum, præstari. n. 998.

Potest juramentum suppletorium deferri ad faciendam plenam probationem ex semiplena, & tunc recusari non potest, & sic dicitur necessarium. f. 460. n. 1000.

An Reo vel Actori Juramentum suppletorium deferendum sit, Judicis arbitrio relinquendum. f. 461. nu. 1005. & seqq. ubi annotantur, quænam Judici sint consideranda.

Si Actor suam intentionem plenè probavit, Reus verò suam indirectè contrariam semiplenè, juramentum deferendum est Reo. fol. 462. num. 1009.

Si Actoris semiplena probatio enervetur præsumptione contrariâ, non est deferendum Actori. Reo autem posset deferri juramentum purgationis. n. 1012.

Judex non præcisè ad instantiam partis, sed etiam ex officio potest juramentum suppletorium deferre, si cætera requisita adsint. f. 463. n. 1013. Et quamvis ad hoc deferendum non ità sit Judex obligatus, ut si absolveret reum, sententia esset nulla, ut tamen censeatur exactissimè suum officium præstitisse, tectiùs faciet deferendo. f. 464. n. 1019.

Potest hoc Juramentum non solùm ante, sed etiam post conclusionem in causa deferri, etiamsi à parte non fuerit antè petitum. f. 464. n. 1024.

Si terminus probatorius peremptorius fuit assignatus verbis simplicibus, adhuc potest implorari Judicis officium ad deferendum juramentum. Si verò sub terminis universalibus, & extensionem signifi-

Etiam

Qui

Qui voviſſet nunquam jurare, adhuc tamen hoc juramentum rectè præſtaret. n. 479.

Juramentum Purgationis.

Tomo 6.

Juramento Purgationis locus non eſt, ſi adſint indicia ſufficientia ad torturam, nec perſona privilegiata. fol. 286. num. 380. Eſt tamen locus in delictis non merentibus pœnameotporalem. n. 381. Item quando in gravibus delictis indicia non ſunt ſufficientia ad torturam. n. 381.

Reus recuſans juramentum purgationis, offerens ſe ad probationem innocentiæ, eſt audiendus. nu. 382.

Admiſſus ad juramentum purgationis, non poteſt ab adverſario exigere juramentum Calumniæ. n. 383.

Præſtito juramento Reus eſt definitivè abſolvendus, etiam quoad expenſas. n. 384.

Jurisdictio.

Tomo 1.

Jurisdictionis Jus ſemper eſt etiam Jus Proprietatis, ſed non econtra. f. 75. n. 44. Eſt autem præcipuè & ſtrictiùs ſumpta: Poteſtas ſeu Jus obligandi alios per ſuas Leges ad Actiones, ad quas expedit Subditos eſſe obligatos. f. 76. n. 45.

Non derivatur à *Jure & Ditione*, nec legendum *Jurisditio*. ſed *Jurisdictio*. à Jure dicundo. f. 2. n. 1.

Jurisdictio ſumitur in Jure aliquando pro ipſo Jure, ſeu Juris neceſſitate. n. 2.

Tomo 5.

Defendi poteſt definitio Jurisdictionis latiùs ſumptæ, quòd ſit: Poteſtas de publico introducta, cum neceſſitate Juris dicendi, & æquitatis ſtatuendæ. f. 2. n. 3. Meliùs fortè definiretur: Poteſtas ſeu Jus in Superioritate fundatum, exercendi actum ad quem ſe munus Superioris extendit circa ſubditum, quoad illius rectam gubernationem. f. 3. n. 10.

Jurisdictio conſiderata ut forma denominans Judicem, eſt publica de cauſis cognoſcendi & judicandi poteſtas. fol. 4. nu. 12. ubi plures definitiones idem ſignificantes referuntur.

Jurisdictionis poteſtas formaliter tendit ad actus, quos Miniſter efficere poteſt vi poteſtatis acceptæ ad regendum & gubernandum, in quo differt à Poteſtate Ordinis, ad quam validè exercendam non eſt opus poteſtate regendi & gubernandi ſibi conceſsâ. f. 4. n. 13. & ſeq. ubi exempla.

Jurisdictio dividitur in Simplicem & Imperium. Et hoc iterum in Merum & Mixtum. f. 5. nu. 16. Diſcrimen inter Jurisdictionem ſimplicem & Imperium, non rectè conſtituitur in hoc, quòd Imperium in Coërcitione conſiſtat, Jurisdictio in cognitione cauſarum ſine coërcitione. f. 5. num. 17. Errant, qui non agnoſcunt Jurisdictionem Simplicem, contradiſtinctam ab Imperio, n. 19. & f. 6. n. 20. Imperium eſt, quod Nobili Judicis Officio exercetur. n. 23. Jurisdictio Simplex, quæ Mercenario Judicis officio exercetur. n. 24.

Olim habens Jurisdictionem ſimplicem, poterat conſtituere Pedaneum, quod hodie non eſt in uſu. f. 7. n. 26.

Reſtitutio in Inregrum, & Tutorum datio, ad Imperium ſpectant; Reſtitutio poſſeſſionis ex Interdictis hodie ad ſimplicem Jurisdictionem. f. 8. n. 29.

Hodiernis Moribus in Germania ſimplex Jurisdictio ſine Imperio non reperitur. f. eod. nu. 30.

Mixtum & Merum Imperium in eo differunt primò & eſſentialiter, quòd Imperium merum in ſuis proprijs Actibus reſpiciat primariò bonum publicum, & ſolùm per conſequentiam bonum privatum. Econtra Imperium mixtum primariò bonum privatorum, & per conſequentiam bonum publicum. f. 9. n. 33. Unde utriusque definitio facilè conficitur: & n. 35. Referuntur Gradus Meri Imperij, & actus eò pertinentes. Deinde nu. 38. referuntur Gradus Meri Imperij.

Princeps concedens alicui omnem Jurisdictionem Civilem & Criminalem, non cenſetur conceſſiſſe hoc ipſo ea quæ ad primum gradum Meri & Mixti Imperij ſpectant. f. 10. n. 39.

Jurisdictio acquiritur, quando vel lege vel Principis placito alicui tribuitur: vel acquirendo Magiſtratum ſeu officium publicum in aliqua communitate, cui Jurisdictio annexa eſt. f. eod. n. 41. Acquiritur etiam Præſcriptione, adversùs privatum ſpatio longi temporis cum titulo: adversùs Principem verò ſine titulo non niſi tempore immemoriali, cum titulo Centum annorum ſpatio. n. 42. vel ſecundùm quosdam ſpatio 40. annorum. f. 11. n. 43. An tantùm cumulativè, vel etiam privativè, pendet ex modo poſſidendi. nu. 44. In Principe requiritur Scientia & Patientia. n. 54.

Jurisdictio per abdicationem officij, tunc primùm amittitur, quando abdicatio acceptatur. f. 11. n. 48.

Jurisdictio ſemel jure quæſita, non poteſt à Superiore validè ad libitum revocari, niſi ex legitimâ cauſâ. f. 12. n. 49.

Quando alicui datur in Officio Succeſſor, debet Deceſſor Officio ſuo fungi usque ad adventum Succeſſoris. Si Deceſſor ignoravit adventum Succeſſoris, & aliquem actum exercuit, valet Actus. eod.

Quando alicui ob denegatam juſtitiam Jurisdictio adimitur, non cenſetur (niſi exprimatur) niſi ad illum Actum adempta. Amittitur etiam per abuſum, ſed non niſi per Sententiam condemnatoriam. f. eod. n. 50. Et etiam per non uſum ex negligentia in præjudicium tertij frequentiorem. num. 51.

De Juris-

De Jurisdictionis Prorogatione, vide, *Prorogatio Iurisdictionis.*

Turbatus ab alio in quasi possessione Jurisdictionis, uti potest Interdicto utili *uti possidetis*. f. 20. n. 87. Et si vi dejectus, etiam Interdicto *Vnde vi.*

Affirmans sibi competere Jurisdictionem, habet Confessoriam, negans Negatoriam Actionem. f. eod. n. 89. Quando debetur ex aliquo contractu, habet Actionem ex tali contractu defendendi rem. n. eod. Potest etiam pœnali Judicio tueri violatam Iurisdictionem. n. 90.

Jurisdictio Ordinaria, & Delegata.

Jurisdictio Ordinaria est, quam quis ex munere suo ad hoc instituto, & suo nomine exercet. f. 21. n. 91. Dividitur in Contentiosam & Voluntariam. n. 92.

Iurisdictio Delegata est Potestas, quæ non ex proprio munere, sed ex commissione mediata vel immediata alterius, id ex proprio munere habentis, Jurisdictionem exercere potest. eod.

Regula cognoscendi Jurisdictionem Ordinariam est, quòd illa sit Ordinaria, quam constituit Lex, Consuetudo, aut Princeps, committendo negotiorum universitatem, & nullam clausulam apponendo, quâ moneat accipientem, ut non auctoritate propriâ, sed Principis conferentis procedat. f. 22. n. 95. In dubio præsumitur data Ordinaria. eod. Unde Episcopus non potest conferre Jurisdictionem ordinariam, nisi Vicario generali, non item Vicarijs foraneis, seu Camerarijs, qui habent tantùm delegatam. n. 96.

Habens Jurisdictionem Ordinariam, potest eam alteri delegare. Habens Delegatam regulariter non potest subdelegare. f. 23. n. 98.

Delegatus à Suprema Potestate potest subdelegare, nisi industria personæ electa esset. fol. 23. n. 99. Si Princeps mandavit, ut personaliter negotium exequatur, potest adhuc subdelegare de consensu Partium, nisi mandaverit fieri inquisitionem, vel provideri Ecclesijs de Prælatis alijsque Ministris. n. 100. Non censeretur electa industria personæ, si mandaretur provisio facienda certæ personæ. n. 101.

Subdelegatus à Delegato Supremi Principis non potest iterum subdelegare. f. 24. n. 102.

Delegatus à non Supremo, ad universitatem causarum, potest subdelegare solùm ad certam aliquam causam. f. eod. n. 103.

Delegans potest suum subditum cogere ad acceptandam delegationem, non tamen non subditum. f. 24. n. 105. Delegatus Sumi Principis quamvis possit cogere subditum delegantis ad acceptandam subdelegationem, non debet tamen sine urgente causa subdelegare Superioribus in dignitate constitutis. n. 106.

Quas causas inferiores Magistratus delegare possint, consuetudo est attendenda. Jure Canonico possunt omnes causas mixti & meri Imperij ad se spectantes, non item Iure Cæsareo, sed eas solùm quæ Iudicibus ordinarijs Civitatum competunt. f. 24. n. 107.

Jurisdictio Ordinaria non vicaria, non exspirat morte concedentis Principis, etiam re adhuc integrâ, neque, si ex alio capite concedens amittit Jurisdictionem. f. 25. n. 108.

Jurisdictio delegata exspirat in delegato re adhuc integrâ morte delegantis, aut quocunque modo amittente Iurisdictionem. Quando res desijt esse integra, non exspirat. n. 109. ubi casus. Desinit res esse integra per citationem, & hoc utroque jure. n. 110. Sufficit autem, esse egressam, etiamsi non pervenerit ad citandum. n. 111.

Delegatus si subdelegavit, nec aliquid ultra actum est, res adhuc est integra, quia subdelegatio non est actus Judicialis. Quodsi quis ex speciali commissione subdelegâsset, non exspiraret morte subdelegantis, quia censetur subdelegatus accipere Iurisdictionem à primo delegante. f. 26. nu. 112.

Jurisdictio delegata ad universitatem causarum exspirat morte delegantis, re integrâ. Neque in hoc æquiparatur Ordinariæ. f. eod. nu. 113. Per Excommunicationem aut Suspensionem delegantis, solùm suspenditur quoad non cœpta. nu. 114. Jurisdictio delegata per legem stabilem manet etiam re integrâ. n. 115.

Ordinarius re etiam non integrâ potest revocare delegationem, & etiam alteri delegare. fol. 26. n. 116.

Delegatus à Pontifice potest subdelegare non solùm totam causam, sed etiam partem. Jure Civili tota causa subdeleganda est. eod.

Quando Delegatus totam causam subdelegavit, re non integrâ non potest subdelegationem revocare: moriente subdelegato penitus exspirat Jurisdictio subdelegantis. f. 26. n. 117.

Delegatus cum clausula: *appell. rem.* si subdeleget, potest à subdelegato appellari, ità tamen, ut si tota causa fuit subdelegata, ad Papam, sin pars, vel cum restrictione, appellandum ad subdelegantem. f. 27. n. 118. Et neutra pars potest subdelegatum recusare, nisi probatâ causâ recusationis, & appellandum ad subdelegantem. n. 119. Si post appellationem subdelegans cogeret subdelegatum exequi sententiam, ab hoc gravamine appellandum ad Papam cum effectu devolutivo. num. 120.

Ordinarius potest solo verbo citare & obligare ad comparendum, Delegatus debet citationi inserere tenorem delegationis, aut alio modo certiorem reddere de delegatione, alioquin processus est nullus. f. 27. n. 121.

Delegatus, si formam mandati non observavit, potest ob nullitatem processûs de novo judicare. f. 28. n. 122.

Si eadem causa duobus vel pluribus simul delegatur, nec aliud exprimitur, debent omnes simul concurrere, alioquin sententia tam interlocutoria quàm definitiva est nulla, nisi essent dati ad universitatem causarum. fol. 28. n. 123. ubi exempla.

Si unus ex pluribus nominatim delegatis moriatur, aut alio modo incapax fiat jurisdictionis, exspirat etiam in cæteris jurisdictio, & recurrendum est ad delegantem. f. eod. n. 124. & 126.

Si unus ex pluribus non nominatim, sed sub conceptu alicujus officij seu dignitatis decedat, reliquorum jurisdictio manet suspensa, donec alius in tali dignitate succedat. n. 125.

Potest unus ex delegatis à Papa, subdelegare non solùm aliquem non nominatum, sed etiam unum ex collegis, qui tunc suo & subdeleganris nomine poterit procedere re non integrâ, etiamsi delegans decesserit. f. 29. n. 127.

A Subdelegatis etsi tantùm in parte causæ, appellandum est ad primum delegantem, si in judicando concurrit immediatè delegatus. f. eod. n. 128.

Clausula adjecta: *si omnes interesse nequeant, ut duo judicent*: extenditur etiam ad illum, qui quidem posset, sed obstinatè non vult interesse. f. eod. nu. 129. Et si alter vellet subdelegare, non tenetur subdelegatum admittere immediatus delegatus. n. 130.

Uno recusato, potest quidem alter, vigore clausulæ, procedere, si tamen recusatus concurreret, processus esset nullus. n. 131. De suspicionis causa, ob quam delegatus recusatur, judicare debent non recusati, habentes jus procedendi sine recusato, alioquin ad arbitros recurrendum est; si delegatus Episcopi recusetur, ad Episcopum spectat judicare. f. 30. n. 132.

Pluribus in solidum delegatis, & uno inchoante, cæteri non possunt se intromittere. f. 30. nu. 133. ubi vide limitationem.

Pluribus in sententia ferenda concurrentibus, major pars obtinet, excepto uno casu, qui habetur f. eod. n. 134.

Si delegatorum vota contraria sunt paria, recurrendum est ad delegantem, cujus decisione statur, & interim sententia est in suspenso. f. eod. n. 30. aliter se res habet in Judicibus Ordinarijs, ubi sententia tenet pro Reo, non pro Actore, nisi in causa favorabili. eod.

Ad delegationis valorem requiritur in delegato ætas viginti annorum, nisi quis à Principe, superato decimo octavo anno, vel partibus scientibus & consentientibus delegaretur. f. 31. n. 136.

Delegatus Summi Pontificis debet vel esse in Dignitate aut Personatu constitutus, vel Canonicus Ecclesiæ Cathedralis. f. eod. nu. 137. Eædem qualitates requiruntur in subdelegato, nisi tantùm articulus aliquis causæ delegaretur. eod. Ordinatio Conc. Trid. refertur. n. 138.

Causæ à Sede Apostolica delegatæ, examinandæ sunt in loco ubi copia peritorum haberi potest. fol. 31. n. 139.

Si Actor & Reus sunt ejusdem civitatis aut diœcesis, causa non est committenda extra civitatem aut diœcesin, præterquam in casibus exceptis. nu. 140. Si verò sunt diversæ civitatis aut diœcesis, indulgetur Actori recusatio. f. 32. n. 141.

Latâ, & Executioni mandatâ sententiâ, exspirat Delegati jurisdictio. f. 32. n. 142. Si executionem alteri mandavit, qui tamen non sit merus illius minister, sed subdelegatus, tunc re adhuc integrâ potest ipse executionem reassumere, secùs, exspiravit jurisdictio. eod.

Si sententia nulla est ob non servatam formam mandati, non exspiravit Jurisdictio: si ex alio capite, exspiravit. f. 32. n. 143.

A puncto latæ sententiæ conceditur annus pro sententiæ executione. f. eod. n. 144. ubi vide limitationem.

Quamvis elapso termino in litteris delegationis præfixo, causâ etiam necdum decisâ jurisdictio per se exspiret, potest tamen ante lapsum consensu Partium quoad ulterius tempus prorogari. f. eod. n. 145. Si dies certus nominatus, nihil interest, quando litteræ venerint ad manus. Si indeterminatus, incipit tempus currere à die litterarum acceptarum. f. 33. n. 146.

Delegatus malitiosè impeditus debet causam alteri subdelegare, qui intra terminum expediat. fol. 33. n. 147.

De Jurisdictione Arbitraria, vide, *Arbiter*.

Jurisdictio Ecclesiastica & Sæcularis ad invicem comparatæ.

Clerici à Jurisdictione sæculari exempti sunt, ut ad eam in Causis Criminalibus trahi non possint. fol. 49. n. 223. Laicus à Clerico conveniendus est regulariter coram Judice illius. f. 50. n. 224.

Hæc exemptio immediatè quidem est instituta à Christo, ità tamen ut suo in terris Vicario relicta sit potestas eam in certis casibus diminuendi. fol. 50. n. 227. & seqq. ubi fol. 51. n. 230. exempla.

Judex sæcularis ne quidem in causa quæ non est sanguinis, habet potestatem citandi & compellendi Clericum ad dicendum testimonium: quamvis ex Consuetudine Clerici rogati sponte accedere soleant, & testimonium dicant. n. 231.

Non possunt Judices sæculares vel eorum apparitores irruere in domum Clerici ad extrahendam meretricem. nec exigere à Clerico expensas capturæ. n. 232.

Judicio contra sæcularem jam cœpto per citationem aut litis contestationem, potest continuari contra eundem postea Ecclesiasticum factum quoad mulctam pecuniariam. fol. 52. n. 233. In criminalibus quid juris vide: *Clericus*. Si bona hominis sæcularis ratione delicti ipso jure ad fiscum devolverentur, posset Judex sæcularis circa illa procedere, non obstante mutatione status. num. 234.

Etiam

Etiam in causis civilibus Clericus gaudet hoc privilegio exemptionis, nisi fuerit à Canonibus ademptum. f. 52. num. 235. ubi vide ademptionis exempla.

Mortuo Laico, cum quo judicium est cæptum coram Judice Laico, tenetur probabiliter ejus hæres Clericus se coram eodem defendere. f. 53. nu. 237. & seqq. Pari modo videtur Clericus venditor debere defendere emptorem Laicum apud Judicem Laicum, ubi evictio intentata est. n. 240. & seqq.

Si Clericorum animalia damnum fecerunt, non possunt Judices Laici ab illis damni reparationem exigere. f. 54. n. 244.

Non videntur posse Clerici conveniri corã Laico ratione tutelæ aut depositi coram illo suscepti. f. 55. n. 245. Multò minùs possunt conveniri coram Judice Laico, si post celebratum contractum facti sunt Clerici. n. 246.

Consuetudo Principum Laicorum, punientium Ecclesiasticos suos Ministros pœnâ pecuniariâ, non videtur aliter defendi posse, quàm quòd à Superiore Ecclesiastico tacitè approbetur in favorem Clericorum. f. 55. n. 247. & seqq.

Actiones reales non possunt contra Clericos coram Laico institui, nisi approbatâ consuetudine receptum sit. f. 56. n. 252.

Quòd Clericus possit coram Laico Judice reconveniri, evincit potissimùm auctoritas DD. & consuetudo. f. 56. n. 253. Est autem facienda in continenti, vel in ipso litis exordio, vel in ipsa litis contestatione, vel saltem statim post litem contestatam. Alioquin Judex non tenetur eam admittere. Si tamen eam admittat, etiam post factam conclusionem in causa, tenetur Actor stare juri, & assistere Judicio coram Judice, quem ipse elegit. n. 259.

Non habet tamen locum Reconventio in seqq. casibus. 1. Si Reus dolo procuravit, ut Clericus ageret, ne ipse deberet agere coram Ecclesiastico. f. 58. nn. 260. 2. Si reconventio tangeret causam spiritualem, vel ei annexam. eod. 3. In causa criminali, in qua nec civiliter reconveniri potest. eod.

Executio sententiæ ad Judicem Ecclesiasticum spectat. n. 161.

An Judex Laicus possit judicare in causa possessoria rerum spiritualium, Jure non est satis clarè decisum, sed posse, habet consuetudo. f. 58. n. 263. & seqq.

In Quæstionibus facti, habentibus infallibilem connexionem cum re spirituali ad forum Ecclesiasticum spectante, non potest Judex Laicus judicare. f. 60. n. 271. ubi exempla.

Quænam personæ veniant nomine Clericorum, ut gaudeant privilegio fori, vide *Clericus.* ubi etiam, quomodo illud amittant.

Si Clericus in Minoribus constitutus, vel Novitius Religionis delinquens in statu Clericali aut Religioso, post commissum delictum impunitus adhuc redit ad statum sæcularem, punitio spectat ad Judicem Ecclesiasticum. f. 66. n. 298. & seq.

Privilegio fori non potest Clericus privatâ auctoritate renuntiare, & nec juramento renuntiationem firmare. f. 68. n. 304. Neque in hoc potest quisquam Pontifice Sum̃o inferior dispensare. n. 306.

Vi consuetudinis præcisè, non accedente consensu Summi Pontificis, nihil de privilegio immunitatis potest diminui. f. 69. n. 310. & seqq.

Causæ Laicorum spirituales, seu in materia spirituali consistentes, non possunt ab alio quàm Ecclesiastico Judice judicari. f. 70. n. 317.

Plura vide: *Forum.*

Sunt aliquæ causæ mixti fori, ac proinde in illis est locus præventioni. f. 71. n. 320.

De Præventione, vide, *Præventio.*

Quamvis aliquæ causæ ratione Rei Laici unicè ad sæcularem spectarent, affectæ tamen qualitate supernaturali possunt etiam ab Ecclesiastico judicari, v. g. ratione Juramenti adjecti. f. 71. n. 321. ubi casus & exempla.

Mixti fori est, imprimis Usura, non solùm quando Usurarius est Notorius, & agitur de pœna, sed etiam in quæstione Juris, an hic vel ille contractus sit Usurarius. f. 72. n. 324. & seq. Secundò, est Mixti fori Cognitio de observando juramento promissorio. f. 73. n. 329. Tertiò, Executio Legatorum piorum non merè spiritualium. f. 74. n. 333. Quartò, Blasphemia non hæreticalis facta à Christiano. Quintò, Sodomia, etiam commissa à Clerico, præcedente declaratoriâ à Judice Ecclesiastico factâ, qui ipso jure privatur privilegio fori. f. 75. n. 339. Sextò, Adulterium. Si tamen innocens agat solùm ad separationem thori, amissionem dotis, & alimentorum, ad solum Judicem Ecclesiasticum spectat. n. 341. Septimò, Incestus. f. 76. n. 344.

Denique plura alia, de quibus dicetur Tomo 6.

Jurisdictionis præsumptio, in dubio qualis sit concessa.

In dubio, qualis Jurisdictio concessa præsumatur, an Ordinaria vel Delegata, talis præsumitur, qualem subjecta materia requirit & ostendit. fol. 403. n. 673. alioquin præsumitur ordinaria. n. 674.

Jus. Justum.

Tomo 1.

Jus Gentium.

Tomo 4.

Justitia.

Tomo 1.

Justitia in genere, ut abstrahens ab illis quatuor speciebus, est Virtus ad alterum, cujus Actiones ex obligatione factæ nunquam generant in altero obligationem gratiarum actionis. f. 68. n. 7. & seqq. ubi fit definitionis applicatio.

Justitia Commutativa (quæ in præsenti maximè consideratur) est Constans & Perpetua voluntas Jus suum cuique tribuendi. f. 17. n. 15. Itaque objectum illius est Jus alterius. Hoc Jus non rectè confunditur cum Debito. nu. 16. aut cum æquali. n. 18. Nec per suum contrarium, hoc est, injuriam. 19. vide plura in vocab Jus.

Justitia respicit Medium Rei, & non præcisè Medium Rationis, sicut aliæ virtutes. f. 80. num. 70. & seqq.

Justitia commutativa non exercetur in Patrem & Filium, si formaliter & quà tales considerentur. hoc est, secundùm illas præcisè obligationes, quas natura introduxit independenter ab eorum voluntate. f. 82 n. 77. Idem cum proportione de Domino & Servo dicendum. 79.

Ex Justitia commutativa potest eidem obligationi sæpius satisfieri Et secũda solutio promovet finem Justitiæ extensivè. f. 82. n. 81. & seqq. ubi per instantias declaratur.

Item potest satisfieri solutione anticipatâ pro debito necdum contracto, sed contrahendo. fol. 84. n. 88.

Justitia Distributiva non merè accidentialiter aut materialiter, sed essentialiter & specie differt à Commutativa. f 85 num. 93. Æqualitas tamen Arithmetica & Geometrica non est sufficiens ratio diversificandi specie theologicâ. 94. quamvis plerumque illæ æqualitates diversæ observentur 98.

Quandocunque vel ex lege vel ex pacto datur in membris Communitatis Jus ad rem strictè dictum, distributio proportionalis bonorum communium non fit ex Justitia distributiva, sed Commutativa. f. 86. n. 99.

Nec ad Justitiam Distributivam, nec ad Commutativam spectat, tribuere communitati Jus ad rem, hoc est ad Officium, obligando Officialem Communitati ad bonum illud procurandum. fol. 86. n. 102.

Justitia Distributiva differt essentialiter à Commutativa per hoc, quòd in distributione bonorum communium attendat & respiciat debitum minùs strictum, quod quidem debitum non est Jus ad rem, fundans obligationem restituendi, sed consistit in Majore dignitate vel Minore membrorum communitatis, ordinando distributionem principaliter in bonum Communitatis f. 87. num. 103. Distributio onerum & contributionum plùs participat de Commutativa quàm Distributiva. 109.

Peccatum Justitiæ Distributivæ oppositum, est acceptio Personarum, & committitur quando quis non ob merita, sed ex aliis causis tribuit uni, quod ob merita alteri deberetur. fol. 88. n. 110.

L.

Latrocinium.

Tomo 6.

Latrocinium strictè sumptum dicitur, quo spoliatio cum occisione conjungitur, sive ipsius spoliati, sive alterius à quo timebatur manifestatio. fol. 138. n 356.

Latrocinij pœna secundùm Jus Civile est suspendium, in Imperio est pœna Rotæ. n. 357. Latrocinio frequentato pœna exasperatur. n. 358.

Actualis spoliatio non requiritur, sufficit attentata. n. 360. Item sufficit lucrum speratum de futuro. fol 139. n. 362.

Eâdem pœnâ afficiendi auxiliatores, & approbatores. fol. 139. n 361.

Attentatum latrocinium, non secutâ tamen occisione nec spoliatione, non punitur morte, sed arbitrio Judicis Spoliatione secutâ, punitur pœnâ Grassatoris fol. 139. n 363. Quamvis etiam pœnâ mortis puniri possit, qui ità vulneravit, ut tanquam mortuum reliquerit, saltem gladio, imò alicubi etiam rotâ. n. 365.

Ob plures causas potest Rotæ pœna exasperari, quas vide, fol. 140. n. 366.

Laudatio & Nominatio Auctoris.

Tomo 5.

Qui rem possidet tanquam suam ab alio comparatam, potest laudando auctorem declinare Judicium, denuntiando illi litem motam. Qui possidet alieno nomine, dicitur auctorem *Nominare.* fol. 257. n. 397.

Auctor laudatus tenetur litem suscipere coram Judice Rei conventi, etiamsi cæteroquin posset exceptione declinatoriâ uti. fol. 258. n. 398. Plura de his in contractu *Emptionis.*

Denuntiatio litis motæ fieri potest etiam post litis contestationem, dum salvum est jus auctoris. num. 399.

Copia libelli aliorum actorum Auctori mittenda sumptibus quidem denuntiantis, sed lite finitâ repetendis. n. 400.

Qui alieno nomine possidet, liti per denuntiationem penitus eximitur: qui verò suo nomine, eatenus, ut instantia quidem in venditorem mutetur, executio verò sententiæ in ipsum emptorem fieri debeat. fol. 258. n. 401.

Nominato domino, fit denuntiatio à Judice, sumptibus conventi, & interim negotio supersedetur, nisi actor probare velit, conventum suo nomine possidere. n. 402.

An inter Legatarios sit aliquis prioritatis ordo, vide, *Prioritatis Ordo.*

Tomo 2.

Legatorum revocatio nullas requirit solennitates, imò sufficit præsumptio, sic legatum occisori testatoris relictum, præsumitur revocatum, & cedit hæredi. fol.59. n.265.

Legata debentur etiam tunc, quando testamentum hærede destituitur per repudiationem hæreditatis. fol.33. n.151. Item debentur, quando testamentum rumpitur ob exhæredationem vel prætcritionem alicujus qui ante conditum testamentum natus est, non tamen, si rumpitur ab eo qui post testamentum conditum, esto vivo patre, natus est. fol. 35. num. 160. Nisi testator scivisset esse uxorem prægnantem. eod. & fol.87. n. 387. & fol. 88. n.390. & seq.

Legatum est Donatio à defuncto relicta, ab hærede præstanda. f.210. n. 216. Differt à Fidei commisso universali, quòd hoc non sit purè liberalis donatio, utpote subjectum oneribus hæreditarijs, & quia non accipitur immediatè à defuncto, sed ab hærede transferente dominium fideicommissi: Legati verò dominium transfertur Immediatè à defuncto, & sola possessio præstatur ab hærede. n. 217.

A Donatione Mortis causâ etiam differt: tum quia saltem ab initio relinquitur legatum (non item donatio mortis causâ) tali modo, ut ab hærede præstetur, esto quandoque defunctus ipse, mutatâ voluntate præveniat hæredem & præstet. tum quia hæres semper præstat saltem æquivalenter & virtualiter, quatenus Legatum à defuncto traditum posset à Legatario avocare, illúdque bonis defuncti adnumerare, in eum finem, ut appareret, an ad solvenda debita vel detrahendam Falcidiam sit necessarium. f. 210. n. 218. & seq.

Legatum etiam à Fideicommissario universali relictum & præstandum, benè dicitur ab hærede præstari, quia talis fideicommissarius est loco hæredis. Quando autem Legatum ab ipso Legatario iterum alteri solvendum relinquitur, dicitur præstari ab hærede mediatè. f. 211. n. 220.

Definitur Legatum expeditiùs: Ultima voluntas, quâ liberaliter defunctus rem particularem, hoc est, quæ rationem hæreditatis non habet, alicui ab hærede præstandam, relinquit. eod.

Si inter testandum Testator utens verbo *Donandi*, det aliquid acceptanti, non est donatio inter vivos, & irrevocabilis, sed erit donatio mortis causâ, statim quidem transferens dominium, sed revocabile: Quodsi traditio sequeretur testamentum, in quo idipsum relictum esset, esset legatum. fol.211. n.221.

Legatum strictè sumptum differt à Fideicommisso particulari in sola formula relinquendi per verba directè ad legatarium directa, vel tantùm indirectè. eod. De reliquo sunt penitus exæquata & æquiparata quoad effectus & modum relinquendi, in quibus antiquo jure plurimùm differebant. Nam Legata non nisi testamentis, aut Codicillis testamento confirmatis relinqui poterant, nec nisi post hæredis institutionem, verbis latinis, certâ formulâ conceptis, non item in tempus post mortem hæredis aut legatarij. Hodierno jure sicut olim fideicommissa particularia, etiam ab intestato, item in testamento ante hæredis institutionem, in Codicillis nullo testamento firmatis, verbis quibuscunq; imò solo nutu, de jure communi (non item de jure Bavarico, quo requiritur, ut respondeatur saltem. *Ita.*) item præstanda post mortem hæredis aut legatarij. Econtra sicut olim dominium legati immediatè transferebatur in legatarium, ità etiam hodie dominium rei fideicommissariæ æquè ac legati, ut statim detur actio in rem. fol.212. n.225.

Legare possunt illi soli, qui testamentum condere. fol.eod. n.226.

Legari etiam non nisi illis potest, qui possunt hæredes scribi, exceptis excipiendis, ut Professis &c. de quibus alibi dictum. eod.

Quamvis olim personæ penitus incertæ, & non aliquo modo in animo saltè designatæ, legari non potuerit, hodie tamen potest: v.g. *qui filiam meam duxerit*. dummodo per eventum persona certificetur. A fortiori potest legatum relinqui Communitati: item illis Religiosis, qui in testamento vi sui Instituti non possunt hæredes scribi; etiam PP. Franciscanis, sed cum ea moderatione, ne legata videantur facta in fraudem legis hæreditatem prohibentis. fol.213. n.227. Quodsi Religiosis relinquatur legatum cum onere repugnante Instituto, potest in aliud commutari. eod.

Valet legatum factum incapaci tempore dispositionis, capaci tamen tempore mortis testatoris. fol.213. n.228.

Valet etiam Legatum factum cum errore commisso in nomine proprio legatarij vel rei legatæ, dummodo constet de mente testatoris, quem & in quo voluerit honorare. fol.214. n.229. Si tamen erraretur in nomine appellativo. v.g. nominando suppellectilem pro veste, non valeret legatum, quia non expressit, quod voluit, sed quod noluit neque nomina appellativa sunt privatorum auctoritate mutabilia, sicut nomina propria. fol.eod. num.230.

Solus error in adjecta demonstratione non vitiat legatum. eod.

Legato per nomen æquivocum expresso, si non constet de mente testatoris, electio est penes hæredem. fol.214. n. 231.

Si Legatum sit relictum Sempronio, & sint duo Sempronij, pari affectione conjuncti testatori, nec apparet in quem tetenderit intentio illius, quamvis recepta sit Juristarum opinio, legatum non valere, oh claros Juris textus, (quibus tamen alij non minùs clari opponuntur) inde tamen haud evincitur, quòd legatum ne quidem in foro Interno solvendum sit, eo modo, quo Theologi docent, alia debita incerta esse solvenda, cùm certum sit deberi, & solùm desit probatio cui debeatur: ob quem defectum erit saltem dividendum, sicut esset dividendum, si quid relictum esset illi, qui primus Capitolium ascenderit, & ex duobus non constaret, quis prior ascendisset. fol. 215. nu. 232. & seqq.

Si duobus Sempronijs legata relicta sint, & deinde uni ademptum sit, sed non constet, cui, est responsum Ulpiani in *l.* 10. *ff. de reb. dub.* quòd utrique esset ademptum. quod est inconsequenter dictum ad id, quod idem Ulpianus in eadem lege dixit, non valere legatum, si non constet, cui ex duobus legatum sit, ob incertitudinem. Nam si hæc impedit valorem legati, etiam impediet valorem ademptionis. Consequentiùs dicitur in *lege* 3. §. 7. *ff. de adim. leg.* quòd si duobus Titijs separatim legatum sit, & uni ademptum sit, utrique legatum debeatur: econtra si non appareat, cui datum sit, neutri sit legatum. fol. 216. nu. 235. Ut jura in hoc puncto concilientur, dicendum videtur, quòd in casu posito neutri debeatur legatum adæquatè, (si sit divisibile) sed tamen debeatur dividendum. nu. 236. & seqq.

Si hujusmodi incertum legatum esset relictum Ecclesiæ, loco non expresso, applicandum esset Ecclesiæ in qua testator habet domicilium. Si verò Ecclesiam alicujus Sancti nominâsset, cùm plures ejusdem nominis reperiantur, dandum esset indigentiori, nisi aliunde appareret, testatorem aliud voluisse, v.g. quia in una habet sepulchrum, accepit Sacramenta. &c. Si omnia essent paria, legatum esset dividendum, vel sorte, aut alio modo transigendum. fol. 216. nu. 238.

Quando erratum est in demonstratione rei legatæ, recurrendum est ad præsumptam intentionem testatoris, an fuerit alligata demonstrationi: porestque fuisse pura & non alligata, etiamsi demonstratio non sit posita in diversa oratione. fol. 217. nu. 241. & seq.

Error circa personam Legatarij tunc vitiat Legatum, si persona animo concepta nullo modo est expressa, sed alia quam non concepit. Si tamen esset aliquo modo expressa, valeret, v.g. *Huic fratri meo lego*: Fratri debebitur Legatum, etiamsi non fuerit præsens, sed putabatur esse, cùm alius fuerit. f. 218. n. 243.

Si demonstratio in qua erratum est, contineat causam motivam legandi, non valet legatum, sed error censetur esse in substantia. f. eod. n. 244.

Non esset inutile Legatum *Animalis* in genere, nec satisfieret dando muscam, sed dandum esset animal pretio æstimabile, & quo censeri posset Legatarius honoratus. f. eod. n. 245.

Legato disjunctivè facto, v.g. aliquo ex servis, vel equis &c. Electio est penes Legatarium, ità tamen ut nec possit optimum, nec debeat pessimum eligere. f. 218. num. 246. & seqq. Si tamen Testator solùm duo individua haberet speciei Legatæ, posset Legatarius optimum eligere. f. 219. n. 249.

Si hæres est constitutus executor Legati, v.g. per verbum: *Dabit*: Electio est penes hæredem, sicut etiam tunc, quando Testator unum determinatum concepit, sed voce æquivocâ expressit, ut jam suprà dictum. eod.

Legato individuo indeterminato habente terminos à natura, si nullum tale exstet in hæreditate, comparandum est ab hærede, nec tenetur tamen optimum, nec licet etiam solvere pessimum, sed saltem mediocre. f. 219. n. 250.

Legato verò individuo non habente terminos à natura, sed ab arte & industria humana, sive res sit mobilis sive immobilis, si sint plura in hæreditate ejusdem speciei, electio est penes legatarium, sicut dictum de habentibus terminum à natura. fol. eod. n. 251. Si verò nullum tale exstet, tunc si sit res immobilis, evanescit legatum, ob præsumptionem, quòd testator noluerit gravare hæredem ad ejusmodi rem emendam, quæ plerumque sunt pretiosæ, & rarò comparabiles: si verò sit res mobilis, erit comparanda, sicut dictum de habentibus terminum à natura. fol. 220. n. 252. Et etiamsi in casibus positis esset legatū pium, nō propterea hæres teneretur emere optimum. 253.

Si legata est res consistens in pondere, numero, & mensura, & exstet in bonis, inde solvendum est legatum, eligente hærede: si non exstet, emenda, vel æstimatio præstanda. fol. eod. n. 254.

Legatâ summâ pecuniariâ non satis expressâ, ex circumstantijs personarum, & consuetudine formanda est præsumptio de mente testatoris. eod.

Factâ semel electione non licet variare, nisi error commissus esset in electione, vel electio facta esset ante aditam hæreditatem. fol. 220. n. 255.

Electio commissa tertio, hoc non eligente, devolvitur ad legatarium. fol. eod. n. 256.

Re eâdem à duobus eidem legatâ, si legatarius eam in specie fuerit consecutus ex uno testamento, non potest postea petere ejus æstimationem ab altero hærede ex altero testamento: benè tamen si priùs æstimationem consecutus esset, posset adhuc rem ipsam consequi. fol. 221. n. 257.

Si eadem res eodem testamento bis legata fuerit, non nisi semel debetur. fol. eod. n. 258.

Res fungibilis in eodem testamento bis legata, tantùm semel debetur; in duabus scripturis, Testamento & Codicillo, legata bis debetur, nisi hæres probet, testatorem voluisse legatum repetere, fortè quia oblitus est, vel quia timebat impugnationem testamenti. fol. eod. n. 259.

In re determinata corporea bis legata, stat præsumptio

sumptio pro hærede, ut tantùm semel debeatur. fol.eod. n.260.

Si eadem quantitas semel absolutè, deinde sub conditione legata sit, semel statim debetur, secundò, positâ conditione. eod.

Si in diversis scripturis diversæ quantitates legatæ sint eidem, censebitur legatum auctum, & utrumque solvendum, nisi hæres contrarium probet. fol.221. n.261.

Si eadem res pluribus conjunctim legetur, dabitur illis semel, ut dividant æqualiter inter se. Si seorsum, & singulis in solidum, qui prior petit, habet optionem petendi rem vel æstimationem. fol.222. n.262. Itaque pet rem secundò legatam, non præsumitur revocatum prius legatum, sed potiùs, quòd ambo ad æquales partes vocentur, nisi evidentissimè constet, singulis in solidum esse legatum. fol. eod. n. 263.

Uno ex Collegatarijs re conjunctis deficiente, alter accipit totum, cùm alioquin partem accepisset, adeoque pars deficientis noncedit hæredi. fol. eod. n.265. & seq. Utrum autem hoc fiat Jure *accrescendi*, an Jure non decrescendi, est inutilis quæstio, & sine inconvenienti dicetur: Jure accrescendi acquiri. n.266. & seq.

Quando Collegatarij sunt re & verbis conjuncti, tunc si legatum cum aliquo onere relictum est, accrescit unà cum onere: si verò re tantùm conjuncti sunt, sine onere repudianti imposito, accrescit non repudianti. fol.223. n.268.

Si verbis tantùm sint conjuncti, adhuc est locus juri accrescendi, secùs si etiam verbis disjuncti essent, vel ex alijs circumstantijs colligi posset, fuisse verbis conjunctos solùm quod celeriùs loqui voluisset testator. fol.eod. n.269. & seqq.

Si eadem res tribus legetur, duobus tamen etiam verbis conjunctis, tertio non nisi re conjuncto, portio re & verbis conjuncti soli sic conjuncto accrescet, portio re conjuncti cæteris duobus æqualiter. fol.225. n. 276.

Si triplex diversa conjunctio fiat, illi, qui re & verbis conjuncti sunt, cæteris præferuntur: inter cæteros autem illi, qui verbis tantùm conjuncti sunt præferuntur illis, qui re tantùm conjuncti sunt. fol.eod. n. 277. & seq. ubi exemplum.

Portionem accrescentem non tenetur legatarius (sicut hæres) acceptare, vel totum legatum repudiare. Totam tamen rem sibi per modum unius legati relictam, debet vel acceptare, vel repudiare: non item si diversa sint legata. fol.eod. n.279.

Legari possunt res necdum existentes, quas tamen exstituras esse poterat sperari & cogitari à testatore: & tale est legatum in diem, adeoque suspensum, & pendens ab eventu & conditione ex natura inexistente, & transmitteretur ad hæredem à legatario decedente ante eventum: si nihil eveniat, liberatur hæres. fol.226. n. 280.

Res aliena potest à sciente testatore (quam scientiam legatarius probare debet) legari, & hæres tenetur eam emere, si verò non sit venalis, solvere æstimationem. eod.

Ab ignorante res aliena legari potest personæ valde conjunctæ, præsumendo, quod etiam sciens legaturus fuisset. fol.eod. n.281.

Si res legata est ipsius hæredis, cùm censeatur esse una persona cum defuncto, debet legatum præstare, etiamsi testator ignoràsset esse hæredis. Quodsi sit in unius cohæredis solius dominio, tunc si legatarius probaverit, id testatorem scivisse, consequetur totum legatum, concurrentibus tamen omnibus cohæredibus cum proportione successionis. Si testator ignoravit rem unius ex cohæredibus esse, putans esse suam, solus ille cujus est res legata, gravatur, non quidem ad totam rem tradendam, sed ad æstimationem rei pro quota suæ successionis: reliqui verò ideo non tenentur, quia respectu eorum est res aliena. fol.227. num.284.

Non plus juris censetur legatum esse, quàm habuit in re legata testator, quando jus limitatum habuit. fol.eod. n.284.

Si res opignorata scienter legetur, hæres tenetur pignus luere, & tradere legatario: si ignoranter, ad legatarium spectat luitio. fol. 228. num. 285. Quodsi luitio adæquet valorem rei legatæ, si nolit luere legatarius, conformius juri est, quòd hæres teneretur luere, ne legatum sit inutile. eod.

Si res aliena legata scienter ex titulo lucrativo ad legatarium jam antè pervenit, hæres non tenetur ad æstimationem, benè tamen, si pervenit titulo oneroso. fol.228. n.287.

Si res legata fuit ipsius testatoris, & titulo oneroso acquisita, potest legatarius petere æstimationem, si nescivit eam sibi esse legatam. fol. eod. num. 288.

Res quæ est ipsius legatarij tempore conditi testamenti, legari non potest, etiamsi eam alienaret. eod.

Legato debito debitori, censetur legatum esse jus excipiendi contra hæredem, & liberatus debitor: si sola dilatio solutionis est legata, usuræ interim non debentur. fol. 229. nu. 289.

In legato liberationis generalis, tantùm veniunt absolutè delicta personalia, non conditionata aut realia. fol. eod. nu. 290. & seq.

Legatâ liberatione à reddendis rationibus, non hoc ipso residuorum solutio remissa censetur, nec id quod dolo consumptum aut neglectum est. fol. eod. nu. 291.

Debitum de quo hæredi constat, sed à creditore probari

bati non potest, si legetur creditori, censetur legata solutio, & hæres in conscientia solvere debet. f. eod. n. 293. Legato verò debito legali seu Statutario, ut est dos, hoc debitum extinguitur per legata æqualia, vel qooad partem, quia sub conditione statutum, nisi homo provideat. eod. & seq.

Legatâ pecuniâ, non compensatur legale debitum alterius speciei, v.g. fundi. quia invito aliud pro alio non solvitur. f. 230. n. 295.

Alia debita sive ex contractu, sive ex delicto, non extinguuntur per legata, alioquin legatum non esset donatio. f. eod. n. 296. Unde, ne legatum factum creditori sit illusorium, debet aliquid commodi indebiti conferre, v. g. cessionem exceptionis competentis, solutionem ante tempus obligationis &c.

Dies legati cedit à puncto mortis testatoris, etiam ante hæreditatem aditam, nisi legatus sit ususfructus vel libertas. Diem autem cedere aliud non est, quàm incipere deberi. Venire diem, est posse peti. f. 231. n. 298.

Quando Legatarius acceptavit legatum, fictione juris retrotrahitur dominium ad diem mortis, vel (in casu legati ususfructûs aut libertatis) ad diem aditæ hæreditatis. f. eod. n. 300.

Quando Legatarius moritur ante aditam hæreditatem, transmittit legatum ad hæredem. eod.

Res legata in diem, vel sub conditione de futuro, transit in dominium Legatarij veniente die vel conditione. f. eod. n. 302.

Res indeterminata purè legata, ità ut determinatio sit penes hæredem, non transit in dominium Legatarij, nec debentur illi fructus, nisi à tempore, quo hæres fuit in mora tradendi, adeoque tunc, quando obligatur ad determinandum. Re determinatâ purè legatâ, non potest Legatarius ante aditam hæreditatem petere legatum, & sic necdum habet dominium verum, sed solùm fictione juris, quatenus acceptando legatum retrotrahitur dominium ad diem mortis, vel (in casu legati Ususfructûs aut libertatis) ad diem aditæ hæreditatis. Ab adita hæreditate habet jus exigendi legatum: si tamen nollet acceptare, censeretur nunquam fuisse dominus: acceptando tamen fit dominus à die mortis testatoris, quo legatum cessit, & teoetur onera imposita subire. eod.

Re incertâ legatâ, Legatarius moriens ante aditam hæreditatem transmittit jus ad hæredem. Si in diem incertum, Legatum, Legatario moriente ante illum diem, exspirat. Si in diem certum, transmittitur ad hæredes, quia jam antè debetur, hoc est, dies jam cessit, quamvis nondum solvendum sit, nec peti possit, quia dies nondum venit. f. 232. n. 303.

Hæc conditio: *Si hæres adierit hæreditatem*: ideo non impedit transmissionem moriente Legatario ante aditam hæreditatem, qoia licèt sit conditio incerta, est tamen oniversalis, & inexistens. eod.

Ad confusionem cavendam, triplex dominium in Legatario distingui potest. Primum, quod fingitur habere à puncto mortis testatoris, usque ad aditionem hæreditatis, & hoc est dominium fictū. Secundum, quod habet ab aditione hæreditatis usque ad acceptationem, & hoc est dominium verum, sed revocabile ad libitum Legatarij per non acceptationem. Tertium, quod acquirit per acceptationem, & hoc est irrevocabile. eod.

Fructus illi, qui evadunt aliquo modo pars rei Legatæ, ut augmentum gregis, omnes pertinent ad Legatarium à die mortis testatoris, sicut quæ pereunt, Legatario pereunt. f. 233. n. 307.

Inspecto jure scripto, fructus illi soli cedunt Legatario, qui percepti sunt, vel à Legatario percipi poterant, postquam hæres fuit in mora solvendi Legatum petitum. f. eod. n. 308. In favorem tamen causæ piæ cogitur morosus hæres restituere omnes fructus & usuras à die mortis testatoris. n. 309.

Si res aliqua particularis & in specie fuerit legata, & sine culpa hæredis perit, hæres liberatur. Aliud est si res legata consistat in numero, pondere, vel mensura, tunc damnum sentiret hæres. f. 234. n. 311.

Si res legata post moram perit, hæres debet damnum resarcire, nisi fuisset eodem modo apud Legatarium peritura. eod.

Quando Principale cum Accessorio fuit Legatum, v. g. Servus cum peculio, fundus cum instrumento, pereunte principali extinguitur legatum etiam quoad accessorium. f. eod. nu. 312. & seqq.

Quando legatum sub eo oomine, sub qno legatum est, capit incrementum, etiam vivente testatore, cedit in commodum Legatarij. f. 235. n. 315.

Grege legato, & ità diminuto, ut non ampliùs sit grex, adhuc residuum debetur, ex præsumpta intentione testatoris. f. eod. nu. 316. Si tamen ususfructus gregis legatus esset, evanesceret legatum. n. 317.

Si fundi legati pars aliqua alienaretur à testatore, valeret legatum quoad alteram partem, & quoad partem alienatam censeretur revocatum. f. eod. n. 318.

Peculio legato, si quid vivo testatore accedit vel decedit undecunqoe, Legatario accedit vel decedit. Si post mortem testatoris ante aditam hæreditatem accipiat incrementum, tunc si peculium legatum est servo cum libertate, totum Legatario cedit, si extraneo, cedit quidem legatario quoad augmentum proveniens ex rebus peculiaribus, extrinsecùs verò adveniens spectat ad hæredem. fol. 235. n. 319.

Si domus legata vivo testatore destructa, nec à testatore reparata est, debetur area. Si reparata tota simul, nihil debetur: si successivè, debetur domus. f. 236. n. 320.

Fructus rei legatæ in diem certum, percepti tempore intermedio, si in favorem hæredis adjecta est dies, pertinent ad hæredem, secùs ad Legatarium. f. eod. n. 321.

In arbitrio hæredis legatũ relinqui non potest, nisi hoc sensu, ut eo semel consentiente non liceat variare. Item, ut possit solutionem differre usque ad tempus mortis. f. eod. n. 322.

Legatum collatum in arbitrium Legatarij, (si voluerit) cùm cæteroquin hæc conditio omni Legato insit, quatenus potest Legatum repudiari; ex mente tamen testatoris videtur hoc alio sensu adjectum esse, ut Legatum non acquiratur Legatario ignoranti, nec retrotrahatur ad punctum mortis, sed acceptationis. f. eod. n. 323.

Judicio & arbitrio intellectuali etiam ipsius hæredis committi potest. Arbitrio verò voluntario solius extranei. eod.

Legatis omnibus mobilibus, censentur Legatæ etiam actiones competentes pro mobilibus ex communi modo loquendi, quo putant homines se nomine mobilium & immobilium omnia sua bona comprehendere. f. 237. n. 324.

Legatis omnibus mobilibus, etiam pecunia numerata Legata censetur, nisi testator soleret pecuniam distinguere à cæteris rebus, vocando suum Thesaurum. f. eod. n. 325.

Legatâ domo cum instrumentis alijsque rebus ibi contentis, non censetur Legata pecunia, sed illa solùm, quæ dicuntur esse in penu & supellectile, seu provisione necessariorum ad vivendum. f. eod. n. 326.

Legatis omnibus mobilibus, venit etiam illa pecunia, quæ ad comparanda immobilia destinata erat, censetur enim illa destinatio revocata. fol. 238. n. 327. Veniunt etiam illa, quæ destinata erant, ut affigerentur domui: non item postquam affixa sunt, nam per affixionem evadunt immobilia. n. 328. Venit etiam pecunia ex rebus immobilibus venditis comparata: non enim subrogatur rebus immobilibus, nisi materialiter, & ideo eorum naturam non sapit, sicut sapit naturam rerum dotalium pecunia ex rebus dotalibus comparata. f. eod. n. 329.

Legatis rebus omnibus quæ in tali certo loco continentur, Jura & documenta ibi contenta non censentur Legata, (sicut nec merces venales) nisi nihil aliud tempore Legati facti ibi contentum fuisset. Si quid præter intentionem testatoris augendi vel minuendi Legatum, illatum fuisset aut ablatum, nec augeretur nec minueretur Legatum. f. 239. n. 330. & seqq. Si tamen ipse testator auferret, præsumeretur animus minuendi Legatum. eod.

Quando uni est Legata res certa, v. g. fundus, & alijs certæ quantitates pecuniariæ, quibus solvendis non sufficit hæreditas, omnes hæredes admittuntur pro rata. f. eod. n. 239.

Legatario competit imprimis actio personalis ex testamento, contra hæredem, ad exigendum Legatum, tanquam obligatum ex quasi contractu, sive possideat rem legatam sive non. Deinde competit actio hypothecaria in omnibus bonis testatoris, quæ ad hæredem pervenerunt, ut ex illis Legatum solvatur, apud quemcunque exstiterint. Quodsi dominium jam ad Legatarium transijt, competit etiam rei vindicatio. f. 240. n. 336.

Legatum potest peti ubi existit hæreditas, aut major pars illius: item ubi hæres habet domicilium. fol. 341. n. 337.

Non potest legatarius propriâ auctoritate, etiam non violentâ, occupare legatum post aditam hæreditatem sub pœna juris amittendi. Unde hæredi non solùm competit Interdictũ *Quorum legatorum*, sed etiam post restitutum negatur actio ad petendum legatum. Si tamen ante aditam hæreditatem occupâsset, non amitteret suum jus. fol. eod. 338.

Habent tamen legata paratam executionem, si hæres per annum non exequatur voluntatem defuncti. secundùm Nov. 1. c. fin. n. eod.

Legata quomodo subjaceant Falcidiæ, vide, *Falcidia*.

Legata Pia.

Legata Pia possunt etiam ante aditam hæreditatem peti & vindicari, quia non attentis Juris solemnitatibus dominium statim transfertur. f. 240. nu. 336. in fine.

Ex Novella 131. c. 12. intra sex menses ab insinuatione testamenti numerandos legata pia præbenda sunt, alioquin fructˀ, & usuræ, & omne augmentum à morte testatoris restituenda sunt. Jure Canonico tamen annus indulgetur. *c. 3. de Testam.* ut Episcopus possit exigere. In conscientia statim sunt solvenda, cùm comodè possunt. f. 341. n. 339.

Secluso omni præjudicio tertij, vg. posteriorum executorum aut ipsorum pauperum, possent executores legatum annuum pro pauperibus statim totũ capitale simul applicare loco pio, vg. Hospitali. fol. fol. 242. nu. 340.

Potest Executor hujusmodi Legatum applicare pauperibus suis propinquis, etiamsi inde commodum in ipsum executorem redundaret. Non facilè tamen posset Prælatus suo Monasterio præ alijs pauperibus applicare. f. eod. n. 341.

Sibi ipsi tamen non posset Executor applicare tanquam pauperi, si illius paupertas fuit testatori perspecta, præsertim si aliquid determinatum illi relictum esset. Benè tamen Communitati, cujus pars est. eod.

Volente testatore distribui egentioribus, tenetur Executor ex Justitia comutativa inquirere morali diligentiâ in egentiores, spectatis omnibˀ circumstantijs. Si nihil expressum est, non quidem tenetur, sed laudabiliter aget præferendo egentiores. f. 241. n. 342. Si te-

Si testator usus est plurali, vel singulari, tunc attendendum, an subsit probabilis ratio quòd re-verà pluralitatem voluerit, v.g. ut plures pro ipso orarent, aut econtra, quòd voluerit singularitatem, ut beneficium esset æstimabilius, & hoc excusator observabit. Si non est ratio, non adstringitur ad illa verba, si bonâ fide facit, quod putat magis expedire. fol.243. n.342.

Legatum pium relictum ad alendos consanguineos, non videtur esse restringendum ad Decimũ gradum, sed extendendum, quamdiu reperiuntur consanguinei. f. 243. n. 343. Præferendi autem sunt magis propinqui, nisi electio inter ipsos propinquos esset relicta arbitrio ipsi⁹ Executoris.n.344.

Legatum sub conditione nuptiarum, vel liberorum, vel dotis aut contradotis causâ relictum, non evanescit, si Legatarius malit Religionem ingredi. Qui est favor legis non fundatus in præsumptione testatoris. Et solùm procedit, quando tale Legatum certæ personæ relictum est. f. eod. n. 345.

Legatum relictum pro liberandis incarceratis, potest applicari ad redimendum proximè incarcerandum, nisi de alia intentione constaret. f. eod. n. 346.

Legatum pium si non potest impleri in sua specie, est commutandum in usum maximè similem, & in bonum animæ defuncti. f. 244. n. 347.

Legatus.

Tomo 4.

Legati à Latere officium non exspirat morte Summi Pontificis. f. 230. n. 712.

Tomo 5.

Legatus non potest conveniri in loco quo ante Legationem contraxerat. Benè tamen si ibidem tempore Legationis contraxit, sicut etiam, si per se vel suos ibi deliquit. f. 79. n. 360.

Legatus in legatione peccans, privilegium fori retinet, ut proinde per delictum non nanciscatur forum. f. 16. n. 74.

Legislator.

Quomodo suis legibus obligetur, vide, *Lex.*

Legitima.

Tomo 2.

Legitimæ potest cum juramento renuntiari, non tamen intuitu Religionis ingrediendæ, quod vetatur à Tridentino, sicut & aliæ donationes irrevocabiles. f. 93. n. 413.

Legitima, in qua quis necessariò instituendus est, est certa portio legibus definita, illius quod quis ab intestato habiturus fuisset jure legitimæ successionis. f. 106. n. 279.

Legitima non est pars hæreditatis, sed bonorum quæ tempore mortis exstant, seposito incremento vel decremento postea eveniente. f. eod. nu. 480. & debetur ex illis bonis, quæ supersunt deducto ære alieno, libertatibus, & funeris expensis. n. 481.

Legitimam consequitur filius condictione ex lege etiam repudiatâ hæreditate. f. 107. n. 485.

Legitima debetur tanquam æs alienum. f. eod. n. 486.

Legitima debetur liberis etiam Professis Religionem capacem Successionis, nisi Renuntiatio præcedat. Item adoptatis ab ascendente, vel arrogatis: item legitimatis: item illegitimis naturalibus (secùs canonicè spurijs) debetur legitima à matre, non tamen à patre, salvo sextante sibi ab intestato debito in casu non existentium legitimorum, & legitimæ conjugis. f. 107. n. 487.

Vide, *Successio ab intestato.*

Deficientibus immediatis descendentibus, debetur nepotibus, & sic deinceps. f. eod n. 488.

Fœminæ per Statutum municipale exclusæ à successione in favorem masculorum, acceptâ dote competente non possunt petere legitimam, aut ejus supplementum: quia legitima est portio debita illis qui succederent ab intestato. eod.

Si filia, acceptâ dote renuntiaret Legitimæ cum juramento, & ex eâ exstarent nepotes unà cum alijs immediatis hæredibus, tunc mortuâ nepotum matre ante avum nepotibus debetur Legitima jure repræsentationis: Si verò mater supervixit, contrarium dicendum, & solam dotem consequetur. f. 108. n. 489.

Ascendentibus debetur Legitima in defectum descendentium, & non nisi illis, à quibus deberetur descendentibus. f. eod. n. 490.

Fratri debetur Legitima solùm in casu institutæ turpis personæ. n. 491. De his omnibus vide etiam: *Institutio. Testamentum parentum: & Successio ab intestato.*

Si liberi sint pauciores quàm quinque, Legitima est Triens, si verò sint plures quàm quatuor, est Semis. f. 109. n. 492.

Exhæredati justè non numerantur inter liberos ad minuendam legitimam, adeoque si v. g. relicti sunt tres filij, & unus exhæredatus, duo reliqui debent habere integrum Trientem, & exhæredati portio illis accrescit, non cohæredibus extraneis. f. eod. nu. 493. Unde & in legitima est in tali casu locus accrescendi. n. 494.

Si numerus filiorum excedat quaternarium, & exhæredatio constituat filios infra quinarium, non consequentur reliqui semissem, sed solùm trientem, & exhæredatus non habetur nomine liberorum, nec ejus pars in hoc casu accrescit reliquis, & sic singuli minus consequentur, quàm si non fuisset unus exhæredatus; quamvis in alio casu, quo v. g. essent octo filij, & quattuor exhæredati, plus consequerentur. Unde patet, quòd exhæredari semper habeantur, ac si non extitissent, & ideo nec ad minuendam, nec ad augendam legitimam habentur in numero liberorum. Idem dicendum de filio ex delicto hæreditatis indigno, aut incapaci per ingressum in Religionem. f. 109. n. 495.

Si quis ex liberis renuntiaret hæreditati, v. g. filia acceptâ dote, renuntiaret legitimæ, tunc considerandum, in cujus favorem renuntiet. Si in favorem patris, numerabitur inter liberos ad minuendam reliquorum Legitimam, & ejus portio remanebit patri ad dispositionem arbitrariam: si in favorem fratrum renuntiet, (quod plerumque fit) fratribus ejus portio accrescet, & sic numerabitur inter liberos ad augendam legitimam reliquorum, si v. g. ipsa constituat quinarium, cui semis debeatur, qui post renuntiationem adhuc reliquis debebitur: & hoc de Jure Bavarico est certum. f. 110. n. 496.

Si filia Statuto exclusa dotem accepit, adhuc numerabitur in numero liberorum, facietque partem, sed ità, ut quod in dotem accepit, subducatur, & quod ad legitimæ supplementum spectaret, accrescat filijs Masculis. f. 111. n. 497.

De repudiante non solùm hæreditatem, sed etiam legitimam, idem quod de exhæredato dicendum, attendendo tamen in cujus favorem repudiet. f. eod. n. 498.

Nepotes concurrentes cum Thijs seu fratribus sui patris, plus non accipiunt, quàm pater accepisset, & ideo censentur unica persona. & universim non faciunt plures personas, quàm fuerint patres, quia in stirpes succedunt. f. eod. nu. 499. Si verò ex unico filio aut filia sint nepotes, faciunt numerum, vi cujus variatur legitimæ portio, quia succedunt in capita. Sola tamen repudiatio patris non sufficeret, ut filij aut filiæ facerent numerum. n. 500.

Ascendentium legitima est etiam Triens; de Semisse, nihil est constitutum, quia non contingit, esse plures quaternario: fratribus autem debetur semis, si instituta esset persona turpis, & fratres essent plures quàm quatuor. f. 111. n. 501.

Filius habens fratres, debet matri trientem si prætereat fratres. Si verò fratres instituat hæredes, probabile est, satisfacturum legi, si matri relinquat partem proportionalem trientis: quamvis non minùs probabile sit, adhuc matri deberi trientem; quia licèt fratres succedant cum matre ab intestato, possunt tamen in testamento præteriri, non item mater. f. 112. nu. 502. Si filius matrem instituisset in legitima, in reliquo alium hæredem extraneum, præteritis fratribus, legitima esset triens, seu tertia pars bonorum. n. 503.

Legitima relinquenda est titulo institutionis (saltem in parte) ut sic conveniat jus accrescendi, immissio in bonorum possessionem, & potestas capiendi legitimam propriâ auctoritate. f. 112. n. 504. & hoc procedit etiam in testamento inter liberos. n. 505. Secùs de fratribus. f. 113. n. 506.

Si filius re alio titulo relictâ contentus esset, valeret testamentum, nec posset impugnari. f. 113. n. 507. Si in re certa cum alijs hæredibus institutus esset, ageret ad supplementum. 508.

Institutio censeretur sufficienter facta per terminos: *Relinquo legitimam.* non item: *Relinquo fundum talem.* f. eod. 509. & seqq. benè tamen: *Relinquo dotem.* n. 512.

Auctis bonis vel diminutis, augetur hoc ipso materialiter legitima, etiam respectu illius, cui pater legitimam ante mortem designâsset, ad quod non tenetur, nec adigi posset, etiamsi prodigus esset. f. 114. n. 513. & seq.

Auctâ vel diminutâ (tempore deliberationis) hæreditate extrinsecè, sive causa præexstiterit, sive non, legitima nec augetur, nec minuitur. f. 115. n. 516. Auctâ verò vel diminutâ intrinsecè, legitima quoque secundùm tale incrementum aut decrementum major vel minor solvenda erit. fol. 115. n. 518.

Si pater assignet legitimam in re certa, (prout potest, etiam in pecunia numerata) debet valor illius adæquare legitimam, alioquin peti potest supplementum; item non debet, quod relictum est, respectu filij minoris fieri, fortè quòd eo respectu minorem habeat utilitatem. f. 116. nu. 521. & seq.

Legitima non potest vel in solo Usufructu, vel in sola proprietate relinqui. Quodsi pater in solo Usufructu constituisset, non propterea testamentum esset nullum, sed filius pro rata legitimæ habebit proprietatem, & insuper in cæteris etiam bonis usumfructum, si cohæres extraneus datus est, secùs si fratres aut sorores, si sola proprietas relicta esset pro legitima, etiamsi legitimam excederet, tota filio maneret unà cum usufructu, secundùm quantitatem legitimæ. f. eod. n. 523.

Nec ipse filius, nec hæres universalis potest certam rem determinare pro legitima altero invito, benè tamen fratres pro dote possent determinare, si aliquo Statuto fœminæ excluderentur à legitima. fol. 117. n. 524.

Si hæredes inter se convenire non possunt in rerum determinatione, nec volunt tertij arbitrio relinquere, Magistratus ex æquo & bono determinabit, nec optima, nec pessima, attendendo ad voluntatem defuncti, quid de illa præsumi possit. fol. eod. n. 525.

In legitimam computatur, quidquid filio quocunque titulo (modò aliquid titulo Institutionis) relictum est sine onere, & statim post mortem consequendum: quæ verò cum onere, aut non statim consequenda, excedunt legitimam. fol. eod. n. 526. Unde non computaretur in legitimam, quod vel per substitutionem pupillarem, vel tanquam substitutus patris, vel jure accrescendi acquireret. eod.

Etiam res aliena legata computanda esset in legitimam. fol. 118. n. 527. Non item res cujus consecutio est suspensa: neque fructus ex fideicommisso percepti. n. 528.

Plura

Plura de illis quæ in legitimam computanda sunt; vide; *Collatio bonorum.*

Si hæreditas non est sufficiens ad solvenda legata, tunc detractis debitis legitima detrahitur ex legatis relictis, & postea Falcidia. fol.eod. num. 529.

Feudum & Emphyteuses hæreditariæ possunt in legitimam computari, non verò feuda ex pacto & providentia. fol.eod n. 530.

Gravamen legitimæ impositum, hodierno jure reijcitur, acsi adjectum non esset. fol 119. n.531. etiamsi legitima esset catenus voluntaria quatenus pater vigore Statuti posset minorem constituere. n.533. Gravamina verò quæ rei insunt, ut servitutes, non obsunt, dummodo res ipsa tantò minoris æstimetur. n. 531. Obesset autem & reijceretur v.g. substitutio fideicommissaria reciproca inter fratres, potestativa conditio 532. item ususfructus alteri relictus. 533. compensatio alterius debiti. fol. 120. n. 534.

Si ex Statuto Dos est loco legitimæ, etiam Dos immunis esse debet ab omni onere, quia succedit in locum legitimæ. adeo, ut nec adjectio conditionis *si nupserit*: differet solutionem dotis. unde reijceretur etiam hæc conditio, ut si filia sine dote decesserit, dos revertatur ad hæredes testatoris. fol. & num.eodem.

Agnitione testamenti non præjudicatur legitimæ, nisi expressè cedatur jure legitimæ aut ejus supplementi. fol. 120. n. 536. Neque per neglectum Inventarij. 537.

Non licet legitimam cum aliorum præjudicio occupare propria authoritate, sub pœna amittendi dominij, sed exspectandum, donec à Judice assignetur, vel assignata ab universali hærede solvatur. fol 120. n. 538.

Legitimam consequitur hæres actione ex testamento, & familiæ ercifcundæ, item petitione hæreditaris, & beneficio possessorio. fol 121. n. 539. Supplementum verò legitimæ non integrè relictæ, consequitur condictione ex lege, quæ, utpote personalis, durat 30 annis. fol.eod. n 540.

Legitima an & quando censeatur confiscata confiscatis bonis filij, vel patris, vel matris, vide, *Filiusfamilias.*

Legitimi. Legitimatio.

Tomo 1.

Legitimi liberi dicuntur, qui vel ex justis nuptijs nati sunt, vel postea legitimati. fol. 324. num. 11.

Illegitimi alij Naturales, alij Spurij. Jure Civili Naturales dicuntur, qui ex concubina nati. Spurij, qui nec ex concubina, nec ex matrimonio nati. Jure Canonico omnes dicuntur Naturales, qui nati sunt ex parentibus, inter quos conceptionis vel nativitatis tempore poterat subsistere matrimonium. Spurij, quando nec conceptionis, nec nativitatis tempore potuit esse matrimonium. Qui bonâ fide nati sunt ex matrimonio occultè nullo, habentur pro legitimis. n. 1. 8. Sicut & illi, qui nati sunt ex conjugibus, quorum alter habet votum solenne Castitatis. 120.

Legitimatio est triplex. 1. Per subsequens matrimoniū. (exceptis Spuriis canonicè sumptis.) 2. Per rescriptum Principis. 3. Per oblationē curiæ factā: quæ tamen hodie ab aula recessit) cui comparatur Ingressus in Religionem. fol. 325. n 119. Ad legitimationem per subsequens matrimonium non requiritur consensus liberorum. n. 121 Non requiritur, ut fiat per matrimonium immediatum, sufficit mediatum. 122.

Legitimatus per subsequens matrimonium, excludit substitutum sub conditione: *si sine legitim. s.* non item, *si sine legit me natis* fol eod n. 123.

Ad legitimationem per subsequens matrimonium, non requiritur confectio instrumentorum dotalium, nisi ad faciliorem probationem matrimonij, & excludendam simulationem. fol.eod. n. 124. & fol 328. n. 36.

Ad eandem sufficit, nativitatis tempore potuisse subsistere matrimonium, sicut, si potuit subsistere tempore conceptionis. fol. 326. num. 125. & seqq.

Probabiliùs tamen, non sufficit ignorantia parentum, quòd coitus sit adulterinus vel incestuosus. fol 327. n. 131. Neque purgaretur vitium, si tales postea per ignorantiam Impedimenti contraherent matrimonium, nisi proles post contractum matrimonium nasceretur. 132.

Legitimatio per subsequens matrimonium, extenditur etiam ad Nepotes ex filio naturali, etiamsi eorum pater mortuus esset ante matrimonium. fol. eod. n 133.

Quomodo ex Mensium paucitate, vel excessu ultra novē, præsumatur proles ex legitima copula nata esse necne, consulendi sunt Medici, & Physici, & benignior ac magis favorabilis opinio amplectenda. fol eod. n. 134.

Quandoquidem per subsequens matrimonium legitimatio extrahitur ad tempus nativitatis, æquiparatur legitimatus per omnia legitimè natis, non solùm quoad successiones ex jure communi, sed etiam quoad Primogenituram, Feuda, Emphyteuses, ad obtinenda officia in utroque foro. fol. 328. n. 137.

Legitimatio per rescriptum Principis, tunc solùm locum habet, quando deficiunt legitimi, nisi Princeps ex plenitudine potestatis, & rebus exigentibus aliud vellet. fol.eod. n. 138 Requiritur etiam horum legitimandorum consensus, qui in infante per ratihabitionem habetur, ubi Major factus. Item requiritur, ut pater petat, saltem in articulo

in articulo mortis. 140. & seq. Non requiritur tamen consensus agnatorum ab intestato venientium, nisi clausula inserta exigeret consensum eorum, quibus legitimatus succedere intendit. fol. 329. n. 141.

Potestas legitimandi convenit solis illis Principibus, qui Superiorem non agnoscunt, quoad suos subditos. fol. eod. n. 142.

In terris Ecclesiæ potest Papa liberè legitimare, in terris verò alienis non nisi ex causis multùm arduis, vel nisi in spiritualibus, tunc tamen indirectè & per consequentiam intelligitur legitimare etiam quoad temporalia. eod.

Legitimatus in uno territorio, non gaudet effectibus illius in alio territorio. fol. eod. n. 143.

In supplicatione pro legitimatione, exprimendum est, an sit naturalis, spurius, aut incestuosus: an per Statutum excludantur filiæ: item qualitas feudi, si ad aliquod petit legitimari. fol. eod. num. 144. & seq.

Lenocinium.

Tomo 6.

Lenocinium est prostitutio, vel pellectio alicujus fœminæ à se distinctæ ad actum venereum, quæstûs causâ. fol. 140. n. 367.

Parentum exponentium suas filias aut neptes etiam non legitimas, pœna est, ut amittant patriam potestatem, & ad metalla condemnentur de jure civili. Hodie ultimo supplicio afficiuntur jure Novell. fol. 141. n. 369. & seq.

Maritus leno uxoris, punitur pœnâ adulterij. num. 370.

Sufficit unicus actus. n. 371. Imò sufficit non impedivisse sponte tuentes, lucri causâ. n. 372. Neque etiam requiritur actualis consecutio lucri. fol. 142. n. 375.

Qui personas extraneas prostituunt, aut eum lenocinio sollicitant, passim ex consuetudine mitiùs puniuntur, v.g. exilio, numellis, aurium mutilatione, fustigatione. n. 376. & seq.

A pœna ordinaria non excusat lenonem necessitas seu paupertas. n. 378.

Lex.

Tomo 1.

Lex strictè sumitur pro Decreto Imperatoris, Regis, aut Populi, unde dicuntur illarum Interpp. Legistæ. f. 2. n. 2.

Strictiùs est pars Juris Civilis, & definitur: quod Senatorio Magistratu, velut Consule, interrogante populus constituit. n. 3.

Lex an sit favorabilis, videndum, an favor ab odio possit separari, & eatenus erit amplæ interpretationis, & strictæ, quatenus odium continet. f. 2. n. 6. Si non possit separari, spectanda est Intentio legis, an voluerit primariò favere, & ampliationi favoris nil aliud obstet. n. 7. & 8. ubi exemplis declaratur.

Lex est Rationalis Ordinatio ad bonum Commune, ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata. Unde absque Promulgatione lex ne quidem remotè obligat. f. 4. n. 11.

Lex ex intentione Legislatoris posset statim à puncto promulgationis obligare. f. 4. n. 13. De facto tamen leges Cæsareæ obligant primùm post lapsum duorum mensium à publicatione in singulis provincijs. nu. 14. Statuta provinciarum post duos menses à promulgatione in Curia. 15. Constitutiones & Diplomata Pontificum statim à promulgatione in Curia Romana, exceptis legibus irritantibus contractus, &, secundùm aliquos, Revocatorijs Privilegiorum & Indulgentiarum. 17. Elapsis duobus mensibus præsumitur quis legem scivisse, nisi ignorantiam semiplenè probet, & tunc potest admitti ad juramentum suppletorium. 20.

Lex Ecclesiastica etiam inferiorum Prælatorum, potest obligare etiam contradicentes. f. 5. nu. 24. Neque ad legem Civilem est opus acceptatione ut obliget. 25. & defacto ità obligat, nisi aliud exprimatur. 26.

Lex stabilitatem accipit post decennium, intra quod si usu non recipiatur, est desuetudine abrogata, etiam ignorante legislatore. f. 6. n. 27.

Legis frequens statim violatio, sciente nec puniente legislatore, excusat reliquos ab observatione etiam necdum elapso decennio. f. 6. n. 30. Major pars populi non observantis legem, debet esse respectivè ad talem provinciam, cujus vivendi ratio exigit proprias leges. n. 31.

Lex ut differt à Consuetudine, potest non esse scripta. f. 7. n. 34.

Legis Materia possunt esse actus non solùm Justitiæ, sed etiam aliarum virtutum. Non tamen Actus merè interni, nisi in Subditis Regularibus. f. 7. n. 36.

Lex tam Civilis quàm Canonica potest obligare graviter in conscientia. f. 8. n. 37. Quando autem sic obliget, ex modo præcipiendi colligi potest. 39. maximè verò ex gravitate materiæ. 40. Gravitas autem materiæ colligenda ex fine legis, qui sine gravi obligatione non obtineretur. 41.

Lex continens verba præceptiva vel prohibitoria, etiamsi adijciatur pœna, obligat in conscientia, nisi vel materia non patiatur, vel lex ipsa aliud indicet. f. 9. n. 45. Purè pœnalis, quandoque. 46. non tamen semper. 47.

In ferenda lege obligatoria, debet Legislator attendere ad Statum & conditionem personarum. f. 9. 48.

Lex intendens primariò bonum privatorum, non solet obligare cum gravi incommodo: benè tamen

tamen ut Judices & Dicasteria possint eam tutò sequi. Imò si est communis omnium, inducit obligationem eam sequendi. fol.48.n.277.

Interpretanda est lex secundùm sensum proprium verborum, & quem primâ fronte præseferunt, nisi ex circumstantijs aliud colligatur, aut lex iniqua esset, nisi verba impropriarentur. fol.48.n.278. aut nisi esset purè favorabilis. 278. Deinde initium legis,& ratio ejus observanda.279. Nova interpretanda est secundùm antiquam, si quæ similis exstat. 280. ubi pulchrum exemplum. Rescripta Justitiæ etiam secundùm Jus commune accipienda, etiam cum aliqua verborum impropriatione, aut transpositione. 281. ubi casus ponitur.

Legis Interpretatio purè extensiva, ad casum in mente legislatoris non comprehensum, non est licita, benè tamen Comprehensiva. fol. 49. num. 283.

Licitum est Jureconsultis & Judicibus, (cùm non potuerint omnes casus legibus comprehendi) imò probabiliter obligantur procedere à similibus ad similia, hoc est in occurente casu non expresso, habente tamen similitudinem cum expresso, judicare ad normam expressi in lege, & sic dicitur Casus non expressus non esse omissus. fol.50.nu. 284. ubi exemplum. Ob similitudinem tamen rationis in lege positæ, non licet extendere ad casum in quo similis ratio locum haberet. 286. Imò nec ob identitatem rationis licet semper extendere per interpretationem comprehensivam, sed tunc solùm, quando alioquin ex lege sequeretur iniquitas aut absurditas. 289. & seq. ubi illustratur exemplis.

Lex prohibens, præcipiens, puniens vel irritans, non extenditur ad actum jam perfectum, benè tamen ad actum tantùm inchoatum, nisi aliter expressè cautum sit. & sic dicitur respicere futura, non præterita. fol.51. n.293. Remittens debitam delinquentibus pœnam, ad solos delinquentes tunc existentes extenditur, non ad futuros. 294.

Lex indistinctè loquens, ità est restringenda, ut noncedat in præjudicium innocentis. idem dicendum de Rescriptis Justitiæ. fol.52. n.296. Item restringenda est ad rationem legis, in quo tamen error cavendus est, ut per exempla declaratur. n. 297. & seq. Per Epijckiam etiam restrictio fieri potest. n.300. vide *Epijckia*. De Dispensatione in lege, vide, *Dispensatio*, & *Privilegium*.

Libellarius Contractus.

Tomo 3.

Celebratur iste contractus, quando Vasallus vel Emphyteuta concedit alteri rem Emphyteuticam, certâ annuâ pensione sibi retentâ. fol.220. n 473. Differt ab Emphyteusi, quòd hæc concedatur à domino directo, & quòd etiam non mutato possessore, renovetur anno vigesimo nono, datâ certâ pecuniâ arbitrio boni viri. eod.

Libellus.

Tomo 5.

Libellus hoc loco definitur: Scriptura brevis, continens intentionem actoris causámque agendi clarè expressam. fol.210. n.137. Quæ continere debeat, hoc versu exprimitur. *Quis, Quid, Coram quo: Quo jure petatur: & à quo.* n.138.

Agens nomine Communitatis vel Ecclesiæ, debet exprimere, saltem in obliquo, nomen Communitatis vel Ecclesiæ. n.eod.

Causa ità exprimenda est, ut per legitimam consequentiam concludatur de præstando quod petitur. fol.211. n.140.

Non vitiatur libellus, etiamsi actionis nomen non exprimatur, dummodo res ipsa dicatur. fol. 211. n.142.

Sententia est ipso Jure nulla, si ex inepto libello fertur. n.143. verba tamen libelli interpretanda, quantùm fieri potest, ut subsistat. n.144. & ex una parte aptus libellus eatenus sustinetur. n.145. In processu sumario eùm libellus non requiratur, ejus ineptitudo non obest. eod.

Quamvis Judex, si libellus est ineptus, posset de jure reum absolvere ab observatione Judicij, praxis tamen habet, ut actori injungat, ut alium concludentem offerat. n.146.

In actione reali sufficit exprimi causam primam. In personali non item: sufficit tamen exprimi remotam. fol.212.n.147.

Libellus potest & debet esse alternativus, quando rei petitæ disjunctivè electio competit reo. fol. eod. n.150. Item, quando incertitudo debiti provenit ex facto alieno. n.151. Item, quando provenit ex diversitate opinionum. fol.213. num. 152.

Quando actor nescit, quænam ex actionibus contrarijs sibi competat, potest eas cumulare disjunctivè, cum protestatione, quòd ex altera velit consequi quod debetur: Quo casu si unâ actione non obtineat, habet regressum ad alteram. Idem est si actiones sint contrariæ solùm in exercitio. fol. 214. n.159.

Cumulatis in libello actionibus, sententiæ sunt simul ferendæ, si omnes causæ sunt expeditæ: secùs, quoad causas expeditas potest definitivè procedere. n.160.

Libellus emendari potest. 1. reddendo clariorem, stylo in Consistorijs usitato. 2. addendo. 3. detrahendo. 4. recusando superflua. fol.214. nu. 161. Obscuritas potest emendari etiam post litem contestatam, nisi opponeret reus, quo fieret processus

processus nullus. f. 215. n. 163. Addendo emendari potest libellus in Judicio Universali, hoc est de universitate bonorum, quando Actor aliqua bona omisit specificare. Idem dicendum de Judicio generali & singulari, v.g. si minus petitum est, quàm peti poterat. nu. 164. Sed hæc emendatio non videtur fieri posse post litem contestatam. nu. 165.

Circa Qualitates principales libellus ante litem contestatam, non item post emendari potest. fol. 215. n. 166. ubi exemplum. Bene tamen quoad qualitates minùs principales, adventitias & extravagantes. n. 167.

Detractione potest libellus emendari usque ad definitivam, sicut & resectione superfluorum. fol. 216. n. 168. & seq.

Factâ emendatione post litem contestatam, tenetur actor refundere expensas inde ortas Et nova dilatio pro nova instructione concedenda. n. 170.

Non licet emendare libellum in illis, quæ in favorem rei posita sunt. n. 171.

Licet denique emendare libellum quoad ea, quæ post litem contestatam emerserunt, & non poterant prævideri. n. 172. ubi exemplum.

Clausula Libellis apponi solet: *Super quibus omnibus & singulis peto mihi Jus & Justitiam ministrari.* Quæ quantæ sit efficaciæ ad purganda vitia, pendet à praxi & consuetudine locorum. Nam alicubi salvat defectum conclusionis quæ ex narratis deduci posset, sed non est deducta, unde à Judice deduci potest. 2. Salvat succumbentem à condemnatione in expensas. f. 217. n. 175.

Alia clausula in usu est: *Omni meliore modo.* vi cujus libellus est interpretandus in favorem actoris. n. 176. Alia est: quòd actor se non adstringat ad probandas qualitates adventitias in libello positas. eod.

Alia. Quâ actor protestatur de expensis. Vi cujus, si Judex negligat reum victum condemnare in expensas, facit litem suam. n. 177.

Libri Officialium, Ecclesiarum, Monasteriorum, Mercatorum.

Tomo 5.

Libri Officialium publicè ad tales conscribendos deputatorũ, de illis quæ ad officium spectant plenè probant, etiã contra tertium, & contra non subditum. f. 369. nu. 497. & seqq. ubi casus. Non probant tamen in favorem scribentis, nisi scriptum esset aliquid pertinens ad officiũ illius, tunc enim saltem cum juramento illi crederetur adversùs eos qui ad officium destinârunt. f. 370. n. 503.

Libri Ecclesiarum vel Monasteriorum probant contra ipsam Ecclesiam vel Monasterium etiam indirectè & consecutivè. Pro Monasterio aut Ecclesia non probant plenè, regulariter loquendo. f. 371. n. 504. & seqq. Fundant tamen aliqualem præsumptionem, quæ poterit alijs adminiculis adjuvari. n. 507. ubi exempla.

Libri Mercatorum, deficiente aliâ probatione, in subsidium saltem semiplenè probant, ità ut proferenti pro se, possit juramentum suppletorium deferri. f. 372. n. 509.

Accedente uno teste faciunt plenam fidem. Et hæc intellige, si producantur ad probandum debitum ex causa ad negotiationem spectante. num. 511.

Libra auri.

Tomo 5.

Hodie constituitur Nonaginta sex Ducatis Venetis, seu Florentinis, adeoque Uncia octo Ducatis. f. 209. n. 143.

Limitum translatio.

Tomo 6.

Punitur hoc delictum Judicis arbitrio, attentâ qualitate & conditione personarum & rerum. f. 141. n. 379.

Qui lite pendente limites transponit, cum expensarum refusione causâ cadit, & damnatur ad restituendum tantum, quantum eripere conabatur. eod.

Litigiosum.

Quomodo per citationem res fiat litigiosa, & inducatur litis pendentia, ut nihil innovetur, vide, *Citatio.* *Tomo 5.*

Si res litigiosa lite pendente fiat obnoxia Religioni ab eo qui scit rem esse litigiosam, alienatio non rescinditur, alienans tamen duplum alteri rependere jubetur. f. 195. n. 63.

Pereunte instantiâ, desinit res esse litigiosa, & potest alienari, ac præscribi. f. 362. n. 462.

Litigiosi vitium non contrahitur coram Principe solâ supplicatione illi oblatâ, nisi petita esset restitutio in integrum. Neque compromisso: Nec coram Judice incompetente, nec coram Sequestrario. f. 408. n. 712.

Institutâ Actione reali, probabiliter fit res litigiosa solâ citatione. Actione institutâ in possessorio, possessio, sed non res ipsa fit litigiosa. n. 713.

Motâ actione personali, non res ipsa, sed instantia fit litigiosa. f. 409. nu. 714. Idem dicendum de actione Serviana vel Quasi. n. 715.

Actione Judiciorum universalium res ipsa fit litigiosa. posset tamen alienari cautione præstitâ. eod. Idem dicendum de actionibus mixtis. n. 716.

Quòd res litigiosa non possit alienari, habet exceptiones, quas vide, f. 409. n. 718.

Emens rem litigiosam, amittit pretium fisco cedens. Et rem redhibere compellitur, si scivit. Si nescivit, pretium cum alia tertia parte pretij recipit. n. 719.

Litis Contestatio.

Tomo 5.

Litis contestatio aliquando est solùm eventualis, nempe Protestatio, non aliter contestandi, quàm si Exceptiones dilatoriæ rejectæ fuerint. f. 244. n. 234.

Litis contestatio definitur : Principalis negotij apud Judicem hinc inde facta narratio. Vel. Contraria litigantiū in ipso libello de principali causa affirmando vel negando facta assertio. f. 259. n. 404. Meliùs: Initium litis per petitionem in jure propositam, & congruam responsionem secutam animo litigandi. f. 260. n. 407.

Sufficit autem si responsio fiat, dum in Actore durat animus litigandi, etiamsi fiat ex intervallo. n. 408. Neque ex parte Actoris opus est aliâ petitione, quàm libelli oblatione. n. 410.

Litis contestatio inutiliter dividitur in Affirmativam & Negativam. Debet fieri per contradictionem. Quamvis posset fingi casus, quo reus fateretur omnia vera esse quæ actor dicit, & tamen negaret, actorem rectè petere, v. g. ob libelli ineptitudinem. & sic negando litem contestaretur. f. 261. n. 417. ubi casus.

Ad litem contestandam sufficeret generalis contradictio, quamvis adhuc aliqualiter confusa. Non tamen sufficeret tam confusa, quæ nullam contradictionē exprimeret. f. 261. n. 419. & seq. Si reus diceret: *Mentiris*: sufficienter contradiceret. f. 262. n. 421. Sufficeret etiam dicere : Non credo hæc esse vera. Vel: Nescio esse vera. n. 422.

In causa Appellationis, non est necessaria litis contestatio, quin absque ea possit Judex pronuntiare de notoria nullitate sententiæ ex actis deprehensa. f. 263. n. 427. ubi nu. 429. quid in Camera observetur.

In Judicijs & Processu Summario, litis contestatio non requiritur. f. 263. n. 431. Nec in causis merè spiritualibus, ubi non agitur de alicujus incommodo. eod. Nec in causis Matrimonialibus. eod. Nec quando ex officio Judicis revocanda sunt attentata. n. 432. Nec in causis fiscalibus: fractæ pacis: Damni emersuri ex mora: alimentorum decernendorum: Spolij in oppositione & oppugnatione examinis testium: petitione tertiæ & quartæ dilationis: executione sententiæ: causa Depositi. n. 432.

In causa Restitutionis in integrum Majoris, semper requiritur contestatio litis. Sicut & in Restitutione Minoris, petentis aliquid sibi dari vel fieri. secùs si solùm petat remotionem alicujus obstaculi. f. 263. n. 433.

In Possessorijs requiritur litis contestatio, nisi periculum esset in mora. n. 434.

Recusans litis contestationem, cogi potest vel immissione, vel captis pignoribus. f. 264. n. 435. Imò potest fieri interminatio, ut ob contumaciam lis habeatur pro contestata. n. 436. & seqq.

Lite cōntestatâ, Judex in præjudicium alterutrius partis nihil potest innovare. f. 265. n. 443.

Litis contestatio perpetuat actiones etiam temporales, ut etiam elapso tempore maneat jus agendi ad 30. annos, vel ad 40. si ex se durarent 30. annis.: & actiones pœnales etiam contra hæredes transeant. n. 444. ubi vide limitationem in actione de dolo, & in integrum restitutione, quæ non perpetuantur.

Litis contestatione Præscriptio interrumpitur. n. 445. de quo vide: *Præscriptionis interruptio*. Et inducit malam fidem. f. 266. n. 449.

Per litis contestationem res fit litigiosa. n. 446. vide, *Litigiosum*. hunc effectum etiam facit *Citatio* in actionibus, realibus. n. 447. & alienatio facta per Exceptionem *Litigiosi*, rescinditur. eod.

Litis Pendentia.

Tomo 5.

Ut per Citationem inducatur litis pendentia, nihilq; iñovari possit, requiritur, quòd citatio emanaverit à Judice competente. ad citatū pervenerit, aut per eum steterit, quominus perveniret: quòd ex tenore citationis plenè cognoscere potuerit controversiam, & nuntius eam sufficienter insinuaverit. f. 236. n. 279.

Litis pendentia inducitur etiam per sequestrationem. eod.

Locatio Conductio.

Tomo 4.

Locatio Conductio, est Contractus jurisgentium, nominatus, bonæ fidei, solo consensu initus, de rei alicujus usu vel fructu, vel operis hominis, pro mercede certa confestim definita alteri ab altero concedendis. f. 143. n. 431. Differt ab Emphyteusi sufficienter per hoc, quòd Canon in Emphyteusi non habeat rationem mercedis. f. 144. n. 432. Si determinatio mercis conjecta in tertium, ab hoc determinetur, erit Locatio, sin minùs, non erit. n. 433.

Locatio non resolvitur, etiamsi Merces à Locatore, postquā constituta est, remittatur. f. eod. 434.

Quando locatur res fungibilis, ut in ea aliquid fiat, duo contractus interveniunt, Locationis quidem, quia v. g. aurifaber locat operam pro mercede, & Mutui, quia transfertur dominium auri. f. eod. 435.

Quando res aliqua ad usum locatur, v. g. domus, tunc is qui mercedē accipit, dicitur Locator, qui dat, Conductor: quando verò subministratur ab aliquo materia laboranda, volunt aliqui talem esse Locatorem, etiamsi mercedem solvat. Sed magis placet universim eum vocari Conductorem, qui solvit mercedem. f. 145. n. 437.

Probabilius est, mercedem posse esse in quacunque materia fungibili, pondere, numero, mensurâ consistente. f. 146. n. 438. & seqq.

Quando quis pro pretio obligat se ad opus ex sua materia conficiendum, non est locatio, sed emptio. f. 148. n. 446.

Sicut in contractu Emptionis, ità & locationis ille præferendus est, cui post contractum celebratum res locata est tradita. f. 149. nu. 447. Quodsi priori conductori res tradita esset traditione fictâ, & posteriori traditione reali, prior esset præferendus. n. 449.

Locatio ad longum tempus transfert dominium utile, & transit in contractum Emphyteusis. fol. 150. n. 450. & seqq.

Conducere feudum colendum prohibentur milites. f. 152. n. 457.

Conductor potest rem conductam ad breve tempus alteri æquè idoneo locare. f. eod. n. 458. Non obligatur quidem secundus conductor aliquâ actione personali, cùm inter illos nihil sit actum: quæ tamen secundus conductor intulit in domum locatam, manent tacitè oppignorata domino pro pensione solvenda: quod si secundus conductor solvisset primo conductori & respectivè locatori, est ab omnibus liberatus, etiamsi ante tempus solvisset. n. 459. Secundus conductor non potest expelli ob negligentiam primi conductoris in solvendo, si ipse solvit. f. 153. n. 460.

Sicut res aliena vendi potest, ità & locari. fol. 153. n. 461.

Servitutes reales non possunt locari nec à domino fundi dominantis, nec à domino fundi servientis. Qui habet præcisè servitutem Usûs, eam alteri locare non potest. Ususfructus verò & habitatio possunt locari, ità tamen ut contractus finiatur finitâ servitute, quia resoluto jure dantis resolvitur jus accipientis. f. eod. n. 462.

Jus Vectigalis, & Pedagij, quamvis reale, locari potest, quia principaliter spectat commodum personæ. eod.

Feudum & Majoratus possunt ad modicum tempus locari. f. 154. n. 463.

Possunt etiam locari operæ diurnæ, menstruæ, annuæ. eod.

Extra casum necessitatis, quo possunt Nobiles suis subditis imponere subsidium charitativum, non possunt Nobiles locare operas suorum subditorum, seu rusticorum. f. 154. n. 464.

Res fungibiles locari non possunt, nisi fortè ad pompam & ostentationem conductoris. f. eod. n. 465.

Non valet locatio, quâ tibi loco rem tuam, putans esse meam. Valet tamen conductio rei suæ, si subesset clausula *constituti*, quatenus transferretur dominium in locatorem. f. 154. n. 466.

Si quis rei suæ possessionem conduxisset, & jus proprietatis esset controversum, finitâ locatione teneretur eam restituere, & tunc de proprietate litigare, secùs si jus esset liquidum. fol. 155. num. 467.

Quomodo res Ecclesiasticæ non nisi ad triennium locari possint, dictum est tomo 1. tract. 4. nu. 100.

Tam Locatoris quàm Conductoris hæredes, debent contractui facto ab antecessore insistere, nec exspirat morte locatoris aut conducentis, nisi factus sit cum clausula, *Quamdiu voluero*. vel nisi sit de facto aliquo, quod ab hærede præstari non potest. f. 155. n. 469.

Qui emit rem locatam ab homine privato, non à fisco, potest conductorem expellere, qui tamen ager contra Locatorem ad interesse. Idem potest, qui acquirit rei Locatæ dominium utile. Non tamen, si per locationem ad longum tempus ipse Conductor acquisivisset dominium utile, vel aliud jus reale, v.g. pignoris. f. eod. num. 470. & seqq. Quamvis emptor vellet locationem continuare, non teneretur tamen conductor continuare, sed potest desistere eodem jure, quo emptor posset expellere. f. 156. n. 473.

Quando fisco cedunt bona confiscata Locatoris, tunc nec fiscus tenetur continuare contractum, nec Locator tenetur ad interesse conductori. f. eod. n. 474. Si tamen fiscus succedit ut hæres, tenetur ut alij hæredes. eod.

Fideicommissarius non tenetur stare contractui locationis factæ ab hærede gravato restituere. fol. 157. n. 475. Si Locator decepit conductorem inscium gravaminis fideicommissi, tenebitur hæres gravatus ad interesse conductori. Secùs, si scivit, contractum non posse ulteriùs extendi ad fideicommissarium: quo tamen casu poterit repetere mercedem, si quam solvit. n. 476.

Minorennis tenetur stare contractui facto à suo tutore quà tali. f. eod. n. 477.

Re dotali à Marito locatâ, soluto matrimonio tenetur Uxor stare contractui, sicut dictum de Minore. f. eod. nu. 478. & seqq. Idem dicendum de Successore Beneficiato. eod.

Quoad tempus solvendæ mercedis, consuetudo vel pacta observanda sunt, alioquin præsumuntur contrahentes voluisse integram solvi ad finem anni. Quod si locatio ad plures annos facta est, censentur tot esse locationes, quot anni in pactum deducti. f. 159. n. 483. Si merces solvenda est ex fructibus, non est solvenda antequam fructus sint collecti. o. 484.

Si possit conductor ostendere, se tribus continuis annis solvisse, tribus distinctis solutionibus unoquoque anno factis, præsumptio stat pro conductore, quòd etiam prioribus annis solverit, nisi contrariâ probatione elidatur. f. eod. n. 485. Ex libris Rationum potest etiam haberi præsumptio pro debitore, vel contra illum. f. 160. nu. 487. ubi vide discrimen inter librum Creditoris & Debitoris.

Si res locata vendita esset, & emptori facta trina solutio, præsumeretur etiam factæ solutiones Venditori, nisi contrarium. probet. f. eod. n. 488.

Probabilius est, Conductorem fieri dominum fructuum perceptorum, etiamsi non solverit pensionem, quod & praxis observat. f. 160. n. 490.

Ob sterilitatem supervenientem non liberatur conductor, spectato jure naturæ, à pensionibus solvendis, quia censetur casus fortuitos in se recepisse, si taxatio est facta secundùm æstimationem periculi. Quodsi pacto expresso in se recepit casus fortuitos, probabiliter solùm extenditur ad casus non penitus insolitos. f. 161. num. 493. & seq.

Si nulli fructus à conductore colligi possunt ob sterilitatem omnimodam, absque conductoris culpa, liberatur conductor à pensione solvenda. f. 162. n. 495. Si sterilitas non est quidem omnimoda, est tamen magna, remittendum est de pensione cum proportione. num. 496. Si modica est sterilitas, non cogitur aliquid remittere Locator. n. 497. Illa censetur esse immodica sterilitas, quæ tanta est, ut si non remitteretur aliquid de pensione, absterrerentur coloni à conducendis fundis: in quo prudentum arbitrio standum est, & practicè illa assignatur: quando ob paucitatem fructuum deducto semine & expensis, si solveretur integra pensio, conductor læderetur ultra dimidium justi pretij. f. 163. n. 498. Tempus computandi, est, quando fructus jam sunt in horreum vel similem locum, cellam, stabulum, accepti, & jam plenus eorum usus esse potest. n. 500.

Ut penitus liberetur conductor, non sufficit, quòd deductis impensis nulli fructus sint residui, sed requiritur, ut nullos omnino fructus perceperit, adeoque & seminis jacturam fecerit. f. 163. n. 501.

Si sterilitatis causa non est insolita, sed sæpius accidere consueta, & quidem circa talem determinatum locum, cujusmodi esset inundatio fluminum tali agro adjacentium, non est necesse, aliquid de pensione remitti. f. eod. n. 502. Quando evenit culpâ conductoris, de jure nihil pensionis remittitur. f. 164. n. 503.

Si moraliter certò constaret, sterilitatem esse Pœnam Dei, nihil esset de pensione necessariò remittendum. fol eod. n. 504.

Colono Partiario, hoc est, qui pro pensione certam quotam fructuum solvit, nihil penitus remittitur ob sterilitatem. fol. eod n. 506.

Quando intra tempus locationis, præcedente vel subsequente sterilitatem anno vel annis, sterilitas compensatur fertilitate, etiamsi non fuerint anni proximi, nihil de pensione remittitur, & si quid remissum est, factâ postmodum compensatione repeti potest, in quantùm compensatum est. fol. 164. n. 507. Ut censeatur fieri compensatio, tanta debet esse ubertas, ut computatis semine & expensis aliorum annorum, & pensionibus solutis, tantum lucrum remanserit conductori, ut addito illo lucro huic sterilitatis anno damnum præsens desinat esse notabile, hoc est, non cogatur conductor ex suo solvere plùs, quàm dimidiam partem pensionis præsentis. n. 508.

Undecunque, & quantumcunque crescat ubertas fructuum, pensio non propterea est augenda. fol 165. n. 510. & seqq.

Si domus locata ob hostium irruptionem imminentem, incendium, ruinæ periculum, lemurum infestationem &c. desinit esse habitabilis, liberatur conductor pro rata temporis. fol. 166. num. 513.

Si conductor domum reliquit, quia jam peste infecta est, liberatur, si verò deserat, ut ad securiorem locum se conferat, quia v. g. civitas infecta est, non liberatur. fol. eod. n. 514.

Si conductor in causa est, cur non possit uti domo locatâ, potest dominus totam pensionem exigere, si nulli alteri locet. Si verò locet, tantò minus debet de pensione accipere à priore conductore. fol. eod. n. 515. Impedimento proveniente à locatore, potente illud impedire & non impediente, vel potente monere conductorem & non monente, tenetur locator non solùm remittere pensionem, sed etiam præstare interesse. fol. 166. n. 517.

Probabile est, quòd sicut Venditor, ità nec locator teneatur de damno extrinseco, nisi conductor esset mercator. fol. eod. n. 518.

Conductor per se loquendo, & nisi vel expressè vel tacitè aliud convenerit, tenetur solùm ad culpam levem, hoc est, ad illam diligentiam præstandam, quam solent communiter patresfamilias non incurij in suis rebus adhibere. fol. 167. nu. 520. & seqq: ubi vide varia exempla culpæ levis.

Quando in domo locata ortum est incendium ab inhabitantibus, sed nescitur cujus culpâ, non potest universaliter præsumptio juris esse pro conductore, & incendium numerari inter casus fortuitos, nec etiam contra illum, quasi culpam commisisset, sed pendet ex varijs circumstantijs, quid sit præsumendum. fol. 169. n. 525. & seqq. Quando autem DD. communiter dicunt, in casu incendij solùm præsumi culpam levissimam, intelligendi sunt de culpa quæ in omittendo vel negligendo consistir, non quæ in committendo vel faciendo, adeoque ex tali culpa non posse puniri, aut ad reparationem condemnari. fol. 170. n. 528.

Ad condemnandum, requiritur ut probetur culpa alicujus certæ & determinatæ personæ, nisi incola esset malæ fidei possessor. fol. eod. n. 529.

Culpa probanda est saltem conjecturis & indicijs Judicis arbitrio. Si unicus inhabitat, capi potest, & inquiri, sed non condemnari. eod. Sed de hoc plura verbo, *Incendium*.

Culpa lata & levis præsumitur, si actor doceat, Inquilinum in loco incongruo, & periculoso ignem excitâsse. fol eod. n. 530.

Conductor potest à Locatore expelli ante finitum tempus ex quatuor causis. Prima causa est, si debito

si debito tempore pensionem non solvat. fol.171. n.531. Et hoc verum est, etiamsi conventum esset, ut nec ante tempus expelli posset, nec conductor sponte recedere, adjectâ pœnâ. n.532. Jure Cæsareo non requiritur biennium. n.534. benè tamen Jure Canonico. fol.172. n.535.

Secunda causa expellendi conductorem legitimè, est necessitas, post factam locationem Locatori superveniens, nec prævisa, inhabitandi domum locatam. fol.172. n.536. Si quis plures haberet domos locatas, in tali necessitate posset expellere quem mallet, nisi ex æquitate potiùs expellendus esset unus præ alio, ob pensionem non solutam. fol.172. n.537. Quodsi pactum adjectum esset de non expellendo, videtur iste casus comprehensus fuisse. n.538. Extendenda est hæc causa etiam ad prædia rustica locata. fol.172. n.539.

Tertia causa est necessitas reficiendi ædes locatas, quæ refectio eùm ad locatorem spectet, potest quandoque non perfici nisi emigrante conductore. eod.

Quarta causa est abusus rei conductæ. fol.173. n.540. Si conductoris perversa conversatio in ædibus est ejusmodi, ut nec deceat, nec liceat conductorem tolerare, potest totam pensionem exigere, si non potest commodè habere alium, qui absque tali abusu velit conducere. Si non infert talem necessitatem, sed posset tolerari bonâ conscientiâ, & posset conveniri conductor ratione damni, non poterit pensionem exigere, nisi pro rata temporis. nu. 541.

Expulsio ex prædictis causis fieri posset, etiamsi ad contractûs securitatem res locata hypothecæ subjecta esset. f. 173. n.542.

Non potest tamen Locator expellere conductorem propriâ auctoritate. f. 147. n. 543.

Varij sunt casus in jure comprehensi, quibus Locator culpam præstare tenetur, aut damnum etiam sine culpa datum. f. 174. nu. 544. & seqq. ubi referuntur.

In faciendis expensis in rem locatam, loci consuetudo observanda est, secundùm quam censetur contractus celebratus. f. 175. n. 548. Locator tenetur facere illas expensas, quæ ad perpetuam rei locatæ utilitatem conservandam sunt necessariæ. nu. 549. Ad eundem spectant etiam illæ expensæ, quæ necessariæ sunt ad hoc, ut re locatâ conductor utiliter frui possit, ut est: refectio ædium, purgatio cloacæ &c. quas si conductor fecit, potest eas repetere, vel in pensionem computare. nu. 550. Idem dicendum de expensis utilibus à conductore factis cum tacito consensu Locatoris, etiam casu quo culpâ suâ ante finitum tempus expelleretur. f.176. nu. 551. Si sine consensu fecit, potest eas auferre, si sine detrimento locatæ rei auferri possunt; nisi conventum esset, ut conductor curaret perfici, etiamsi non esset expressum, cujus expensis. n. 552. Ob expensas à Locatore restituendas, potest conductor rem locatam retinere, quousque solvantur. n. 553.

In prædium urbanum locatum & ædes quæcunque sunt illata, sunt tacitè hypothecata. Si verò rusticum sit, ea solùm quæ sciente Locatore sunt invecta. f. 176. n. 554. & iterum f. 181. n 575. Hoc tamen iterum restringitur ad res eo animo illatas, ut stabiliter ibi serventur: neque tamen cessant esse obligatæ, si postquam tali animo sunt illatæ, postmodum animo mutato auferantur. f. 177. n. 556.

Res aliena illata tunc solùm est oppignorata, quando dominus in fraudem Locatoris permisisset res suas inferri, quasi essent conductoris, ut pensio non urgeretur. f. 177. n. 557. Inspecto jure, etiam libri studiorum causâ illati, imò & opificum instrumenta non subsunt obligationi: sed in hoc consuetudo attendenda. n. 558.

Elapso tempore, si Locator non urgeat, & conductor persistat, an censeatur tacito consensu contractus renovatus, distinguendum est inter prædium Urbanum & Rusticum. Si sit Urbanum, vel domus, non ultrà censetur contractus protractus, quàm donec alteruter velit recedere. Si rusticum, censetur protractus ad integrum annum, sed non, ultrà. f. 177. n 559. & seq. ubi vide Corollaria.

Prorogatâ locatione per tacitum consensum etiam pignora manent obligata. f. 178. n. 560.

Quando finitâ locatione res iterum elocanda est, conductor respectu rei privatæ non habet jus prælationis, etiamsi majus pretium offerat, sed dominus potest, cui voluerit, elocare. f. eod. n. 561. Habet tamen jus prælationis in prædijs communibus aut fisci, dummodo idem pretium, quod alius offert, solvere velit. f. eod. n. 562.

Qui conducti operarij operâ non ampliùs vult uti, per se loquendo tenetur ad totam mercedem, si per operarium non stetit, nec alteri operam locavit. fol.179. n. 564.

Si famulus ante lapsum integri temporis ad quod conductus est, discedat, spectato jure naturæ solvenda est merces pro tempore præterito: si tamen sine causa recessisset, teneretur redire ad dominum, alioquin tenetur domino ad interesse. fol.179. n.566. ubi, quid Jure Bavarico.

Si famulus ad notabile tempus ægrotavit, non habet jus exigendi totam mercedem, nisi famulatus consisteret in tali obsequio, ut posset neglectus intra reliquum tempus compensari, & compensaretur actu extraordinario labore. fol.eod. num. 567. Quamvis Dominus non teneatur ad expensas pro cura famuli, si tamen illas facit, nec aliud monet, censetur donare. fol.180. n.569. Non tenetur famulus tempus morbi compensare extendendo famulatum. eod.

Locatori competit actio locati ejúsque hæredi adversùs conductorem, ejúsque hæredem, ad hoc maximè tendens, ut merces unà cum usuris post moram solvatur. Eàdem actione petit sibi rem locatam restitui, quamvis ad hoc competat etiam rei vindicatio. Denique ut res locata deterior facta reficiatur, & omnia damna ex levi culpa illata refundantur: & etiam, si cum damno locatoris à contractu recederet. fol. 180. n. 570. Jure Bavarico constitutum est, ut conductor ob culpam conventus debeat se purgare vel per testes, vel his deficientibus per juramentum. n. 572. ubi de hoc plura.

Conductor si rem domino recuperare volenti non restituerit, sed litem usque ad definitivam sententiam protraxerit, non solùm rem locatam, sed etiam æstimationem ejus præbere compellitur. fol. 181. n. 573.

Locatori fundi rustici competit actio *Serviana*, & Locatori prædij Urbani *Quasi Serviana*. de quibus vide, *Serviana actio*.

Conductori datur actio Conducti ad hoc principaliter, ut re conductâ uti frui licere præstet, aut interesse solvat. Item, ut domum locis necessarijs reficiat, vel mercedem pro rata temporis remittat, quo non potest conductor ædibus commodè uti: item ut damna ex rei locatæ vitio nata refundat: item ut ob rei locatæ interitum, sterilitatem &c. mercedem proportionaliter remittat, impensas solvat &c. omnia cum limitationibus suprà positis, cùm ageretur de Obligationibus locatoris. fol. 183. num. 578.

Ludus.

Est contractus innominatus, quo victori certaminis res ab utroque exposita tribuitur. fol. 334. n. 1068. ubi referuntur conditiones ad Justitiam Ludi requisitæ. Itaque

Ludens debet habere vel dominium, vel liberam administrationem illius rei quam ludo & fortunæ exponit. fol. 335. n. 1069. Si ludus sit licitus, tenetur victus victori de evictione rei expositæ. num. 1070.

Si exponens rem usu consumptibilem alienam, habet unde compenset, ludens nihil tenetur restituere, si nescivit esse alienam; si non habet, tenetur de evictione, si lucrans nescivit; si scivit, ludus non valebat. fol. eod. n. 1072.

Si lusor non habens unde ludat, furetur collusori, & lucretur, potest lucrum retinere, restituto furto, si haberet unde restitueret, si ablatum perdidisset. fol. eod. n. 1073.

Is qui metu aliquem compulit ad ludendum, tenetur lucrum restituere, non item qui metum passus est. fol. 336. n. 1074. Idem dicendum de inducente per dolum. n. 1075.

Error proprius nocet erranti, nec alter tenetur monere de errore. fol. eod. n. 1077.

Inspectio chartæ per alterius incuriam, non est fraus illicita, benè tamen si de industria. eod.

Qui ob fraudes commissas debet v. g. decem, deinde eodem ludo perdit eosdem, debet nihilominus restituere, quod per fraudem adeptus est fol. 337. n. 1078.

Non valet ludus, si unus scit se longè meliùs callere ludum, & moraliter certus est de victoria, etiamsi non simulet se æqualem. fol. eod. 1079.

Quodsi alter scit se inferiorem, & tamen vult ludere, præsumetur animus donandi. fol. 338. nu. 1080.

Non tenetur lucrum restituere is, qui lucratur ludo privilegiato, hoc est, ut beneficio legis possit quis non solvere, aut repetere solutum, etiamsi à principio habuisset animum solvendi, & etiamsi alter habuisset animum solvendi & non repetendi. fol. 339. n. 1081.

Prohibetur in Jure ludus alearum, & ludus in certis locis. fol. eod. n. 1083. Jure Bavarico accuratiùs de Jure multa statuuntur. n. 184.

Luminum, & Luminibus non officiendi Servitus.

Tomo 1.

Servitus Luminum est Jus, quo vicinus lumina nostra excipere & præstare tenetur, quatenus ædibus nostris necessaria sunt. ad hoc autem sufficit, si foramen apertum habeat. fol. 249. n. 170.

Servitus ne luminibus officiatur, est Jus, quo vicinus lumen à cœlo veniens convicino adimere & obscurius facere prohibetur, v. g. aliquid in alto collocando. Imò prohibetur auferre parietem, ex quo per repercussionem lumen in ædes vicini devolvitur: non tamen prohibetur aufarre, unde plus luminis incideret. eod.

M.

Macedonianum Senatûs Consultum.

Tomo 3.

Hoc Senatûs Consulto prohibetur, ne mutuæ dentur pecuniæ filijsfamilias, & mutuanti denegatur efficax actio etiam adversùs patrem, etiam post emancipationem. f. 181. n. 326. Est primariò favorabile, & etiam odiosum. eod.

Nascitur quidem ex mutuo dato filiofam: obligatio civilis, quia datur mutuanti actio, sed hæc est infirma, quia debitori conceditur Exceptio ex hoc SCto. Naturalis obligatio & in conscientia non nascitur, ne quidem sublatâ patriâ potestate. Si tamen filius, neglectâ exceptione solvit, non potest repetere solutum, sicut nec fidejussor. Et hoc sensu potest dici, nasci obligationem naturalem. f. eod. n. 327.

Ex eo, quòd hoc beneficium sit in favorem patris introductum, non potest illi filius efficaciter

renuntiare

renuntiare. Ne quidem accedente juramento, si sine præjudicio patris servari non potest: & suspenderet solùm obligationem, usquedum fieret paterfamilias. f. 182. n. 328.

Ut filiusfamilias liberetur in conscientia, non est necesse, quòd non sit factus locupletior. fol. eod. n. 329. Non tenetur etiam solvere, etiamsi neglectâ exceptione condemnatus fuerit, si tamen solvit, repetere non potest. n. 331.

Cessat hæc exceptio in duodecim casibus. 1 Si filiusfamilias sit miles. 2. Si pater sponte consensit. 3. Si filius babeat bona pleno jure ad se spectantia. 4. Si passim pro patrefamilias habitus sit. 5. Si absque fraude alia res quàm pecunia mutata fuit. 6. Si pecunia non fuit numerata ut esset mutua, sed aliunde v.g. ex empto debita, & postea in mutuû mutaretur debitum. 7. Si in rem patris mutuum versum est. 8. Si filiusfam. postea sui juris factus contractum approbavit, vel partem illius solvit: quodsi pignus dedisset, ad hujus quantitatem denegaretur exceptio. 9. Si ad sumptus in studijs necessarios datum est mutuum. 10. Si filius à patre negotiationi præpositus fuit, & mutuum non exceptum. 11. Si filiusfam. pro alio fidejussit. 12. Si pater non interponat testationem contrariæ voluntatis, quando ipsius nomine accipitur mutuum. Videantur hæ exceptiones. fol. 182. n. 331. & seqq.

Tomo 4.

Mulier non potest validè mandare alteri ut pro alio fidejubeat. fol. 223. nu. 693. ubi vide distinctionem.

Magia seu Maleficium, Veneficium, Sortilegium.

Tomo 6.

Magia seu Maleficium, prout specialiter Magis & Sagis accomodatur, est Crimen publicum, Ordinarium, & Nominatum: & solùm extraordinarium dicitur, quòd in illius processu quædam specialia observentur. fol. 144. n. 391:

Qualem solennitatem observare soleat Dæmon in Magis recipiendis, refertur 0. 382. & seq.

Quatenus hoc crimen continet illationem damnorum, pertinet ad forum Sæculare. fol. 145. n. 384. Cui non præjudicatur, si Judex Ecclesiasticus solùm monitoriam aut medicinalem pœnam inflixit. eod. Magistratus sæcularis rectè facit, adhibendo eruditum Theologum in consilium. eod.

Crimen hoc censetur habere causam continuam, & ideo processus ad illum Judicem spectat, ubi deprehenduntur. o. 385.

Malefici de se confessi, etiam de Socijs rogandi sunt. rogati Jure Naturæ obligantur ad indicandos nocentes, de quorum emendatione nulla spes est. fol. 149. o. 403. Item interrogandi, à quo didicerint, vel ad hoc flagitium illecti sint. eod.

Illæ denuntiationes sunt majori fide dignæ, quæ fiunt à sacramentaliter confessis, & per Confessarium dispositis ad seriam pœnitentiam, & admonitis, ut in denuntiando habeant rationem suæ salutis. fol. 149. n. 404.

Nisi denuncians dicat, talem personam interfuisse ut Veneficam & ut mancipium diaboli conventibus, non multam fidem meretur. fol. 150. n. 405. Imò etsi de singularibus actibus inter choreas & convivia exerceri solitis, singularia exprimantur, fides vacillat, & non reputatur sufficiens ad Torturam. n. 406.

Deinde etiamsi maleficus dicat, Bertam dæmonem adorâsse, nefanda commisisse &c. needum moralem certitudinem facit: si tamen plures denuntiationes convenirent, nec aliude eliderentur, torturæ viam facerent. n. 407.

Denuntiationum fides etiam ex eo capite non est integra, quando denuntians pluribus alijs criminibus, quæ per accidens cum maleficio conjuncta sunt, obnoxius est, v.g. si est latro, fur. n. 408.

Variatio quoque vitiat maleficorum denuntiationem, & quandoque præbet fundamentum denuo torquendi. n. 409.

Revocationi denuntiationis, factæ post sententiam mortis sibi dictam, & tempore sacramentalis confessionis vel Eucharistiæ sumendæ, si Judici appareret, reum non levitate animi, non prece, aut pretio, sed ad conscientiâ exonerâdâ revocâsse, illi standum esset, etiam post sententiam. fol. 150. n. 410.

In contrarietate denuntiationum circa certam personam, pro innocentia præsumendum est. Et deprehensâ falsitate denuntiationis in uno articulo etiam quoad alios fidem non meretur. fol. 151. n. 411.

Inimicitia graviter infirmat denunciationes, & sufficit animi aversio. n. 412.

Bona fama contra denuntiationes multùm valet, si constans sit & probata, & alijs innocentiæ indicijs adjuta. n. 413.

Usus & experientia docuit, denuntiationes, etiam sex reorum, sine alijs adminiculis parùm firmitatis habere, ob consuetam maleficorum conspirationem. n. 414.

Majores annis 20. etsi minores 25. eandem fidem in hoc etiam crimine merentur, quam majorennes. n. 415.

Omnia quæ in alijs criminibus ad torturam sufficiunt indicia, etiam in Sagario sufficiunt. num. 416.

Hujusmodi autem specialia indicia sunt. Si quis profiteatur artem magicam, aut glorietur, se eam didicisse, & cum alijs Sagis versari consueverit, vel aliunde

aliunde suspectus sit. fol 152. n.417. & seq. Minæ prolatæ cum effectu secuto, accedentibus alijs adminiculis. n.419. Frequens conversatio cum Maleficis, accedente suspicione aliunde. fol.153. n.421. Si quis rebus, gestibus, verbis suspectis utatur, Magiam sapientibus. n.422. ubi exempla. 5. Si quis tempore non consueto deprehendatur in aliena domo aut stabulo, & inde maleficium sequatur. Plura hujusmodi indicia referuntur nu. 423. & seq.

Malefici, priusquam crimen confiteantur, non sunt in subterraneis, vel alijs humidis, & frigidis locis detinendi: neque statim compedes & vincula injicienda, nisi locus carceris parùm tutus sit, vel id singularis ratio suadeat, vel ità habeat consuetudo. fol.154. n.426.

Reo comprehenso, in omnibus locis & angulis ædibus ejus pixides vel pulveres, unguenta, & alia perfidiæ instrumenta perquirenda: nec permittendum, ut ad ædes redeant; vestésque diligenter excutiendæ, ne quid secum ferant ad maleficium spectans. n.426.

Confessio earum rerum quæ in sola voluntate consistunt, per se sola sufficit ad reum condemnandum. Confessio illarì exteriùs damni, requirit insuper, ut constet de corpore delicti. fol. 155. nu. 428.

Reo negante delictũ, non sufficienter convincitur ad condemnandum, præcisè ex quibusdam factis notorijs & permanentibus. nu. 429. & seq.

Damna quæ à Magis malo veneno apertè inferuntur, duobus omni exceptione majoribus testibus probantur, eáque probatio plenissima, & luce meridianâ clarior dicitur. & reus convictus jure damnatur, non quidem in pœnam maleficij communem, sed in eam quæ delicti probati qualitate legibus imposita est. fol. 156. nu. 432.

Quamvis in Jure in Ord. Carolina, constitutâ pœna Maleficorum convictorum vel confessorum, sit viva concrematio, ex consuetudine tamen vel strangulantur, vel capite plectuntur, & cadaver comburitur. fol. 157. nu. 433.

Infans ab alio seductus, & debilem ac exiguum rationis usum habens, non est ullo graviore supplicio plectendus: paternè tamen ferulâ vel alijs modis emendari potest, & in loco tuto tamdin detineri, donec fidei præceptis instruatur. instructus honestis familijs tradendus, donec ad firmam ætatem perveniat. Impuberes duriùs quidem emendari possunt, non tamen ultimo supplicio nisi ex gravissima causa, & Principe consulto. Nullâ tandem emendatione secutâ, ultimo supplicio puniendi. f. 158. nu. 434.

Clerici Religiosi convicti vel confessi tradun tur, secundùm Juris ordinem, brachio sæculari. n. 435. ubi vide limitationem.

Ex consuetudine non solent bona damnatorum ob maleficium, confiscari, quando exstant consanguinei. nu. 437.

Majestatis Læsæ Crimen.

Tomo 6.

Majestatis nomine hic venit non solùm Imperator, sed etiam Reges, & Respublicæ Superiorem non agnoscentes. fol.160. n.439. Definitur in genere: Summa ac perpetua legibus soluta potestas. eod. Relucet maximè in Exercitio Regalium majorum sibi debitorum tanquam proprietatum, & non sunt meta præmia anticipata. Nec contra ea ullo tempore præscribitur. n.440.

Rex Romanorum electus gaudet post mortem Imperatoris hac Majestate. fol.161. n.441.

Ex speciali dispositione Aureæ Bullæ committitur crimen læsæ Majestatis etiam contra Electores. nu. 442. Contra Status Imperij non nisi ut conjunctim acceptos, non verò ut sunt singulares Possessores & Domini suarum Provinciarum. n. 443.

Committitur etiam contra Consiliarios, Senatores ac Milites apud Principem in ejus aula commorantes, si in eorum necem conspiretur. nu. 444.

Crimen læsæ Majestatis non potest committi nisi à Subdito Principis læsi. fol. 162. nu. 447. Et quidem etiam à Clerico, subdito ratione originis aut domicilij. fol. 163. num. 448. Imò etiam à Bannito. nu. 449. Item à Communitate, vel Civitate. nu. 450. ubi declaratur. Punitur secundùm Carol. Ord. 100. libb. auri. privatione libertatis & privilegiorum. nu. 451.

Crimen læsæ Majest. pluribus modis committitur, quorum quadraginta quinque referuntur. n. 452.

Maledictione Principis tunc committitur, quando verba continent seditiosas exclamationes. f. 164: nu. 453.

Falsatione Monetæ committitur etiam hoc crimen, & quidem tres modi referuntur. n. 456. Vide etiam *Monetæ Falsatio.*

Si crimen læsæ Majestatis directè in personam Principis vel ejus Consiliarios comittatur, conspirando in necem, seu Rebellione, reus pœnâ mortis plectitur, quandoque gladio, quandoque igne, quandoque dissectione. &c. fol. 167. nu. 467.

Qui Principis hostem sciens recipit fugientem, deportatione, qui latentem dissimulat, relegatione punitur. 468.

Perduellium liberi fiunt infames, & omnia bona, uxore ac liberis ad mendicitatem redactis, confiscantur. n.eod. & seq. Exceptis bonis extra territorium Principis sitis. n. 470. item exceptâ Morgengebâ, dote numeratâ, legitimâ filiarum. eod.

Perduellium filij etiam emancipati, omni hæreditariâ successione, & testamenti factione privantur, & perpetuâ infamiâ notantur. fol. 168. nu.471. quod etiam de filijs ante delictum natis intelligendum.

ditm. nu. 473. Bona non fisco, sed hæredibus proximioribus cedunt. n. 474. vel filiabus, aut nepotibus. n. 475.

In hoc crimine potest procedi summariè, accelerando judicium & pœnam. f. 169. n. 478. Nunquam præscribitur. eod. Possunt torqueri personæ alioquin privilegiatæ. n. 479. Quivis accusare potest. eod. Creditur socio contra socium. Admittuntur testes singulares eod. Non admittitur appellatio. 480. Valet sententia contra absentem. Potest processus inchoari à tortura ex indicijs alioquin non sufficientibus. eod.

In hoc crimine punitur solus conatus externus, v. g. tractatus de nece, emptio veneni &c. n. 481.

Majores.

Tomo 5.

Majorum nomine veniunt in Jure etiam illi, qui specificum nomen habent, ut Pater, Avus, Proavus, Abavus &c. f. 191. n. 48.

Mandati Contractus.

Tomo 4.

Est Contractus Juris gentium, nominatus, bonæ fidei, nudo consensu initus, quo negotium aliquod gratis efficiendum voluntariè suscipienti committitur, expressè vel tacitè. f. 210. nu. 655. Dicitur contractus bonæ fidei, non quasi liceat Mandatario fines mandati excedere, sed hac ratione, quòd Mandator & Mandatarius aliqua invicem ex æquo præstare debeant, etiamsi eorum non fuerit expressa mentio facta. n. 657.

Non vitiatur contractus Mandati, si suscipiatur spe alicujus remunerationis, etiamsi animo constitutum esset, non recipere, nisi remuneratio sequeretur. n. 212. Quodsi Honorarium promitteretur cum obligatione Justitiæ, esset potiùs contractus innominatus *: Do ut facias.* nec honorarium peti posset actione Mandati, sed *Præscriptis verbis.* n. 661.

Dividitur Mandatum 1. In expressum & tacitum, quo scilicet quis sciens prudens patitur rem suam ab alio geri. Quod tamen non habet locum in re turpi. f. 214. n. 665.

Dividitur 2. In generale & speciale. Generale est, quando quis committit omnia sua negotia vel bona administranda. Speciale est, cùm datur mandatum ad certam litem vel negotium in specie. f. eod. n. 666. Generale subdividitur in generale cum clausula *cum libera*, & sine hac clausula. eod.

Mandatarius extrajudicialis potest loco sui alium substituere, nisi specialiter prohibeatur, aut negotij gravitas obsistat: Judicialis hoc non potest: fit enim per litis contestationem dominus litis, ità ut omnes actus judiciales in ipsum dirigantur de jure communi, & in ipsum feratur sententia: consuetudo tamen habet, ut, exceptis causis infamiam irrogantibus, dominus condemnetur. f. 215. n. 668.

In Mandato constituendo sex species concipi possunt, quas vide explicatas numero eodem.

Quando in utilitatem tertij fit mandatum, illi tertio non acquiritur actio vel obligatio. fol. eod. 669. Quando in solius Mandatarij utilitatem tendit mandatum, non nascitur actio mandati, quia tunc mandans agit potiùs consiliarium qui non obligatur. eod. ubi exemplum. Quodsi dolo consilium noxium datum esset, tenetur actione de dolo. f. 216. n. 670.

Verius est, Mandatario semper levissimam culpam esse præstandam, quando solius mandantis utilitatem spectat. f. 216. n. 671.

Mandatarius obligatur Mandanti, ut tempore congruo integrè & bonâ fide mandatum exequatur, & restituat, si quod emolumentum vi executionis mandati ad eum pervenit, & ut perveniret, per mandatum saltem in consequentiam intendebant: item si quid residuum est ex datis ad mandatum exequendum. f. 218. n. 676.

Si interest Mandantis, mandatum fuisse datum executioni secundùm tenorem & formam præscriptam ac bonam fidem, & mandatarius negligat, nec renuntiet, si possit, condemnatur in id quod interest: si non interest, cessat mandati obligatio. f. eod. n. 677.

Mandatarius debet rationem reddere negotij gesti, & non solùm restituere, quæ ad eum per causam mandati pervenerunt, sed etiam si per errorem vel injuriam Judicis indebitum per causam mandati consecutus est, id quoque restituere tenetur: item & actiones quæsitas mandanti cedere. f. eod. n. 678.

Mandatario competit actio Mandati contraria, adversùs Mandatorem, quâ consequitur ea, quæ sunt ei necessaria ad mandati executionem, item ad refundendum, quod expendit ex proprijs, vel damnum quod passus est: item ut mandator suscipiat in obligationem, quam procuratorio nomine contraxit, sive impletum sit mandatum, sive pro impleto habeatur. f. 219. n. 679.

Mandator tenetur debita ex mandato contracta in se recipere, & mandatarium liberare, vel certè illi cavere de indemni conservando: quo casu tenetur Mandatarius vicissim cedere actiones. f. eod. n. 680.

Mandans tenetur etiam præstare casum fortuitum, qui aliquo modo poterat timeri. f. 220. n. 681.

Mandatarius nec debet fines mandati excedere, nec in exequendo deficere, alioquin actione mandati conveniri potest. f. eod. n. 682. ubi exemplum.

Satisfacit mandato, si jussus rem vendere non taxato pretio, vendat minimo, & si emere, emat summo. Item satisfacit, si vendat cariùs quàm sit jussus, quamvis lucrum cedat mandanti, nisi aliud expresserit. f. eod. n. 683.

Si cariùs emat, quàm jussus est, consequetur actione mandati contrariâ pretium à mandante taxatum. f. 221. n. 684. Neque utili negotiorum gestorum actione excessum consequetur. n. 685.

• Non licet Mandatario aliud pro alio facere, etiamsi putet magis commodum futurum mandanti. f. 221. n. 686. ubi exemplum.

Negotio mandato censentur etiam mandata illa, quæ communiter tali negotio annexa sunt. fol. eod. n. 687.

Mandatarius seu Procurator ad lites, non potest alteri demandare, benè tamen Procurator ad negotia. f. 222. n. 688.

Prohibentur mandatum dare vel accipere ad conducendas res aliorum, Milites, Curiales, Clerici, Monachi. Si tamen Clerici contraveniant, non videntur eorum actus irritari Jure Canonico. Monasterij tamen negotia benè possunt per Monachos procurari. f. 222. n. 689.

Non censetur esse idoneus Procurator ad litem, qui Reipublicæ causâ absfuturus esset, aut morbo perpetuo tenetur, ut proprijs rebus præesse non possit, aut qui Magistratum gesturus est, aut invitus judicium pati non potest. f. 223. n. 690.

Reus criminis non permittitur esse Defensor priusquam crimen purget. eod.

Filiusfamilias potest dare vel accipere mandatum solvendi pro alio, si habet bona in quibus pater Usumfructum non habet. f. 223. n. 691. Filius solvens debitum patris, ex mandato patris potest solutum actione contrariâ consequi. n. 692.

Non potest mulier validè mandare alteri, ut pro alio fidejubeat. f. 223. n. 693. ubi vide distinctioně.

Is, cujus bona sunt publicata, & fisco adjudicata, potest alteri mandare, ut illa bona emat. f. eod. nu. 694.

Mandatum speciale requirentia.

Restitutio in Integrum meo nomine petenda, requirit speciale mandatum, nec sufficit mandatum generale *sine libera*. f. 224. n. 695. Non est tamen necesse, ut inferatur specificè causa, ob quam petitur restitutio, sed sufficit Procuratoris instrumento inseri clausulam: & ad procurandam in integrũ restitutionem constitutus est talis Procurator. nu. 696. Administratores tamen alieni patrimonij non indigent speciali mandato eod.

Speciale mandatum requiritur ad accusandum in causa famæ. eod.

Speciale mandatum requiritur ad contrahendum nomine Principalis matrimonium, vel Sponsalia. f. eod. n. 697.

Speciale mandatum requiritur ad remittendum Jus Pignoris aut Hypothecæ. eod.

Speciale mandatum requiritur ad obtinendum interdictum de liberis exhibendis. eod. Item ad impetrandas litteras Apostolicas ad lites. f. 225. nu. 698. Item ad alienandas res mandantis. eod. Item ad transigendum & liberandum adversarium. eod. Item ad deferendũ vel præstandum juramentum in eo, qui non administrator omniũ bonorum. n. 699.

Mandatum *cum libera*.

Mandato generali quandoque additur clausula: *cum libera*. hoc est, cum plena potestate, acsi nominatim omnium negotiorum mandatum datum esset. Talis Mandatarius præter Administrationem potest omnia quæ verisimiliter ipse dominus facturus esset, adeoq; alienare, exigere æs alienum, novare, solvere &c. f. 225. n. 700.

Extendit se etiam hujusmodi mandatum ad omnia, quæ cæteroquin speciale mandatum requirunt, excepto Matrimonio, quia talis Procurator potiùs agit personam Internuntij: & ideo nec sufficeret, si diceretur: *Accipias mihi uxorem.* f. 226. nu. 701. Non procedit etiam in illis, quæ Mandatarius dolo aut malâ fide ageret. Nec etiam illi licet donare, nisi rationabiliter judicaret, dominum donaturum. f. 226. n. 703. Si tale solveretur indebitum, posset solvens repetere. f. 227. n. 704.

Mandati Extinctio.

Ut Revocatio Mandati sit efficax ad impediendam actionem Mandati contrariâ in mandatario, debet fieri re adhuc integrâ, sine præjudicio Mandatarij Nec sufficeret revocatio per se, sed debet innotescere Mandatario; alioquin actus valet: excepto Matrimonio per Procuratorem contracto, quod non valeret, si consensus revocatus esset. fol. 227. n. 705.

Re venditâ si ante traditionem superveniat revocatio, non impediet, quominus traditio subsequens rectè fiat. f. eod. n. 706.

Revocatio esset efficax, etiamsi juratum esset de non revocando. f. 228. n. 707.

In Procuratore ad Lites non sufficit innotuisse revocationem, sed insuper necesse est, ut innotescat etiam Adversatio & Judici. f. eod n. 708.

Mandatum susceptum est consummandum, aut quamprimùm renuntiandum, ut mandans per seipsum aut per alium eandem tem exequi possit. eod. Nec potest Mandatarius semel susceptũ mandatum ad libitum, & sine causa moraliter impossibilitante executionem, renuntiare. f. eod. n. 709. Potest tamen intempestivè renuntiare ob supervenientem adversam valetudinem, inimicitias, infamationem, exilium, &c. eodem.

Mandatum solvitur morte alterutrius supervenienie, per se loquendo, & plerumq; f. 229. n. 710. Si mortem mandantis probabiliter ignorat Mandatarius, & postea negotium exequatur bonâ fide, perinde est, acsi vivo mandante fuisset executus. eod.

Si Mandatum in tempus mortis factum est, non solvitur morte, si hæredum interfit non solvi. eod.

Officium Inquisitorum quamvis sit à Romano Pontifice demandatũ, non extinguitur morte Pontificis. f. eod. n. 711. Neque officium Legati à latere missi ad aliquam Provinciam. f. 230. n. 712.

Quando morte mandantis vel Mandatarij executio plena mandati intercedit, pro ea parte quæ executioni jam est mandata, mandati actio perdurat. eod.

Finitur

Finitur Mandatum etiam, furore superveniente mandanti, re adhuc integrâ. f. 230. n. 713.

De Mandato Procuratoris ad lite vide, *Procurator.*

Manumissio.

Tomo 1.

Manumissio servorum facta in fraudem creditorum, est ipso jure nulla, nec opus actione Paulianâ. f. 408. n. 54.

Manumissio facta minori 20. annis, requirit causam cognitam. f. eod. n. eod.

Matrimonium.

Tomo 3.

Valet Matrimonium sub conditione impossibili contractum, si non constet, quòd contrahentes voluerint suam intentionem alligare, nam tunc ex Juris dispositione habetur pro non adjecta. f. 49. n. 275. Nisi esset conditio repugnans Substantiæ matrimonij.

Constitutio Pontificis in cap. fin. de Condit. appos: in utroque foro tam interno quàm externo locum habet, & pro matrimonij valore judicandū est, rejectâ conditione impossibili. f. 50. nu. 281. Antecedenter ad hanc Constitutionem (cujus varios intellectus vide, à n. 276.) fuerat talis contractus invalidus judicandus, quia tunc homines suam intentionem præsumerentur alligâsse conditioni. Pontifex verò in favorem matrimonij voluit novâ lege rem ità disponere, ut Matrimonium sub conditione impossibili vel turpi celebratum (modò non sit contra substantiam matrimonij) etiam ablatâ conditione, quantùm fieri potest, sustineretur, indirectè adstringendo contrahentes cum tali conditione, ut hoc ipso quòd velint contrahere secundùm leges Ecclesiasticas, & primario valere matrimonium, hoc ipso velint tales conditiones non adjectas, quas leges volunt haberi pro non adjectis. f. 51. n. 285.

Matrimonium sub conditione contractum, posset validè retractari ante eventum conditionis, si tamen non revocaretur, eveniente conditione transitet in absolutum absque novo consensu, ex communiore opinione. f. 55. nu. 304. & seq.

Tomo 5.

Causæ Matrimoniales adeo spectant ad Judicem Ecclesiasticum, ut etiam casu quo solùm præjudicialiter de ea cognoscendum esset, v. g. quando in quæstione de successione moveretur dubium de legitimis natalibus, non possit Judex Laicus expedire. f. 70. n. 318. Potest tamen Laicus judicare in quæstione, an Petrus ex his parentibus natus sit. f. 71. n. 319.

Quando in causa ad sæcularem Judicem spectante, movetur incidenter quæstio de valore matrimonij, eáque est quæstio Juris, pertinet ad Judicem Ecclesiasticum. Quamvis lite pendente possit sæcularis decernere uxori alimenta. f. 73. n. 327. & seq.

Tomo 6.

Ut liceat procedere ad novum matrimonium; requiritur moralis certitudo de morte prioris conjugis. fol. 89. num. 134. & seq. ubi declaratur.

Medicus.

Tomo 1.

Medicus ex imperitia curando nocens, præsumitur ex delicto nocuisse, & graviùs punitur quàm Judex ex imperitia malè judicando. fol. 96. num. 146.

Medicus impetitè curans servum, vel curam deserens, tenetur lege Aquiliâ. vide, Aquilia Lex. f. 98. n. 158.

Tomo 6.

Medicus per imperitiam curandi dans causam morti, puniendus est pro qualitate & conditione rei ex judicio peritorum. Si per malitiam, puniendus ut latro, secundùm Carol. Ord. fol. 127. n. 306.

Mendacium.

Tomo 5.

Occultans Veritatem aliquo artificio, nullâ justâ causâ interveniente, quamvis non mentiatur, peccat tamen contra Veracitatem peccato omissionis. f. 420. n. 780.

Uti verbis æquivocis in alio sensu, (vero) quàm in sensu quem concipiunt audientes, non est mentiri. n. 781.

Intentio decipiendi alium, non est de substantia mendacij. n. 783.

Locutio cum mentali restrictione ad verum sensum, non est mendacium. fol. 421. num. 784. & seqq.

Mercator.

Mercator ubi ratione contractûs conveniendus sit, vide: *Forum competens.*

Meretrix.

Tomo 1.

Adversùs Meretricem non datur condictio, quâ repetatur datum. Sed neque meretrici datur actio ad petendam mercedem promissam, quamvis, actu secuto, debeatur in conscientia ex pacto. f. 138. n. 360.

Quamvis autem datum ob turpem causam, r epeti non possit, alijs tamen dantis propinquis repetendi via non est præclusa. per leg. 1. *C. de natu. liber.* f. 139. n. 361.

Metus.

Tomo 2

Metus injustus irritum reddit Testamentum ipso jure, nec ad illud rescindendum opus esset officio Prætoris, sed esset locus petitioni hæreditatis. f. 41. n. 188. & seqq.

Mineralia.

Tomo 1.

Mineralia reputantur fructus fundi, & ideo non fiunt inventoris, nisi in loco communi repetra. Lege tamen & consuetudine magna pars Principi tanquam tributum cedit. fol.400. n.4.

Minorennis.

De Minorennibus, vide, *Curator.*

Tomo 1.

Contra Minorennes non præscribitur nisi spatio 30. annorum. fol.454. n.297. & seqq. & fol. 465. n.366.

Tomo 3.

Minores contrahentes sine auctoritate Curatoris non obligantur ullo modo, ne quidem quoad bona Castrensia, nisi consuetudo contrarium habeat. f. 39. n.229. & seq.

Minor Curatorem non habens, validè contrahit circa illa bona, ad quorum alienationem non requiritur decretum Judicis, nempe quæ servando servari non possunt, inter quæ etiam pecunia ab aliquibus numeratur. fol.eod n.231.

Potest Minor habens Curatorem, personaliter obligari sine illius auctoritate, modò talis obligatio non tendat ad realem alienationem. fol.40. n.232. & seq.

Moderamen.

De Moderamine defensionis, & inculpatæ tutelæ, quomodo excusent à pœna homicidij, vide *Homicidium.*

Monasterium.

Plura de Monasterio vide sub v. Religio.

Tomo 1.

Monasterium habetur pro filio in casibus à Jure expressis, qualis est, ad excludendum substitutum, non tamen ad excludendos, quibus legitima debetur. fol.303. n.24. An Monasterium excludat in fideicommisso substitutum sui Professi, vide, *Fideicommissum.*

Moneta.

Tomo 3.

Monetæ mutatio alia est intrinseca, alia extrinseca, alia simul intrinseca, & extrinseca: sicut est duplex valor, intrinsecus residens in substantia materiæ, ex qua constat pecunia, consideratâ ejus qualitate, & pondere: & extriesecus, proveniens ex publica taxatione fol.188. n.354.

Moneta in ratione pretij ultimam formam consequitur ex quantitate publicæ æstimationis, cujus tamen fundamentum consistit in bonitate & ponde e metalli. Mixturam metallorum habet à legibus definitam. fol.189. n.356.

Monetæ extravagantes, in corio, plumbo, papyro impressam figuram habentes, non sunt propriè monetæ, sed tesseræ suo tempore redimendæ. eod.

Certo numero Nummorum, v.g. Thalerorum in mutuum dato, potest ex contractu mutui idem numerus ejusdem bonitatis restituendus esse, & exigi, quomodocunque mutetur valor extrinsecus. fol eod. n.357. Quodsi tota species constituta periret, non propterea ex tali pacto liberaretur debitor. eod.

Si in contractu non fuit expressum, ut species pecuniæ eodem numero reddatur, v.g. totidem aurei, variatio valoris extrinseci cedit commodo vel incommodo debitoris. fol.189. n.358. Hoc tamen non procedit. 1. Si variatio valoris non à Magistratu, sed fœneratorum consuetudine, reclamante populo, inducta esset. 2. Non procedit, si solùm pro certo tempore necessitatis bellicæ auctus esset valor monetæ. 3. Si notabile augmentum proveniat ex intrinseca depravatione monetæ. n.359.

Factâ mutatione monetæ in bonitate intrinseca, æstimatio in solutione facienda est secundùm tempus contractûs mutui, & non solutionis. fol.190. num.360.

Monetæ Falsatio.

Tomo 6.

Est crimen Læsæ Majest. & tribus modis committitur. 1. Cudendo cum alieno signo, vel sine Jure. 2. Vitiando materiam. 3. Minuendo, vel excoquendo. fol.165. n.456.

Pœna vitiantis materiam, est excussio. n.457. & seqq. ubi vide limitationem quoad eos qui tingunt auro. Eandem pœnam meretur, qui sciens talem pecuniam conquirit, ut expendendo alios decipiat. n.460.

Qui scienter in sua domo materiam adulterinam cudi passus est, punitur confiscatione domûs. fol. 166. n.461.

Illius qui alterius Principis signum monetæ imprimit, pœna est arbitraria, sicut & illius qui cudi. sine jure cudendi. n.462. & illius, qui justum pondus adimit. eod. & n.463. & illius, qui resolutâ majore monetâ in fraudem Principis minorem inde cudit. n.465.

Quamvis hoc crimen sit Læsæ Majestatis, in eo tamen solus conatus non punitur. f.167. n.466.

Monopolium.

Tomo 4.

Monopolium est venditio quæ fit ab uno solo in Civitate vel provincia: quod tamen possunt plures per modū unius instituere, ut nempe ipsi soli certâ mercem vendant, quod tamen privatâ auctoritate fieri non permittitur, sed benè auctoritate publicâ in bonum Reipublicæ & Communitatis. fol 98. num.275.

. Possunt

Possunt Monopolæ licitè conspirare, ut nemo eorum vendat nisi pretio summo justo. f. 98. nu. 276. Neque est contra justitiam, emere tempore opportuno merces certæ speciei in maxima quantitate, pretio vili tunc currente, ut inde cogantur alij emere pretio majore, ob defectum mercis ab alijs comparabilis. f. 99. n. 278.

Mons Pietatis.

Tomo 3.

Est cumulus quidam pecuniæ in hunc finem collectus à pijs hominibus, ut indigentium mutuo necessitati succurratur. f. 210. n. 438.

A Mutuatarijs ad sustentationem Ministrorum Montis licitè exigitur aliquid moderatum ultra sortem. Primus titulus est, Obligatio præfectorum dandi cuilibet de communitate mutuum, quoties petierit. f. eod. n. 440. Secundus titulus est, labor & sollicitudo in custodiendis pignoribus suscepto in se periculo etiam sub levi culpa, quam præstare debent Ministri. n.441. Quomodo hujusmodi Montes gubernentur, refertur f. 211. nu. 444.

Mora.

Tomo 4.

Mora potest committi antequam perveniatur ad Judicem, in re commodata, si elapso tempore monitus Commodatarius non restituat, nec habeat causas relevantes. f. 237. n. 735. Potest perveniri ad Judicem quin aliqua mora præcesserit, si tempus interpellet: & hodierno jure non est ampliùs necesse interpellari debitorem, priusquam ad Judicem eatur. eod.

Morbus.

Tomo 4.

Juristæ faciunt discrimen inter Morbum & Vitium rei venditæ. Aliqui dicunt, Vitium esse nomen generale, Morbum verò specificum, hoc est, imbecillitatem, quæ usum adimat, ut cæcitas; Vitium verò erit balbuties. Alij distinguunt, quòd Vitium sit perpetuum, morbus accessu & recessu varietur. f. 96. n. 269.

Morgengeba.

Tomo 1.

Latinè est Donatio facta in Remunerationem pudicitiæ. Jure Bavarico potest in Feudo constitui cum consensu domini directi. Describitur: Matutinale donum, quod Maritus altero nuptiarum die pro pudicitiæ, & (Jure Bavarico) Virginitatis thesauro novæ nuptæ elargitur. f. 366. n. 330.

Morgengeba in Hispania & Lusitania etiam viduis competit. Jure Bavarico solis virginibus debetur, nec potest uxor renuntiare, nisi scripto duobus testibus extraneis signato. f. 389. n. 462.

Morgengebæ Ususfructus est penes maritum. nec potest à Judice constitui in Majori quàm Tertia parte bonorum allatorum ab uxore. Jure Bavarico. f. eod. n. 464. De ejus dominio vide: *Nuptiæ secundæ.*

Hypotheca ratione Morgengebæ non gaudet jure prælationis seu prioritatis. f. eod. n 465.

Morgengeba potest consentiente uxore alienari, & oppignorari: de Jure Bavarico requiritur insuper sigillatio alicujus habentis potestatem sigillandi in rebus alienis, vel si uxor per annum & diem conscia non contradicat. Uxor potest alienare etiam inter vivos invito marito, Jure Bav. f. eod. n. 465.

Mulier.

Tomo 1.

Mulier honestè vivens, non potest ob debita incarcerari, etiamsi recuset cedere bonis. f. 153. n. 434.

Mulier permittitur fidejubere pro dote. f. 375. n. 393.

Munera.

Tomo 5.

Qui dant, promittunt, accipiunt, aut promissionem acceptant pro Justitia aut Gratia à Sede Ap: obtinenda, & obtentis utuntur, incurrunt pœnas Extrau. Greg. XIII. quæ refertur f. 99. n. 66.

De Judicibus munera accipientibus, vide, *Judex*.

Mutilatio.

Tomo 6.

De Mutilatione vide plura, *Homicidium.* ubi. ad qualem restitutionem mutilans aut vulnerans teneatur.

Mutilationis pœna spectat ad Merum Imperium, quamvis Juridicè & propriè non sit pœna capitalis. f. 4. n. 11. & seqq.

Mutus.

Mutus an testari possit, vide, *Surdus.*

Tomo 2.

Qui inopinato casu loquelam amisit, nec scribere scit, potest tamen fideicommissa, & Legata relinquere nutibus. f. 54. n. 245.

Mutuum.

Tomo 3.

Mutuans non contrahit obligationem propriam erga Mutuatarium, qualem pariunt Contractus reciprocè obligantes. f. 3. n. 9.

Mutuum neque est Contractus strictè onerosus, neque simpliciter lucrativus. f. 9. n. 53.

Mutuum est Contractus realis, hoc est, qui re perficitur, propriè dictus, quo rem nostram in quantitate consistentem ità damus, ut fiat accipientis, & eadem nobis in genere reddatur. fol. 171. n. 290.

Mutuum latiùs sumptum, in quatuor species dividitur. 1. Est mutuum merè naturale, seu

rectum & germanum, ut modò definitum est. 2. Est Mutuum naturale, cui Jus civile cooperatur. 3. Merè civile. 4. Mutuum civile cui natura cooperatur. f. eod. n. 292.

Ad Contractum Mutui tria requiruntur. 1. Traditio realis. 2. Translatio dominij. 3. Obligatio reddendi rem in quantitate similem. f. 172. n. 293. Et quidem eandem rem in genere quoad qualitatem & quantitatem. eod.

Si nullus terminus solutioni præfixus est, per se loquendo non potest mutuum in continenti repeti, (benè tamen aliquando per accidens) sed relinquendum est tempus, quo mutuatarius possit commodum per mutuationem intentum obtinere boni viri arbitrio. f. 172. n. 294.

Mutuum Civile non parit obligationem in conscientia, inducit tamen aliquam obligationem civilem, quando traditum est chyrographum, nec tamen pecunia numerata. fol. 175. n. 295.

Plura vide: *Pecuniæ non numeratæ Exceptio.*

Mutui materia non est sola pecunia signata, sed quidquid ex pondere, numero, mensura æstimatur. fol. 176. n. 309. Unde in auro etiam rudi, argento, oleo, frumento, & similibus mutuum constitui potest. fol. 177. n. 312.

Non haberet tamen rationem mutui quoad effectus civiles, si quis v.g. 10. boves daret transferendo dominium, ut alios decem ejusdem valoris reciperet; in panibus tamen certi ponderis, lignis certæ mensuræ, lateribus certo canone confectis, in charta, carnibus, & piscibus, constitui potest, quatenus hæc numero vel pondere invicem solvi solent. fol. eod. n. 313.

Si quis pecunias alienas suo nomine mutuas dedit, & illas mutuatarius bonâ fide consumpsit, vel usucepit, consumptione vel usucapione mutuum confirmatur. fol. 178. nu. 315. Quodsi pecunia dolo malo consumpta fuit, perinde habetur, acsi exstaret: & daretur vel actio ad exhibendum, vel utilis rei vindicatio. eod.

Nummis alienis ab accipiente casu fortuito amissis, non tenetur accipiens condictione, neque tali amissione fit ex Juris dispositione dominus, sicut fit absumptione, & ideo perierunt suo domino, & accipienti daretur exceptio contra dantem. eod.

Potest mutuum contrahi brevi manu, si quis suum debitorem jussit debitum alteri dare, quibus accepit iste scribat schedam, se velle illam pecuniâ habere mutuam. fol. eod. n. 316.

Mutuum dare potest quivis, qui liberam rerum suarum administrationem habet, & eatenus, quatenus habet. fol. 179. n. 317.

Si pecunia à pupillo sine Tutoris auctoritate credita casu periret, confirmaretur mutuum: & Jura fingunt, dominium fuisse translatum, ne favor pupillo concessus, eidem noceat. fol. eod. num. 318.

Magistratibus & Præsidibus non est à Jure simpliciter & illimitatè interdicta Mutuatio, sed solùm fœnoratitia, & lucrativa. fol. eod. n. 319.

Ut Ecclesia vel Civitas ex mutuo teneatur, debet mutuans probare, fuisse in ejus utilitatem versum; aliàs datur mutuanti actio adversùs eum qui nomine Ecclesiæ accepit, & adversùs hæredes illius. fol. 180. n. 321. Si totus Senatus Civicus consentientibus civibus mutuum acciperet, teneretur Civitas solvere, etiamsi non esset in ejus utilitatem versum. n. 322.

Si Prælatus contraxit sine consensu Capituli, mutuans tenetur probare versionem. Si verò unà cum Capituli consensu, non incumbit probatio versionis, si possit debitum solvi ex bonis alienabilibus. n. 323.

Si minor non habens Curatorem, mutuum accepit cum onere solvendi usuras, mutuans probare debet, pecuniam in rem debitoris versam esse. Si mutuum gratuitum fuit, & minor petit restitui, probare debet, se læsum esse. fol. 180. n. 324.

Si Curatori nomine Minoris mutuum datum est, Curator ipse omnino tenetur, sed in Minorem actio tunc datur, si creditor versionem in ipsius utilitatem probaverit. fol. 181. n. 325.

Filiusfamilias an possit Mutuum celebrare, vide *Macedonianum Senatus Consultum.*

Si Mutuo dies adjectus est in favorem mutuantis, ante diei adventum solvere non licet invito creditori, benè tamen, si in favorem mutuatarij. fol. 184. n. 337.

Solutionis partem non tenetur creditor acceptare ante diem constitutum, ob incommoda inadæquatæ solutionis, nisi debitor in judicio conventus neget se plùs debere quàm partem, tunc enim Judex ad minuendas lites, potest cogere creditorem ad accipiendam partem solutionis. fol. 185. num. 340.

Si res credita in eodem genere restituenda, non reperitur, tenetur creditor æstimationem in pecunia accipere. fol. eod. n. 341.

Si res credita fuerit oblata, & creditor in mora accipiendi fuit, si perit, liberatur debitor. fol. 186. num. 244.

Quomodo possit in contractu Mutui in pactum deduci solutio in certa moneta, non obstante ejus variatione in valore, vel quomodo ipsa variatio possit in pactum deduci, vide, *Moneta.*

Debitore in mora constituto, datur Creditori *Condictio certi.* fol. 190. n. 361. & seqq.

N.

Nativitas.

Tomo 1.

Nativitas est Modus acquirendi dominium Jure Gentium, animalium quæ ex nostris nascuntur, etiamsi mas alienus fuerit. Si tamen invito maris, v.g.

ris; v.g. equi; domino aliquis alienum equum in equam suam immittat, in tactum actione tenebitur. fol.416. n.88.

Naufragium.

Tomo 1.

Res quæ in periculo naufragij eijciuntur, manent in priore dominio, unde qui ea nactus auferret, furtum committeret. Idem dicendum de illis, quæ ex ipso naufragio in mare delabuntur: talia enim non sunt derelicta, sed deperdita. Imò qui ea sciens rapuit, aut reposcenti non reddit, quadruplo tenetur, & publicatione omnium bonorum mulctatur. fol.426. n.152. & seqq.

Necessitas proximi.

Tomo 1.

Necessitas proximi est triplex. Extrema. Gravis. Communis. Extrema est rerum ad vitam necessariarum, vel ad vitandum morbum incurabilem. Gravis est rerum, sine quibus vita notabiliter abbreviaretur, vel morbus gravis incurreretur verisimiliter. Communis, quam habent pauperes mendici aperti vel occulti, aliorum liberalitate indigentes. f.135. n.342.

Extremæ necessitati proximi teneris ex charitate subvenire (alijs deficientibus) ex bonis non solùm superfluis, sed etiam statui convenientibus, non ramen ità necessarijs, ut sine talibus bonis ex pristino statu decideres: non tamen teneris ad media extraordinaria. fol. 136. n.343.

Necessitati gravi teneris subvenire ex bonis superfluis statui. fol.eod. n.344.

Jus accipiendi rem alterius in casu necessitatis, fundatur in eo, quòd natura ab initio voluerit omnia esse communia. eod.

Constitutus in extrema necessitate, (& probabiliter idem dicendum de constituto in necessitate gravi) potest licitè & absque vitio furti, accipere ex alterius bonis illi ad vitam non necessarijs, si non excedat media ordinariè adhiberi solita. fol. 176. n.345. & 347.

Necessitas tribuit jus accipiendi etiam in casu quo alter non obligatur dare ex charitate. 436. elapsâ tamen necessitate tenetur auferens restituere acceptum, si potest. fol.137. n 349.

Negationes.

Tomo 5.

Quamvis Negationes directè probari non possint, indirectè ramen probari possunt, probato scilicet aliquó habente connexionem cum negatione tali. fol.283. n.18. & seq. ubi exempla.

Negotiatio.

Tomo 4.

Negotiari dicuntur Mercatores, qui rem emptam immutatam iterum vendunt. & hi dicuntur à Canonibus eijci de templo Dei, hoc est, esse indigni Clericatu. fol.99. n.180. ubi referuntur pœnæ Clericis Negotiatoribus constitutæ.

Unus alterque actus à Clericis exercitus, non est peccatum mortale. fol.eod. n.181.

Prohibitio negationis extenditur etiam ad Clericos habentes Beneficium sufficiens ad sustentationem; etiamsi needum sint in Sacris constituti: fol.100. n 182. Non est tamen Clericis prohibitum emere pecora, quæ deinde in suis pascuis saginata vendant. fol.eod. n.183.

In Religione Societatis Jesu quædam prohibentur, quæ speciem Negotiationis præseferunt. fol. 100. n.184.

Non est contra Canones, quòd Clericus alteri committat pecunias, ad negotiandum, ut ipse nihil impediatur à suo Ministerio, & scandalum absit; non debet tamen hoc fieri absque urgente causa. ex qua Clericis & Religiosis negotiatio universim est licita. fol.eod n.185. ubi vide exempla.

Negotiorum Gestio.

Tomo 4.

Est quasi Contractus, quo quis alterius negotium ad rem familiarem pertinens, sine mandato gerendum suscepit. fol.344. n. 1104. Non requiritur Ignorantia in eo cujus negotium geritur. fol.345. num. 1105.

Si superveniat Ratibabitio, convenit etiā actio mādati, & nōtantùm negotiorū gestorū. f.eod. n.1106.

Negotiorum gestio potest esse necessaria, urgente necessitate, vel necessitatis suspicione fol. eod. n.1107. ubi referuntur casus.

Negotiorum gestor debet habere opinionem, se gerere alterius negotia, animúmque eum sibi obligandi. fol.346. n.1108. Non obstaret tamen, si errasset in persona. n.1109.

Ex hoc Quasi contractu nascitur duplex actio. Directa, quâ petitur à Negotiorum gestore, ut administrationis rationem reddat, & si quid ad eum pervenit, ex æquo & bono præstet, damnum culpâ datum resarciat. Contrariâ actione petit Negotiorum gestor, ut indemnis servetur. fol.346. n.1110. Competit hæc actio, etiā quando casu fortuito omnis utilitas eversa est. n.1111. ubi vide exceptionem pupilli. Non competit, si alteri à parte rei non est grata negotiorum gestio, & hoc potest probare. fol.347. n.1112.

Qui gerit unum negotium alterius, non potest præterea cogi ad cætera quoque gerenda, quæ ad illud non spectant. fol.347. n.1113.

Si plures negotium gerant diversorum bonorum ejusdem, v.g. hæreditariorum, & unus illorum fiat non solvendo, periculum spectat ad hæredem, seu illum, cujus negotium gessit. fol.eod. n.1114.

Jura de quibusdam personis præsumunt, quòd noluerint sibi obligare illos, quorum negotia gesserunt. fol.eod. num.1115. ubi vide has præsumptiones.

Quoad

Quoad culpam, ad quam præstandam obligatur negotiorum gestor, distinguendum est. Si negotia alterius fuerunt ità deserta, ut præter me nemo alius gessisset, tenebor solùm de culpa lata. Si alius gessisset, & summam diligentiam adhibuisset, tenebor de culpa levissima, secùs, solùm de levi. fol.348. n.1116.

Casus fortuitus in quibusdam casibus ad gestorem spectat. fol.349. n.1117. ubi recensentur.

Nobilitas.

Tomo 6.

Ob Nobilitatem mitiùs punitur reus, in pœnis arbitrarijs corporis afflictivis, quàm homo vilis conditionis, ex consuetudine. f.325. n.542. In pœna ultimi supplicij nihil prodest Nobilitas, de jure communi. n.543. In pœnis pecuniarijs opulenti graviùs puniuntur. fol.326. n.544. Peccans prætextu nobilitatis punitur ut alij. n.545.

Nomina.

Tomo 4.

Nomina vocantur à Juristis Actiones illæ, quæ alicui competunt ad petendam ab altero solutionem debiti: dicuntur etiam Credita, vel Debita, Chirographa. fol.63. n.98.

Notarius.

Tomo 1.

Notarius imperitè conficiens Instrumentum, & hoc modo damnificans, tenetur & punitur sicut Judex per imperitiam malè judicans, de quo vide *Judex*. fol.96. n.147.

Tomo 5.

Notarius fabricans falsum Instrumentum, punitur amputatione manûs, & privatur officio. Non creditur illi asserenti (etiam in articulo mortis) se falsum instrumentum fabricâsse. fol.108. num.112.

Notarius qui cæpit acta scribere, mutari non debet, nisi sit impeditus, quo casu per Judicem alius substituendus. fol.180. n.547. Acta sine consensu judicis publicata non permittitur, nec partibus copiam dare. eod. Non potest recipere testes sine Judice. Potest tamen scripturam facere de gestis in Judicio. Absente Judice possunt coram Notario produci libellus, exceptiones, instrumenta, aliáve Acta, nisi hæc producantur ad probandum Judici, tunc enim requiritur speciale mandatum. eod. Plura vide, *Instrumenta*.

Circa Notarios Jus Bavaricum ità statuit. In quolibet Judicio Actuarius & Protocollum esto. Actuarius producta in Judicio instrumenta diligenter conservare, secreta non revelare, absque licentia Judicis nullas copias communicare, nec partibus consilia vel admonitiones suggerere, nulla dona recipere, sed salario contentus esse debet. nec dolum committere. & hæc jurare debet. fol. 181. n.552.

Novatio.

Tomo 3.

Novatio est prioris obligationis in aliam, seu civilem, seu naturalem, transfusio atque translatio, ità ut prior perimatur. fol.25. n.145. Hujusmodi est, si de novo adhibeatur fidejussor, vel adhibitus liberetur: si pignus adijciatur, vel remittatur. eod.

Quando contractui absoluto substituitur conditionatus, Novatio est in suspenso, donec conditio existat. fol.eod. n.146.

Species novationis est Delegatio. Delegare autem est vice suâ alium reum dare creditori, vel cui jusserit. fol.26. n.147. Non est autem necesse, eum qui substituitur, esse debitorem substituentis. num.148.

Novatio non præsumitur facta ex indicijs, sed requiritur expressus animus novandi. fol.eod. nu. 149.

Novatio vel fit in forma, vel in objecto. In forma fit, quando in locum obligationis ortæ ex tali specie contractûs, v.g. venditionis subrogatur obligatio ex alio contractu, ut Mutui. In objecto fit novatio, quando pro debitis 100. fit obligatio ad dandum fundum. fol.eod. n.150.

Ad Novationem sufficit, quòd reverà præcesserit debitum quod extinguitur, etiamsi substitutus reverà non debeat, & putet se debere: competit tamen illi condictio certi adversùs eum pro quo solvit, sed non potest solutum repetere *Condictione indebiti*. fol.26. n.151.

Si quis solvat pro suo creditore alicui creditor reverà non debet, sed debere putatur, tunc si habuit mandatum, liberatur debitor, & creditori competit *condictio indebiti*; si non habuit mandatum, manet obligatus creditori suo, & habet condictionem indebiti contra putatitium creditorem creditoris. fol.eod. n.153.

Noxa. Actio Noxalis. vel de pauperie.

Tomo 1.

Noxa dicitur Corpus quod deliquit, impropriè. Nam propriè est Pœna quæ pro damnificatione infligitur: & hinc dicitur Nocens Noxæ dedi. Et læso datur Actio Noxalis v.g. adversùs dominum, ut mancipium noxæ dedat, vel solvat litis æstimationem. Noxalis actio non est directa, sed obliqua. fol.97. n.151. Sic etiam si animal naturâ mansuetum ex lascivia vel pavore damnum dedit, convenitur dominus actione de pauperie, ut vel noxæ dedat, vel damnum reparet. 152. ubi plura vide circa animalia naturâ fera: & de ædilitia actione. Sed hodie ex Carolina Ord. Crimin. Judicis arbitrio pœna relinquitur; & etiam datur actio de pauperie: nec una aliam consumit. eod.

Dantur hæ

Dantur hæ actiones etiam illis, qui per consequentiam damnũ patiuntur, ut Comodatario. 153.

Qui tenetur ex Noxali Actione, non obligatur in conscientia ante Judicis sententiam, ad præstandum id quod leges statuunt. f. 101. n. 172. Neque tenetur ex Naturali æquitate ad compensationem damni. 176. Probabile etiam est, quòd sine culpa theologica condemnatus possit uti occultâ compensatione. 178. Quando culpa theologica intervenit, tenetur ad compensationem ante omnem sententiam, & obligatio transit ad hæredes. 180. Excessus pœnalis à Judice inflictus, non debetur ante sententiã, nec transit ad hæredes. 181.

Nummularij.

Tomo 4.

Sunt illi, qui Negotiantium in Nundinis recipiunt pecunias quasi in custodiam; nec tamen sunt propriè Depositarij, cùm eorum periculo pecunia sit deposita. f. 139. n. 420.

Peccant graviter, si pecuniam depositam ad suas negotiationes exponant cum propinquo periculo non habendi suo tempore, quando à deponentibus exigetur. f. 139. n. 421.

Quando ex pecunijs depositis lucrantur, non tenentur deponentes ad aliud salarium. f. eod. n. 422. ubi vide limitationem.

Non potest deponens in commodum Nummularij, aliquid ad hoc ex justitia exigere, præcisè ex hoc titulo, benè tamen acceptare, quod gratitudinis titulo offertur. f. 140. n. 423.

Nuptiæ secundæ.

Tomo 1.

Pœnæ propriè dictæ, quibus antiquo jure Cæsareo afficiebantur Binubæ intra annum luctûs, hodie cessant, tam Ecclesiastico, quàm Sæculari foro. f. 390. n. 466. Hujusmodi pœnæ erant præter infamiam, 1. Hæreditatis capiendæ, legati, fideicommissi &c. incapax erat, & relicta ad hæredes pertinebant, vel collegatarios aut substitutos. 2. Lucra ex suprema viri voluntate accepta ei auferebantur. 3. In secundum maritum ultra tertiam partem bonorum titulo lucrativo conferre non poterat. n. 468. Non cessant tamen hæ pœnæ in vidua intra annum luctûs libidinosè vivente, adeo ut vel unus actus sufficiat. n. 469.

Secundò nubentis pœna (non quidem in odiũ secundarum nuptiarum, sed ex provisione & ad utilitatem liberorum ex prioribus nuptijs susceptorum) quæ hodie observatur, habetur Nov. 22. c. 23. Nempe quidquid binuba à marito lucrata est, illius proprietatem amittit, usufructu ad dies vitæ retento. Eorum verò quæ à marito titulo oneroso consecuta est, proprietatem etiam retinet. Inter quæ etiam numerantur communi operâ & industriâ acquisita. f. 391. n. 474.

Inter lucra à marito acquisita non videntur numeranda illa bona, quæ donantur uxori contemplatione mariti. f. 391. n. 475.

Binuba amittit etiam proprietatem illorum lucrorum, quæ aut vigore Statuti aut reciproci pacti in casum alterutrius præmorientis superstes ex bonis defuncti percipit. f. 392. n. 479. & seqq.

Inter lucra per secundas nuptias amittenda, non venit Ususfructus, si quem uxor à marito habuit. f. 393. n. 486.

Si Maritus aut liberi expressè renuntient Juri suo, mulier per secundas nuptias non amittit proprietatem lucrorum prædictorum. f. eod. nu. 487. Consensus tamen tacitus liberorum, non co̲ntradicendo secundis nuptijs, non sufficit. Imò nec expressus, nisi accedat renuntiatio juris. n. 489. & seqq.

Binuba tenetur etiam eorum bonorum proprietatem reservare liberis superstitibus, quæ per successionem liberorum prioris conjugij ab Intestato ex bonis paternis accepit, secùs si ex testamento accepit, vel donatione inter vivos. f. 394. n. 493. inter quæ tamen non veniunt, quæ quidem originaliter filius à patre habet, sed immediatè ex successione fraterna. 494. ubi ponitur casus.

Mortuâ binubâ liberi consequi possunt hæc lucra rei vindicatione, contra quemcunque possessorem. f. 395. n. 495. competit etiam condictio ex lege, vel sine causa, adversùs alienantem illiúsque hæredes, ad æstimationem. n. 496.

Consulitur etiam liberis adhibitâ æstimatione arbitri bonorum mobilium, qui vel à matre vel à liberis electus, postquam indicavit justum pretium juratus, traduntur lucra illa mulieri ità, ut satisdatione caveat, salva earum rerum corpora vel pretium post mortem suam liberis esse restituenda, si supervixerint. Quodsi mater nolit aut nõ possit satisdare, transfertur possessio ad liberos, si ipsi satisdederint, quanti res fuerint æstimatæ, matri loco ususfructûs datum iri singulis annis 4. pro Centum. f. 395. n. 497.

Quæ circa lucra liberis prioris matrimonij relinquenda dicta sunt, etiam procedunt de patre binubo. f. eod. n. 498. cum hoc discrimine, quòd patris bona non sint filijs hypothecata. eod. satisdare tamen tenetur. n. 499.

Binuba non potest vitrico (nec Binubus Novercæ) relinquere quocunque modo aut pacto plùs quàm virilem partem seu portionem unius ex liberis. f. 396. n. 500. Inspicitur autem tempus quo moritur binubus, & ex bonis tunc existentibus portio taxanda. n. 501. ubi casus. Non sunt tamen restituendi fructus ex dotis excessu ultra virilem portionem secundo marito constitutæ perceptis, dum mulier binuba vixit. n. eod.

Binuba potest liberis posterioris matrimonij relinquere quantum voluerit, dummodo liberis prioris matrimonij suam legitimam relinquat. fol. 396. n. 502.

Quamvis jure Codicis excessus secundo marito ab uxore relictus, ex æquo dividendus esset inter liberos tam posterioris quàm prioris matrimonij, Jure tamen Novellæ 22. c. 27. hoc correctum est. & statutum

statutum, ut competat solis liberis ex priore matrimonio, inter eos ex æquo dividendus. f. eod. n. 503.

Binuba non potest prætextu ingratitudinis revocare donationes filijs prioris matrimonij factas, nisi apertè filius aut circa vitam ipsam insidians matri, aut manus inferens impias, aut circa substantiæ totius ablationem agens adversùs eam aliquid declaretur. f. 397. n. 503.

Quæ hactenus dicta sunt, & Jure Codicis constituta, inducunt obligationem in conscientia aurè omnem Judicis sententiam. f. 397. n. 504.

O.

Obligatio.

Tomo 1.

Duplicis generis obligationes inter homines sunt. Aliquæ omnino independentes à voluntate illius erga quem exercentur. aliæ dependent ab illius voluntate cui obligamur. f. 72. num. 24. & seqq. ubi exemplis declaratur. Et harum aliquæ tendunt in bonum obligati, aliæ in commodum obligantis. 27.

Potestas seu Titulus harum obligationum alius est Originalis seu Primævus, & alius non Primævus, sed eum supponens. f. 73. n. 28. & seqq. ubi tituli declarantur.

Obligationes restituendi, vide, *Restitutio.* & *Damnum injuriâ datum.*

Occupatio.

Est Modus acquirendi Jure Gentium; de quo vide, *Inventio.*

Officium.

Tomo 1.

Officio aliquo fungentes, ut Medicus, Advocatus, Confessarius, Judex, & hujusmodi, nisi speciali pacto se ad extraordinariam diligentiam obligaverint, non tenentur nisi ad illam diligentiam, quàm alij ejusmodi officio fungentes communiter adhibere solent, & dicuntur esse diligentes in officio. f. 113. nu. 243. Nisi interveniat culpa theologica, non tenentur, ne quidem ex lata culpa civili, restituere pro damno ante condemnationem; nisi pactum intercessisset de præstanda culpa civili, vel, nisi postmodum sine suo notabili incommodo posset impedire, ne damnum illatum ulteriùs serpat, aut continuetur. 245.

Oneris ferendi Servitus.

Tomo 1.

Est Jus quo columna vel paries onera vicini ædificij sustinere tenetur, cum obligatione procurandi perpetuitatem illius parietis. in quo differt à servitute tigni ferendi. f. 247. n. 163.

Dum paries reparatur, fulturæ sumptus & cura ad dominum prædij dominantis spectant. f. 248. n. 164.

P.

Pacis Publicæ Violatio,

Tomo 6.

Pacis publicæ fractæ pœna est Proscriptio seu Bannum Imperiale, ut tam in bonis, quàm in corpore impunè offendi possint rei. Et deprehensi vitâ & bonis privantur. f. f. 170. n. 482. & puniuntur de vi publica. eod.

Ut Pax fracta dicatur, tria requiruntur. 1. Ut interveniat vis armata. 2. Ut sit vis difficulter superabilis, & à pluribus coadunatis intentata. 3. Ut fiat præcedente tractatu, & animo nocendi. n. 483. Non requiritur, ut actu damnum sit illatum. n. 484.

Qui privatas ædes impugnant & spoliare nituntur, fractæ pacis rei sunt, ex Const. Caroli V. item qui adunati carceres effringunt, & incarceratos liberant. n. 485.

Ecclesiastici fractæ pacis rei, solummodo Regalibus & Privilegijs Imperij in ipso Consistorio, Judice pro tribunali sedente privantur. Sæculares publicè sub dio ordinariam Banni pœnam sustinent. f. 171. n. 487.

Pactum.

Tomo 3.

Pactum sumptum generaliter, prout abstrahit à Pacto Nudo & Legitimo seu Vestito, definitur: Duorum vel plurium in idem placitum consensus. Debet autem consensus ex intentione paciscentium esse obligativus ex Justitia commutativa. f. 1. n. 1. Antequam acceptetur, dicitur: *Pollicitatio.* f. 2. n. 2.

Pactum dissolutivum obligationis, propriè non est mera cessio juris, sed inductivum alterius obligationis, nempe ad non petendum id, quod priùs jure peti poterat. f. 2. n. 4.

Pactum aliud dicitur *Nudum*, aliud *Vestitum* seu legitimum. f. 4. num. 16. Nudum est, quod non parit per se solum actionem civilem, prout hæc opponitur Prætoriæ. Vestitum, quod ratione adminiculi superadditi parit actionem civilem. fol. eod. n. 17.

Pactum vestitur quinque modis. 1. Si accedat contractui, aut alteri pacto. 2. Quando contractus innominatus ex una parte impletur. 3. Adjecto juramento. 4. Adjectâ stipulatione. 5. Quando Juris privilegio actio conceditur, & tunc elevatur ad rationem contractûs. f. 4. n. 18. & seqq.

Pacta nuda non ità infirmantur à legibus, ut non pariant obligationē in conscientia. f. 5. n. 27.

Quamdiu pactum manet nudum, non datur ex eo Actio civilis. f. 6. n. 31. Negatur autem actio ob quietem publicam. Neq; hoc est fovere peccata, sed ob majus bonum non punire peccata. Datur tamen exceptio. n. 35.

Neq; datur universim Actio Prætoria. f. 7. n. 38.

Idem dicendū est de Jure Canonico. f. eod n. 42. Aliud dicendum de consuetudine. n. 44.

Regulariter nemo potest alteri pacisci absq; mandato, & paciscendo acquirere actionem civilem. f. 41. n. 241. Ne quidem si tertia persona sanguine aut alio vinculo conjuncta. eod. Excipiuntur tamen aliqui. v.g. Pater potest filio hæredi paciscendo vel stipulando acquirere. f. 42. n. 242.

Pactum Advocati cum Cliente de quota litis, jure non valet, si quidem præsumi possit, clientem iniquè gravari. f. eod. nu. 244. Valet tamen hujusmodi pactum lite finitâ, etsi ante Sententiam definitivam, si æquitatis ratio habeatur. f. 43. n. 246.

Idem cum proportione de Medico paciscente cum ægro dicendum. f. eod. n. 247.

Palinodia.

Tomo 1.

Præter Actionem Injuriarum, datur Actio ad Palinodiam seu recantationem, cum illa cumulabilis. Est civilis, & non nisi per legum constitutionem infamans, non ex intentione actoris, adeoque non tendens ad vindictam. f. 180. n. 575.

Palinodiā potest Jure Bavarico Judex imponere absque infamatione, & in causa dubia tollere Actionem injuriarum. Princeps hoc potest etiam partibus non consentientibus. f. eod. n. 579.

Actio ad Palinodiam est perpetua, quia consuetudine introducta. An contra eam omissam detur restitutio in integrum, est dubium. f. 181. n. 583.

Parricidium.

Tomo 6.

Parricidium est cædes nefaria contra pietatem & jus sanguinis in ascendentes, descendentes, transversales & affines, vel conjugem, perpetrata. f. 172. n. 489.

Pœna Parricidij est Culeus. An autem hodieque sit in usu, pendet ex locorum consuetudine. n. 490. & seq.

Qui Vitricum vel Novercam occidit, mitiùs punitur illo, qui verum parentem occidit. f. 173. nu. 493.

Infantis quamvis illegitimi occisio, ordinariâ pœnâ punienda est. n. 494.

Mater abijciens infantem in locum desertum, ut ibi pereat, ad minimum gladio punienda; imò probabiliter pœnâ ordinariâ parricidij. nu. 496. Si exposuit in loco, ubi putabat ab alijs alendum, sed mors secuta est, videtur sufficere fustigatio. Si mors non est secuta, relegatio. eod.

Conjugicidium videtur sufficienter puniri pœnâ gladij, cum aliqua exasperatione. f. 174. num. 497. Idem dicendum videtur de occidentibus consanguineos, vel affines laterales. n. 499.

Quando parricidium non quidem intenditur dolo malo, sed tamen ex actu doloso immediatè sequitur, gladio puniendum, nisi constaret, reo involuntariam fuisse necem. num. 501. ubi exemplum.

Si parricidium sequatur ex actu cum aliqua culpabili negligentia vel imperitia commisso, leviùs punitur, arbitrio Judicis. f. 175. n. 503.

In crimine Parricidij, ad pœnam ordinariam infligendam, debet constare de corpore delicti. nu. 504. ubi vide quæ indicia sufficiant.

Cooperantes etiam puniuntur pœnâ ordinariâ, si non manifestent, conscij, non cooperantes, extra ordinem. n. 505.

Quando Reus per attentatum actum eò progressus est, ut jam ingens damnum in alterius valetudine, vel mortis accelerationem causaverit, vel conatum aliquoties iteraverit, potest Judex dictare pœnam gladij. f. 176. n. 507.

Quodsi ad actum proximum nullum notabile damnum secutum est, non est pœna mortis decernenda, sed mitior, v g. fustigatio cum relegatione. n. 508. Actus remotus sufficienter punitur relegatione, carcere, aut mulctâ pecuniariâ. nu. 509.

Si occisus occidenti causam gravis iræ dedit, potest mitigari pœna ad pœnam gladij nu. 510.

Intuitu pœnitentiæ, quamvis non ampliùs impedirivæ mortis ex actu posito secutæ, potest pœna mitigari eodem modo. f. 177. n. 512.

Mitigatur etiam pœna ordinaria ob defectum ætatis, decimum sextum annum non excedentis. n. 513. Item si mandatum parentum intervenisset. n. 514. Metus tamen parentum non ità facilè excusabit. n. 515.

Partûs Expositio.

Tomo 6.

Qui partum alienæ misericordiæ exponit, nullâ cogente egestate, amittit jus patriæ potestatis, & extra ordinem Judicis arbitrio punitur. Educator tamen non acquirit jus patriæ potestatis. f. 177. n. 516.

Vide etiam, *Parricidium*.

Pascendi pecoris Servitus.

Tomo 1.

Est Jus pascendi pecus in fundo alieno alicujus privati. Non licet hac servitute uti cum pecoribus morbo contagioso affectis. Domino prædij servientis non licet servitutem deteriorem facere, alioquin convenietur vel ex lege Aquilia, vel Interdicto: Quod vi aut clàm. Vel ad æstimationem, si reduci non potest ad pristinum statum. f. 254. n. 195. & seqq.

Pluribus habentibus jus pascendi in eodem loco & tempore, non licet uni, altero invito, provocare ad divisionem, per se loquendo. n. 198.

Pasquillus.

De hoc vide, *Famosus libellus*.

Patria Potestas.

Tomo 1.

Patria Potestas est Jus, per quod descendentes immediati & mediati supremo ascendentium superstiti ex linea masculina subijciuntur, in ordine ad certos effectus Jure civili introductos. f. 334. n. 166.

Moriente supremo ascendente, immediatus fit sui juris, in cujus potestatem reliqui recidunt. Illi etiam, qui ante filij emancipationem nati vel concepti nepotes sunt, manent in potestate avi, non item qui postea concepti sunt. f. eod. n. 167.

Patri Adoptivo non cuicunque, sed illi solùm competit patria potestas, qui per arrogationem adoptat, vel aliquem ex descendentibus: quibus casibus adoptatus desinit esse in potestate patris naturalis. fol. 334. num. 168. & seq. & vide etiam v. *Adoptio*.

Patria potestas tribuit Jus in bonis filij. de quo vide: *Peculium*.

Pater fame oppressus, vel in necessitate vitæ constitutus, potest filium vendere cum obligatione redimendi quamptimùm potuerit, & emptor cogitur accepto pretio, dimittere. 335. n. 170.

Pater potest filium ab alio detentum vel fugitivum (nisi ob sævitiam fugisset) reducere Interdicto de liberis exhibendis.

Non potest filiusfam. cum patre in judicio contendere, nisi lis sit de bonis castrensibus aut quasi, vel de Emancipatione, vel de alimentis, vel de dilapidatione bonorum, vel alienatione immobilium, vel nisi alieno nomine agat, vel lis sit de spiritualibus. f. 335. n. 170.

Si pater velit administrare (quod in dubio præsumitur) bona filijfam. non potest illi dari Curator bonorum vel ad litem. n. 171.

Sine licentia patris non potest filiusfam. cum alio contendere in causa civili, si patris interest. n. 172. Alij effectus patriæ potestatis exponuntur in proprijs locis.

Patria potestas solvitur per mortem naturalem alterutrius, nisi quòd in certis casibus filius recidit in potestatem alterius. f. 336. nu. 177. Si pater emancipet filium, retinens in potestate nepotem, tunc mortuo avo non recidit in potestatem patris, ne quidem, si filium emancipatum iterum adoptaret. n. 178. Si verò pater exijsset patriam potestatem non per emancipationem, sed per dignitatem, mortuo avo nepos non efficitur sui juris, sed recidit in potestatem patris. n. 179.

Per mortem civilem patris, (ut per Relegationem vel deportationem) suspenditur patria potestas in casum quo pater revocaretur. Item per hæresin, ubi hæretici non tolerantur. f. 336. n. 180.

Solvitur patria potestas per incestas nuptias & consummatas patris. f. eod. n. 182.

Per Professionem seu patris seu filij solvitur patria potestas. Per Vota Simplicia suspenditur in casum quo talis iterum dimitteretur ex Religione. f. 337. n. 183.

Solvitur etiam, si filius eligatur in Episcopum vel Cardinalem. Non item per Sacros Ordines. n. 184.

Si filius fiat Patricius, Præfectus prætorij, aut simile officium adipiscatur, ità solvitur, ut tamen filij prius procreati maneant in Avi potestate; cessaret tamen etiam ususfructus in bonis filij. n. 185. In favorabilibus tamen adhuc filius gauderet patriâ potestate. eod.

Solvitur denique patria potestas per Emancipationem coram Judice factam, consentientibus patre & filio. f. 337. n. 186. Quæ quidem est quandoque tacita, quam consuetudo induxit, per matrimonium filij. 187.

Ad emancipandum filium cogi potest pater. 1. Si filium inhumaniter tractet, ultra gravitatem delictorum. 2. Si filias ad peccata carnalia pertrahat. 3. Si quis adoptet suum privignum, & privignus pubes factus intelligat, adoptionem sibi non expedire, causâ cognitâ, idem de alijs minoribus adoptatis. f. 338. n. 188.

Emancipatio liberè facta, potest ob ingratitudinem revocari. eod.

Emancipatus potest suo nomine ut paterfamilias contrahere. Si sit impubes, pater est illius tutor. n. 189. Potest item condere testamentum: & in acquisitis habet plenum dominium, nisi quòd pater usumfructum in medietate bonorum adventitiorum retineat in præmium liberæ emancipationis, nisi consuetudo aliud habeat.

Patronatus.

Tomo 1.

Jus Patronatûs transfertur in Monasterium successionis capax per Professionem habentis tale Jus. fol. 304. nu. 28.

Tomo 4.

Jus Patronatûs non hypothecatur hypothecato prædio. f. 291. n. 903.

Paupertatis Votum in Religione.

De ratione illius non esse abdicationem, & incapacitatem Dominij, vide, *Religio. Religiosus.* Item. *Societas JESV.*

Pauliana Actio.

Vide: *Revocatoria Actio.*

Peculatus.

Tomo 1.

Peculatûs crimen committit etiam ille, qui monetam Principis, cujus cudendæ curam habet, corrumpit, admixto deteriore metallo. Item qui ex propria moneta in suum emolumentum monetam cudit. f. 118. n. 262.

Tomo 6.

Peculatus est pecuniæ publicæ aut sacræ furtum, non ab eo factum cujus periculo fuit. f. 178. nu. 517. Nomine Pecuniæ venit quævis res. num. 518. Quæ tamen spectet ad Urbem Romanam, & Cæsarem. Si ad aliam civitatem, est simplex furtum. n. 519.

Peculatûs

Peculatûs non facrilegi pœna eſt Deportatio. n. 521. Peculatûs ſacrilegi, quo res ſacra de loco ſacro aufertur, diverſa eſt, pro qualitate rei ablatæ. f. 179. n. 522. ubi vide ſpecificationem Ord. Carol. alia ſacrilega furta, ut rei non ſacræ de loco ſacro, vel rei ſacræ de loco non ſacro, puniuntur ut furtum cum exaſperatione. eod.

Peculium. Actio de Peculio.

Tomo 1.

Peculium eſt puſilla ſubſtantia (ſpectatâ primævâ etymologiâ) vel pecunia ſeparata à rebus & ratiociniis patris, data vel promiſſa filio vel ſervo. fol. 338. n. 191.

Peculium filiorum quadruplex. Caſtrenſe. Quaſi Caſtrenſe. Adventitium. Profectitium. Ad Caſtrenſe pertinent acquiſita ratione militiæ, vel in aula Principis. Ad quaſi Caſtrenſe, acquiſita ex officio publico, donata ab Auguſto vel Auguſta, Feuda, acquiſita poſt aſſumptum Clericatum. eod. fol. 339. n. 193. Ad Adventitium, quidquid de cætero filius aliunde acquirit, non primario intuitu patris, nec ab ipſo patre niſi antidoraliter eod. n. 195. Si filius cum patris pecunia negotietur patris nomine, lucrum non adjiciet peculio adventitio, ſed profectitio. n. 197. Quæ avus, etiam paternus, donat nepoti exiſtenti in patria poteſtate patris, ſi dubium ſit, an intuitu patris donata ſint, adnumerabuntur peculio adventitio. eod.

Ad peculium profectitium ſpectant acquiſita ex ſubſtantia patris, vel hujus intuitu. n. 340. ubi ſpecificantur.

Peculij *Caſtrenſis vel quaſi* dominium, pleno jure eſt filij inſtar patrisfam. econtra Profectitij dominium eſt pleno jure patris. fol. 340. num. 199. exceptis illis quæ dat pater in patrimonium, ad ſacros ordines, pro dote &c. nam etſi hæc ad profectitium ſpectent, quia ſunt conferenda, dominium tamen plenè ad filium vel filiam ſpectat. n. 200. Habet tamen hanc utilitatem filius ex peculio profectitio ad patrem ſpectante, ut caſu quo alia bona patris confiſcarentur, non publicetur illud peculium. eod.

Peculij adventitij dominium quoad proprietatem ad filium ſpectat, uſusfructus regulariter ad patrē. fol. eod. n. 201. Eximitur tamen, ſi pater ſponte remittat: ſi filio relictum ſit unà cum uſufructu: ſi pater ſuccedat filio cum hujus fratre: ſi pater non conſenſit in aditionem hæreditatis. Denique ſi filium emancipet voluntariè, retinet ſolùm medietatem uſusfructûs. n. 202. & ſeqq. ubi ſpecialia Juris Bavarici habentur. n. 207.

Tomo 5.

Actio de Peculio eſt prætoria, perſonalis, quâ petimus à patre vel domino, ut pro filiofamilias vel ſervo nobis ex contractu obligato, quatenus in peculio eſt, ſolvat. fol. 122. n. 192.

Contrahente filiofam. cum filiofamilias, actio acquiritur patri. num. 193.

Si pater ex errore plus ſolveret quàm eſt in peculio, competeret illi condictio indebiti. n. 194.

Pecuniæ non numeratæ Exceptio.

Tomo 3.

Exceptio hæc competit illi, qui Chirographum dedit, quo teſtatus eſt, ſe pecuniam mutuam accepiſſe, nec tamen accepit. fol. 153. n. 295. Durat biennium, quo elapſo præſumitur pecunia fuiſſe numerata. eod. Ità autem competit, ut qui chirographum dedit, non teneatur exſpectare exactionē debiti. quare intra biennium poteſt actionem ſeu querelam movere. Si intra biennium moriatur, quod reliquū eſt temporis, conceditur hæredibus. num. 296.

Intra hoc biennium compellitur petitor (Jure ſcripto) probare, ſe numeràſſe pecunias, alio modo quàm per chirographum: & hoc eſt ſpeciale in Mutuo. fol. eod. n. 297.

Competit etiam hæc Exceptio in caſu non numeratæ dotis promiſſæ. fol. 174. n. 298.

Si creditor dediſſet apocham factæ ſolutionis, Exceptio non numeratæ ſolutionis ſolùm 30. diebus creditori competeret. eod.

In quibuſdam Provincijs abrogatū eſt jus conijciendi onus probandi in creditorem exhibentem chirographum. fol. 174. n. 299.

Hæc Exceptio in ſcripto proponenda, & petendum id quod non accepit, & ſe accepiſſe ſcripſit. eod.

Elapſo biennio adhuc admitteretur debitor ad probandum, pecuniam non fuiſſe numeratam, quia præſumptio non eſt Juris & de jure. fol. 174. n. 300. & ſeqq.

Exceptio locum haberet, etiamſi quis in chirographo ſcripſiſſet, ſe anno præcedente pecuniam accepiſſe. fol. 175. n. 305. item, etiamſi quis coram teſtibus falſus eſſet, ſe pecuniam accepiſſe. fol. 176. n. 306.

Quinque caſus habentur excepti, quibus non eſt locus huic exceptioni, & referuntur fol. eod. num. 307.

Qui chirographum negans vel numeratam pecuniam convincitur, in duplum condemnatur, niſi juramento delato confiteatur, tunc enim ſolùm condemnatur in expenſas. fol. eod. 308.

Qui juramento firmâſſet, ſe pecuniam accepiſſe, illi non competeret Exceptio non numeratæ pecuniæ, quia propriam perjurij turpitudinem allegaret. fol. 233. n. 250.

Perduellio.

De hujus pœna vide, *Majeſtatis læſæ crimen.*

Peregrinus.

Quando obligetur Legibus ſui vel alieni territorij, vide, Lex.

 Perjurium.

Perjurium.

Multa de Perjurio, vide, *Juramentum.*

Tomo 6.

Perjurium etiam in foro civili punitur, pœnâ communiter quidem arbitrariâ. fol.180. n.526.

Ex Ord. Criminali Carolina, qui suo perjurio alium ad pœnam capitalem fecerit damnari, afficiendus est in Imperio illâ eâdem pœnâ, quam perjurio alteri intentavit. Eâdem afficiendus, qui dolo ad perjurium tale induxit. n.527.

Qui in Judicio lucri causâ pejerat, cogitur restituere lucrum, ignominiâ notatur, & digiti duo quoad extima membra amputantur. item qui Urphedam juratam rupetit. eod.

Ob perjurium fit Clericus incapax beneficiorum, quorundam opinione. n.529.

Permutario.

Tomo 4.

Est Contractus Juris Gentium, Innominatus, Bonæ fidei, & re perficitur, dum unus aliquid dat, ut aliud accipiat. fol.332. n.1059. Non distinguitur à Contractu *Do ut des.* n.1060. Non potest celebrari, sicut venditio, traditione rei alienæ. num. 1061.

Illi qui ex sua parte implevit, datur actio Præscriptis verbis, vel, si malit, condictio ex capite Pœnitentiæ. fol.333. n.1062. Jus pœnitendi transmittitur ad hæredes. fol.eod. n.1064.

Pignus.

Tomo 4.

Pignoris obligatio in aliquo casu faciliùs dissolvitur quàm contractus emptionis, nempe, quia etiam absque retrotraditione potest nudo pacto dissolvi. fol.60. n.165.

Pignus retineri potest non solùm pro pecunia pro qua acceptum, sed etiam pro alio debito quocunque. fol.273. n.851.

Pignus sumptum pro objecto contractûs, & ut præscindens ab hypotheca & pignore specificè sumpto, est Res subjecta obligatoriè pro debito, ut nisi impleatur, inde satisfiat. Contractus verò est, quo aliquid creditori in debiti solutionem obligatur, ut inde satisfiat, si aliter non fit satisfactum. fol.280. n.867.

Nomine pignoris in strictâ acceptione non venit hypotheca, nec ad hanc extenderetur Statutum de Pignore. fol.281. 868. Differt Pignus specificè ab hypotheca, quòd etsi possit utrumque constitui tam in re mobili quàm immobili, Pignus traditione perficiatur, Hypotheca solâ conventione. n.869. ubi casus.

Pignus presè sumptum aliud est Conventionale, aliud Prætorium, aliud Judiciale. Prætorium, est, quod Judicis edicto ante sententiam definitivam in pœnam contumaciæ constituitur per missionem in possessionem bonorum debitoris contumacis, quâ non acquirit possessionem, sed solam detentionem. Judiciale est, quod constituitur Prætoris decreto per immissionem, quâ creditor acquirit possessionem, qualem acquirit per conventionalem. fol.283. n.873.

Res aliena inscio domino, aut non ratum habente, oppignorari non potest: si tamen ratum habuerit, valet pignus, & retrotrahitur ad tempus oppignorationis factæ, salvo jure tertij, cui ante illam ratihabitionem eadem res esset oppignorata ab ipso domino, quia præfertetur posteriori. fol. 286. n.883.

Quando non approbante domino & inscio creditore res aliena obligata fuit, competit creditori actio pignoraritia contraria adversùs debitorem, ut rem aliam æquè bonam oppignoret. fol.eod. 884. Si debitor postmodum fiat dominus rei alienæ oppignoratæ, competit creditori eadem actio in rem illam. n.885. Non haberet creditor actionem adversùs dominum, etiamsi is hæres debitoris existeret. Posset tamen creditor actione personali utili agere, ut hæres pignus approbet. fol.286. nu. 886.

Qui spem habet rei consequendæ, potest illam oppignorare sub conditione, si eam acquisiverit. fol.287. n.887.

Potest creditor rem sibi oppignoratam alteri suo creditori oppignorare ratione juris realis, quod in tali re habet. fol.eod. n.888.

Si consentiente primo creditore & pignoris domino, creditor pignus obligavit alteri pro pecunia sibi credenda, & à primo debitore debita, tunc etiamsi dominus pignoris solvat debitum, adhuc perdurat pignus apud secundum creditorem. Potest tamen dominus agere adversùs suum creditorem, cui jam solvit, actione præscriptis verbis, ut pignus luat, sibique restituat. fol.287. num.889.

Nomina, ut litteræ censuales, ipsúmque jus personale, potest oppignorari, & hypothecæ subjici. fol.288. n.890.

Si creditor constitutâ tali hypothecâ à debitore sui debitoris exegerit debitum pecuniarium, fit dominus pecuniæ, & eum debito compensabit, ejusque debitor liberabitur: si fuerit corpus debitum, retinebit ut sibi oppignoratum. n.891. In tali casu datur creditori utilis actio pignoratitia contraria adversùs debitorem sui debitoris, sed non ultrà quàm sibi debetur, & quantùm alter debet. n.892. ubi vide exemplum.

Ususfructus potest ab Usufructuario pignori & hypothecæ subjici. fol.288. n.893. Si Ususfructus hypothecatus consolidetur cum proprietate, exspirat hypotheca, nisi dominus proprietatis consensisset, ut etiam in ulterius tempus esset hypothecatus. n.894.

Oppignorato

Oppignorato prædio, servitutes quoque in consequentiam fuit oppignoratæ. fol.289. num.895. Servitutes urbanæ seorsim sumptæ non possunt oppignorari, Lege id prohibente. eod. Servitutes jã constitutæ nec Urbanæ nec Rusticæ, possunt separatim pignori dari, aut hypothecæ subjici. num.896. Potest tamen debitor creditori suo in pignus & hypothecam constituere de novo servitutem in suo prædio Rustico & Urbano, dummodo inde nulla ædium deformitas inducatur. n 897.

Res Sacræ non nisi in illis casibus, in quibus possunt vendi, possunt hypothecari. fol.291. nn. 904. Idem dicendum de rebus Publicis, hoc est ad communem usum destinatis. n.905.

Liber homo in casu quo potest vendi, v.g. filius à patre, potest etiam oppignorari. fol.292. num. 906. Captivus potest se in pignus dare suo redemptori, donec solvat litrum. eod. Extra hos casus qui liberum hominem pignoris nomine detinet, & servire cogit, gravibus pœnis subjicitur. n.907. Redemptus tenetur sub disjunctione vel pretium refundere, vel servire per quinquennium. eod.

Res litigiosæ, seu mobiles seu immobiles, oppignorari non possunt. fol. eod. n.908.

Res ad agriculturam spectantes, non quidem jure scripto, sed consuetudine, possunt oppignorari. fol.eod. n.909.

Mandatarius *cum libera* potest oppignorare & hypothecare, ità exigente utilitate mandantis. fol.293. n.910. Procurator illius, qui solebat mutuas accipere pecunias sub pignore, etiamsi non habeat mandatum *cum libera*, potest pignora dare mutuò. 911.

Si ignorante domino, sciente creditore, procurator sine *libera* pignus constituit pro mutuo vel alio, idque conversum est in utilitatem domini, & pignus est creditori traditum, potest creditor pignus retinere, donec sibi satisfiat, in quantum probaverit fuisse versum. eod. Si verò pignus non est traditum, convenit creditori solùm actio pignoratitia personalis adversùs pignoris dominum, ut solvat, quantùm in ejus utilitatem versum est. 293. n.912.

In utilitatem Minoris aut Pupilli potest tutor res mobiles illorum propriâ auctoritate subjicere pignori, non in suam aut alterius utilitatem. fol. eod. n.913.

Pignora dari possunt pro quacunque obligatione. fol.293. n.914. ubi specificè enumerantur.

Locator domûs v.g. ad annum, in pignore seu hypotheca pro mercede constituta, potior est illo creditore, cui eadem res obligatur ante anni lapsum, adeoque ante contractam obligationem solvendi mercedem. fol.294. n.916.

Si priori creditori res esset obligata sub conditione de futuro, dein eadem res alteri obligaretur purè, si conditio est potestativa, potior est secunda, si casualis, potior est prior. fol.eod. n.617.

Si debitum est præsens, hypotheca verò sub conditione, creditor potest cautionem exigere, si creditor suspectus esset de fuga, aut ad inopiam vergeret. fol.eod. n.918.

Si debitor, invito creditore, utatur pignore, furtum committit, & actione furti conveniri potest secundùm æstimationem usûs, non pignoris. fol. 296. n.925.

Creditor tenetur non solùm fructus perceptos, sed etiam quos ex culpa non percepit, restituere. fol.eod. n.919. & seq. ubi exemplum.

Antichresis pactum prohibitum est jure Canonico. fol.297. n.928.

Commissorium pactum utroque jure prohibitum est, si pignus plùs valeat, quàm debitum sit, & nisi pactum esset, ut solùm esset venditum justo pretio, cùm obligatione solvendi excessum. fol.297. n.929. Si in pacto diceretur, ut esset in solutum, non subintelligeretur: *justo pretio*. bene tamen, si diceretur: ut esset venditum. n.930. Non valet pactum commissorium ex intervallo adjectum. fol.298. n.931. Nec potest juramento firmari, quamvis debitor posset se juramento obligare ad non repetendum pignus. n.932.

Loquendo de pignore conventionali, creditor in illius custodia tenetur de culpa lata & levi, non de levissima. fol.298. n.933.

Si ex usu vel oppignoratæ res ipsa periret, non peritura eodem modo apud debitorem, periret creditori, si reverà debitor invitus fuisset, esto creditor bonâ fide usus fuisset. fol.299. n.636. Item spectaret periculum & casus fortuitus ad creditorem, si casui fortuito causam præbuisset, v.g. rixas incepisset &c. n.938. Item si propriâ auctoritate, absque facultate debitoris, pignus occupâsset, & deinde casu fortuito periisset. n.939. ubi exemplum. Idem dicendum si in mora restituendi fuisset. eod.

Creditor in pignore prætorio vel judiciali tenetur solùm ex dolo & culpa lata. fol.300. n.940.

Debito integrè soluto, vel oblato, consignato & deposito unà cum usuris, (si pro his quoque oppignoratum fuit) nisi aliud debitum intervenerit, datur debitori actio pignoratitia personalis directa, adversùs debitorem & hæredes, ut pignus unà cum fructibus restituat, damnum datum resarciat, nisi in debito fuerit compensatum: quodsi interierit, ad excessum valoris ultra debitum. f.300. n.941.

Si uni ex cohæredibus sua pars soluta esset, possent adhuc reliqui pignus retinere, & denique, non soluto debito, vendere, sed solutum esset restituendum. fol.eod. n.943.

Creditori competit actio contraria personalis ad consequendum, quod sibi pignoris nomine probabiliter abest. fol. 301. n. 944. Præterea competit creditori locatori actio realis Prætoria Serviana. n. 945. Item cuivis creditori ratione pignoris convenit Quasi Serviana, quæ definitur: Vindicatio qua creditor persequitur res pignori sibi expresse vel tacitè obligatas. eod. In his actionibus realibus hypothecarijs duo sunt actori probanda. Primum, quòd res quam persequitur, fuerit sibi à debitore oppignorata, sen in hypothecam constituta. Secundum, quòd tempore contractûs fuerit in bonis debitoris. n. 946.

Priusquam Serviana vel quasi instituatur contra extraneum possessorem, actione personali conveniendus est, & excutiendus reus principalis sen debitor, ejúsque hæredes & fidejussores. Si ipse debitor possideat, hoc non est necesse. n. 947.

Actione hypothecariâ conveniuntur hæredes singuli in solidum, & in hoc differt à Personali pignoratitia. 948.

Pignoris Dissolutio.

Dissolvitur imprimis solutione, vel solenni depositione debiti. Quandoque potest solvi creditori creditoris. fol. 302. n. 949.

Si needum pignore aut hypothecâ per solutionem liberatâ, debitor pignus aut hypothecam consentiente creditore alienet, censetur remissa obligatio pignoris, & sine onere alienari, nisi consensisset: *salvo suo jure.* eod.

Si duobus eadem res oppignorata est, & illi simul emant à debitore, censentur jus pignoris sibi remisisse. fol. eod. n. 950.

Creditor restituendo pignus, & non ex alio certo fine, censetur obligationem pignoris remisisse, uon ipsum debitum, nisi & chirographum redderet. fol. eod. n. 951.

Sola alienationis scientia, imò præsentia & taciturnitas, non est sufficiens signum tacitæ remissionis, nec fundat Juris præsumptionem, nisi Fiscus venderet, in cujus favorem censeretur creditor pignus remisisse, sicut etiam, si venditionis tabulis subscriberet. fol. 303. n. 952.

Consensus creditoris in pignoris distractionem, non tollit se solo pignoris obligationem, sed pendet à secutura distractione, quæ si non sequatur, vel si venditio ex alio capite sit nulla, manet obligatio pignoris. fol. eod. n. 955.

Creditor per consensum in alienationem pignoris, adeo sibi præjudicat, ut etiamsi debitoris omnia bona tam præsentia quàm futura habeat obligata, in re tamen sic alienata non recuperet pignus, etiamsi ad eundem debitorem ex alia causa redierit, secùs si ex eadem causa. fol 303. num. 956.

Obligatio pignoris extinguitur etiam Novatione, quâ vel aliud debitum subrogatur, vel alius debitor in eodem debito substituitur, non factâ mentione pignoris. fol. 304. n. 957.

Obligatio pignoris exspirat interitu totali rei, sive physico sive morali. fol. eod. n. 958. Si domus oppignorata comburatur, area manet obligata, & quidquid inædificatur. eod.

De rigore juris non liberatur pignus, si invito creditore aliud æquè bonum substituatur. fol. eod. num. 959.

Non potest obligatio pignoris solo consensu dissolvi, sicut hypotheca. fol. eod. n. 960.

Quando inter Creditorem, & Debitorem pactum intercessit, ut creditori liceat vendere pignus vel hypothecam post definitum tempus, intra quod debitum non fuerit solutum, valet pactum. fol. 305. n. 961. Si nullus dies solutioni præfixus est, tunc ut debitor incipiat esse in mora, debet à creditore interpellari elapso tempore, post quod ratio dictat esse solvendum exigente creditore. eod.

Si nullum pactum de vendendo pignore intercessit, Jure Codicis requiritur una denuntiatio, quâ factâ adhuc biennium est exspectandum, computandum à denuntiatione facta, si debitum est liquidum, alioquin à puncto latæ sententiæ. fol. eod. n. 962.

Si inter Creditorem & Debitorem convenisset, ut creditori non liceat pignus vendere, non aliter hoc pactum valet, quàm ut vendi non possit, nisi post trinam denuntiationem factam constituto in mora. f. 306. n. 963. Jure Bavarico constituuntur diversi termini pro diversitate pignorum & locorum, in quibus sita sunt. 964.

Si pignus approprietur creditori, & postea evincatur, convenit utilis actio ex empto. fol. 306. num. 965.

Priusquam per executionem sententiæ definitivæ capiantur pignora judicialia, indulgentur condemnato & fidejussoribus quatuor menses ad solvendum debitum. fol. eod. n. 966. Elapso quatuor mensium spatio, capiuntur pignora judicialia intra duos menses vendenda: si tamen ante venditionem perfectam debitor adhuc solvat, non absolvitur venditio, sed eo solvente expensas, pignora redduntur. fol. 307. n. 967.

Casu quo debitor pignus pluribus successivè obligatum tradidisset in solutum, vel vendidisset antiquiori creditori, vel habenti jus prælationis, tunc si posterior offerat priori, quod illi detur, tenetur prior posteriori reddere pignus, vel solvere quod illi debetur. fol. 307. n. 968. Si creditor gaudens jure prælationis vendat pignus posteriori, potest debitor utrique solvendo pignus recuperare, secùs si extraneo. eod.

Si eidem

Si eidem creditori aliquæ res specialiter obligatæ sint, & aliæ generaliter, tunc specialiter obligata priùs vendenda sunt, & illis non sufficientibus cætera. f. eod. n. 969.

Venditio pignoris non jure facta, est nulla. fol. eod. n. 970.

Si pignus legitimè venditum à creditore quà tali postea evincatur, creditor non tenetur de evictione, sed solùm tenetur cedere suam actionem adversùs debitorem emptori. f. 307. n. 971.

Plagium.

Tomo 1.

Plagij crimine non solùm tenentur, qui dolosè homines intercipiunt ac supprimunt, sed etiam qui scientes dolo malo liberum hominem invitum emunt, vendunt, celant, vinctum tenent. f. 118. n. 262.

Tomo 6.

Plagium est furtum hominis, & committitur, quando servus surripitur domino, vel filiusfamilias patri. f. 181. n. 530.

Plagiarius punitur pœnâ gladij, si vendat servum vel liberum suppressum, ut aliò asportetur. Item si vendat liberos parentum, qui orbantur illis. n. 531. Minore quàm ultimi supplicij pœnâ punitur, qui dolo liberum hominem surripit, invitum in servitutem redigit, donat, vendit. Item qui talem scienter emit, & plures ejusmodi, quos relatos, vide n. 532.

Plantatio.

Tomo 1.

Est modus acquirendi jure gentium. Nam si quis alienam plantam in suo solo posuerit, ipsius erit, si radices egit, & econtra si suam in alterius, fiet alterius. In cujus fundo est ipsum corpus arboris, penes illum est dominium, etiamsi radices aliquot vel ramos in fundum vicini porrexerit. f. 425. n. 143. Quodsi tamen ex propagatione radicum aut ramorum vicinus damnum pateretur, haberet actionem negatoriam: & secundùm plures DD. si denuntiâsset domino arboris, ut radices aut ramos tolleret, & hic id facere negligeret, quòd tunc propriâ auctoritate non tantùm ramos & radices, sed etiam totam arborem succidere, & ligna succisa tollere impunè posset. eod.

Plumbatura.

Tomo 1.

Fit, quando duo corpora per dissimilem materiam, v. g. plumbo, stanno, aut clavis conjunguntur. Domino materiæ datur Actio ad exhibendum, & exhibita vindicatur. f. 420. n. 111.

Plus petitionis pœna.

Tomo 5.

Actor plùs petens tempore quàm sibi debetur, jure novo amittit sumptus litis, & insuper inducias debitori duplicare jubetur. f. 135. n. 270.

Plùs petens in quantitate, loco, causa, omne damnû quod reus ex petitione senserit, in triplum resarcire obligatur. f. eod. n. 271. Qui dolo obtinuisset apocham majoris debiti, toto debito fraudatur. f. 136. n. 272. ubi vide limitationem.

Pœna.

Tomo 1.

Pœna alia est lata à Jure, & incurritur ipso facto. Alia ferenda à Judice. Alia est privativa alicujus rei, alia positiva, cujus executio ulteriorem actionem requirit. f. 19. n. 96.

Tomo 6.

Pœnam legibus constitutam mitigare non potest Judex inferior. f. 318. n. 515.

Concessum tamen Judici est, suo arbitrio mitigare vel augere pœnam ex causa residente in ipsis circumstantijs ex parte Rei vel delicti. f. 319. nu. 517. Exprimere tamen in sententia debet causam. n. 518.

Qui necdum decimum quartum annum expleverunt, sive mares sive fœmellæ, regulariter non sunt puniendi pœnâ mortis, sed minori. fol. 320. n. 520.

Minorennes regulariter non excusantur à pœna ordinaria ratione ætatis. n. 521.

Neque Senectus præcisè excusat à pœna ordinaria. n. 522. Si pœna ordinaria est corporis afflictiva, & esset conjuncta cum mortis periculo ob senium, non est infligenda. n. 523. Idem dicendû de infirmo, cui tamen intuitu infirmitatis non remittitur pœna mortis. f. 321. n. 524.

An Amentia, Ebrietas, Nobilitas, Ira, Transactio, excusent ab ordinaria pœna, vide in proprijs vocabulis.

Pœna Ordinaria non potest à Judice inferiori remitti intuitu spontaneæ confessionis. fol. 327. n. 550. Neque ob nuptias à puella oblatas. nu. 552. Neq; ob peritiam alicujus artis, quantumvis Reipublicæ utilis. eod.

Si singula delicta ex pluribus ab eodem commissis pœnam mortis merentur, prætermissâ leviore incompossibili, infligenda quæ graviori delicto respondet. f. 328. n. 556. Secùs si est compossibilis, & contineat exasperationem. eod. Ex consuetudine pœna majoris delicti absorbet pœnam minoris delicti corporis afflictivam, esto possent cumulari. n. 557.

Ex consuetudine non solent pœnæ corporis afflictivæ cumulari ob cumulata delicta, nisi aliqua esset accessoria. f. 329. n. 558. Ex eadem in Imperio omnis pœna corporalis habet annexam Relegationem. eod.

Pœna corporalis solet absorbere pœnam civilem. n. 559.

Ob cumulata delicta leviora diversa, solet una pœna cum exasperatione infligi. n. 560.

Pœnæ Executio post condemnationem non est regulariter differenda. f. 331. n. 565. ubi vide Exceptiones.

Pollicitatio.

De hac vide, *Pactum. Promissio.*

Positiones, & Responsiones.

Tomo 5.

Positio (quales fiunt post Juramentum Calumniæ) definitur: Simplex Assertio facti ad causam pertinentis medio juramento in scriptis exhibita, ad hoc, ut per responsionē Adversarij ad Judicis interrogationem, pars relevetur ab onere probandi. f. 271. n. 481.

Positiones debent esse Affirmativæ, saltem virtualiter, quatenus in affirmativas resolubiles. nu. 484. nisi tales essent, quæ aliter probari non possunt, quàm responsione adversarij. eod.

Juramentum, sub quo fiunt positiones, ex parte ponentis dicitur: *Dandorum*. ex parte Adversarij: *Respondendorum*. f. 273. n. 491.

In Camera non separantur Positiones ab Articulis, sed factâ litis contestatione, & præstito juramento calumniæ, loco positionum & articulorum offertur libellus articulatus, & adversarius ad respondendum urgetur. n. 493.

Procurator absque speciali mandato non potest facere positiones in præjudicium Principalis. Advocati solent facere ex licentia Judicis. n. 494.

Si Adversarius contumaciter non vult respondere, habetur positio pro confessata, ut ponens non teneatur ampliùs probare. Licitum tamen est alteri probare contrarium. f. 273. n. 495.

In dubio, an Positiones sint Pertinentes, adhuc respondere debet adversarius, sed cum protestatione: *Salvo jure impertinentium & non admittendorum*: ad hunc effectum, ut positio impertinens pro non admissa habeatur. f. 274. n. 497.

Usus habet, ut Responsiones fiant per verbum: *Credo. Non Credo.* Si diceretur: *Non credo ut ponitur*: responsio tanquam tergiversatoria reijcienda esset. n. 499.

Quando positio est secundùm quid vera, & secundùm quid falsa, potest simpliciter responderi, *Non credo*. Non solùm in qualitate, sed etiam in quantitate. f. 275. n. 502.

Responsionibus faciendis datur terminus deliberatorius, & ideo possunt fieri domi, & deinde in scripturam redactæ offeruntur Judici. n. 505.

Possessio. Possessor.

Tomo 1.

Possessionis Juridicè sumptæ septem sunt emolumenta potissima. 1. Præscriptio. 2. Melior in dubio conditio. 3. Præsumptio dominij. 4. Præsumptio tituli. 5. Suppletio defectuum vitiositatis. 6. Lucrū rei per dejectionem violentam. 7. Actio Publiciana. f. 155. n. 201.

Possessio ut sic juridicè sumpta, est genus ad possessionem justam, (hoc est Juris) & possessionē injustā, quæ est mera Facti. f 256. n. 202. Possessio sic abstrahens, & quæ dicitur *Facti* in genere, est: Rei corporalis detentio, corporis, animi, jurisque adminiculo. 203. & seqq.

Possessio Civilissima comparatur Juris fictione, sine actuali corporis aut animi detentione. f. 257. n. 207.

Creditor non possidet pignus suo, sed debitoris nomine, quamvis dici possit possidere in suū bonū. f. eod. n. 209. & etiā, possidere civiliter quoad quosdā certos effect⁹, & quoad illos effectus posset dici pignus esse creditoris, sicut econtra dicitur, quòd si debitor furetur pignus, furetur rem alienam. f. eod n. 209.

Possessio Juris est possessio (jam definita) cum jure insistendi. Possessio mera Facti, est Possessio sine jure insistendi. eod. in fine.

Possessio dividitur in Naturalem tantùm, Civilem tantùm, Naturalem & Civilem in eodem supposito conjunctam. f. 258. n. 210. ubi exempla.

Servus, & filiusfamilias possunt domino & patri acquirere possessionē etiā ignoranti, etiamsi vellent suo nomine possidere. nō itā possūt alij, vg. nō tutor pupillo, nisi velit ejus nomine possidere. f. e. n. 211.

Potest eadē res ab uno possideri naturaliter, & ab alio civiliter. f. eod. n. 212. & seq. Potest etiā idem eandē rem possidere ex duplici titulo. f. 259. n. 214.

Potest alius suo nomine possidens possessionem in me transferre, meo nomine volendo possidere, absque meo facto seu apprehensione f. 259. n. 216. vide, *Constituti clausula*. Ut tamen pars hæreditatis accrescens possideatur, debet de novo apprehendi. f. 260. n. 217.

Ille, quem Judex volens mittere in possessionem ob contumaciam rei impeditur, evadit post annum elapsum Possessor sine ullo suo actu apprehensionis. f. eod. n. 220.

Jurium non inhærentium rei corporali possessio, acquiritur scientiâ & patientiâ illius cujus est actū concedere, vel resistere, si actus exerceatur animo acquirendi jus, & credas te uti jure tuo, nisi ex circumstantijs appareat, talem actū ex gratia concedi. Unde colligitur, quòd rerum incorporaliū possessio non possit esse injusta, sicut rerum corporalium. f. 260. n. 221. Aliorum verò jurium, quæ corpori inhærent, ut sunt Servitutes, possessio, acquiri potest præcisè mittendo in fundū ut acquiratur Servitus, etiamsi nullus actus servitutis exerceatur: item per exercitium tanquam jure debitum, cum scientia & patientia illius, cujus est actum permittere vel prohibere. f. 261. n. 222.

Servitutum possessio acquiritur uno actu, exceptā possessione Itineris actûsq; privati: ad has enim requiritur, ut intra anum proximum non impeditū usus sit ad minimùm 30. diebus. deinde ut possessor iverit bonâ fide & opinione competentis servitutis. f. 261. n. 223. De bona fide judicabit Judex ex indicijs, quæ allegabit reus, & petente actore deferet juramentum. n. 224. Si anno proximo non potuit uti itinere, v g. propter inundationem, si tamē anno præcedente ad tale impedimentum fuit usus 30. diebus, censetur esse in possessione, & juvabitur Interdicto legis. 1. ff. de Itinere, actûque privato. eod. Neq; præjudicaretur possessioni, si quis postea precariò perijsset usum itineris, aut clā ivisset. eod.

Ut possessio in hærede, sive Suo, sive Extraneo continuetur, requiritur nova apprehensio, quā factā,

factâ, fictione Juris continuatnr. f. 262. num. 224. quæst. 3.

Infanti, quamdiu non habet usum rationis sufficientem ad peccandum, non acquiritur possessio sine tutoris auctoritate, benè tamē si pupillus usum rationis habet. f. 263. n. 234.

Non solùm per Procuratorem habentē generale mandatum, etiam fine libera, sed etiam per servum & filiumfam. acquiritur possessio etiam ignoranti. Ut tamen acquisita possessio sit utilis ad præscribendum, debet accedere scientia, exceptâ possessione acquisitâ ex causa peculij. f. 263. n. 237.

Possessio sic acquisita continuatur, etiamsi is, per quem acquisita fuit, deserat possessionem. f. 264. n. 239.

Possessio tam naturalis quàm civilis, solo animo non possidendi exteriùs manifestato amittitur. f. 264. nu. 240. Quodsi quis in favorem alterius vult desinere possidere, sed alter possessionem non accepter, tunc non amittet possessionem, si acceptatio fuit conditio talis intentionis. f. 265. n. 240.

Si Principalis per seipsum possidens discedat à fundo remotiùs, ut eum non ampliùs habeat in conspectu, possessionem naturalem amittit, retentâ tamen civili: si verò possedit per colonum, servum, Procuratorem &c. ne quidem naturalem possessionem amittit, colono discedente corporaliter tantùm. Quodsi absente colono alius fundum ingrederetur animo possidendi, acquireret naturalem possessionem. f. 265. n. 241.

Inundatione quâdam stabili amittitur possessio tam naturalis quàm civilis. f. eod. n. 242.

Contra violentum possessorem retinetur possessio civilis tamdiu, quamdiu ignoratur violentia, vel recuperandi propriâ auctoritate spem & animum non deposuerit Prior Possessor. f. eod. n. 243.

Colonus fictione Juris retinet possessionem naturalem etiam absens, ad hoc, ut possit juvari interdicto: *Unde vi.* Si enim naturalem non retineret, donec alius vi ingrederetur, non posset dici spoliatus, quia civilem non habuit: ergo fingitur habuisse naturalē, & eâ spoliatus esse. f. 265. n. 244.

Rerum mobilium possessio etiam civilis, amittitur per alterius possessionem naturalem, etiamsi ignoretur quis occupaverit: si nemo occupavit, tunc (exceptis servis fugitivis) amittitur primùm, postquam deficit spes reperiendi & recipiendi, sive res sit animata, sive inanimata. f. 266. n. 245.

Possessio Servitutum amittitur amissâ possessione fundi dominantis, & interrumpitur prohibitione. f. eod. n. 246.

Possessio Jurium amittitur illis modis, quibus ipsum Jus, ut per non usum, per absentiam &c. f. eod. n. 247.

Possessor bonæ fidei potest à vindicante exigere refusionem titulo negotij gesti. f. 267. n. 248. tenetur tamen restituere, in quantùm ex re locupletior factus est, etiamsi fur sit potens restituere: modò res ipsa ad eum pervenit. & post se fructum reliquit. Non enim tenetur, si fur ex suis bonis aliqnid donâsset intuitu facti furti. f. 268. nu. 249. & seq. Tenetur etiam restituere lucrum quod in venditione rei alienæ ultra infimum pretium fecit usque ad pretium medium, non tamen summum. 251.

Tam bonæ quàm malæ fidei possessor & emptor rei alienæ, potest repetere pretium à Venditore, v. g. fure, & permittere furem recipere rem furtivam venditam, nihil positivè cooperando. f. 268. n. 253. ubi vide exempla. Probabilis est opinio, non posse rem furi positivâ actione restitui pro recipiendo pretio, si periclitetur apud furem, ne redeat ad dominum. f. 269. n. 255. Probabilior tamen est affirmativa, si fur restitutionem exigat, nec possit aliâ viâ pretium solutum obtineri permittendo rei apprehensionem, etiamsi prævideatur periculum domini. f. 270. n. 260.

Fructus merè industriales etiam malæ fidei possessor pleno jure suos facit, ut ne quidē exstantes, & quantùm inde locupletior factus est, restituere cogatur. f. 271. n. 264.

Fructus necdum à possessore percepti, sive naturales, sive mixti, ad dominum rei fructiferæ pertinent, & unà cum re ipsâ vindicantur. n. 265.

Possessor bonæ fidei tenetur fructus adhuc in se formaliter exstantes, tam mixtos quàm purè naturales, restituere domino vindicanti rem fructiferam, non obstante, quòd possessor ante evictionem eorum dominium acquisiverit, quia erat dominium revocabile. f. 272. n. 268. & seqq.

Si uxor fundum à marito invalidè donatum possideret, faceret fructus industriales suos irrevocabiliter, non tamen naturales. num. 271.

Fructus, quorum possessor dominus factus est, non pereuntur rei vindicatione, sed condictione sine causa, vel ex Lege, vel implorato Judicis officio. f. 272. n. 274.

Possessor hæreditatis alienæ, tenetur etiam fructus consumptos restituere, in quantùm locupletior factus est. f. 273. n. 280. Cæteri possessores bonæ fidei bonorum singularium, probabiliùs ne quidem hos de jure communi restituere tenentur ante litis contestationem perceptos. f. 281. indubitanter de Jure Bavarico. n. 275.

Malæ fidei possessor fructus consumptos ante litis contestationem restituere tenetur in conscientia, etiamsi non sit factus locupletior, nec dominus fortè fuisset percepturus. f. 274. n. 284. Petit illos dominus utili rei vindicatione, si possessor dolo consumpsit: secùs, condictione furtivâ. 285. Fructus non perceptos, sed singulari diligentiâ percepribiles, etiamsi dominus illam diligentiam non fuisset adhibiturus, tenetur ex legum pœnalium dispositione post Judicis sententiam restituere. In conscientia verò solùm illos, quos dominus fuisset percepturus. 287. & seqq.

Re evictâ tenetur tam bonæ quàm malæ fidei possessor restituere fructus tam perceptos quàm percipiendos post litis contestationem, exceptis usuris, item exceptis (quoad bonæ fidei possessorem)

ſorem) fructibus perceptis ex melioramentis. fol. 275. n. 190. & ſeqq.

Expenſas neceſſarias tam bonæ quàm malæ fidei poſſeſſor deducit. f. 276. nu. 294. item expenſas utiles quæ ſeparari non poſſunt, una cùm ſua utilitate bonæ fidei poſſeſſor deducit, ſi dominus ità dives ſit, ut ſolvere poſſit absque rei ſuæ venditione, ſecùs, manebit dominus poſſeſſori obligatus, poſtea, cùm primùm ex fructibus poterit, ſolvere. Imò in tribus caſibus poteſt poſſeſſor rem retinere, vel dominum cogere ad vendendum, ſi expenſas aliter ſolvere non poſſit. nempe 1. Si Dominus rem evictam venalem habeat. 2. Si ejusmodi expenſas ipſe facturus fuiſſet. 3. Si Poſſeſſor bonæ fidei adhuc incertus an res eſſet aliena, anteqnam ædificaret, denuntiaverit ei, qui ſe dominum dicebat, iſte verò diſſimulaverit. f. 276. n. 295.

Malæ fidei Poſſeſſor in foro externo non permittitur deducere expenſas utiles aut voluptuarias, poſſet tamen ante ſententiam in conſcientia deducere. f. 276. n. 296. & ſeqq.

Bonæ fidei Poſſeſſor poteſt deducere expenſas voluptuarias ſaltem tunc, quando dominus ipſe facturus fuiſſet, aut propterea ſit vendituras majori pretio. f. 277. n. 301. & ſeq.

In deductionem expenſarum computandum eſt, quidquid fructuum nomine poſſeſſor percepit, etiam ante litis conteſtationem. f. eod. n. 303.

Poſſeſſor bonæ fidei ſi incipiat dubitare de dominio rei, factâ diligenti inquiſitione ſine effectu, non tenetur reſtituere durante dubio. f. 277. n. 304. & ſeq. Imò nec tenetur, etiamſi in inquirendo commiſerit negligentiã irreparabilem. 306. Poteſt etiam cum tali dubio rem vendere, dummodo moneat emptorem de periculo evictionis, & ob tale periculum viliùs vendat. 307.

Siquis dubiâ fide poſſidet, ſed auctor, à quo rem habet, erat bonæ fidei, gaudet bonâ fide auctoris, f. 278. nu. 308. Si verò auctor etiam fuit dubiæ fidei, & dubium eſt circa determinatam perſonam, debet pro ratione dubij reſtituere illi perſonæ: ſi circa incertam perſonam, debet eo modo reſtituere, quo debent alia bona incerta reſtitui. nu. 309. de quibus vide, *Inventio*.

Poſſeſſionis Remediæ videnda ſunt ſub V. *Interdicta*. & *Spoliatus*.

Poſſeſſor malæ fidei ullo tempore non præſeribit. f. 433. n. 182. vide plura: *Præſcribentis bona fides*.

Poſſeſſio Bonorum, vide, *Bonorum Poſſeſſio*.

Tomo 5.

Poſſeſſorium Judicium aliud eſt Ordinarium, aliud Summarium, quod & Momentaneum vocatur, & ab eo non admittitur appellatio. f. 564. n. 392.

Poſthumus.

Tomo 2.

Poſthumus non ſolùm eſt ille, qui poſt mortem teſtatoris natus eſt, ſed etiam ille, qui poſt factum teſtamentum vivo teſtatore, vel per adoptionem fit filius. f. 98. n. 435.

Poſthumus alius dicitur *Suus*, alius *Alienus*, alius *Quaſi Poſthumus*. Suus eſt, qui in proximo gradu & in poteſtate defuncti fuiſſet. Alienus, qui non fuiſſet, ut natus ex filio emancipato, vel nepos ex fratre. eod. Quaſi Poſthumus, qui natus ante factum teſtamentum fit *ſuus* poſt teſtamentum. f. eod. n. 436.

Poſthumus quomodò rumpat teſtamentum, vide, *Teſtamentum ruptum*.

Poſthumus quomodo inſtituendus hæres, vide, *Inſtitutio poſthumi*.

Præceptum.

Tomo 1.

Præceptum ſeu Mandatum differt à Lege, quòd feratur ad perſonas ſingulares. f. 2. n. 2.

Præceptum aliud eſt Negativum, aliud Affirmativum. Negativum, quod eo modo quo obligat, pro omni tempore obligat, & poteſt illi ſatisfieri ſine omni actu, ſolâ omiſſione, quia eſt prohibitorium, & peccatum oppoſitum eſt Commiſſionis. Affirmativum certum actum præcipit, & peccatum eſt Omiſſionis. f. 91. n. 128.

Prælatus.

Tomo 1.

Prælatus in Religione non poteſt delictum Subditi ad ſe tanquam Patrem delatum, per ſe loquendo, alijs manifeſtare, niſi cum cautelis & limitationibus quæ ad longum referuntur. f. 174. n. 550.

Præſcriptio.

Tomo 1.

Eſt Adjectio ſeu Acquiſitio Dominij per Continuationem poſſeſſionis, tempore & modo Legibus definito. f. 428. n. 157.

Præſcriptio ſuam vim habet non ſolùm in foro externo, ſed etiam interno. f. 429. n. 164.

Præſcriptionis introducendæ finis non erat unicè, Punire negligentiam dominorum, ſed præſcindere lites, & reddere Dominia Certa; unde procedit etiam contra dominum inculpabiliter ignorantem. f. eod. n. 165.

Præſcriptione acquiritur dominium non ſolùm utile, ſed etiam directum. f. 429. n. 168.

Qui poſt abſolutam præſcriptionem ex Juris ignorantia reſtituit rem præſcriptam, non amittit dominium, ſed poteſt rem vindicare, imò habet etiam *ex æquo & bono* condictionem indebiti. f. 431. n. 175.

Ad præ-

Ad præscribendum quatuor conditiones requiruntur. Bona fides. Justus Titulus. Res non vitiosa. Continuatio possessionis certo requisito tempore. f. 432. n. 178. De quibus singulis nunc seorsim.

Præscribentis bona fides, & ignorantia rei alienæ.

Bona fides requisita ad præscribendum, est Conscientia bona circa Possessionem rei alienæ tanquam suæ ex ignorantia. Nec ad inchoandam præscriptionem sufficeret dubium negativum. fol. 432. n. 179. Neque etiam sufficeret error circa personam, si sciam esse alienam, ut præscribam contra verum dominum quem ignoro, vel puto non esse illius. n.180.

Non obstat tamen bonæ fidei respectu unius juris præscribendi, si sciam jus alterius in eadem re, quominus præscribam jus bonâ fide possessum. fol.433. n.181. ubi exemplum.

Jure Civili requirenti solùm initio bonam fidem, derogatum est per Jus Canonicum, quo toto possessionis tempore bona fides requiritur, saltem ut excludatur mala fides, seu scientia rei alienæ. fol. eod. n.182. ubi declaratur Regula: *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.*

Datur Præscriptio minùs propria, quæ quidem requirit, ut nihil fiat contra conscientiam, sed stat cum scientia juris alieni. Sic præscribitur actio conveniens ex lege pœnali: merces fisco commissæ ob non solutum vectigal: libertas adversùs Servitutes rusticas: actio redhibitoria: & probabiliter libertas adversùs usumfructum jam constitutum. fol.433. n.183. & seqq.

Ignorantia fundans falsam opinionem, rem esse nostram, alia est ignorantia Juris, alia Facti. Illa est, quando ignoro quid Jure statutum sit circa actum, quem volo celebrare, ut valeat. & hæc iterum duplex, alia est ignorantia juris indubitati, alia juris dubij. Ignorantia Facti est, quando nescio id quod in facto consistit, v.g. quòd hic sit pupillus. fol.434. n.187.

Leges Civiles admittentes præscriptionem cum mala fide, abrogatæ sunt pro toto Imperio, etiam quoad præscriptionem actionum personalium. fol.435. n. 191. & seqq.

In certis quibusdam personis sufficit ad præscribendum tempore ordinario, bona fides ex ignorantia juris manifesti & indubitati, nempe in quibus jura tolerant hanc ignorantiam, ut sunt milites, minores, quandoque rustici, mulieres. fol. 436. n.197. In alijs ignorantia Juris non juvat præscriptionem, quando non sufficit titulus præsumptus, sed allegari debet titulus coloratus. nu. 198.

Præscriptioni longissimi temporis ubi sufficit titulus præsumptus, non obstat ignorantia Juris, etiamsi postea innotesceret. fol.437. n.203.

Juris dubij ignorantia, seu error circa illud, non impedit præscriptionem quæ titulum requirit. fol. 438. n.206.

Mala fides auctoris theologica, obest successori saltem immediato universali, de jure communi, adeo ut nec incipiendo à propria possessione possit præscriptionem complete, prout tamen potest Jure Bavarico. fol 438. n.208. Probabiliter tamen non nocet mediato successori. n.209. & seq. Neque etiam, si in immediato successore superveniat novus titulus. fol.439. n.213.

Mala fides auctoris obest etiam præscriptioni longissimi temporis. fol.439. n.214.

Mala fides auctoris nocet quoad res immobiles etiam successori proximo singulari, si rem alienavit auctor ignorante domino, loquendo de præscriptione ordinaria, non item longissimi temporis. fol.eod. n.215.

Bona fides auctoris prodest successori tam universali quàm singulari, ità ut possit computare tempus possessionis auctoris. fol.440. n.218.

Quæ dicta sunt de mala fide auctoris ut nociva successori, procedunt etiam in communitate respectu posterorum, aut successorum. fol.440. nu. 219.

Administratoris mala fides, non nocet illi, cujus bono administrantur. fol.eod. n.220.

Præscriptionis Tituli.

Titulus in materia Præscriptionis, est Causa ex suo genere habilis ad transferendum Dominium. fol.441. n.221.

Titulus hujusmodi est triplex. Coloratus, v.g. venditio facta à non domino: Existimatus: nempe opinio probabilis, quòd titulus, v.g. venditio, vel donatio intervenerit: Præsumptus, ob temporis diuturnitatem. fol.eod. n.222.

Ad præscriptionem tempore ordinario, allegandus titulus determinatus, & nullus præsumitur. fol.eod. n.223. Non requiritur tamen (excepto emptionis titulo) coloratus, sed sufficit existimatus. fol.441. n.224.

Servitutes, saltem reales continuæ, hoc est, habentes actum continuum, ut aquæductus, suggrundij, præscribuntur tempore ordinario sine titulo, loco cujus est scientia & patientia domini. fol.442. n.225. In discontinuis Jure Bavarico titulus allegandus est, quod etiam dicendum videtur de Jure comuni. 226. Usus fructus nunquam sine titulo præscribitur tempore ordinario. 228.

Ex titulo præsumpto absolvitur præscriptio 30. vel 40. annis, quæ dicitur possessio longissimi temporis,

poris, & vocatur præscriptio extraordinaria. fol. 442. n.229. Requiritur tamen ut talis possessio non sit à Jure prohibita, & jus non resistat, nec sit aliunde præsumptio malæ fidei. Si tamen contra resistentiam legis per tempus immemoriale quis possidet bonâ fide, nec de injusto titulo constet, fiet præscriptio. fol.443. n.230. & seqq. Si constaret de titulo vitioso, præsumeretur ex eo possedisse, quod de Jure Bavar. certum, de Jure communi probabilius. n.232.

Ad præscribendum ordinario tempore ex titulo existimato emptionis, non sufficit rem mihi tradi ex opinione factæ venditionis. fol.eod. num. 233. sufficit tamen, si ille qui mandatum habuit emendi, dixerit se meo nomine emisse. n.234.

Qui emeret rem alienam à pupillo cum ignorantia juris, non præscriberet ordinario tempore. fol.444. n.236.

Titulus *Pro Suo*, specialis tunc est, quando res aliena à nobis bonâ fide possidetur ex aliqua causa, quæ ad alios speciales titulos nominatos non pertinet. fol.444. n.238.

Titulus *Pro Soluto*, specialis est, quando mihi res aliena datur, quasi debita solvatur. fol.eod. n.240.

Titulus *Pro Donato*, est etiam sufficiens ad præscribendum. n.241. Ex hoc titulo potest filius usucapere rem alienam à patre sibi donatam, morte accedente. n.242.

Titulus *Pro Hærede*, hoc loco convenit illi, qui verè est hæres, & rem alienam in hæreditate inventam tanquam hæreditariam possidet. f.445. n. 243. Imò sufficeret, si quis justo errore pro hærede haberetur, non tamen sufficeret, si quis putaret, se hæredem esse illius, qui necdû defunctus est.n.eod. Etiam Hæredes *sui* possunt res alienas in hæreditate repertas usucapere. n. 244. Tunc autem potest titulus pro Hærede allegari, quando hæredi non constat, ex quo titulo, & an bonâ vel malâ fide possederit defunctus: tunc enim præsumitur possedisse bonâ fide donec contrarium probetur. fol. 446. n.249. Probabile est, in illis etiam casibus huic titulo locum esse, quibus defunctus rem alienam non suo, sed alieno nomine possedit, quia in defuncto nullum vitium fuit. n.251. & seq.

Titulus *Pro Legato*, sufficit ad præscribendum rem alienam legatam. fol.447. n.243. Imò usucapi potest res legati nomine tradita, bonâ fide possessa, esto adhuc vivat, qui putatur legâsse. num. 254. aliter se res habet in donatione mortis causâ. 255.

Præscribentis Possessio, ejúsque tempus varium.

Possessio naturalis sine civili non sufficit ad præscribendum, imò nec ad inchoandam præscriptionem. Civilis tamen sine naturali sufficit, fol. 448. n.256. & seqq.

Regula generalis est ad omnes præscriptiones, quòd Possessio debeat fuisse per certum à Jure constitutum tempus Continuata, & nunquam interrupta intra illud tempus: quamvis post factam interruptionem possit iterum inchoari. fol.eod. num. 261.

Contra absentes plerumque plus temporis requiritur. Absentes autem hodie censentur, qui in diversis territorijs diversum Judicem habentibus, domicilia habent, cujusmodi plerumque erunt diversæ Civitates, habentes suos Gubernatores, aut Consules, immediatè supremo Principi subjectos. fol. 449. n.263.

Præscriptio alia dicitur Longi temporis, nempe Decem annorum inter præsentes, 20. inter absentes. alia Longissimi temporis, nempe 30. vel 40. ann. alia Centenaria, alia Immemorialis: quamvis ex speciali privilegio dentur aliquæ præscriptiones intra 40. & 100. annos, & aliquæ infra decennium, trium, quatuor annorum. fol.eod. n.264.

Pro rerum & circumstantiarum diversitate diversum possessionis continuæ tempus requiritur, quod tamen non de momento in momentum, sed de die in diem computatur. fol.eod. n.266.

Præscriptio Triennalis.

Res mobiles quantumvis pretiosæ privatorum cum titulo præscribuntur Triennio. fol. 450. nu. 268. Quod etiam de rebus Ecclesiarum inferiorum, non tamen Romanæ, spectato Jure scripto, procedit. 270. Sine titulo, spatio 30. annorum. 272.

De triennali præscriptione Beneficiorum, exstat Regula Cancellariæ 33. in qua requiruntur octo conditiones. 1. Bona fides. 2. Possessio. 3. Pacifica. 4. Triennium. 5. Ut sit Ecclesiasticum beneficium. 6. Titulus coloratus. 7. Non sit Simoniaca. 8. Non sit intrusus. fol.eod. n.273. & seqq. ubi hæ conditiones declarantur. Hæc præscriptio Beneficij reddit securum in conscientia, ut verè titulum præscribat, & Jus prioris extinguat. n.284. & seqq.

Præscriptio Quadriennalis, vel Quinquennalis.

Res Fiscales, seu mobiles seu Immobiles, vacantes & denuntiatæ, contra Fiscum Sæcularem præscribuntur spatio 4. annorum. fol.453. n.290. Contra Fiscum Ecclesiæ inferioris. 40. annis, Romanæ 100. annis. Res non denuntiatæ spatio 3. annorum. n.291. Hæc autem intelligenda sunt de rebus singularibus emptis à Fisco, quòd scilicet dominus aut creditor non possit emptorem convenire, sed fiscum: aliter se res habet in emptore hæreditatis. n.293.

Quinquennalis præscriptio procedit contra actionem Fisco competentem ob non solutum vectigal. fol.454. n.294.

Præscriptio

Præscriptio Longi temporis.

Res immobiles privatorum cum titulo præscribuntur intra præsentes decem annis, inter absentes viginti, sive res sint in diversis, sive in eodem territorio. Jure Bavarico ex titulo emptionis inter præsentes quinquennio, inter absentes decennio. fol.454. n.295.

Si dominus partim præsens partim absens fuit, rot anni adijciuntur decem annis, quot absens fuit. n.296.

Excipiuntur à prædictis Res Minorum, quæ non præscribuntur tam mobiles quam immobiles nisi spatio 30. annorum. fol.454. n.297. & seqq.

Præscriptio Longissimi temporis 30. 40. 100.annorum, & Immemorialis.

De rebus Minorum jam dictum est, non præscribi nisi spatio 30. annorum. In reliquis

Quando decennalis Præscriptio cessat, succedit præscriptio longissimi temporis 30. annorum. fol 455. n.299.

Immobilia contra inferiores Ecclesias cum titulo præscribuntur spatio 40. annorum. Contra Romanam, & quasdam alias privilegiatas, spatio 100. annorum, sicut & res Civitatum in certis casibus. fol.455. n.299. & seqq. ubi refertur unus casus exceptus. Ad has omnes probabiliter requiritur titulus. n.304.

Cum Centenaria præscriptione malè confunditur Præscriptio immemorialis: de qua legenda quæ referuntur fol. 459. ubi etiam, quomodo sit probanda.

Feudum potest tempore immemoriali præscribi, quando fuit alienatio invalida ex defectu consensûs domini. fol.305. num.823.

Præscriptio Servitutum, Actionum, & Obligationum.

Servitutes tam continuæ quàm non continuæ, præscribuntur inter præsentes decem annis, inter absentes, viginti, cum titulo quem quis habet à putativo domino, nec est necesse ut verus dominus sciverit. fol.456. num.305.

Servitutes continuæ etiam sine titulo præscribuntur decem annis. Servitutes discontinuæ sine titulo non præscribuntur nisi tempore immemoriali. fol 457. num.311.

Ususfructus & usus præscribuntur cum titulo existimato sicut aliæ res longo tempore, h. e. decennio, sine titulo spatio 30. annorum. fol.eod. num.315.

Debita rerum mobilium æquè ac immobilium præscribuntur cum bona fide contra Creditores 30. annis. Excipitur actio hypothecaria. si enim hypothecaria possideatur ab ipso debitore vel hæredibus ejus bonâ fide tanquam libera, requiruntur 40. anni: si verò possideatur à tertio, requiruntur solùm decem anni inter præsentes. fol.584. num.317. & seq.

Præscriptio Delictorum.

Omnis accusatio criminalis præscribitur spatio 20. annorum. idem de Inquisitione dicendum. Nec contra hanc præscriptionem datur Minoribus restitutio in integrum, & tempus currit à die commissi criminis. fol.459. n.320. & seq. & tomo 6. fol.70. n.51. & seq.

Accusatio adulterij, stupri, incestûs, lenocinij, & quorundam aliorum, tollitur quinquennio. fol. eod. n.324. idem de crimine peculatûs. n.326. & plura tomo 6. fol.72. n.57. & seqq. ubi vide exceptiones.

Accusatio apostasiæ perpetuò durat. fol.eod. n. 315. sicut & parricidij. n.327. & to. 6. fol.73. nu. 63. & suppositi partûs. to.6. fol.74. n.67. Item læsæ Majest. & quædam alia. num. 69.

Ex omnibus delictis datur Exceptio perpetua. fol.460. num.327.

Plura de his vide, *Delictum*.

Præscriptionis Interruptio.

Præscriptio bonâ fide cæpta, non interrumpitur superveniente dubio, quia melior est conditio possidentis. Est autem duplex species interruptionis. Naturalis & Civilis. Naturalis, quando post inchoatam aliquid ex substantialibus deficit, ut bona fides, titulus, possessio, capacitas. Civilis fit per Juris auctoritatem & fictionem, ut per sententiam. fol.460. n.328. & seq.

Si titulus resolvatur, ut fit in pacto commissorio, & addictione in diem, interrumpitur præscriptio. fol.eod. n.330.

Item interrumpitur amissione possessionis civilis, quod etiam fit, si quis rem quam possidet, pignori dat domino rei. fol.eod. n.331.

Civiliter interrumpitur per sententiam, litis contestationem, & quandoque per citationem. fol. eod. n.332. & quidem per litis contestationem interrumpitur etiam respectu illius, cum quo lis cæpta est, non tamen respectu tertij, cum quo nulla actio est. fol.461. num.335.

Triennalis præscriptio non interrumpitur litis contestatione, sed absolvitur etiam litis durante. fol. 461. n.336.

Præscriptio longi temporis cum titulo non interrumpitur citatione, sed litis contestatione. fol. eod. n.337.

Actore desistente à lite absque dolo, nihilominus censetur interrupta præscriptio. 338.

Solâ citatione interrumpuntur præscriptiones impropriæ. n.339.

Jure Bavarico semper interrumpitur præscriptio ad instantiam partis emanatam, & reó insinuatam. & multorum opinione hodie universim libelli oblatione. eod.

Actore

Actore succumbente, censetur Præscriptio non interrupta fuisse. fol. 461. n.340.

Actore sine dolo litem deserente, & instantiâ per lapsum triennij peremptâ, durat interruptionis effectus hoc sensu, ut actio ad 40. annos perpetuetur. fol. & nu. eod. Quodsi res interim fuerit alienata, interruptio successori singulari non nocebit, quominus possit præscriptionem inchoare, & ordinario tempore absolvere. n.341.

Si pacto aut transactione à lite recedatur, perinde est, acsi lis nunquam mota fuisset. fol.462. num.342.

Per Excommunicationem Bullæ Cœnæ, non interrumpitur præscriptio detinentium bonâ fide bona Ecclesiæ. fol eod. n.343.

Non conceditur restitutio in integrum Majorennibus, qui ex invincibili ignorantia rem suam non repetierunt. fol.eod. n.345.

Præscriptionis Dormitio.

Dormitio seu Interquiescentia Præscriptionis est, quando cursus sistitur, sed elapsa tempora cum posterioribus conjunguntur. Sic dormit Præscriptio contra Ecclesiam tempore Sedis vacantis, & Schismatis: contra alios tempore pestis, belli. item dum precariò conceditur alteri res præscribenda. fol.463. n.349. & seqq.

Præscriptionis Materia Incapax seu Vitiosa.

Res quæ præscribi non possunt, dicuntur vitiosæ. aliquæ ideo præscribi nō possunt, quia non sunt capaces conditionum requisitarum, ut: Res sacræ, Religiosæ, Publicæ, & extra commercium positæ, homo liber. fol.464. n.354. & seq. Aliæ ob Legis resistentiam præscribi non permittuntur: & imprimis Decimæ, ut Laicis debeantur, nisi tempore immemoriali. 356. Immunitas tamen à Decimis præscribi potest cum titulo 40. annis: de annuis censibus & reditibus dicitur præscribi posse spatio 30. annorum. 358. quod tam de præteritis quàm futuris intelligendum. n.359.

Fundus dotalis nōn præscribitur ordinario tempore 10. annorum, nisi præscriptio incepisset, antequam esset dotalis. fol.465. n.361. idem de mobilibus. n. seq.

Neque præscribuntur res, quæ testamento prohibentur alienari. n.363.

Nec bona adventitia filiorum in quibus pater habet usumfructum & administrationem. n.364.

Neque res pupillares, computando tempus pupillaris ætatis, ne quidem longissimo tempore. n. 365. Nec res Minorum tempore ordinario. 366.

Nec res furto aut vi ablatæ, quamdiu vitium non purgatur per reditum ad dominum. vel successionem. fol 466. n.367. quò revocantur etiam quæ contra legem *Repetundarum* dantur Judici, & deinde ad tertium bonæ fidei possessorem perveniunt. n.368. Si non est res ablata furto formali sed æquivalenti, dubium est, & utrumque probabile. n.360. ubi vide casum.

Pignus à debitore Creditori ablatum, potest quidem à tertio præscribi quoad proprietatem, sed non quoad actionem hypothecariam, nam ut sic est furtivum. fol.466. n. 371.

Partus ancillæ furtivæ bonâ fide possessæ, & apud possessorem conceptus, præscribitur. fol.eod. num. 373. Quoad fœtum nihil interest, fueritne conceptus apud furem, aut dominum pecudis, vel apud bonæ fidei possessorem, ac proinde vitium non attenditur. 375.

Non præscribuntur quæ conveniunt Principi quà tali in recognitionem supremæ potestatis. fol. 467. n.377.

Diœcesani non possunt præscribere contra Episcopum, ne visitentur, aut procurationem solvere teneantur. eod. Nec fines Diœceson, aut Parochiarum, aut Provinciarum, si de illis constet. fol.468. n.378.

Præscriptionis Rescissio.

Vide, *Rescissoria actio.*

Præsumptio.

Tomo 5.

Præsumptio est anticipata de re dubia opinio, ex argumentis, indicijs & conjecturis per rerum circumstantias plerumque evenientibus sumpta. fol.392. n.622.

Possunt in eadem causa esse præsumptiones sibi contrariæ, quo casu potentior est à Judice præferenda. fol.393. n.527.

Præsumptio Hominis & Juris in eo differunt, quòd hæc sit Legibus approbata, contra quam non licet Judici arbitrari, vel ab ea abstinere: prior autem Judicis arbitrio committatur. fol.394 num. 628.

Præsumptio Juris *tantùm* seu simpliciter est: animi Legislatoris ad verisimile applicatio, onus probandi transferens in eum, contra quem est præsumptio, & si contrarium non probetur, pro veritate habetur. n.630. ubi exempla.

Præsumptio *Juris, & de Jure*, est: Dispositio Legis aliquid præsumentis, & super præsumpto tanquam sibi comperto statuentis. n.631. Hujusmodi sunt illæ, super quibus Lex fundat probationem plenam. n.632.

Illa præsumptio (cæteris paribus) est alterâ fortior, quæ pugnat pro valore actûs. fol.395. n.634. ubi vide limitationes.

Præsumptio fundata in illis quæ sunt de substantia actûs, fortior est illâ, quæ fundatur in defectu voluntatis. n 635. ubi exemplum.

Præsumptio pro parte benigniore, prævalet præsumptioni contrariæ. eod.

Præsumptio quòd quis voluerit operari secundùm Jus commune, cùm si voluisset, potuisset operari

operari secundùm privilegium seu Jus speciale, prævalet huic posteriori. n. 636.

Præsumptio specialior prævalet præsumptioni magis generali. eod. ubi exemplum.

Præsumptio fundata in naturali impotentia, prævalet præsumptioni fundatæ in humanis conjecturis. f. 396. n. 637.

Præsumptio conducens ad majorem animæ & salutis securitatem, prævalet contrariæ. eod.

Quamvis Præsumptio Juris & de Jure, regulariter non admittat probationem in contrarium, Judicialis tamen confessio adversarij eam infirmat. f. 396. nu. 638. Imò probabiliùs etiam extrajudicialis deliberata, & alioquin idonea ad probandum. n. 640.

Contra præsumptionem Juris & de Jure admittitur probatio per indirectum. num. 641. ubi exempla.

Quando contra præsumptionem juris & de jure Leges admittunt probationem per Instrumentum authenticum, admitti etiam debet probatio per quinque Testes. f. 397. n. 642. Non sufficerent tamen duo testes, quantumvis Legales. n. 643.

Ne quidem ante latam sententiam admittitur probatio contra præsumptionem Juris & de Jure. n. 644. Neque etiam appellare potest, qui talem præsumptionem non potest per indirectum enervare. n. 646.

Si pars adversa cui favet præsumptio, probationibus nil opponeret, prodessent probationes. n. 647.

Qualitas quæ naturaliter inest homini, semper adesse præsumitur. f. 398. n. 648. & seqq. ubi per tredecim exempla declaratur.

Qualis res est, & talis per naturam manere potest, præsumitur non mutata. f. 399. n. 657. & seqq. ubi per decem exempla daclaratur.

In meliorem partem semper præsumendum est, quando actus est ex se indifferens: unde nunquam capitur præsumptio delicti. f. 400. n. 662. & seqq. ubi tredecim exemplis illustratur.

Prævaricatio.

Tomo 6.

Prævaricator in Jure dicitur, qui, proditâ suâ causâ, partem adversam dolo malo adjuvat. Item qui publico judicio dolosè & simulatè accusavit. f. 181. n. 533.

Punitur eâ pœnâ, quâ punitus fuisset, qui per prævaricationem absolutus esset. eod.

Procurator ob prævaricationem parti suæ Læsæ satisfacere cogitur, & ad numellas positus, virgis cæsus relegatur. eod.

Præventio.

Tomo 5.

Præventio est Jurisdictionis appropriatio sibi soli, in causa quæ principaliter & in actu primo pluribus competebat. Non potest autem actor inter hujusmodi Judices variare, nec potest curare citari reum ab utroque Judice. f. 71. n. 322.

Præventio inducitur citatione. f. 72. n. 323. & to. 6. f. 24. n. 111. & seqq. per totum. §. 2.

Tomo 6.

De Jure communi Ordinarius posset prævenire Delegatum, antequam litteræ delegato essent præsentatæ, & causa avocata. Sed in Criminalibus aliud observatur. f. 24. n. 105.

Judex inferior, si Jurisdictionem à Superiore accepit, illum prævenire non potest, quia habet jus avocandi causam. n. 106.

Habens jus limitatum ad cognoscendum solùm incidenter de delicto, potest Ordinarium prævenire & ab eo præveniri. n. 107.

Judex competens non potest præveniri ab eo cujus Jurisdictio prorogata est, si potest per Inquisitionem procedere. n. 108.

Præventus per Inquisitionem, non prohibetur procedere per viam accusationis. n. 110.

Præventus non potest se ampliùs ingerere, ob consolidatam Jurisdictionem in præveniente: & citatus non potest ampliùs mutare forum in præjudicium prævenientis. f. 25. n. 116.

Præventio respectu unius correi, extenditur ad cæteros correos. n. 117.

Si reus apud Prævenientem esset contumax, posset apud præventum accusari. f. 26. n. 118.

Hæres delinquentis debet causam prosequi apud Prævenientem. n. 119.

Præventio non habet vim, si dolo aut fraude Rei est procurata. n. 122.

Si in delicto Mixti fori reus non esset sufficienter punitus à Judice præveniente, posset à prævento causa denuo cognosci & reus puniri. n. 123. ubi exemplum. Quodsi pœna delicti esset arbitraria, quâcunque pœnâ inflictâ debet reus censeri sufficienter punitus. f. 27. n. 125. nisi dolo aut latâ culpâ pœna levior esset inflicta. eod.

Precaria.

Tomo 3.

Germanicè, Herrengnuß / sive Frey-Stifft / habet rationem Contractûs de quinquennio in quinquennium renovando, in quo differt ab Emphyteusi, prout communiter concedi solet. f. 244. n. 580. & tomo 4. f. 248. n. 773.

Jure Bavarico constitutum est, ut Dominus directus possit singulis annis Precariam à Colono, cum vicissitudinaria tamen solutione pretij pro hujusmodi jure expensi, revocare. eod.

Tomo 4.

Precariæ sunt Jure Canonico introductæ, quando aliquid conceditur vel in perpetuum, vel ad vitam accipientis, aut ad tempus certum seu breve, seu

sen longum, ante quod non potest revocari, si fuit rationabiliter concessum, benè tamen si irrationabiliter. f. 148. n 773. ubi vide varios modos constituendi Precariam.

Precarium.

Tomo 4

Precarium est conventio, quâ quis roganti rem gratis utendam concedit, nullo utendi vel fine vel modo præscripto, hoc est, tamdiu, quamdiu concedens patitur. f. 146. n. 767.

Posset concedens etiam absque rationabili causa revocare, dummodo à principio dolus absfuisset. f. 147. n 768.

Potest Precarium ad certum tempus concedi hoc sensu, ut finito v. g. mense finitum sit precarium, intra mensem tamen sit integrum revocare. Quodsi elapso mense pergat alter detinere, nec concedens repetit, censetur tacito consensu extendi: & si de novo rogat, prorogatur absque nova traditone. f. eod. n 769.

In Precario transit Possessio, sed revocabilis, naturalis, sed civilis manet apud concedentem. f. eod. n. 770.

Possunt etiam Jura incorporalia possideri precariò. eod.

Possidenti sola culpa lata præstanda est. f. eod. n. 771.

Precarium finitur per mortem rogantis, adeoque ad hæredes non transit: non finitur tamen morte concedentis, sed transit ad hæredes donec revocetur. f. 147. n. 772.

Concedenti competit Interdictum Restitutorium de Precarijs. Item actio Præscriptis verbis. eod.

Pretium.

Quotuplex sit pretium, & quæ illius licita variatio, vide, *Emptionis justum pretium.*

Primipilus.

Tomo 1.

Est Centurio annonæ inter milites distribuendæ Præfectus, qui ratione fisci obligatur fisco, & non solùm illius, sed etiam uxoris ejus bona in defectum bonorum mariti sunt fisco oppignotata, & fiscus mulieri præfertur. f 388. n. 444.

Prioritatis seu Prælationis ordo inter Creditores.

Tomo 1.

Quando res aliqua in individuo determinato est obnoxia restitutioni, & dominium illius mansit penes creditorem, omnibus creditoribus quantumvis privilegiatis præferendus est creditor. f 145. n. 401. Quodsi dominium est penes debitorem, creditor non gaudet privilegio prælationis aut tacitâ hypothecâ præcisè ex eo, quòd illa res, v. g. equus venditus sed non traditus, debeatur. 402.

Non habent debita ex delicto aliquod Jus prioritatis respectu debitorum ex contractu. 403.

Creditor ex contractu oneroso, præferendus est creditori ex contractu lucrativo, seu gratuito. 404. Seclusis alijs privilegijs.

Seclusis alijs privilegijs, creditor cujus debitum est antiquius tempore, probabiliter est posteriori præferendus, ità statuente Jure Canonico, quidquid sit de jure civili. 405. de quo infrà. nu. 419. Si tamen posterior Creditor ante priorem peteret suum debitum, & in judicio obtineret sententiam, uti posset, acquireret privilegium prælationis. f. 146. n. 406.

Ex bonis certis, quorum dominus nescitur, nec sciri potest, tenetur debitor solvere creditoribus certis, appropriando sibi illa bona tanquam derelicta. f. eod. 407. nisi Lex applicuisset causis pijs. 409.

Creditoribus incertis habentibus tantùm Jus personale, præferendi sunt Creditores certi. f. eod. n. 408.

Debitore defuncto, primo loco solvendæ sunt expensæ funerales, item pro conscribendo Testamento, faciendo Inventario & similibus. f. eod. n. 409.

Secundo loco veniunt Creditores hypothecarij, & priùs solvendum hypothecario antiquiori, nisi posterior alio privilegio gaudeat, quod etiam de generali hypotheca dicendum. f. eod. n. 410. Excipe. 1. Creditorem, cum quo conventum est, ut ex cujus pecunia prædium hypothecatum comparatum est. 2. Qui mutuavit pecuniam ad reficiendam rem jam antè hypothecatam, quæ alioqnin periret. 3. Qui mutuavit pro mercium vectura, vel conductione ædium in quibus merces asservantur, quæ jam antè oppignotatæ erant. 4. Mulier in dote præfertur omnibus creditoribus prioribus, saltem qui solùm tacitam habent hypothecam. An etiam habentibus expressam, vide, *Dos.* in prioribus verò casibus Hypothecarius præfertur prioribus etiam expressam hypothecam habentibus. f. 147. n. 411. Antiquiores quamvis tacitam solùm hypothecam habentes, præferuntur posterioribus etiam expressam habentibus, excepta dote, & pecuniâ pupilli, quâ res hypothecata empta est. 412.

Qui pro debitore solvit antiquiori hypothecario, non proptetea succedit in Jus prioritatis illius, nisi in duobus casibus, nempe. 1. Si creditori ipso solverit eo pacto, ut in ejus locum succederet. 2. Si pignus emerit à debitore eo pacto, ut pretium ad creditorem perveniret, & reipsâ pervenit. f. 147. n. 414.

Si debitor solvit posteriori creditori, & non ex Judicis sententia, sed sponte, prior creditor habens hypothecam, potest à creditore posteriore solutum repetere. Secùs si solùm fuit privilegiatus personalis. f. 147. n. 415.

Tertio

Tertio loco veniunt solvendi creditores non habentes quidem hypothecam, habentes tamen speciali privilegio sibi obligatam personam debitoris, quibus solvendum est ante Chyrographarios. f. 148. n. 416.

Quarto loco veniunt Chyrographarij, hoc est, carentes omni jure prælationis ex titulo oneroso. Quinto loco, ex titulo gratuito. Quibus solutis, quod reliquum est, pro hæredibus est quoad suam legitimam, vel Falcidiam detrahendam, ac denique pro Legatarijs. f. eod n. 417.

Inter Creditores personales privilegiatos, qui tertio loco ut dictum est, veniunt, ex communi interpretum Juris Civilis, non habet locum Regula, *Qui prior est tempore, potior est jure*. f. eod n. 419. Quod quidem de Jure Civili procedit, sed de Jure Canonico aliud dicendum videti, dictum est suprà. n. 405.

Potest aliquis propriâ auctoritate imponere hypothecam tempore posteriorem, cum jure prælationis ad antiquiores hypotheeas. f. 148. n. 421.

Inter Legatarios præcisè quà tales, nulla est observanda prioritas, si testator nullam instituit, nisi præsumptio gravis esset de Intentione testatoris, v. g. quòd Legata pia voluisset præ alijs solvi. f. 149. n. 423.

Ordo prioritatis observandus Jure Bavarico. refertur f. 149. n. 422.

Plura vide: *Hypothecæ legales*.

Privilegium.

Tomo 1.

Privilegium est Lex privata, aliquid Speciale concedens. Semper ità accipiendum est, si fieri possit, ut aliquem Favorem jure communi non clarè tributum tribuat. f. 29. n. 153. Semper habet durationem notabilem, & ad plures actus conceditur. 154.

Dividitur 1. In Reale, & Personale. Illud immediatè inhæret rei, loco, conditioni, dignitati, officio separabili à privilegiato. Istud immediatè inhæret individuo personæ determinatæ. f. 29. n. 156. ubi exempla.

Privilegij Realis subjectû aliud est Corporeum, aliud Incorporeum. f. 29. n. 19. ubi exempla.

Privilegium Reale à Personali non potest per universalem regulam ex unico capite discerni. Non ex verbis directis ad personam singularem, vel ad rem, aut dignitatem. f. 29. n. 158. Nec universim ex Materia. 159. Nec universim ex motivo ultimo impellente. eod. Itaque & verba, & res, & causa considerari debent, & ex simul sumptis judicandum de intentione conferentis. Si adhuc dubium, tunc si sit purè favorabile, nulli grave, nec contra Jus commune, censendum est reale, secùs personale. 160.

Dividitur 2. In merè Gratiosum & Remuneratorium. f. 30. n. 161. Privilegium Remuneratorium potest etiam esse reale, & tale censeri in dubio quando transmissio ad successores est bona privilegiato, neque talis transmissio excedit merita. 162.

Dividitur 3. In Purum & Conventionale: & hoc potest etiam esse personale. f. 30. n. 163.

Dividitur 4. In Perpetuum & Temporale. fol. 31. num. 165. & seq. Concessum cum restrictione: *Quamdiu voluero*: ex communi sententia est temporale, quamvis & oppositum probabile sit. 166. Concessum sub conditione, quæ ex se potest esse perpetua, est etiam perpetuum. 167.

Dividitur 5. In Commune & Singulare. Communi non potest privatus renunriare sicut singulari, si illius solius interest, & illius consensus requiritur. f. 31. n. 168.

Dividitur 6 In Privilegium pro foro Conscientiæ, & pro foro Externo. f. 31. n. 169.

Dividitur 7. In scriptum & non scriptum. Ad scriptum requiritur (si non est insertum Juri communi) ut sit authenticum, vel Principis sigillo munitum, vel transumptum cum subscriptione Notarij, & personæ in dignitate constitutæ sigillo, vel desumptum ex originali, citatâ parte cujus interest. f. 32. n. 170.

Dividitur 8. In concessum ad instantiam partis, & concessum motu proprio. f. 32. n. 171. Ut sit motu proprio, debet in privilegio exprimi. 172. Est latè explicandum, & omnem subreptionem excludit: & quidem probabiliter etiam tunc, quando in præcedente petitione taciturnitas Veritatis intervenisset. 173.

Privilegium *ad instar*, adæquatè commensuratur exemplari. f. 32. n. 174. Si nullum exemplar exstaret, species tamen privilegij nominaretur, adhuc valeret. 175.

Privilegium si confirmetur in forma communi, tantùm significat approbationem, roborationem, & specialem protectionem, supposito quòd existat. Quando verò confirmatur cum clausula: *ex certa scientia*: vel: ex plenitudine potestatis, vel, inserendo tenorem privilegij, habet vim illud de novo conferendi, si aliquando verè collatum fuit, etiamsi postea fuerit amissum. Si revocatum Generali Concilio, revocationis mentio facienda esset. f. 33. nu. 177.

Privilegium scriptum non requirit regulariter. f. 33. n. 178. ubi referuntur casus excepti.

Privilegium potest acceptari cum effectu antecedenter, v. g. per ipsam petitionem. quo casu actus factus ab ignaro privilegij jam concessi valeret, etiamsi esset contra Jus commune. f. 33. n. 179.

Ad valorem privilegij non requiritur causa rationabilis. f. 33. n. 180. Nec etiam, ut privilegiatus sit subditus. f. 34. nu. 181. ubi exemplis declaratur.

Privilegio tibi contra jus commune concesso à Principe inferiore, potes uti in alio territorio, ubi non est specialiter prohibitus actus. Si contra jus speciale tuæ provinciæ, potes etiam uti alibi, ubi peregrini eo uti permittuntur, nisi ibi requireretur licentia Principis illius loci. f. 34. à nu. 182. ubi exemplis illustratur.

Contra alium privilegiatum privilegio speciali, non potes uti tuo privilegio generali, nisi habeat annexam clausulam derogatoriam. f. 35. nu. 185. Quodsi utrumque privilegium sit æquale, prævalet illud quod est antiquius, vel à fortiore Legislatore concessum. Unde privilegiatus contra fortiùs privilegiatum non utitur privilegio, & nunquam potest uterque esse pariter privilegiatus. n. 187.

In Privilegio censentur concessa omnia necessaria ad usum illius. f. 35. n. 188.

Privilegium quod nec est contra jus commune, nec cedit in præjudicium tertij quoad jus illi quæsitum, est secundùm proprietatem verborum amplissimè interpretandum, etiam contra privilegiantem, etiamsi esset Romana Ecclesia. f. 31. n. 189. Secùs si esset contra Jus commune, vel derogans etiam Statuto aut Consuetudini speciali. f. 36. n. 200. Excipe 1. Concessum in favorem causæ piæ. 201. Excipe 2. Privilegium quod æquiparatur inserto juri communi, ut sunt privilegia Religiosorum perpetua. 202. Excipe 3. Proprio motu, vel ex certa scientia concessum. 203. Cedens in præjudicium tertij, aut contra jus commune, tunc solùm est latè interpretandum, quando alioquin esset inutile. 203.

Privilegium non potest ad casus aut personas nullo modo, nec virtualiter aut æquivalenter expressas extendi ob paritatem rationis. Virtualiter autem censentur expressi, vel ex vi vocis in significatione etiam latiore receptæ, & usitatæ, vel ex necessitate materiæ, eo quòd alioquin non esset utile aut accommodatum moribus hominum, vel ex Juris dispositione. f. 37. n. 205. (ubi exempla) & n. 206.

Ad privilegij cessationem non sufficit cessatio solius causæ impulsivæ non finalis. f. 39. nu. 210. Deficiente causâ finali ante plenam privilegij concessionem concessio est nulla, sicut & dispensatio. 211.

Causâ finali cessante, ità ut actus privilegij esset illicitus aliunde, privilegium concessum suspenditur. f. 39. nu. 214. & 216.

Quando privilegium est de causa dividua & successiva, tunc quandoque, cessante causâ finali pro aliquo tempore videtur privilegium cessare seu suspendi, quandoque non. f. 40. num. 217. & seqq. ubi declaratur exemplis.

Privilegium quod primo statim actu expletur, non cessat, etiamsi post factam concessionem, ante ipsum usum, cesset causa finalis. f. 41. n. 222.

Privilegium non restrictum à concedente, non exspirat morte concedentis, etiamsi res adhuc sit integra. f. 41. n. 226.

Privilegium tunc censetur ritè comparatũ, quando Gratia censetur *Facta*. non item si est *facienda*. f. 42. n. 229. Quando Gratia dicatur facta aut facienda, vide *Gratia*.

Privilegio communitati concesso, privatus renuntiare non potest, nisi in casibus jure expressis. f. 43. n. 241.

Renuntiatio debet carere metu injusto. f. 44. n. 242. Non repugnat mera interna renuntiatio, antecedenter acceptata. 244. Privilegijs absolutè concessis & acceptatis, non potest solâ internâ voluntate renuntiari, sed debet manifestari & acceptari. 245.

Privilegium non amittitur per non usum ob occasionis defectum, vel ob pactum non utendi. f. 44. n. 247. Neque per non usum etiam diuturnum, si non sit ad usum restrictum. 248. Si cum gravamine alterius, potest à gravato præscribi. fol. 45. 249. nisi sit munitum clausulâ: *ut utaris pro tuo libitu*. 250.

Privilegium negativum absolutè concessum, neminem gravans, non amittitur actu contrario. f. 45. nu. 252. benè tamen gravans alios potest præscribi per actus contrarios à privilegiato factos. 253. Potest sufficere unus actus non retractatus. 255. & seq.

Privilegij abusus potest fieri tripliciter. Primus est abusus formalis. Secundus occasionalis. Tertius tollendo fundamentum privilegij. f. 45. nu. 257. ubi exempla. Non amittitur tamen ipso facto privilegium, sed venit privandus. f. 46. n. 258.

Privilegium merè gratuitum cum translatione juris, non potest sine causa validè revocari. 259. Benè tamen si non est cum translatione juris. f. 46. 260. Onerosum non potest revocari sine legitima causa, & restitutione illius quod pro privilegio concessum est. 261. Remuneratorium est pen se irrevocabile. 263.

Privilegium contra jus commune ab inferiore concessum, non potest validè ab eo sine causa revocari. f. 46. n. 264. Benè tamen à Supremo Principe cui subest inferior. 265.

Per clausulam: *Non obstantibus quibuscunque privilegijs contrarijs*: non revocatur privilegium Corpori Juris insertum, nec ex contractu oneroso concessum, nec habens clausulam, ut ei derogari non possit absque speciali mentione. f. 47. n. 267. nec etiam aliquo generali Concilio concessum. 268. Clausulatum sufficienter revocatur per clausulam: *sub quacunque forma concessum*. vel: *etiamsi specialis mentio facienda sit*. 269. Corpori juris insertum revocatur per aliam Legem Universalem, etiam non factâ mentione Juris Communis, imò etiam per privilegium perpetuum contrariũ. 270.

Extra

Extra Corpus Juris positum, nunquam revocatur posteriore privilegio, nisi prioris mentio fiat; sive utrumque sit generale sive speciale. 271. Quando solum posterius est speciale, revocator prius generale in quantum est posteriori contrarium. 272. Nunquam revocatur tacitè. 273. & seq.

Si Revocatio fiat per Legem, requiritur promulgatio &c. Si privatim, nou habet priùs vim Revocatio, quàm innotescat privilegiato. fol. 47. uu. 275.

Tomo 5.

Causæ Majores, in signum Privilegij specialis Romanæ Sedi reservatæ, sunt: Fidei controversias authenticè definire: Episcopos transferre, deponere, renuotiationes eorum admittere: Generale Concilium congregare: Impedimenta & Irregularitates statuere, &c. f. 50. n. 40.

Probatio.

Tomo 5.

Probatio est actus Judicialis, per qoem desacto aliquo, de quo in Judicio controversia est, fides Judici fit. Vel. Est ostensio rei dubiæ per legitimos modos Judici facienda in causis apod ipsum Judicem controversis. fol.280. n.4. Quæ definitio, an, & quo sensu conveniat Juramento, vide. n.8. & 9.

Probatio alia est Plena, quâ nempe Judex adstringitur ad pronuntiandum pro probante: alia Semiplena, quæ non sufficit nisi concurrente aliâ, vel juramento suppletorio. fol.282. n.11.

Onus probandi incumbit illi, qui rem dubiam in Judicio affirmat in alterius adversarij præjudiciũ, nec habet pro se præsumptionem Juris. f.284. n.24.

Aliquando etiam neganti incumbit onus probandi, quando nempe præsumptio stat pro affirmante. fol.285. n.27. & seqq. ubi casus varij referuntur, in quibus dubium esse potest, actori an reo incumbat onos probandi.

Pro exhibendis probationibus seo articulis probatorijs, debet Jubex assigoare competentem terminum, attentis omnibus circumstantijs. fol.288. num.43.

Hæc Dilatio probatoria regulariter quidem est peremptoria, ex causa tamen potest nova dari. fol.289. u.44. Praxis habet, ut ultra quatuor non dentur. n.45. Prorogari tamen, autequam termines elabatur, nou potest. n.46.

Si caosa absque culpa illius cui dilatio concessa est, extrahatur, ut probationes perficere non possit, redintegratur dilatio, & manet prima. fol. 289. n.47. In Camera etiam redintegratur, & hæredi illius, qui intra terminum defunctus est, nova dilatio datur absque juramento. n.48.

Etiam in Judicijs summarijs assignatur terminus peremptorius, & plerumque restrictior. n.49.

Si Judex assignaret sine causa secundam dilatiouem, uon valeret. fol.290. n.50. Si nimiùm arctâsset, posset intra tempus assignatum prolongare: sed eo elapso uon posset uovam dilatiouem dare. n.55.

Tempus dilationum est continoum, itâ ut etiam feriæ computentur. n.52.

Si terminus detur *ad probandum & probatum habendum*, debet probatio in termino esse absoluta Si solùm *ad probandum*, tunc quidem hoc nou requiritur, nec tamen etiam sufficit obtulisse nomina testium, & articulos probatorios, sed insuper requiritur, ut instet pro expedienda probatioue, adversarium, testésque citari faciat, copias articulorum, & instrumentorum unà cum nominibus testium adversario exhiberi faciat, in termino testes producat. fol.290. n.53. & seq.

Minor adversùs omissam probatiouem restituitur in integrum. n.55. Adversùs uegligentiam Advocati tunc cliens restitueretur, si Advocatus non est solvendo. n.56. Restitueretur autem solùm quoad dies neglectos. eod.

In novo termino impetrato licet articolos augere, murare, & plures etiam testes prodocere. fol. 290. u.57.

Elapso termioo ne breve quidem tempus motæ porgare licet, etiamsi parti adversæ nil uocitum. num.58.

Ulterior productio probationum non impeditur solâ publicatione attestatiooum, sed insuper requiritur, ut attestationis descriptio produceuti fuerit exhibita & communicata. fol.291. n.59. Sed neque sic universim impeditur ulterior probatio. Nam 1. Potest ocularis inspectio admitti. 2. Judex ex officio potest ex æqoitate admittere. 3. Reprobatis prioribus testibos, licet novis testibus priorom depositionem confirmare. 4. Quando non est timenda fraus subornationis. 5. Si testes non fuissent legitimo modo recepti, possunt & illi, & alij denoo examinari. à. n.60. usque ad 68.

In paritate probationum reus absolvendus est ab instantia, itâ ut actor possit eam apud eundem judicem redintegrare, nec seoteutia transeat in rem judicatam. fol.292. n.69. In duplicibus Judicijs pro eo pronuntiatur, qui possidet. n.70. sicut & in causis favorabilibus. eod.

Pactom de non otendo certo genere probationis, quamvis de jure sit illicitum, & contra bonos mores, juramento tamen accedente servandum est. fol.293. n.74.

Quando Jura dicunt, in Civilibus requiri probatiooes claras & liquidas, non sunt intelligenda de luce meridianâ clarioribus, ut requiruntur in capitalibus, sed quæ clarè & indubitanter illud præstent, quod Jura ad plenam probationem requirunt, & sufficere volunt. fol. 294. n. 7.

Tomo 6.

Probationes imperfectæ, quatum singulæ non faciunt semiplenam probationem, ne quidem cumulatæ faciunt plenam probationem in Criminali causa. fol. 307. n. 470.

Procurator.

Tomo 1.

Procuratot falsus solutionem alterius nomine accipiens, non tenetur actione furti, si postmodum is, cujus nomine accepit, exactionem & solutionem ratam habeat. fol. 121. n. 175.

Plura de Procuratore vide, *Mandatum.*

Tomo 5.

Qui à Servitute provocat ad Libertatem, non permittitur agere per Procuratorem, benè tamen qui à Libertate vocatur ad Servitutem. fol. 155. num. 380.

Filiusfam. constituere potest Procuratorem in illis casibus, in quibus ipse agere potest. num. 381. Ab alio tamen potest Procurator constitui. eod. Minorennis non potest ad litem constituere Procuratorem in suum præjudicium. 382,

Tutores & Procuratores non nisi post litem contestatam possunt constituere Procuratorem. n. 383. Mater gerens tutelam ne quidem actorem constituere potest. 384.

Fæminæ non nisi pro patentibus causâ cognitâ procurare possunt. n. 385.

Possunt plures unum eundémque Procuratorem ad litem constituere, si non sint adversarij. n. 386.

Impeditus impedimento non perpetuo, non potest cogi ut per Procuratorem se defendat, satis est si absentiam excuset, & sententia esset nulla, si Judici constatet de impedimento. secùs, esset rescindenda. fol. 156. n. 387. & seqq. In Camera Causæ non aliter agitantur quàm per Procuratorem. n. 391.

Procurator ad litem Servus esse non potest. fol. 156. n. 392. Nec Clericus in causis Laicorum. fol. 157. n. 393. Nec Miles. n. 394. Nec fæminæ regulariter nisi in rem suam, & pro parentibus causâ cognitâ. 395. Nec accusatus de crimine. 396. Nec Minor 25. Jure Canonico, benè tamen Jure Civili, modò non sit minor 17. an. num. 398. & seqq. quamvis usu observetur Jus Canonicum. Universim hodie Infames non admittuntur. 404. Nec denique Redemptores litium. 405.

Per constitutionem posterioris Procuratoris ad eandem causam, censetur revocatus prior. fol. 159. n. 406. Pluribus simul constitutis in solidum, ille qui prior litem contestatur, alterum excludit. alioquin simul admittendi sunt. n. 407.

In causis criminalibus capitalibus, Procurator de jure civili non nisi ad excusandum admittitur. fol. eod. n. 410. De consuetudine admittitur ad accusandum. fol. 160. n. 411. Ad defendendum admittitur in causis, in quibus pœna est pecuniaria. n. 414. Denique admitttitur etiam Procurator in causis famosis. fol. 161. n. 418. Acta Procuratoris falsi, non potest dominus litis post latam sententiam ratificare in suum favotem, benè tamen ante. fol. 162. n. 425.

Si procurator habet Mandatum dubium, potest excipi contra illum, nisi caveat, judicatum solvi. fol. 163. n. 432.

Procurator potest in Judicio duplici modo constitui. 1. Quando Principalis præsens coram Judice procuratorem eligit, ejúsque personam confirmat cavendo de rato. 2. Si actor vel reus litteras mandati offerat Judici, & ad acta redigi curet.

Extra Judicium procurator ad agendum constituitur vel coram Notario & testibus, vel litteris sigillo munitis. fol. 163. n. 435. & hi modi constituendi relevant Actoris procuratorem à satisdatione. fol. 164. n. 436.

Procurator Rei verò etsi mandatum habeat, de Judicato solvendo cavere debet, nisi Principalis malit. n. 437.

In Procuratoris mandato exprimenda nomina & cognomina constituentis, adversarij, & Judicis: designanda causa litis, & actus ad quos procurator eligitur. fol. 164. n. 438.

In Mandato *speciali*, aut *cum libera*, non sufficeret generalitas cum addito: *etiamsi speciale* &c. sed saltem unus actus specificandus, qui speciale mandatum requirat. fol. eod. n. 439. ubi exempla.

Mandato inserenda est ex parte Actoris clausula de rato habendo, quidquid procurator gesserit: item annus & dies. fol. eod. n. 440.

Procurator esse ille ipse præsumitur, qui mandatum exhibet. fol. 165. n. 441.

Expressis actibus litis contestationem requirentibus, semper subintelligitur eam esse mandatam. num. 442.

Procuratoris mandatum nō exspirat morte mandantis, si iste satisdedit judicatum solvi, quia res non est ampliùs integra. fol. 165. n. 444. Potest tamen ex quibusdam causis Procurator mutari & revocari. n. 449.

Solvitur etiam mandatum renuntiatione, & quidem ex certis causis etiam post litem contestatam, nec requiritur consensus adversarij. fol. 166. n. 450. & seq. ubi vide praxin Cameræ.

Appellationem interpositam tenetur Jure Civili prosequi Procurator, non item Jure Canonico, & hoc videtur in praxi observari. fol. 166. n. 454. & seqq. Tenetur etiam in causa Reconventionis dominum defendere. fol. 167. n. 458.

De Syndico, vide in proprio loco, *Syndicus.*
De Defensore, vide, *Defensor.*
De Satisdatione Procuratoris, vide, *Satisdatio.*

Præsumitur habere mandatum ad lites, 1. qui agit præsente nec contradicente principali. 2. qui facit actum præjudicantem, v.g. solvit pro altetius debito. 3. in quem lata est sententia tanquam in procuratorem. 4. quando publicus officialis aliquid scripsit ad meam utilitatem. 5. quando agitur de modico. 6. quando in antiquo instrumento legitur mandatum. fol. 405. n. 689. 7. Exhibens scripturas crediti ad obtinendam solutionem, & probans sibi esse traditas. n. 690.

Exhibens Mandatum præsumitur esse ille, qui in mandato nominatur. n. 691.

Mandatum tamdiu præsumitur non revocatum, quamdiu non apparent revocationis conjecturæ. fol. 405. n. 692. ubi referuntur.

Procurator accusatoris vel accusati quando admittatur, vide, *Accusatio.*

Prodigus.

Tomo 2.

Prodigi, postquam ei bonis interdictum est, Testamentum non valet. fol. 50. n. 226. Priùs tamen factum sustinetur. eod. & fol. 53. n. 242.

Neque pro testamenti valore sufficeret, si nulla prodigalitas appareret in testamento, sicut nec in pupillo sufficit, quòd malitia suppleat ætatem. Valeret tamen, si à Principe restitutus esset, etiam tetentis Curatoribus, quippe qui non ad valorem actûs, sed ad securiùs agendum adjuncti censerentur. fol. 53. n. 243.

Tomo 3.

Prodigo datur bonorum administrator, quo fit, ut sine hujus auctoritate non possit validè contrahere, nec obligari alteri, sed benè alium sibi obligare. fol. 32. n. 186.

Prodigorum inhabilitas non inducitur ipso Jure & facto, supposita etiam notorietate prodigalitatis, sed requiritur Decretum Judicis declaratorium. fol. eod. n. 187.

Proditio.

Tomo 6.

Qui proditionem malitiosam facit, secundùm consuetudinem in 4. partes secandus. si fœmina, submergenda. Immunis est, qui criminosos defert ad Magistratum, à quo ad explorandum destinatus est. Filij proditorum sunt incapaces successionis. Proditor est intestabilis. fol. 182. num. 535.

Professus.

Professi in Religione incapacitas Dominij, & capacitas quasi dominij, vide, *Religio*, *Religiosus.*

Professus quibus debeat assignare legitimam, vide ibid.

Projecti, & Protecti Servitus.

Tomo 1.

Est Jus projiciendi ædificium extra parietes, ut non quiescat in alieno. Ejus species est Protectum, nempe protensio Tecti ad arcendam pluviam à parietibus, vel ad defendendas fenestras à nimio lumine. Vocantúrque *Suggrundia.* fol. 147. num. 162.

Promissio.

Tomo 3.

Promissio superaddit Pollicitationi Acceptationem, cui si verborum solennitas legitima accedat, dicitur *Stipulatio.* fol. 64. n. 1.

Promissio est actus obligativus ex Justitia commutativa, liber, ad aliquid alteri præstandum seu faciendum, vel omittendum ex ipsius arbitrio, & sic differt à mero proposito. eod.

Actus Promissorij objectum malè assignatur Res ipsa, ad quam se obligat, nec etiam benè assignatur ipsa obligatio formalis, cùm hæc sit ipse actus promissorius. fol. 65. n. 2.

Ut objectum promissionis sine vitioso circulo explicetur, dicendum est, quòd promittens velit, quantùm in se est, oppositum rei promissæ sibi esse illicitum, displicétque supremo legislatori eo genere displicentiæ, quo displicent ea, quæ ex intrinseca ratione repugnant Justitiæ. fol. eod. n. 3.

Ad inducendam obligationem, non requiritur tanta libertas, quæ excludat vehementem animi affectum, dummodo maneat libertas sufficiens ad graviter peccandum. fol. eod. n. 5. & seqq. Semiplena advertentia & semideliberatio non sufficit ad valorem contractûs & obligationis, ne quidem si materia sit levis, sed requiritur plena. fol. 66. num. 9.

Non solùm Jure positivo, sed etiam Jure naturæ spectato, actus merè Internus est Insufficiens ad inducendam obligationem. fol 67. num. 10. & seqq. etiamsi voluntas interna fuisset aliquo signo externo expressa, v.g. scripturâ, quæ tamen nemini innotuisset, adhuc voluntas maneret interna, & posset semper absque injustitia revocari, quia adhuc subest pleno dominio sui suppositi. fol. 69. num. 16.

Ut promissio exteriùs manifestata obliget, requiritur Jure naturæ acceptatio promissarij: satis tamé est, si alius ejus nomine vel auctoritate acceptet. Unde & ipse Magistratus potest hujusmodi promissionem privato subdito factam acceptare, supplendo ejus voluntatem etiam ignorantis, si ità expedire videbitur. fol. 70. n. 19. Unde promittens potest ante acceptationem resilire. Quodsi Lex resilitioni resisteret, promissarius solùm acquireret jus, ut alter exspectet, donec deliberet, an velit acceptare. eod. & seqq.

Etiamsi vera esset quorundam opinio, quòd acceptatio non requiratur jure naturæ, requiritur tamen jure positivo, saltem regulariter, & ideo antecedenter revocatâ promissione fit inanis acceptatio posterior. Et hoc procedit etiam de jure Canonico. fol.71. n.21. & hæc procedunt, etiamsi promissio facta esset causæ piæ. n.22.

Acceptationem antecedentem seu anticipatam, etiam universalem sufficere, ut accedente pollicitatione nascatur obligatio, colligitur ex varijs Legibus. eod. ubi exemplum in emancipatione Infantum.

Juramentum accedens pollicitationi, æquè pendet ab acceptatione, ac ipsa pollicitatio. eod.

Sicut non potest quis per actum Internum obligari, ità nec potest quis per actum merè Internum deobligare alterum sibi obligatum. Non est tamen ad deobligandum necessaria acceptatio alterius, sed sufficit exterior manifestatio voluntatis cessivæ Juris. fol.72. n.23. & seq.

Acceptatio quando requiritur, debet etiam esse manifestata, & in alicujus hominis notitiam venisse. fol.73. n.25.

Ut quis absenti obligetur, satis est, ut illi per quemcunq; innotescat pollicitatio, isque accepter, nec opus est id specialiter nuntiari. fol.eod. num. 26.

Si Promissor ante acceptationem moreretur, adhuc posset à promissario acceptari, sed non ab hujus hæredibus. fol.74. n.27.

Sufficiens est acceptatio, si fiat verbis æquivocis, sed procedentibus ab animo acceptandi. Unde etiam in certis circumstantijs silentium posset esse sufficiens acceptatio. fol.74. n.28.

Qui simpliciter & absolutè promittit factum alienum, & non exprimit se curaturum, de Jure Civili non obligatur, nec contra eum datur actio. Si tamen voluit se obligare ad procurandum factum alienum, in Conscientia obligabitur ad Procurationem seriam, & sinceram. fol.eod. num. 29. Si promisit se curaturum, & non curat, tenetur ad interesse. eod. Sunt tamen aliqui casus in Jure, quibus promittens factum alienum, etiamsi non expresserit, tenetur ad procurandum, vel ad interesse. 1. Quando quis censetur promittere factum hæredis, eò quòd ipse non possit ampliùs præstare. 2. Quando quis promittit alium compariturum in Judicio. 3. Quando quis promittit alium ratum habiturum. 4. Quando promittit rem pupilli per alium salvam futuram. 5 Promittens factum servi vel filij, si non adigat tenetur ad interesse. 6. Promittens factum alienum sub pœna, censetur se solùm ad pœnam obligare. n.30. ad quam tamen non tenetur, si conatus est procurare, sed non sequitur effectus. nu. 31.

Plura vide, *Stipulatio.*

Prorogatio Jurisdictionis.

Tomo 5.

Prorogatio est extensio Jurisdictionis ad Personas, Causas, & Locum, in quas & in quo aliàs Jure non competit, consensu earundem partium facta. fol.13. n.53. Sufficit autem consensus tacitus, v.g. per litis contestationem. n.54. Non tamen sufficeret, si à partibus per errorem Judex incompetens electus esset. eod.

In causis Ecclesiasticis nō potest Jurisdictio Judicis sæcularis prorogari in Petitorio. In Possessorio, cùm possit Judex sæcularis à Clerico contra Laicum agente adiri, poterit etiam Jurisdictio prorogari. fol.16. n.66.

In causis feudalibus ad Dominum spectantibus, non potest sine Domini consensu Jurisdictio prorogari. fol.eod. n.67.

Pupilli & Minores non possunt prorogare sine auctoritate Tutoris, nisi certi essent de victoria. fol. eod. n.68. & seq. Tutor tamen posset prorogare. n.70. Sicut & habens speciale mandatum, vel generale cum *libera*. eod.

Clerici possunt quidem prorogare Jurisdictionem Judicis Clerici, sed non Laici. fol.16. n.71. & seqq. Quod non rectè extenditur ad Studiosos, quasi Jurisdictionem prorogare non possint, ex eo, quòd inviti non possint ad alium quàm suum Rectorem trahi. fol.17. n.75.

Jurisdictio contentiosa potest prorogari, etiam Judicis inferioris illo à quo prorogatur. Voluntaria verò non nisi illius, qui major est illo à quo prorogatur. fol.18. n.76.

Exempti, & immediatè subjecti Papæ, quamvis non possint se secundùm forum contentiosum subjicere Episcopo, in foro tamen Sacramentalis Pœnitentiæ ad absolutionem à peccatis, & ad petendam dispensationem, accedere possunt ad Episcopum Diœcesanum. fol.18. n.77.

Nulla Jurisdictio Delegata, nisi in ipsa delegatione expressum fuerit, potest de persona in personam prorogari. fol.eod. n.79. exceptiones duas vide n.52. fol.13. & n.80.

Jurisdictio criminalis non potest in causa criminali unquam prorogari. fol.19. n.82.

Post litem contestatam non licet uni pœnitere de conventione in prorogationem, altero invito: imò ne ante litis contestationem. fol.19. n.83. & seqq. ubi Leges conciliantur.

Tomo 6.

In Criminalibus non prorogatur Jurisdictio Judicis incompetentis, ex eo, quòd non contradicente & sciente reo per viam inquisitionis reum deprehendit. fol.8. n.34.

Imò nec prorogaretur Jurisdictio, si reus coram Judice incompetente accusatus, per errorem compareret. n.35.

In Crimi-

In Criminalibus potest Jurisdictio prorogari in præjudicium partium, non item in præjudicium Judicis competentis & ordinarij. n. 36. Pari modo convalidaretur Jurisdictio, si in processu superveniret scientia incompetentiæ, & partes ratum haberent. n. 37.

Prospectûs Servitus.

Tomo 1.

Est Jus, quo ità nobis licet in patentia & porrecta loca ex inferioribus & superioribus locis quaquaversùm liberrimè ac longissimè prospicere, ut domino prædij servientis non liceat aliquid facere, quo vel aspectum cœli, vel prospectum gratiorem in viridaria, campum &c. auferat, nisi esset ad certum terminum limitata. f. 249. num. 171.

Protocollum.

Tomo 5.

Est summaria annotatio gesti actûs, memoriæ causâ facta, ex qua postea instrumentum in forma solenni conficiatur. f. 181. n. 553.

Ad hoc ut Instrumentum publicum probet, non requiritur productio Protocolli. f. 351. num. 395.

Illi actus, qui ex partium consensu suum robur habent, absque scriptura, non minùs probantur per Protocollum, quàm per Instrumentum publicum. n. 397. Nec est necesse, quòd Protocollum fuerit propriâ Notarij manu scriptum, satis est fuisse subscriptum. f. 352. nu. 403. Quæ subscriptio etiam in Protocollo requireretur, si ex charactere non constaret, esse scriptum à Notario n. 404.

Si in Protocollo factæ sunt Cancellationes in substantialibus, opus est, ut ibidem annotetur, illas rectè factas esse. n. 405.

Ex duabus scripturis apud Notarium repertis de eodem actu, illa præsumitur originalis, quæ est magis abbreviata. f. 353. num. 406.

Protocollum exhibere cogitur Notarius, quandò de viribus Instrumenti inde confecti dubitatur. f. 353. n. 406.

Publicatio Processûs.

Tomo 5.

Publicatio processûs non est de substantia, & absque ea valeret sententia. f. 487. n. 1140.

Publicatio testium non legitimè receptorum, etsi de consensu partium, non validat depositiones. n. 1141.

Delegatus ad examen testium, non hoc ipso potest depositiones publicare. eod.

Absoluto citiùs examine testium unius partis, potest fieri publicatio quoad illos solùm. n. 1142.

Publiciana Actio.

Tomo 1.

Si quis possessionem rei necdum præscriptæ amittit, datur illi Actio Publiciana ad recuperandam rem, quâ fingitur præscripsisse, ut possit vindicare. f. 468. n. 379. Jure Canonico datur etiam domino ob difficultatem probandi dominium. n. 380. & To. 5. f. 117. n. 156. Non datur adversùs eum, qui rem titulo colorato acquisivit, excepto illo qui pro hærede possidet, cùm reverà hæres non sit, nam contra hunc datur, sicut & contra desineutem dolo malo possidere. n. 381. & seq. & to. 5. f. 117. n. 158.

Tomo 5.

Definitur: Actio Prætoria realis, quâ quis rem ab aliquo petit ex hac præcisè causa, quòd eam bonâ fide & ex justo titulo traditam accepetit. f. 116. n. 152.

Fideicommissario conceditur ex speciali beneficio hæc actio, etiamsi rem nunquam possederit. n. 154.

Pueri.

Tomo 1.

Pueri etiam infantiæ proximi, incurrunt excommunicationem Canonis. Si quis suadente. f. 18. n. 90. & seqq. idem de alijs Censutis dicendum. 92. quibus legibus universim obligentur, vide, *Lex*.

Pupillus.

Quomodo Pupillo possit substitui, vide, *Substitutio Pupillaris*.

Tomo 3.

Tam Masculi quàm fœminæ usque ad Septimum annum dicuntur *Infantes*. Deinde Masculus usque ad 14. Fæmella usque ad 12. dicuntur Impuberes. Inde usque ad 25. vel Jure Bavar. usque ad 21. sunt Minores, seu Minorennes. Tempus ab infantia usque ad pubertatis initium dimidiatur, & inde dicitur Infantiæ vel Pubertati proximus. f. 33. n. 188.

Pupillus sine auctoritate Tutoris potest contrahendo alium sibi obligare, non tamen obligari civiliter. f. eod. num. 189. Quando est infantiæ proximus, ex consensu DD. nec naturaliter obligatur. sicut nec minorennis in alienatione bonorum immobilium, ac mobilium pretiosorum conservabilium. n. 190.

Si Pupillus cum suo Tutore sine consensu Contutorum contrahat, nullo modo obligatur, nisi factus sit locupletior. f. 34. n. 191.

Pupillus sine Tutoris auctoritate contrahens, & inde locupletior factus, obligatur solùm naturaliter, non civiliter. f. eod. n. 194. Non factus locupletior, ne quidem naturaliter obligari videtur ad servandum contractum. n. 196.

Pupillus sine Tutoris auctoritate novare non potest. Quando autem dicitur in Jure, quòd si quis stipuletur à pupillo sine tutoris auctoritate, animo novandi, fiat novatio, intelligendum est de novatione non consummata, sed attentata, quâ tollitur prius debitum, quia licèt non substituatur alia obligatio, substituit tamen debitor loco sui per delegationem personam (servatis servandis)

idoneam; ideo creditor sibi imputare debet, quòd contentus promissione pupilli non requisiverit auctoritatem tutoris, vel fidejussorem. f. 38. num. 525. & seqq.

Plura de his vide, *Tutor*.

De Pupillarium rerum præscriptione, vide, *Præscriptionis materia incapax*.

Purgatio.

Tomo 5.

Purgatio Vulgaris fieri solita per tactum aquæ ferventis, vel ferri candentis, est à Canonibus prohibita. f. 470. n. 1053. Item fieri solita per Duellum. f. 471. n. 1054.

De Purgatione Canonica, vide, *Juramentum Purgationis*.

Q.

Quasi Contractus.

Tomo 4.

Quasi Contractus est tacita seu præsumpta conventio, ex qua mediante facto aliquo producitur obligatio. f. 343. n. 1101. ubi enumerantur species, quæ sub proprijs vocabulis videndæ.

Quasi delictum.

De hoc vide, *Delictum, vel Quasi*.

Querela Inofficiosi.

Tomo 2.

Inofficiosum Testamentum est, quod certis personis immeritò exhæredaris, non officio pietatis factum videtur: cujus impugnandi remedium extraordinarium jure civili introductum est *Querela inofficiosi*, quâ quis petit ejusmodi testamentum rescindi. f. 140. n. 613. Dicitur *Extraordinarium*, quia quamdiu ordinarium remedium superest, priùs est usurpandum, cum quo tamen concurrere potest querela. eod.

Querela Inofficiosi est actio propriè dicta, & non mera imploratio Officij Judicis: multò minùs est accusatio. f. 141. n. 614.

Querela Inofficiosi potest in eodem libello cum Hæreditaris petitione cumulari. f. eod. n. 615.

Querela Inofficiosi ob causam exhæredationis non probatam inter ascendentes & descendentes est jure novo sublata, & testamentum ipso jure est nullum, theoricè rem examinando. f. 87. n. 384. & fusiùs f. 141. n. 616. & seqq. In praxi tamen videtur contrarium observari, & datur querela liberis non legitimè à patre exhæredatis ob causam etiam non probatam, item in testamento matris vel avi materni præteritis utriusque sexûs tam emancipatis quàm in potestate constitutis. Ratione posterorum non est opus querelâ, quia non possunt exhæredari. 620.

Querela hæc competit arrogatis & adoptatis à persona non extranea, adeoque ab ascendente. Liberis verò naturalibus illegitimis datur solùm adversùs matris, vel avi materni testamentum, nisi mater Illustris esset, & liberi legitimi superessent. f. 142. n. 621.

Querela datur parentibus adversùs testamentum liberorum etiam emancipatorum, in quo præteriti, vel iniquè exhæredati sunt. f. eod. n. 622.

Casu quo quis exhæredato filio patrem præterijt, si filius querelam movens obtinet, pater non habet querelam; si succumbat, pater admittitur tanquam præteritus. Pari modo si filius legitimè exhæredatus probaretur, nepos præteritus non posset quidem testamentum nullum dicere, posset tamen querelam movere. f. eod. n. 623.

Querela non competit parentibus præteritis in testamento militis actu militantis. f. 143. n. 624.

Querela datur fratribus & sororibus præteritis, vel exhæredatis, & turpibus personis institutis. f. eod. nu. 625. Rescisso autem testamento, etiam Nepotes ex fratre defuncto jure repræsentationis admitterentur, non obstante, quòd querela illis non concedatur: Sicut, etiamsi frater non possit movere querelam, quando contra solum patrem est commissa ingratitudo exhæredationis, rescisso tamen à patre testamento filij, fratres unà cum patre succedunt. eod.

Querela transmittitur tam ad hæredes *suos* quàm ad extraneos, sed cum hoc discrimine, quòd ad *suos* transmittatur etiam non præparata, ad extraneos verò non nisi ut præparata, v. g. per litis contestationem, per interminationem, per agnitam bonorum possessionem. f. 143. n. 626.

Querela instituitur adversùs hæredes, qui ex testamento hæreditatem adierunt, sed non nisi post aditionem. f. eod. nu. 627. Aliquando proponitur per modum Exceptionis, si nempe exhæredatus possidet, & hæres scriptus agit hæreditatis petitione. eod.

Querela cessat in foro conscientiæ, quando exhæredatus sibi conscius est, quòd causa exhæredationis à se data sit, etiamsi hæres eam probare non possit. f. 142. n. 619. & f. 144. n. 628.

Dissimulatione querelæ per quinquennium, cessat querela respectu dissimulantis, & ejus portio accrescit alteri per querelam obtinenti. eod.

Si exhæredatus titulo institutionis aliquid accepit, tunc omissâ querelâ ad supplementum agendum est. eod.

R.

Rapina.

Tomo 1.

Rapina superaddit furto simplici violentam ablationem, nec sufficit, juridicè loquendo, coactio per metum sine violentia. f. 118. n. 263.

Est peccatum specie theologicâ distinctũ à furto simplici. Ordinariè quidem Rapina est manifesta, potest tamen esse Nonmanifesta per accidens. Vocatur furtum improbum, seu qualificatum. f. 118. n. 264

Ex Rapina datur actio *vi bonorum raptorum*, prætoria, partim Rei partim Pœnæ persecutoria, quâ quadruplum (cui res ipsa vel æstimatio inest) intra annum exigitur, post annum simplum. Adversùs hæredes non datur ante litem contestatam, sed condictio furtiva in simplum. f. 120. n. 269.

Non

Non liberatur à pœna raptor, etiamsi rem ante sententiam sponte restituat. f. 121. n. 271.

Tomo 6.

Rapinæ malitiosæ pœna solet esse gladij, & vel unus actus sufficit. f. 183. n. 537.

Neque Nobilitas, neque parvitas materiæ excusat. n. 548.

Eâdem pœnâ plectitur, qui quidem non adhibitâ vi, sed solo metu adigit viatorem, ut sponte tradat. n. 539. Probabiliter nec minuenda illi pœna, qui in domibus, vel villis prædatur, & rapinam facit. n. 540.

Raptus.

Tomo 6.

Raptûs crimen committitur, cùm fœmina honesta libidinis explendæ (etsi non expletæ) causâ, vi de loco in alium locum moraliter diversum abripitur. fol. 183. n. 541. & fol. 185. n. 550.

Raptûs pœna est ultimum supplicium, etiam adjuvantium, & bona eorum adjudicantur dominio raptæ. fol. 183. n. 542.

Jure Ecclesiastico irritatur illius cum rapta matrimonium, dum est in potestate raptoris. tenetur eam dotare, sive ducat sive non. fol. 184. n. 543.

Ex Ord. Crim. Carolina, qui alicui suam uxorem, aut honestam virginem contra mariti aut legitimi patris voluntatem inhonestè abducit, etsi hæc consentiant, accusante patre aut marito, punitur ut raptor. n. 544.

Raptor Monialis capite plectitur, & ejus bona adscribuntur Monasterio stupratæ. si consensit, in arctius Monasterium detruditur. n. 545.

Secundùm Carol. Ord. non excusat à pœna ordinaria, si mulier dicat, se consensisse, sed invitis parentibus rapta est libidinis causâ. n. 546. & seq.

Si mas marem rapiat explendæ libidinis causâ, punietur non quidem ut raptor, sed de vi publica. n. 548.

Quodsi fœmina virum rapiat, punietur pœnâ Raptoribus constitutâ. n. 549.

Qui rapeter meretricem jam ad pœnitentiam conversam, puniendus esset ut raptor, non item, sed arbitrariè, qui non conversam, sed invitam. fol. 186. n. 552.

Rationes, Seu Libri Rationum.

Tomo 5.

Rationes aliæ sunt publicæ, hoc est factæ auctoritate publicâ: aliæ privatæ. fol. 344. n. 357.

Libri Rationum conscripti ab eo, cui publicâ auctoritate officium conscribendi Rationes commissum est, ut sunt Argentarij, Nummularij, plenè probant non minùs quàm Scriptura Notarij. f. 366. n. 481.

Liber Rationum alicujus privati, probat plenè contra scribentem ejúsque hæredem. f. 381. n. 556. Scheda tamen separata à Codice non nisi semiplenè. n. 557.

Pro scribente non probat plenè, nisi aliunde firmitatem accipiat. n. 558.

In Capitulis inter se non connexis sed disparatis, potest quis approbare unum articulum contra scribentem, & reprobare aliud Capitulū pro scribente faciens, fol. 38 a. n. 559. ubi exemplum, & limitationem vide n. 560. & seq. Denique Judicis arbitrio relinquendum, an existimet parem fidem habendā libro Rationum tam quoad Capitula contra scribentem, quàm pro scribente, si sint de eodem negotio, licèt non uno contextu scripta. n. 565.

Quando ille contra quem liber Rationum producitur, nec expressè, nec tacitè opponit aliquid contra producentem aut librum, censetur tacitè fateri vera esse quæ continentur, nec potest revocare, nec Judex aliter judicare. fol. 383. n. 565.

Liber Rationum conscriptus ab eo, qui ex officio alicujus bona administrat, plenè probat pro scribente, observatis observandis, qua vide n. 567. & seqq.

Liber Rationum à Socijs, vel uno Sociorum à cæteris ad hoc approbato, imò & ab Institore ad hoc præposito conscriptus, & verisimilia continens, plenè probat inter socios etiam pro scribente. f. 384. n. 572.

Extra casus recensitos sæpè probat liber Rationum semiplenè, concurrentibus adminiculis arbitrio Judicis æstimandis, quæ vide n. 573. & seq.

Rebellio.

De hujus pœna vide, *Majestatis læsæ crimen.*

Reconventio.

An Clericus possit apud Judicem Laicum reconveniri, vide, *Jurisdictio Ecclesiastica & Sæcularis.*

Tomo 5.

In causâ Reconventionis tenetur Procurator Principalem defendere. f. 167. n. 458.

Reconventio definitur: Actio à Reo convento adversùs Actorem, durante conventionis Judicio sub eodem Judice, parique passu agitata. f. 247. n. 338.

Reconventio propriè dicta facienda est ante litis contestationem, vel saltem in continenti ante juramentum calumniæ, & non ex intervallo, cui proinde in continenti post litem contestatam & responsionem ad libellum actoris factam, actor respondere debet. f. 247. n. 339. Dummodo causa reconventionis possit à tali Judice tractari. f. 248. n. 343. Quodsi reconventio fiat in majore quantitate, quàm conventio, & excedat alioquin Jurisdictionem Judicis, nihilominus poterit de illa judicare. n. 344. Nec impediretur Reconventionis Judicium per appellationem Actoris, postquam succubuit in causa conventionis. n. 345.

Si Actor Reconventus desisteret ab agendo, cessaret etiam reconventio. n. 346.

Reus contumax non posset reconvenire Actorem, qui abusivè seu fictione juris litem contestatus est. n. 347.

Reconventio ex intervallo facta post litis contestationē, non inducit Judici necessitatē, ut in causa conventionis &reconventionis pari passu procedat, & eādē sententiā definitivā absolvat. f. 249. n. 348. Potest tamen, consentiente Actore habere effectum prorogationis, ut saltem finitā causā conventionis teneatur coram tali Judice respondere. num. 349.

Si causa conventionis celeritatem exigeret, & immineret periculum animæ, non esset causa reconventionis conjungenda. n. 350.

Si Judex non attentā reconventione procederet in causa conventionis, valeret quidem sententia, sed reus posset appellare. n. 351.

Actor reconventus non posset Judicem tanquam suspectum recusare. n. 352.

Reconventio non habet locum coram arbitris. n. 353. Coram Judice delegato tunc locum habet, si fuit delegatus ad instantiam actoris, secùs si ex consensu utriusque partis. n. 354.

Jure comuni potest Reconventio fieri in omnibus causis non specialiter exceptis. f. 250. n. 355. Jure Bavarico limitatur. n. 359.

Reconventio fieri potest etiamsi conventio fiat actione reali, & reconventio personali, vel econtra. n. 360.

In causa spolij non est locus reconventioni, nisi fieret etiam de spolio. f. 251. n. 361. Agens ad recuperandam possessionem non contra ipsum spoliatorem aut mandantem, sed contra tertium possessorem, posset reconveniri. n. 362. Posset etiam tertius Possessor reconvenire ex Interdicto *Uti possidetis*. non item ipse spoliator conventus. n. 364.

Depositarius conventus non potest reconvenire nisi etiam in causa depositi. f. 251. n. 365.

Appellans non potest intuitu hujus appellationis reconveniri apud Judicem *à quo*. n. 366.

Reconventio locum etiam habet in causis Summarijs, & executivis. f. 252. n. 371.

In multis causis arbitrio Judicis relinquendum videtur, an reconventio admittenda sit nec ne, ob varia incommoda. n. 372. ubi recensentur hujusmodi causæ.

Recusatio.

De Recusatione Judicis plura vide, *Judex.*

Tomo 5.

Exceptio Recusationis ante omnem actum Judicialem opponenda est, scriptio proponenda Judici præsenti. fol. 584. n. 509. & seq. Jure Canonico exprimenda causa. num. 510. ubi, quid Judici tunc agendum. & n. 511. Jure Civili sufficit, si recusans juret, se non recusare calumniosè. fol. 585. n. 512.

Si recusetur Judex ordinarius, & subsit causa suspicionis, adjungitur alius, quia hoc jure (benè tamen Jure Canonico) recusari simpliciter non potest. n. 513.

Redhibitoria actio.

De hac vide, *Emptionis resolutio ex adilitio edicto.*

Reditus, & Annui Fructus.

Tomo 1.

Quoties reditus fructúsve annui ex certo fundo, verbis precarijs & ad hæredem relatis ità legantur, ut legatarius è manu hæredis accipiat, ut hæres præstet, det &c. non censetur usufructus relictus, sed annuum legatum. Econtra si verba dirigantur ad legatarium, servitus legata censebitur. fol. 124. num. 57.

Rei Vindicatio.

Tomo 1.

Rei Vindicatio est in rem actio, per quam rem unam aliquam corporalem nostram tanquam nostram petimus ab eo qui possidet. Vel sic. Est actio realis specialis, quâ dominus agit adversùs possessorem rei suæ corporalis, & petit se dominum declarari, eámque officio Judicis unà cum fructibus restitui. fol. 219. n. 42. & to. 5. fol. 115. n. 143. ubi n. 145. formula hujus actionis.

Conceditur hæc actio non solùm ipsi domino directo, vel utili, sed etiam illi cui dominus actionem cedit, vocatúrque Cessionarius, & iste habet tam directam quàm utilem, directam vice cedentis, utilem ex propria cessionarij persona in hunc finem concessam, ut, si fortè non posset vindicare nomine cedentis, fingatur ipse dominus. fol. 219. n. 47. Item conceditur illi, qui alteri aliquid dedit, ut alimenta reddantur, cui præter condictionem competit utilis rei vindicatio. fol. 220. n. 48. Item datur sponso vel sponsæ, si quid alteri ob nuptias secuturas dedit, & per accipientem stetit, quominus nuptiæ sequerentur. 48. Item datur illi, qui à Republica vel Fisco ad tempus habet fundum conductum. 49.

Dominus verus volens rem vindicare, potest repelli exceptione transactionis, Jurisjurandi, Rei judicatæ, doli mali, tunc, quando vendens rem non suam postea factam suam vellet vindicare. fol. 220. n. 50.

Datur Rei vindicatio contra quemcunque detentorem, qui restituendi habet facultatem. unde etiam alieno nomine possidentes, ut Commodatarius, Depositarius, Conductor, possunt hac actione conveniri: ità tamen, ut (si res sit immobilis) illis spatium indulgendum sit, intra quod auctori denuntient, litem sibi motam esse de proprietate: qui si ad præfixum diem definiendæ causæ non adfuerit, summatim discusso negotio coguntur possidentes rem restituere, & absens possessionem

sessionem amittit. fol.120. n.51. Contra Sequestrem non datur. 52. Denique datur etiam contra aliquos, qui solâ jurisdictione detinent. talis est. 1. qui se liti offert. 2. qui dolo malo desijt possidere. 53.

Præter rem principalem, petuntur hac actione etiã accessiones & lucra inde quæsita. fol.121. n.54. quodsi actor non petat, tunc illi fructus & accessiones solùm à Judice ex officio adjudicantur, qui post litem contestatam percepti sunt. eod.

Indulgentur detentori petenti aliquæ induciæ v.g. 4. mensium, si priùs caveat de litis æstimatione solvenda, dato fidejussore de restituendo intra tempus indultum. fol.eod. n.55.

Jura, quæ negant, unâ rei vindicatione posse plures res simul peti generali vocabulo, intelligenda sunt de rebus quæ constant partibus notabiliter diversis, disparatis, dissimilibus, ad diversos usus destinatis, adeoque non solùm physicè, sed etiam moraliter heterogeneis, & neque à natura neque ab arte ad unum totum constituendum ordinatis, hujusmodi sunt armamenta navis, non item grex. fol.122. quæst. 8.

In re vindicanda sufficit ea certitudo & designabilitas, vi cujus Judex verè intelligere possit, in quo determinato corpore, & quantum periciori restituendum sit, v.g. quòd sit restituenda pars tertia fundi communis. fol.122. quæst.9.

Bonæ fidei possessor non tenetur ex rei interitu, nisi post litem contestatam ex culpa civili res perierit. Malæ fidei possessor etiam de casu fortuito tenetur, si fuit in mora restituendi. eod. quæst. 10.

Relatio causarum.

Tomo 5.

Relatio est causæ dubiæ remissio ab Inferiore ad Superiorem Judicem, ut rescribat, quid fieri velit. dicitur Consultatio. fol.585. n.515.

Quamvis Rescripto debeat se consulens conformare, potest nihilominus à sententia appellari. fol.586. n.516. Ab interlocutoria tamen, quòd Judex velit causam referre, non licet appellare, nisi Judex nollet exhibere exemplar consultationis. n. 517.

Videntur Consultationes & Relationes abrogatæ per Novell. 125. n. 518. & seq. non tamen Jure Canonico. fol.587. n.520. Relationes ad consilium Jurisperitorum nullibi sunt abrogatæ. n.521.

Religio. Religiosus.

Tomo 1.

Qui alium vi, metu, aut fraude seduxit, ne Religionem ingrediatur, aut ut egrediatur, non propterea tenetur ipse ingredi. fol.107. n.714. & seq. Nec tenetur Religioni restituere illud emolumentum, quod facilè consequi potest alium recipiendo, quem alioquin non potuisset recipere. tenetur tamen ad illa quæ cum talis personæ ingressu erant moraliter connexa. 716. Quomodo Religiosus obligetur legibus Civilibus, vide, *Lex.*

Religiosa Communitas est capax Dominij propriè dicti, non item Religiosus Professus in particulari. fol.296. n.1.& 4. Potest hæc incapacitas etiam reperiri in habente votum paupertatis non solemne. 5.

Religiosus etiam Professus est capax Jurium & bonorum spiritualium, & quasi dominij, vg. Beneficij, Juris eligendi, Juris alimentorum, manendi in tali Cœnobio: possúntque ad hæc Jura tuenda uti remedijs possessorijs. f.297. n.7.

Nulla est repugnantia dominij bonorum fortunæ cum Statu Religioso in persona particulari, nec de ratione voti Paupertatis Religiosæ est, ut inducat incapacitatem dominij, sed solùm, ut tollat omnem licentiam utendi his bonis independenter à consensu Superioris, à quo etiam pendeat voluntas subditi in dominio retinendo, debeátque paratus esse illud à se abdicare quando & quo modo Superiori visum erit. f. eod. n.8.

Religionum aliquæ sunt capaces Successionis nomine suorum Religiosorum, aliæ sunt incapaces. fol.302. n.18. Capaces sunt omnes, præter Domos & Collegia Societatis JESU, & Monasteria Fratrum Minorum de Observantia, & cæterorum qui strictiùs Regulam D. Francisci observant. In reliquis eo ipso quòd quis ritè profiteatur, omnia ipsius bona, de quibus ante professionem saltem per ultimam voluntatem non disposuerat, perveniunt ad Monasterium, non solùm quoad proprietatem, sed etiam quoad possessionem, si Professus ea possederat. Tenetur tamen Monasterium, quoad illius Debita contracta. n.19. & 20. Quodsi Testamentum fecit, adhuc bona ad Monasterium pertinent usque ad illius mortem naturalem, absq; jure revocandi ultimam voluntatem. Posset tamen Religiosus in ultima voluntate disponere, ut statim emissâ professione ad successores pervenirent. 21. De successione in Emphyteusi, Feudo, Jure Patronatûs, aut Retractûs, vide in proprijs vocab. An Ususfructus patris in bonis filij per Professionem veniat ad Monasterium, vel consolidetur cum proprietate, vide, *Ususfructus.*

Sicut Professus debet assignare legitimam filio, ità filius carens descendentibus debet legitimam assignare ascendentibus, si careat descendentibus. fol. 303. n.23.

Quicquid Religiosus Professus, per operas, industriam, aliorum liberalitatem, aut quemcunque alium titulum acquirit, Monasterio acquirit: item in Monasterio successionis capaci hæres scribi potest, & legata capere, ab intestato jure sanguinis succedere, sicut in sæculo, cum translatione jurium in Monasterium: nec potest ob ingratitudinem in sæculo commissam exhæredari. fol. 307. num. 45. Acquiri autem Monasterio immediatè, sicut filius familias patri, & non mediatè sicut servus domino: adeóque eo etiam invito posset Monasterium adire hæreditatem. fol. 308. n. 49.

Succeſſio ab inteſtato defertur Profeſſo jure Codicis. fol.309. n.54.

Si Profeſſus in uno Monaſterio, inde tranſeat ad aliud, etiã capax ſucceſſionis, Bona ante ſecundam Profeſſionem obvenientia ad primum Monaſteriũ pertinent: poſt ſecundam Profeſſionem obvenientia ad ſecundum Monaſterium. fol.eod.n.55. & ſeq.

Tranſeunte Religioſo ex Monaſterio incapaci ſucceſſionis ad capax ſucceſſionis, nõ reviviſcerent Jura, quæ priori obvenire poterant, ſi capax fuiſſet. fol. eod. n. 58.

Religioſus ejectus quod acquirit Monaſterio acquirit, etiamſi injuſtè ejectus ſit, ſpectato Jure comuni. Sed ex ſpeciali Conſtitutione Greg.XIII. ſpectant acquiſita ad Cameram Apoſtolicam, quæ tamen fortè extra Italiam non urget. f.310. n.62.

Tomo 2.

Religioſi Profeſſi non poſſunt regulariter condere teſtamentum. excipiuntur profeſſi Ordinum Militarium. f. 46. n.213

Religioſus ſi ante Profeſſionem teſtamentum condidit, per profeſſionem non rumpitur, ſed ità firmatur, ut revocari non poſſit. Si Religio eſt incapax ſucceſſionis, hæres ſcriptus ſtatim poteſt adire hæreditatem, ſi ſit capax ſucceſſionis, non niſi poſt naturalem mortem profeſſi: interim Monaſterium fruitur bonis. f.47. n.214.

Ut per Profeſſionem firmetur teſtamentum, non eſt neceſſe, quòd dum fieret, cogitaverit de faciendа profeſſione. fol. eod. n.215. Si poſt factum teſtamentum ante profeſſionem diceret, ſe omnia ſua Monaſterio offerre, ſufficienter cenſeretur revocatum, abſque alijs ſolemnitatibus favore cauſæ piæ. eod. In hoc puncto nihil eſt innovatum per Tridentinum Conc. ſeſſ.25. decreto de Regul. c.15. loquitur enim Concilium de diſpoſitione inter vivos, n. 216.

Diſpoſitiones factæ à Candidatis Societatis JESU, nõ ſunt Conditionatæ, pendentes ab eventu ſecuturæ profeſſionis, ſed Abſolutæ. Conditionatè factæ eſſent inefficaces, & revocabiles per ſubſequentem abſolutam diſpoſitionem, vigore Conſtitutionum faciendam, & à Conc. Trid. approbatam, fol 47. n. 217.

Si Religioſus ante Profeſſionem non diſpoſuit, & liberos habet, conceditur illi poſt profeſſionem diſtributio bonorum inter liberos. Si carens liberis habet aſcendentes, Jure communi debet illis legitimam. f.48. nu. 218. Poteſt unum alteri præferre, relictâ tamen alteri legitimâ, & parte proportionatâ Monaſterio reſervatâ. eod.

Religioſi Minorum & Cappucinorum, eorumque Monaſteria, quamvis non poſſint hæredes inſtitui, legata tamen illis relinqui poſſunt, ut tamen non legentur res immobiles (præter domum & hortum) ut eas ſervent, ſed ut ſtatim divendantur, & ne legata fiant in ea quantitate, ut æquivaleant hæreditati, & fraus Legi fiat. f. 61. n. 281.

De Religioſis Societatis JESU, vide, *Societas JESU.*

Religioſus Profeſſus hæreditatem delatam, nec tamen aditam, tranſmittit ad Monaſterium capax ſucceſſionis, excluſo ſubſtituto, niſi cauſa pia eſſet ſubſtituta. fol. 167. n. 40. & ſeq.

Religioſus per ingreſſum in Religionem tollit exhæredationem, & reddit teſtamentum nullum, etiam de Jure Civili. fol. 105. n. 475.

Patre Religionem profeſſo, etiam ſucceſſionis capacem, debetur filio ſtatim ex relicto teſtamento legitima. fol. 114. n. 513.

Religioſus quando tranſmittat hæreditatem non aditam ad Monaſterium, vide, *Tranſmiſſio hæreditatis.*

Religioſi quomodo donare poſſint, vide, *Donatio Regularium.*

Tomo 5.

Religioſus poteſt recuſare ſuum Prælatum ſi procedat ut Judex ad puniendum. fol. 102. n. 81.

An Religioſus, & quando Poſtulare poſſit ſeu Advocatum agere, vide. *Advocatus.*

Religioſi appellatio contra Superiorem à Correctione, ſecundùm ſe & quoad ſubſtantiam ſpectata non recipitur. f. 587. n. 522. Si tamen Superior quoad modum exceedat, licet ad Sedem Apoſtolicam appellare, & ſi Superior non deferat, punitur. n. 523. Extenduntur hæc etiam ad Clericos. n. 524. & ſeqq. ubi privilegia referuntur. Procedit Concluſio, etiamſi Superior eſſet notoriè criminoſus. f. 588. n. 527.

Remiſſio.

Tomo 6.

Judex qui reum deprehendit in territorio domicilij, vel vagabundum, non eſt obligatus remittere reum ad Judicem loci delicti, ſi non petatur: ſed nec prohibetur. f. 17. n. 77.

Judex ratione delicti in ſuo territorio commiſſi, non poteſt jure exigere remiſſionem Rei exiſtentis in alio territorio, cujus Judex nullam habet Juriſdictionem in delinquentem. n. 78. Niſi iſte Judex eſſet ſubjectus Principi petenti remiſſionem. f. 18. n. 81.

Judici requiſito ſufficit ſummaria quædam cognitio delicti à tali perſona probabiliter commiſſi. f. 19. n. 82.

Neque in levioribus criminibus, etiamſi criminaliter agatur. neque in atrocioribus, ſi tantùm civiliter agatur, permittitur Remiſſio. n. 83.

Judex domicilij aut originis non tantùm ex urbanitate, ſed etiam ex neceſſitate tenetur Reum petitum remittere ad Judicem loci delicti, niſi jam prævenіſſet. n. 84.

Si Judex

Si Judex ad quem reus fuit remissus, esset negligens in processu, posset Judex domicilij procedere. num.85.

Superior Judex non tenetur remittere ad Judicem inferiorem, in cujus territorio delictum commissum est. fol.20. n.86.

Vagabundus etiam remittendus est, si requisitus, ad locum commissi delicti. n.87.

Si Judex requisitus recuset injustè remittere, adeundus Princeps, ut eum cogat. n.88.

Si delicti pœna excedat Jurisdictionem Judicis, remittere debet ad Superiorem etiam non requisitus. n.89.

Ad Judicem suspectum non tenetur (quamvis posset) Judex domicilij remittere. n.90.

Captus extra territorium delicti à privatis non habentibus jus ibi capiendi, non potest puniri, sed libertati restituendus est, casu quo fuisset remissus. n.91.

Si quis plurium delictorum in diversis territorijs commissorum reus detinetur ab uno Judice, tunc si pœnæ sunt compatibiles, priùs judicabit, cujus delictum minus est; si incompatibiles, ut pœna mortis, non est opus remissione. n. 92.

Quando delictum est inchoatum in uno territorio, & in alio consummatum ab eodem, & respectu ejusdem, locus est præventioni. fol. 21. n.93. & seq.

Tam mandans quàm mandatarius possunt puniri à Judice illius loci, ubi contractum est mandatum eâ pœnâ quâ puniretur mandatum, si nullus effectus esset secutus. fol. 21. n. 67. Posset etiam uterque puniri pœnâ ordinatiâ ob secutum effectum, si uterque esset illius subditus ratione domicilij, adeóque non teneretur remittere ad illum, ubi delictum est consummatum. n.98. Imò etiamsi non sit subditus. fol.22. n.99.

Cujus expensis facienda sit remissio, pendet ex locorum consuetudine. fol. 22. n.101.

Quid quoad Remissionem hodiernis moribus observetur in diversis Provincijs, vide, n.102.

Insistendo Juri scripto, fur cum re furtiva in alio territorio deprehensus, non est necessariò remittendus ad locum facti furti. fol. 23. n. 104.

Repetundarum crimen.

Tomo 6.

Committitur à Judicibus recipientibus munera, ut aliquid faciant vel non faciant. puniuntur extra ordinem. non possunt dicere testimonium, nec postulare, nec Judices esse. fol. 186. n.553.

Replicatio.

Tomo 5.

Replicatio convenit Actori, & est contraria exceptio contra exceptionem. Definitur, Allegatio adjuvandi Actoris gratiâ comparata, quâ vis exceptionis à reo objectæ, & primâ facie nocentis, sed reverà iniquæ, perimitur ne noceat. fol. 244. n.318.

Quod idem cum proportione de Duplicatione, Triplicatione &c. dicendum. In Imperio ultra Quadruplicationem non proceditur. Jure Bavarico tribus scriptionibus ex utraque parte concluditur. fol. 245. n. 329. ubi n. 331. exemplum Reduplicationis.

Residuorum Judicium.

Tomo 6.

De Residuis furto seu judicio tenetur, qui pecuniam delegatam in usum aliquem retinuit, neque in illum erogavit. Item penes quem pecunia publica resedit, si eam ad ærarium non est professus, aut ultra annum apud se retinuit. fol. 179. n.523. Illius pœna est tertia pars pecuniæ retentæ insuper pendenda fisco, vel cui principale debetur. eod.

Tomo 1.

Committitur etiam hoc crimen de Residuis ab eo, qui habens pecuniam communitati distribuendam, obtrudit invitis aliquid aliud. f. 118. n.262.

Rescissoria actio.

Tomo 1.

Hac actione agitur ad rem usucaptam rescissâ usucapione per officium Judicis restituendam. fol.469. n.385. est in rem actio, Publicianæ è diametro contraria. Habet hodie quadrieñiū, & competit adversùs eū, qui Reipublicæ causâ absens (vel etiam ex alia causâ, ut Studiorum) præscripsit rem existentis in civitate, & absens esse desiit. n.eod. & seqq. aliquando esse potest personalis, nempe quando quis petit rescindi præscriptionem actionis personalis, vg. injuriarum. n.387. & to.5.f.11 1. & seq.

Rescriptum.

Tomo 1.

Rescriptum est Concessio Principis per litteras authenticas legitimè facta, sive secundùm Jus sive contra Jus, dummodo hoc exprimatur, alioquin præsumitur subreptitium. f.59. n.320.

Rescripta Justitiæ sunt strictæ interpretationis, imò & Rescripta Gratiæ ad beneficia 321. & seq.

Rescriptum semper hac conditione nititur: si preces veritate nitantur. Si veritas supprimitur, dicitur Subreptitium, si falsitas exprimitur, dicitur Obreptitium. f. 59. n.323.

Rescriptum Gratiæ subreptitiè obtentum, est Ipso Jure nullum, Justitiæ est irritandū. f.60. n.323.

Illa sunt exprimenda in precibus, quæ à Jure & stylo Curiæ exprimi jubentur. f.60. n.324. & sunt octo. 1. Si quis in eadem materia duo Rescripta impetret, in quorum primo fiat restrictio, in secundo ampliatio cum præjudicio tertij, in petitione se-

ne secundi facienda mentio primi. 315. 2. Si contra Rescriptum delegans certis Judicibus, impetres Rescriptū delegans alijs, facienda mentio prioris. 316. 3. Volens impetrare Rescriptum ad beneficium impetrandum, debet exprimere, quòd habeat Vicariam perpetuam vel aliud beneficium. 327. 4. Rescripti ad provisionem de beneficio impetrati facienda mentio in petitione alterius Rescripti, etiamsi priori renunciatum esset. 318. 5. Receptus in Canonicum cum solo Jure ad Præbendam, volens impetrare Rescriptum ad aliud beneficium alterius Ecclesiæ, debet mentionem facere admissionis in Canonicum. 319. 6. Facienda mentio Consuetudinis vel Statuti resistentis collationi. 330. 7. Exprimendum in petitione beneficij, quòd supplicans sit Clericus. 331. 8. In petitione restitutionis contra spoliationem, exprimenda causa spoliationis. 322.

Alia causa nullitatis est dolus, vel simplicitas, aut ignorantia admissa, tacendo verum, vel narrando falsum, dans causam concessioni. f. 61. n. 333. ubi casus. Si dolus tantùm quoad unum petitionis caput admissus esset, probabiliter quoad illud solum vitiaretur. 334. & seqq. ubi exempla referuntur.

Deficiente causâ impulsivâ solùm, probabiliùs Rescriptum non vitiatur. fol. 62. n. 337. & seqq. ubi n. 340. traditur modus cognoscendi, quodnam sit motivum finale, vel merè impulsivum.

Si in precibus taceatur defectus vitians, vitium non purgatur per hoc, quòd post datam purgetur defectus. f. 63. n. 341.

Error commissus in qualitate adjecta solùm per modum demonstrationis seu declarationis illius rei in quam fertur intentio Principis in Rescripto, non facit Rescriptum Obreptitium, si aliunde constet de re quam Princeps volebat demonstrare, & de intentione dandi Rescriptum etiam secluso errore. f. 63. n. 343. ubi casus. Error verò circa qualitatem adjectam in vim determinationis, reddit irritum rescriptum. 345. ubi casus & exemplum.

Rescriptum mandans aliquid contra Jus commune, non factâ mentione saltem implicitâ Juris communis cui derogatur, reijciendum est. f. 64. n. 346. ubi plura exempla. Item esset reijciendum ob vitiū Latinitatis per Solœcismum, aut constructionem ineptam. 347. item ob saturam in loco suspecto. 348. Quibus casibus suspenditur, donec per aliud rescriptum constet de mente Principis. eod.

Vitium Subreptionis purgatur per clausulam: *Motu proprio*: nisi de contraria voluntate Principis aliunde constet. f. 64. n. 349.

Requisita in Rescripto conformiter Juri communi, erunt, vel non erunt Substantialia, sicut sunt de Jure communi. f. 65. n. 350. ubi exemplum.

Executio comissa Episcopo, vacante Sede, spectat ad Capitulum. f. 65. n. 351. Si impetratum ad Capitulum Sede vacante, antequam præsentetur, electus & confirmatus est Episcopus, ad hunc spectat. 352.

Abusus rescripti reprobantur. 1. si tradatur alteri idem nomen habenti. 2. si ante ortam litem in antecessum impetretur. 3. si ad diversos Judices ad fatigandum adversarium. 4. si ad reconveniendum alibi. Hi abusus puniuntur nullitate Rescripti & Processûs, Condemnatione in expensas. f. 65. 353.

Rescripto impetrato contra plures indefinitè, non ultra tres vel quatuor in Judicium trahi possunt, quorum nomina impetrans in primo citatorio coram delegato exprimere debet. f. 65. n. 354.

Rescriptorum executores & Judices in causis Jurisdictionem involventibus, & ad forum Ecclesiasticum spectantibus, constituuntur à Sede Apostolica, ejúsque Legatis, Personæ habentes vel Dignitatem, vel Personatum, vel Canonicatum in Ecclesia Cathedrali. f. 65. n. 355. Meri executores non indigent tali qualitate. eod. Decreto Concil. Tridentini in quavis Diœcesi quatuor probati viri constituendi sunt, prædictis qualitatibus præditi (inter quos est Vicarius Generalis) quibus præter locorum Ordinarios causæ ad forum Ecclesiasticum delegari possint. 356.

Restitutio seu Reparatio Damni.

Tomò 1.

Restitutionis vocabulum aliter à Juristis, aliter à Theologis sumitur. Theologicè aliquando latiùs, aliquando strictiùs. Latè sumendo, est rei alienæ vel in se, vel in æquivalenti Redditio, sive præsupponat læsionem factam sine non. Strictiùs sumitur pro Reparatione Juris læsi, faciendo ut læsus moraliter perinde se habeat, acsi nunquam læsus esset. fol. 91. n. 126.

Restitutionis præceptum nec semper est Negativū, nec semper Affirmativum. f. 92. n. 130. & seqq.

Restitutionis faciendæ pro damno illato, ex lege naturali, secluso omni pacto, & lege positiva, duplex Radix à Theologis assignatur. Prima est ex *Re accepta*. Secunda ex *Injusta læsione* per formalem injuriam. fol. 94. n. 140. Ex prima nascitur obligatio restituendi rem alienam, apud me inculpabiliter existentem, in se vel in æquivalenti: & commodè testitnibilem. 141. ubi exempla. & quidem rem in se existentem teneor restituere etiam cum jactura pretij fortè pro ea soluti. eod. Si eam bonâ fide absumpsi, teneor restituere in quantum locupletior factus sum, & tibi competet actio personalis in factum vel de dolo. 142. Ex secunda radice teneor de damno dato, etiamsi nihil locupletior factus, imò etiamsi læsus essem. 143.

Restitutionis radix generalis est Necessitas utriusque dictæ obligationis ad felicitatem humanæ societatis. fol. 94. n. 143.

Resti-

Restitutionis ex secunda radice obligationes, vide, *Damnum Injuriâ datum.*

Accipiens aliquid pro actione jam ex Justitia debita, tenetur in conscientia restituere: secùs si solùm erat debita ex alia virtute. 137. num. 351. & seqq.

Non est obligatio restituendi de Jure Naturæ ex Justitia, quod acceptum est pro actione vel omissione turpi & illicita, esto pactum præcedens nullam induxerit obligationem, & etiamsi fuerit actio damnosa tertio, v. g. iniqua sententia Judicis; quo casu Judex nihil quidem tenetur restituere corrumpenti, benè tamen & Judex & corrumpens læso per sententiam. f. 137. n. 354.

Adversùs meretricem non datur condictio quâ repetatur datum. Sed neque meretrici datur actio ad petendam mercedem promissam, quamvis, actu secuto, debeatur in conscientia ex pacto. f. 138. n. 360.

Adversùs turpiter accipientem datur condictio ob turpem causam, quâ repetitur datum pro actione jam antè ex Justitia debita, si turpitudo sit solius accipientis, secùs si turpitudo sit utriusque, quo casu quod datum est, manet apud accipientem. f. 139. o. 363. & seqq.

Cooperantes ad damnificationem ut teneantur restituere, satis est, si influxerunt in damnum, etiamsi sine eorum cooperatione futurum fuisset. f. 141. n. 372. Mandans & consentiens obligantur, si objectivè suo mandato vel consensu influant. 373. Consiliarius ferens iniquum suffragium, postquam numerus suffragiorum irrevocabiliter est obtentus, non tenetur. 374. Tenentur etiam Palpatores, vituperio incitantes. 375. Consulens tenetur, etiamsi revocet consilium, si tamen adhuc influat, secùs mandans si revocavit. 376. Receptores furum quâ talium etiam tenentur. 377. Negativè concurrentes, nisi ob difficultatem impediendi damnum excusentur, etiam tenentur restituere, si ex officio tenebantur impedire. 379. Causa physica principalis tenetur primo loco, nisi ab alio fraude inducta esset. f. 142. n. 381. Causa Instrumentalis, seu physica seu moralis, non tenetur nisi in defectum causæ moralis Principalis, cujus auctoritate operatur. 382. Causa Negativa non tenetur nisi in defectum causæ positivæ. 383. Causa partialis partialitate tam effectûs quàm causalitatis, solùm partialiter tenetur. 385. Si causa secundo loco obligata restituit, habet regressum contra causam principalem. 386. Causæ simul concurrentes tenentur secundùm æstimationem sui influxûs. 387. Causa partialis, sine qua adhuc fieret effectus, probabiliter non tenetur in defectum aliarum causarum totius damni. fol. 143. n. 388.

Qui simul, & suo & aliorum nomine damnificat, æqualiter cum cæteris restituere tenetur. f. 142. num. 385. Restituente causâ primò obligatâ, reliquæ secundo loco obligatæ ad nihil tenentur. 386. Causæ æquè immediatè simul concurrentes & obligatæ, non semper tenentur æqualibus portionibus, sed sæpè inæqualibus, pro majore vel minore influxu. 387. ubi exemplum.

Restitutio pro damno illato facienda est in illo loco, quo si restituatur servatur Læsus indemnis. f. 143. n. 389.

Quod verò debetur ex re accepta sine delicto, est restituendum expensis creditoris: quodsi propter expensas non expedit illi immediatè restitui, restituendum est secundùm intentionem illius saltem præsumptam, & meliore modo quo potest sine damno restituentis. Quodsi majoribus sumptibus opus esset, quàm sit valor rei, neque spes esset, quòd posset asservari in aliud tempus quo ad dominum pervenire posset, tunc disponi potest sicut dicetur de *Bonis inventis.* f. 144. nu. 394. Ubi autem restituendum sit debitum ex Contractu, attendenda praxis, pactum, Natura Contractuum. Regulariter solutio ex contractu ubi non redditur unum pro alio, ut donatione, sufficit restitui in loco debitoris, vel ubi res existit, quando res in specie restituenda, ut deposito, restituenda, ubi deposita. In alijs communiter in loco contractûs. 395. Quando quis in loco debito non solvit, datur adversùs eum actio, ubicunque commorabitur, ut solvat, quantum interest Creditoris, fuisse solutum in loco debito. Et econtra, si stet per Creditorem, datur Debitori actio, ut tantum detrahatur, quantum Debitoris interest, solutionem eo loco factam esse. 369. Pereunte re in via, si erat debita in individuo, nec Debitor fuit in mora, perit Creditori, secùs si fuit in mora, vel solùm debebatur in specie 397. & seqq.

Restitutio fieri potest Creditori Creditoris in re fungibili debita, si cætera sint paria. Non tamen in alia specie. 494.

Quomodo restituendum pro fama læsa, homicidio, Vulneratione, vide, *Detractio. Homicidium.*

Qui in gravi necessitate, alioquin excusante à restitutione, rem alienam apud se habet, cujus Dominus in pari necessitate constitutus est, tenetur eam restituere, quia in tali casu non fit communis. f. 164. n. 489.

Qui debet ex delicto, potest ab obligatione restituendi excusari ob gravitatem damni, quod per restitutionem subeundum esset. fol. eod. nu. 490. ubi exempla. Non excusatur tamen si damnum adæquet summam debiti: bene autem si damnum notabiliter excederet Summam debitam ad-

numerato lucro cessante & damno emergente Creditoris, quo casu posset restitutio differri, vel fieri pauperibus. n. 491.

Bonum inferioris ordinis non est obligatio restituendi cum detrimento bonorum ordinis Superioris in suo genere æquè gravi, dummodo illud non acquisiverit Debitor ex injusta læsione. f. 164. n. 491.

Per Religionis ingressum non excusatur Debitor à Restitutione, si saltem intra biennium potest satisfacere manens in sæculo. fol. 164. num. 492.

Jure Novo prohibentur ingredi debitores ultra vires & facultates suas. f. 156. n. 593.

Restitutio in Integrum.

Tomo 1.

Restitutio in Integrum est reductio in eum locum, in quo quis fuit ante læsionem. Est remedium extraordinarium, quo certis personis subvenitur, quæ in contractibus vel ex imbecillitate Judicij, vel ignorantia Juris, vel alterius injuria, vel alijs causis, in captionem inciderunt, & læsæ sunt, quo omnia in pristinum statum ità reducuntur, ut ille qui restituitur non fiat pauperior ex læsione facta in contractu. fol. 159. num. 461. & seq.

Petitio Restitutionis non est propriè actio, sed Imploratio Magistratûs habentis Mixtum Imperium, imperio prævalente, unde Magistratibus municipalibus non competit potestas restituendi. fol. eod. n. 463.

Petenda est in loco domicilij illius contra quem petitur restitutio. eod. n. 465.

Inferior Magistratus non potest restituere contra sententiam Magistratûs Superioris, & contra Sententiam Judicis Delegati nemo nisi Princeps. eod. n. 466.

Denegatâ semel restitutione, si sententia transijt in judicatum, non conceditur ampliùs ab eodem Judice in eadem Causa, nisi petatur prætextu novarum probationum. Si verò petatur secunda restitutio contra priorem quâ quis putat se læsum esse, conceditur regulariter, non tamen in casu qui habetur *l. fin. §. 6. C. de bonis quæ liberis.* fol. 159. num. 467. & seq.

Liberis & libertis contra Parentes & Patronos non conceditur Restitutio in integrum. fol. 160. num. 469.

Beneficium hoc est mixtum ex reali & personali, quatenus non solùm personæ sed etiam causæ conceditur. unde conceditur etiam Minoris hæredi quantumvis Majoreoni. fol 160. n. 470.

Non competit fidejussori, quamvis, si solvit, possit actione mandati convenire restitutum principalem. fol. eod. n. 471.

Sicut interpositâ appellatione suspenditur sententia, ità etiam petitâ restitutione in integrum, donec causa restitutionis contra latam sententiam ventiletur. fol. 160. num. 471.

Tempus, intra quod hoc Beneficium obtineri potest, est quadriennium, à die scientiæ læsionis, & facultatis experiundi. fol. 161. num. 473.

Causæ concedendi hoc beneficium septem enumerantur. 1. Metus. 2. Dolus malus, aliud simulando & aliud agendo. 3. Ætas minorennis, ità ut extremus dies anni vigesimi quinti (in Bavaria vigesimi primi) & hora ejus ultima à momento in momentum computentur. 4. Capitis diminutio minima. 5. Justa absentia Reipublicæ causâ. 6. Substitutio potentioris adversarij per alienationem. 7. Pietas & reverentia debita locis & communitatibus Religiosis, Republicæ, & Civitati. fol. 161. n. 475. & seq.

Minorennis restituitur non solùm contra eum qui circumvenit, sed etiã contra eum ad quem pervenit res, in qua minor læsus est, si tertius possessor sciens rem ità venditam esse à Minore, nihilominus emit: vel si prior qui à minore emit, solvendo non est. fol. eod. n. 475.

Minorennes non restituuntur in contractu Matrimonij, Religionis ingressu, delictis, venditione sui ad habendum pretium, si Major factus ratum habet, quod Minor gessit. fol. 161. num. 477.

Minor non restituitur adversùs Minorem, si uterque æqualiter læsus est, vel si habet remedium ordinarium. fol. 162. num. 478. ubi referuntur casus.

Minor per imprudentiam renuntians beneficium Ecclesiasticum alteri deinde collatum, probabiliter restituitur. f. 162. n. 480.

Minor etiam restituitur, si per Sententiam adversùs Curatorem latam læsus est, modò Curator caverit, rem pupilli salvam fore. fol. 162. n. 481.

Factâ restitutione in integrum, non solùm res principalis restituenda est, sed probabiliter etiam fructus, qui tempore quadriennij percepti sunt, in quantum alter locupletior inde factus est, detractis tamen illis, quos ex suo soluto pretio lucratus interim fuisset. fol. 162. num. 483. & seqq.

Leges absolventes Minorem à restitutione pretij malè consumpti, temperandæ sunt, quando ex parte emptoris dolus intervenit. Quod si solutum est eum consensu Curatoris, dabitur adhuc restitutio, ut denuo solvatur, salvâ actione adversùs Curatorem, nisi solutio fuisset redituum, aut annuæ pensionis. f. 163. n. 487.

Contra Præscriptionem delictorum non restituuntur Minores in integrum ad accusandum. fol. 459. n. 322.

Majorennes non restituuntur in integrum contra præscriptionem, etiamsi ex invincibili ignorantia rem suam non repetierunt. fol.462. n. 345.

Tomo 5.

Restitutio in integrum non est actus simplicis Jurisdictionis, sed Imperij. fol.7. n.27.

Restitutoria Actio.

Quâ ratione competat Creditori in casu quo mulier pro alio fidejussit, vide, *Vellejanum SCtum.*

Retorsio.

Tomo 1.

Retorsio est legitima injuriæ verbalis in ipsummet injuriantem propulsatio, honoris tuendi causâ in continenti propriâ auctoritate facta. fol.182. n.584. Perimit actionem injuriarum. & Jure Bavarico non datur retorsio retorsionis. fol.182. num. 585.

Retorsionis macula ne inhæreat, adeundus judex à gravato, qui cognoscet an legitimè sit facta. eod.

Potest fieri à persona specialiter conjuncta injuriato. fol.eod n.586. Item quando verum crimen, sed occultum objectum est. n.587. ubi, quid Jure Bavarico.

Subditus adversùs suum Magistratum uti retorsione non potest. eod. n. 588.

Retorsio potest fieri scripto. fol.eod. n.589. ubi praxis securissima traditur.

Retorsio in personam indefinitam generalibus verbis factam, nullam habet vim. fol. 183. n.589.

Retractus.

Tomo 4.

Retractus est Jus, Lege vel Consuetudine, vel Statuto introductum, quo conceditur alicui revocatio rerum ab alio alienatarum: quod Jus etsi aliqualiter fuerit per leges abrogatum, pluribus tamen in Provincijs, & specialiter in Bavaria reductum est. ubi aliqua à communi Germaniæ consuetudine diversa observantur. fol. 76. num. 211. ubi in compendio referuntur Novendecim Articuli Juris Bavarici.

Vocatur etiam Jus Protimiseos: Jus congrui: Retractus Municipalis, & Legalis, ad distinctionem à Conventionali. f.77. n.213.

Retractus Municipalis dividitur in Gentilitium, Partialem, & Territorialem, quibus addunt aliqui Censualem. Gentilitius competit proximis Consanguineis, vulgò, Erb-Einstand. Erblosung. Partialis Socio in re communi. Theillosung. Territorialis competit illis, qui sunt ex territorio vendentis, contra extraneum emptorem. Marcklosung. eod. & seq. Gentilitius non convenit affinibus, nec uxori, nec socero, nec genero. f.78. n. 215.

Si Venditor proximo consanguineo denuntiavit, pretium & Emptorem indicavit, ille verò respondit, se hac vice non habere voluntatem emendi, salvum habet jus Retractûs, etiamsi non expressè hoc Jus sibi reservaverit. Quod de Jure Bavarico posset esse dubium. est tamen verisimilius. fol. 78. n. 216.

Si res vendita fuit duorum habentium diversos consanguineos, & unius consanguinei juri suo renuntiant, alterius consanguinei non possunt invito emptore totum retrahere, sed necessariò incident cum emptore in communionem, nisi hic malit (prout potest) illos cogere, ut vel totum retrahant, vel nihil, quia ipse non emisset partem. fol. eod. n. 217.

Si consanguineus ante celebratam venditionem venditori renuntiaret, verius est, quòd non liceret illi pœnitere, sicut non licet pœnitere, si post contractum renuntiet emptori. fol.78. n.218.

Si consanguineus Venditoris renuntiet suo juri in favorem emptoris extranei, qui deinde rem emptam vendat alteri extraneo, renuntians non videtur habere jus retrahendi ab hoc ultimo emptore. fol. 79. n. 219.

Renuntiatio tacita, consistens vg. in subscriptione vel testimonio, vel alio modo promovendi contractum, non adjectâ protestatione, idem operatur quod renuntiatio expressa, nisi ex officio subscriptum esset, vg. à Notario: vel ex Statuto præsentia requireretur. fol. eod. 220.

Jus Retractûs competit consanguineo, etiamsi Venditoris hæres existat, & etiamsi nec inventarium fecerit. fol. 79. n.221. Posset tamen hæres à defuncto gravari, ut si hæres esse vellet, non retraheret, nempe si Emptori promisisset, rem non fore obnoxiam Retractui. eod.

Etsi jure communi adhuc esset locus Retractui, si res immobilis cum mobili commutaretur, Jure tamen Bavarico universim ex permutatione non est locus Retractui. fol.80. n.223.

Ex eo quòd res vendita per publicam subhastationem retrahi non possit, non licet inferre, quòd idem dicendum, si debitor compellatur à Judice ad vendendum. f.81. n.224.

Non esset locus Retractui, si inter Venditorem & Emptorem convenisset, ut casu quo quis Retractum attentaret, contractus sit nullus, nisi contrahentes postmodum in Retractum consentirent. fol. eod. n.225.

Retrahere volenti licet pœnitere, etiam jam oblato & deposito pretio, sed Retractu necdum perfecto. fol. eod. n.226.

Vi Salvi Conductûs concessi, non potest reus in territorio concedentis de novo delinquere. n. 156.

Jurisdictioni alienæ, per quam reo fortè transeundum est, non præjudicatur per Salvum Conductum, quominus capi possit. f. 240. n. 157.

Salvus Conductus concessus cum clausula: *donec in pœnam condemnatus fuerit*: durat, donec sententia transeat in rem judicatam, nec antè incarcerati potest. Suspectus de fuga debet cautionem præstare. Contra fugientem procedendum, sicut, si nunquam comparuisset. f. 240. n. 158. & seq.

Violans Securitatem concessam per Salvum conductum, concessum à Principe, puniendus pœnâ Læsæ Majest. n. 160.

Non obstante Salvo conductu, potest reus delictum in Judicio confessus in carcerem conijci, & latâ sententiâ puniri. f. 240. n. 161.

Fidejussores ad obtinendum Salvum conductum dati, obligantur ad reum Judicio sistendum, & ut pœna, ad quam condemnabitur, possit executioni mandari. n. 162. Quæ cautio non est necessaria, si reus habet sufficientia bona immobilia, nu. 163. In defectum cautionis fidejussoriæ, & bonorum, Juratoria non admittitur, nisi in delictis levioribus n. 164. Liberantur Fidejussores, si Reus saltem se sistat ad audiendam sententiam. n. 165.

Reo in termino præfixo non comparente, fidejussoribus permittitur purgatio moræ, & prolongatur terminus. f. 241. n. 166.

Reo se non sistente, potest Accusator, etiam post solutam à Fidejussoribus pœnam, pergere in accusando, usque ad Sententiam Banni. nu. 167. præmissâ tamen novâ citatione ad audiendam sententiam Banni. n. 168.

Salvus Conductus prodest toti familiæ reum comitanti, nisi quis ex illa etiam reus esset. num. 169.

Salv⁹ Conductus concessus intuitu unius delicti, extenditur etiam ad alia minora non expressa. nu. 170. Generaliter pro omnibus concessus, non extenditur ad futura. n. 171.

Salvus Conductus potest quidem ex gravibus causis de novo emergentibus revocari, sed absque hujus notificatione Reus capi non potest. f. 242. nu. 172.

Finitâ Jurisdictione, vel morte concedentis, re adhuc integrâ, exspirat Salvus Conductus concessus. n. 173.

In causa fractæ pacis publicæ, solus Judex Cameralis nomine Imperatoris concedere potest Salvum Conductum. n. 174.

Sanctio.

Tomo 1.

Sanctio strictè, est Lex aliquid sub pœna capitis præcipiens vel prohibens. f. 2. n. 2.

Satio.

Tomo 1.

Est Modus acquirendi Jure gentium, similis Plantationi. vide, *Plantatio*. Malæ Fidei sator & Possessor, potest fructus auferre, nisi dominus agri sumptus refundat. f. 425. n. 145.

Satisdatio.

Tomo 5.

Satisdatio strictè fit dato fidejussore, latiùs, etiam pignoribus. f. 171. n. 489.

Satisdatio Judicialis est triplex. Judicio sisti. Rem ratam haberi, seu de rato. Judicatum solvi. n. 490.

Reus conventus non compellitur universim hodierno Jure Satisdare Judicatum solvi, sed: Judicio sisti. n. 491. Quodsi non possideat bona immobilia, exigitur fidejussoria, vel, his deficientibus, pignoratitia de Judicio sisti. num. 492. Nec esset idoneus fidejussor gaudens privilegio fori, nisi huic possit renunciare. f. 172. n. 493.

Si de sufficientia & idoneitate oblati fidejussoris dubitetur ab Actore, Arbiter constituitur: quodsi idoneus reipueretur, injuriarum actione conveniri posset. n. 494.

Viri Illustres & in dignitate constituti, sufficienter cavent Juratoriâ cautione: *Judicio sisti*. Et qui probaverint, se nec fidejussores nec pignora habere posse. n. 495. Hodie non aliam cautionem præstat Actor, quàm de sumptibus litis, & damnis resarciendis si succumbat. n. 496. Rei Possidentes bona immobilia, sufficientia ad litis æstimationem in Judicis territorio non nisi ad nudam promissionem adiguntur. n. 497.

An in causis capitalibus Fidejussoria cautio admitti possit, volunt aliqui probabiliter, Judicis arbitrio relinquendum. f. 173. n. 498. quamvis communiùs negetur. eod. & seq.

Procurator Actoris exhibens Judici mandatum, non tenetur cavere de rato, secùs tenetur. f. 173. n. 501.

Satisdatio exigenda & præstanda est ante litis contestationem, alioquin Procuratore recusante Reus absolvetur refusis expensis. f. 174. n. 503.

Ratihabitio fieri potest verbis & actibus. num. 504.

Si Reus præsens constituit Procuratorem, debet pro hoc cavere, *judicatum solvi*. Et de comparendo ad audiendam sententiam. n. 505.

In Satisdatione *Judicatum solvi*: tres Clausulæ intelliguntur. 1. De re judicata. 2. De re defendenda. 3. De Dolo malo. quæ explicantur. fol. 174. à n. 506.

Scripturæ Sigillatæ.

Tomo 5.

Sigilli Authentici seu publici appressio, facit

Scripturæ

Scripturæ plenam fidem, si cætera de consuetudine requisita interveniant, in illis casibus, in quibus sola Subscriptio sufficeret, quia sigillum habet vim Subscriptionis. f. 385. n. 577.

Pro sigillante tamen non probat, nisi sit Supremi Principis. n. 578.

Sigillum authenticum Ordinarij Scripturæ privatæ appressum, cum Subscriptione duorum testium, plenè probat pro tertio & contra tertium in quibuscunque negotijs. n. 579. Etiam non pertinentibus ad Officium sigillantis. n. 580. Si ad Officium sigillantis spectet, plenè probat etiam sine testium Subscriptione. n. 581.

Si Scriptura privata tempore productionis caret sigillo, non probat, etiamsi ibi diceretur, Sigillum fuisse appressum, & in charta appareret hujusmodi appressionis vestigium. n. 582.

Quando Sigillum est adeo fractum, ut ex residua parte non possit cognosci, quòd sit illius, cujus esse dicitur, nil probat. f. 386. n. 583.

In Scripturis privatis sigillum privatum idem operatur, quod Subscriptio, cum hoc tamen discrimine, quòd fortiùs probet, actum fuisse absolutum, quia apponitur tanquam ultimum complementum. n. 584.

Sigillum privatum plenè probat contra sigillantem, ea quæ continentur in Scriptura, si sit à sigillante recognitum. n. 586.

Qui negat, sigillum esse suum, non potest gravati ad hoc probandum, sed potiùs adversarius. Qui verò fatetur esse suum, sed negat suo consensu esse appressum, tenebitur hoc probare. fol. 386. n. 588. & seqq.

Scripturarum & Sigillorum Recognitio.

Recognitio facienda est coram Judice, nisi conditio personæ requirat, ut domi fiat. f. 388. n. 596.

Personæ conjunctæ possunt admitti, si suspicio cesset. Item Subditi in absentia Domini, si juramento fidelitatis sint soluti. n. 598.

Procurator habens speciale mandatum recognoscendi, si neget esse manum Principalis, debet à Principali exigi recognitio. n. 599.

Testes asserentes se optimè novisse manum, non est necesse ut testentur, se vidisse scribentem. num. 600.

Scripturæ publicæ non habent opus aliâ recognitione quàm Judicis. n. 601.

Renuntiationem Recognitionis Jura non admittunt. fol. 389. n. 603.

Scopelismus.

Tomo 6.

Est quædam species Diffidationis: nempe positio lapidis in agro alieno, per hoc significando, quòd colens talem agrum, ex ponentis insidijs sit periturus. fol. 95. n. 161.

Secretum.

Tomo 6.

Secretum naturale non impedit manifestandi obligationem, quando ex malitia interveniente damnum grave imminet, etiamsi juratum esset. fol. 268. n. 307. absque periculo damni non tenetur testis à Judice interrogatus manifestare secretum, imò tenetur uti restrictione mentali, & servare secretum. fol. 269. n. 308.

Seditio.

Tomo 6.

Seditiosi dicuntur, qui illicitas congregationes & conventicula à Jure reprobata furtim pa ant, cives populúmque commotionibus turbant. fol. 187. n. 555. Puniuntur quandoque gladio, quandoque leviùs, pro qualitate facti. n. 556.

Solus conatus non punitur pœnâ ordinariâ. nec etiam si quis tumultum excitavit ad ulciscendum se de inimico. n. 557.

Sententia.

Tomo 1.

Sententia lata à Principe, non habet vim Legis, nisi hoc jubeat Princeps. fol. 7 n. 35.

Tomo 5.

Sententia Judicis ut partes obliget in conscientia, satis est, si non constet de injustitia. fol. 105. num. 100.

Si sententia realiter quidem injusta, formaliter autem justa est, solùm in foro externo, ut scandalum vitetur, obligat. fol. 106. n. 101. ubi exemp.

Absolutus per allegata & probata, sed sciens se debitorem, tenetur in conscientia, sicut si non esset absolutus. fol. eod. n. 102. ubi casus.

Sententia inter alios lata alijs quibusdam etiam scientibus obest, quibusdam verò, etiamsi contra illos judicatum sit, nihil nocet. f. 254. n. 576. & seq. Plura de sententia, quid & quantùm probet in alio vel eodem Judicio, vide, *Acta Publica.*

Sententia definitur in genere: Pronuntiatio Judicis super re à litigantibus proposita. fol. 496. num. 1.

Pronuntiatio Arbitri non est propriè sententia. fol. 494. num. 4.

Sententia Interlocutoria est propriè sententia, licet non antonomasticè sicut Definitiva. n. 5.

Sententia illa est Interlocutoria, quæ super emergentibus & incidentibus fertur, sed non tangit negotium principale, nec finem causæ imponit. fol. 495. n. 7. ubi n. seq. quid intelligatur per *Incidens & Emergens.*

Sententiam interlocutoriam non posse à Judice revocari, est probabile. n. 13. & seqq. Oppositum æquè probabile, sed cum limitationibus. n. 18. relatis.

Sententia Definitiva est, quæ Principalem Controversiam determinat. f.498.n.20. Plures illius differentiæ referuntur. eod.

Sententia pronuntians Instrumentum esse executioni mandandum contra aliquem, est Definitiva. fol. 499. num.21.

Sententia pronuntians lapsa esse fatalia, & appellationem desertam, est Interlocutoria. n. 23.

Sententia quâ confessus condemnatur ad solvendum, quia diverso modo ferri potest, aliquando erit definitiva, aliquando interlocutoria. n.24.

Sententia absolvens ab observatione Judicij ob absentiam Actoris, est interlocutoria. n.25.

Sententia Diffamanti silentium imponens, ob non comparitionem, est interlocutoria. n.26.

Si de Possessorio pronuntiatur Principaliter, est Sententia definitiva, secùs si Incidenter. fol. 500. num.27.

Sententia condemnans in expensas lata cum principali, est definitiva. post definitivam in principali non potest fieri nisi eodem die. n.28.

Sententia debet continere nomen Judicis, partium, tenorem libelli, substantiam processûs, partium præsentiam, vel contumaciam. fol.500.n.30. Item sensum condemnatorium vel absolutorium. n.31. Sufficiunt tamen verba æquivalentia. n. 32. ubi exempla.

Sententia debet ità clarè concipi, ut non remaneat ambiguum, quem absolverit, aut condemnaverit, aut in quo. fol.501. n.33.

A Sententia sub conditione extrinseca lata, potest appellari. nu. 35. Sub conditione falsa, est omnino nulla. n. 36. ubi casus. Obligans ad impossibile, ipso jure est nulla, adeoque non est periculum, ut ob neglectam appellationem transeat in rem judicatam. n.37. Conditio intrinseca non vitiat Sententiam. n.39. & fol.502. n.41. ubi, quænam sint conditiones intrinsecæ.

Sententia non debet in incerto versari. Unde, nisi ex Actis constaret, non valeret, *Solve quod debes*. f.502. n. 41. & seqq.

Ut Sententia contra leges apertas lata, sit ipso jure nulla, nec possit transire in rem judicatam, non sufficit; requiritur, ut sit à Judice sciente hanc contrarietatem lata. fol.503. n. 49. & seq.

Si Judex pronuntiet contra Jus manifestum, putans illud ad rem non facere, opus est appellatione. fol. 504. n. 51. Idem est, si Judex ignoravit legem. n. 53. Idem dicendum de Sententia lata contra communem DD. opinionem. num.54. & seqq.

Quando Judex non habet ullum grave & difficulter solubile fundamentum contra communem opinionē probabiliter fundatā, Litem facit Suam. fol.505. n.65. Neque habet repetitionem damni soluti ab eo, pro quo malè judicavit. n.64.

Suffragijs Judicum imparibus, valet Sententia majoris numeri, per se lquendo. f. 506. n.67.

Si post conclusionem in causa unus Judicum se subduceret, Sententia à cæteris lata non teneret. num. 68.

Sententia duorum ex tribus Arbitrorum absente tertio, Jure Civili non valet: jure Canonico, si citatus non compareat, possunt duo Sententiam ferre. n.69.

Discordantibus in pari numero Delegatis, illa Sententia valet, quam Delegans confirmaverit. fol.507. n. 72. Discordantibus Ordinarijs, prævalet Sententia favorabilior. n.73.

Asserens, se non posse ferre Sententiam, quia sibi non liquet, debet hoc jurejurando confirmare, & tunc cæteri procedunt. n.75.

Si Judex est dubius, nec potest se resolvere, potest cogere partes, captis pignoribus, ad amicabilem compositionem, vel si malint, ad divisionem, aut sortem. fol. 509. n.81.

Potest super eadem facti specie à diversis Judicibus diversis temporibus inter diversas personas ferri diversa Sententia. n.83.

Regula, quòd Sententia debeat esse conformis libello, non procedit in criminalibus. f. 510. n.86. Ut autem sit conformis, sufficit esse conformem in re, causa, & actione, etiam non attentis alijs circumstantijs in libello contentis. Neque huic conformitati officeret, si pronuntiaretur super correlativis, & quæ sunt de natura petitorum. n. 87. & seq.

Quando Sententia prolata est de pluribus causis in libello contentis, sed nō nisi aliqua est sub jurisdictione Judicis, valet Sententia de illa causa. f. 511. n.91. Item si petitur una sum̄a tanquam unum caput excedens Jurisdictionis summam, valet Sententia quoad summam Jurisdictionis. n.92.

Etiamsi Judex de aliqua causa tanquam principali non habeat potestatem judicandi, potest tamen de ea judicare, si se habeat incidenter, ob continentiam causarum. n.95.

Sententia noctu lata, non valet attento jure scripto tam Civili quàm Canonico. fol. 512. n.97. & seqq. ubi n. 100. vide limitationes.

Sententia lata contra absentem non contumacem, si lis præsentibus partibus inchoata est, valet quidem, sed potest per appellationem rescindi. fol. 513. n. 102.

Non est de substantia Processûs, Sententiam ferri in loco consueto. n. 103.

Sententia contra absentem contumacem lata, est firma. num. 104.

Senten-

Sententiarum nullitas in Camera non attenditur (nisi proveniat ex defectu Jurisdictionis) si de meritis causæ ex Actis liquidò constet. n.105.

Sententia lata ob testimonium à corruptis testibus latum, rescinditur restitutione in integrum, probatâ corruptelâ, & falsâ testificatione. fol.514. n. 106. & seqq. ubi casus. Et talis Sententia est perpetuò rescindibilis, & hoc sensu ipso jure nulla. n.110. & seq.

Ob Instrumenta antiqua de novo reperta, regulariter non retractatur Sententia in negotijs privatis. fol.515. n.113. & seqq. ubi septem exceptiones referuntur. Neque ab hac regula excipiuntur Testamenta de novo reperta. fol. 517. num. 122.

Sententia contra Rempublicam, seu in negotio publico lata, retractari potest per Instrumenta noviter reperta, non tamen nisi causâ cognitâ. f.518. num. 128. Hodie solùm cognoscendum est, an lapsum sit quadriennium restitutioni taxatum. n.130. Hoc Privilegium etiam ad Ecclesiam extenditur. n.131. Non tamen ad causam pupilli, minoris, & furiosi. fol. 519. Nec ad illos, qui ex probabili ignorantia non produxerunt Instrumenta noviter reperta. Nisi fortè ex æquitate. num.136.

Qualis Sententia ferenda sit super Interesse, vide, *Interesse.*

Qualis Sententia ferenda sit super Expensis, vide, *Expensæ.*

Plura vide, *Judicatum*, seu *Res Judicata.*

De Sententiæ executione; vide, *Executio.*

Tomo 6.

Quomodo Sententia condemnatoria concipienda, formanda, & publicanda sit, vide, f. 330. per totam Controversiam.

Sententia non debet differri ob contumaciam Rei, nolentis se disponere ad mortem. f.331. n.564. in fine.

Sequestrum.

Tomo 4.

Sequestrum aliud est Voluntarium, aliud necessarium. Illud est, quando litigantes mutuo consensu eligunt aliquem, apud quem res litigiosa interim dum lis durat, deponatur, reddenda Victori lite finitâ. Necessarium, quando à Judice coguntur rem deponere apud tertium. Utrumque est species Depositi. fol. 254. num. 790. & seqq.

Sequester per Sequestrationem nunquam acquirit possessionem, ità ut desinat esse in possidente, & usucapio non currat, nisi hoc expressè convenerit, ut ipsa possessio, de qua fortè litigatur penes quem sit, sit in sequestro deposita, adeóque in Sequestrem translata. f. 156. n.793.

Prohibitum est Judicibus Sequestrum partibus imponere regulariter loquendo, quamdiu Actor non probaverit, alterum esse debitorem. fol. 257. n.796. ubi speciale Juris Bavarici. Prohibitio hæc non tantùm procedit de pecunia, sed de quacunque alia re etiam litigiosa. n.797. An etiam Jure Canonico sit prohibita ista sequestratio, non est certum. eod.

Sunt tamen plures casus, in quibus rectè fit hujusmodi Sequestratio per Judicem. Primus si ex persona litigantis periculum sit, ne vel cum re aufugiat; vel eam dissipet. fol. 258. num. 799. Secundus casus. Si dominus in servitutem revocat eum, quem pro mancipio possederat, sed is in libertatem proclamavit, tunc servi peculium est sequestrandum, donec de servitutis causa est judicatum. n. 800.

Tertius casus. Si debitor jam condemnatus, ab executionis excessu appellavit, appellatione receptâ res litigiosa est sequestranda. In his casibus etiam fructus rei immobilis sequestrandi sunt, si à possessore dissipentur, nisi cautionem præstet. fol. 258. n.801.

Quartus casus. Si utraque pars litigantium contendat se possidere, & subsit armorum periculum, potest fieri rei litigiosæ sequestratio. Si tamen unius possessio esset certa, etiamsi subesset armorum periculum, Superior deberet alijs remedijs turbantem compescere. fol.259. n 802.

Quintus casus. Quando inter dominum & colonum lis est de dominio rei; & colonus recusat satisdare de fructibus restituendis, fructus sunt sequestrandi. fol. eod. n.803.

Sextus casus. Quando duo super beneficio litigant; quorum neuter per triennium pacificè possedit, & à Sententia fuit appellatum. fol. eod. num. 804.

Septimus. Sequestrari potest res absentis per contumaciam. n. 805.

Ex re sequestrata sunt subministrandi sumptus & sustentatio illi litiganti, qui aliunde non habet unde vivat; aut expensas litis solvat, quia Sequestrum passus est. eod.

Sequester tenetur rem sequestratam fideliter custodire, fructus colligere, perituros distrahere, pretium collectum pro usuris credere, reddere rationes, ac lite finitâ vincenti rem cum fructibus restituere. Jure Bavarico est illi levis culpa præstanda. fol. 260. n. 806.

Oblatâ idoneâ cautione de re litigiosa conservanda & restituenda, est relaxandum Sequestrum: non sufficeret cautio juratoria invito adversario. fol.eod. num.807.

Sequestrum finitur 4. Modis. Litis terminatione: renunciatione factâ ex causa justa & approbata: purificatâ conditione, vel adveniente die, in quem

in quem fuit res accepta in Sequeſtrum. morte ſequeſtris. fol. eod. n.808.

Victori competit Actio Depoſiti ſequeſtraria directa adversùs ſequeſtrem, ut reſtituat & rationes reddat. Sequeſtri datur actio contraria ad conſequendos ſumptus & damna. fol.260. n.809.

Quando Sequeſtrum eſt Judici prohibitum, ſolet fieri Inventarium per Notarium. f. 261. n.810.

Sequeſtrum differt ab Arreſto quatuor modis, quos vide numero eodem.

Serviana Actio, & Quaſi Serviana.

Tomo 4.

Servianâ Actione experitur Locator fundi ruſtici, de rebus coloni, quæ pignotis jure pro mercede fundi ei tenentur. fol.181. n.574. Verius eſt, non ſufficere, ut ſciente & conſentiente locatore fuerint res illatæ, ſed requiri expreſſam conventionem. n.575.

Locatori Prædij Urbani datur actio Quaſi Serviana, quæ eſt quaſi generalis hypothecaria, competens cuivis Creditori ex quavis cauſa pignus hypothecamve habenti. Eſt Actio prætoria. f.182. num. 577. & fol.301. n.945.

Tomo 5.

Res illius, qui coloni colonus eſt, non ſunt oppignoratæ locatori primo, ſi non intervenit expreſſum pactum. fol. 110. n.178.

Quaſi Serviana datur etiam pro rebus ab Inquilino Inquilini illatis. f. 120. n. 181.

Res illatæ non tantùm pro penſione, ſed etiam pro deterioratione obligatæ ſunt. n.182.

Servitus.

Tomo 1.

Servitus in genere eſt Jus in re alteri conſtitutum, jus domini minuens, alterius augendi causâ, ut cogatur dominus aut quid non facere in ſuo, aut alterum facientem pati, quatenus commoda utentis requirunt. fol.223. n.223. Non requiritur utilitas proxima, ſufficit radicalis & remota. fol. 224. n.58.

Omnis qui pleno jure dominus eſt, poteſt ſervitutem rei ſuæ imponere tam inter vivos, quàm per ultimam voluntatem. Imò in inſtanti tranſlationis dominij. fol.224. n.60.

Si res ſit pluribus communis indiviſim, unus ſine conſenſu aliorum conſtituere ſervitutem non poteſt. Si pertineat ad aliquam communitatem, requiritur, ut ſaltem major pars conſentiat. Si verò eſt communis pluribus ut ſingulis, omnium conſenſus requiritur in vivis. Uſusfructus tamen poteſt pro parte conſtitui ab uno ſolo. fol. 224. n. 61. Si quis Prior ceſſit, defunctus ſit, vel alter ſocius eſſe deſijt antequam ſecundus cedat, tunc etiamſi ſecundus poſtea cedat, non eſt conſtituta Servitus, nec ceſſio defuncti confirmatur, ſed opus eſt, ut hæres illius (ſi quidem fiat ſocius) conſentiat. eod. Si duo domini diverſis teſtamentis eandem ſervitutem legârunt, tunc, ut ſervitus conſtituatur, neceſſitas ut hæreditas amborum ſimul adeatur. In caſibus his, quibus Teſtamentaria ceſſio, confirmari non poteſt poſterioribus ceſſionibus, datur adversùs hæredem actio perſonalis ex teſtamento, ut reliquorum ceſſionem confirmet. eod.

Proprietarius poteſt Servitutem nihil præjudicantem Uſufructuario, imponere rei fructuariæ, præjudicantem autem ne quidem cum conſenſu Uſufructuarij, ità legibus ſtatuentibus, quarum vix poteſt commoda ratio reddi. f. 225. n. 62.

Vaſallus, Emphyteuta, Superficiarius, poſſunt etiam irrequiſito domino directo Servitutem imponere, utpote habentes utile dominum: ſed reſoluto Feudo, Emphyteuſi, Superficie, etiam Servitus reſolvitur. f. 226. n. 64.

Maritus non poteſt imponere Servitutem rei dotali, nec Tutor rebus Pupilli aut Curator. eod. n.65.

In Judicio Familiæ erciſcundæ aut communi dividundo, poteſt Judex exigentibus prædijs Servitutem imponere. f. eod. n. 66.

Adjectio temporis vel conditionis in conſtituendis Servitutibus prædialibus, quamvis de Jure habeantur pro non adjecta, exceptione doli tamen à Prætore defenditur. n. 67. Modus tamen Servitutibus adijci poteſt. f. 227. n. 68.

Servitutem proſequimur actione confeſſoriâ, quæ eſt Vindicatio Servitutis alteriúsve Juris, à re alterius nobis vel prædio noſtro debitæ, competens adversùs impedientem ad declarationem Juris noſtri, utque ceſſet impedimentum facere, & eo nomine caveat. f. 227. n.70. Directa quidem datur ſoli domino directo prædij, aut cui Servitus conſtituta eſt, utilis verò etiam habentibus utile dominium. Uſufructuario competit quaſi in conſequentiam, dum petit ipſum Uſumfructum. fol. 227. n. 71.

Datur adversùs injuſtè impedientem etiam ipſummet dominum, & eum qui deſijt dolo poſſidere, vel ſe liti obtulit. f. 228. n. 72.

Negatoria actio opponitur Confeſſoriæ, & eſt actio in rem, quâ negamus, rem noſtram Adverſario vel fundo illius Servitutem debere, eámque quoad Adverſarium qui Servitutem prætendit, liberam declarari petimus, & ſatisfieri nobis pro damno per attentatam dato. f. eod. n. 73. Vindicatur ergo libertas, & ſic eſt in rem. 74.

Præter Confeſſoriam competit etiam novi operis nuntiatio adversùs eum, qui ædificando impedit Servitutis uſum. Non poteſt tamen Uſufructuarius ſuo nomine nuntiare, ſed nomine Procuratorio, quatenus ei commiſſa eſt rei ſervientis

cura,

cura, & ideo contra ipsum dominnm non competit, sed sola Confessoria. Habens tamen Servitutem realem suo prædio debitam, potest opus novum nuntiare etiam domino prædij servientis. f. 228. n. 75.

Servitus alia est Personalis, alia Realis. Personalis est, quæ à Re aliena debetur immediatè Personæ à qua, & in cujus commodum dominus rei aliquid in ea pati cogitur. & sunt: Ususfructus: Usus: Habitatio. Realis est, quæ immediatè à prædio alieno debetur prædio nostro. f. 229. n. 77.

De Speciebus, vide propria earum nomina.

Servitutis Possessio quomodo acquiratur, vide, *Possessio.*

Servitus Prædialis seu Realis.

Servitus Prædialis requirit duo Prædia, quorum unum dominans, aliud serviens dicitur. Si redigantur sub ejusdem dominium, Servitus manet suspensa, donec dominia separentur. f. 245. num. 150.

Sicut Prædium aliud est Rusticum, aliud Urbanum, ità Servitus prædialis alia dicitur Rustica alia Urbana. Urbanum prædium illud dicitur, quod, sive sit ruri sive in urbe constitutum, principaliter ad habitandum, vel etiam lucri aut voluptatis gratiâ ædificatum est, & ideo vocatur *Ædes.* inter quæ etiam numerantur Stabula meritoria. Rusticum prædium est, quod principaliter exstructum est, ut præbeat usum rusticum in conservandis fructibus, asservandis pecoribus, ut sunt: stabula, granaria, horti olitorij, horrea separatim existentia, vocantúrque *fundi.* f. 245. n. 151. & seq.

Denominationes Servitutis Rusticæ vel Urbanæ universaliter & ultimatè sumuntur ex natura Servitutum, qualecunque sit prædium dominans, seu cui debetur. f. 246. n. 154.

Servitus Prædialis in genere, est Jus prædio inhærens, ipsius utilitatem respiciens, & Jus alterius diminuens. eod.

Quamvis Servitus prædialis non habeat actum perpetuum, debet tamen habere causam perpetuam. f. 246. n. 156. ubi exempla.

Servitus prædialis potest constitui in prædio vicino, modò non impediatur in prædio intermedio. f. eod. n. 158.

Servitutes Urbanæ enumerantur sequentes. Jus tigni immittendi: proijciendi: protegendi: oneris ferendi: altiùs tollendi: Luminum: prospectûs: onerû ab ædibus avertendorû: stillicidij, & fluminis avertendi: cloacæ immittendæ: fumi immittendi. f. 247. n. 159. de quibus singulis vide propria vocabula.

Servitutes Rusticæ sunt, Iter: Actus: Via: aquæductus: Jus aquæ educendæ: aquæ haustus: Pecoris appulsus: pascendi: calcis coquendæ: arenæ fodiendæ: Cretæ vel lapidis eximendi: Navigandi per lacum vicini: Temonis immitendi. f. 250. n. 177. singula, vide in suis vocabulis.

Non est contra Naturam Servitutis, ut tendat ad aliquid agendum; seu, ut is, cujus prædium servit, aliquid agere debeat: v. g. restaurare pontem, avertere stillicidium. f. 248. n. 166.

Servitutes quo tempore præscribantur, vide, *Præscriptio Servitutum.*

Servus.

Tomo 1.

Servus efficitur, qui bello justo ex hostibus gentilibus capitur. fol. 407. n. 46.

Capti à Turcis &c. gaudent beneficio legis Corneliæ, ut fingantur initio captivitatis mortui, si apud hostes moriantur, vel beneficio postliminij si redeant, ut omnia iura recuperent, acsi nunquam capti fuissent. fol. eod. n. 47.

Nativitate fit Servus ex Ancilla natus, quæ fuerit ancilla toto uteri tempore. fol. 408. n. 49.

Condemnatione etiam fit Servus. n. 50.

Denique venditione, si permittens se vendi sit major 20. annis, & particeps pretij, & emptor putet esse servum, venditor autem, & qui venditur, sciunt esse liberum. n. 51. & seq. Denique pater in necessitate vendere potest filium in potestate constitutum. eod.

Amittitur Servitus manumissione. n. 53. de hoc vide, *Manumissio.*

Servus in testamento hæres scriptus, hoc ipso fit liber, sed cum obligatione adeundi hæreditatem. fol 408. n. 54.

Manumissio facta à minore 20. annis, requirit justam causam à Magistratu approbatam. eod.

Servus æger à domino derelictus, fit liber. num. 56. item circumcisus à Judæo Ecclesiæ quoad temporalia subjecto. n. 57. item si dominus consentiat in Matrimonium Servi cum libera, ignorante servitutis conditionem in marito. 58.

An servus possit esse testis in testamento, vide, *Testamentum. Testium Habilitas.*

Servus cùm non sit Civis Romanus, testamentum condere non potest. Ex defectu autem bonorum, non benè probatur, esse Intestabilem. fol. 45. n. 207. Neque consensu domini validaretur testamentum, cùm non in favorem domini prohibeatur. eod. Valeret tamen in vim Fideicommissi, si manumissus non revocaret. 208.

Dubitans de statu Libertatis, non potest facere testamentum. fol. 46. n. 212.

Servus Minori substitutus, & per aditionem hæreditatis exclusus, si Minor contra aditionem restituatur, non admittitur, nisi quando hæreditas non est solvendo. quia tunc solùm potest servus esse hæres, quando cogi potest, ut fit hæres. f. 167. n. 43.

Sigillum.

De hoc vide, *Scripturæ Sigillatæ.*

Simonia.

Tomo 6.

Simonia eſt Studioſa voluntas emendi vel vendendi aliquid Spirituale, vel annexum Spirituali: emptione latè acceptâ pro quocunque pacto oneroſo. fol. 188. n. 558.

In hoc crimine non excuſat à gravi culpa levitas materiæ. n. 559. Alia eſt Juris naturalis, alia Juris humani. n. 560. Item, alia mentalis, alia conventionalis, alia realis. fol. 189. n. 560.

Donare rem temporalem, & donatarium ſe obligare ad aliquid ſpirituale, non eſt ex natura rei Simonia. fol. 189. n. 561.

Conſecratio rei, v.g. Calicis, non impedit, quominus res vendi poſſit valore quem habet independenter à conſecratione. n. 562.

Pro Sepultura quæ dantur, excuſantur titulo Suſtentationis. eod.

Accipere mercedem pro reſolutione Casûs conſcientiæ, non eſt Simonia. n. 563.

Accipere mercedem pro labore intrinſeco & eſſentiali operationum ſpiritualium, eſt Simonia: non item pro oneribus extrinſecùs annexis, & æſtimationum recipientibus. fol. 189. n. 564.

Eſt etiam Simonia dari pretium pro licentia Concionandi, Benedicendi Nuptias, audiendi Confeſſiones. n. 565.

Eſt etiam Simonia, dari aliquid pro diſpenſationibus ſuſtentationis titulo, niſi adſit licentia Summi Pontificis. n. 566.

Poſſunt fructus Beneficij abſque Simonia locari alteri pro tempore vitæ, ubi Extravag. *Ambitioſæ* non eſt recepta. f. 190. n. 567.

Poſſunt etiam redimi penſiones habentes annexum onus orandi Curſum B. V. eod.

Ut commutatio Beneficiorum non ſit Simoniaca, fieri debet Auctoritate Ordinarij, vel (Sede vacante) Capituli. videtur etiam ſufficere auctoritas Prælati conferentis beneficia, exceptis ſpecialiter reſervatis. n. 568.

Non eſt Simonia, reſignare Beneficium, ſupplicando, ut certæ perſonæ conferatur. fol. 190. n. 569.

Reſignationes Confidentiales ſunt Jure humano Simoniacæ. n. 570.

Pœnæ Simoniarum commiſſarum in Religionis ingreſſu, Ordinis ſuſceptione, & circa Beneficia, ſunt variæ. f. 191. n. 571. & ſeq.

Res ſpiritualis (exceptis Beneficijs) per Simoniam acquiſita, non eſt reſtituenda ante Sententiam, ſicut nec pretium. Benè tamen pretium acceptum pro Beneficio. n. 573.

De Simonia quivis accuſare poteſt, etiam infamis. f. 191. n. 574. in fine.

Societas JESU.

Tomo 1.

Renuntiavit privilegio Concilij Tridentini Seſſ. 25. c. 3. de Regular. quoad Domos Profeſſas, quo conceditur poſſeſſio Rerum immobilium. f. 296. num. 2.

Religioni huic ſingulare eſt, quòd qui poſt Novitiatum edunt Vota Simplicia, ſint Dominij capaces usque ad ultima vota. f. 197. n. 8. & ſeqq. ubi referuntur Bullæ Pontificiæ, confirmantes hoc Inſtitutum.

Societatis Domus, aut Collegia non ſuccedunt ſuis Profeſſis, aut Coadjutoribus Formatis per Profeſſionem aut ultima vota. f. 302. n. 19.

Religioſorum horum teſtamenta ità confirmantur per ultima vota, ut ſtatim fiat executio. eod.

Diſpoſitio habentis Dominium facta ſine licentia Superiorum, probabiliùs eſſet Invalida. fol. 305. nu. 38.

Tomo 2.

Religioſi Societatis JESU poſt ultima vota non poſſunt in particulari hæredes inſtitui. f. 61. num. 283. Collegia tamen, & Domus Probationis, atque tota Religio poſſunt hæredes inſtitui. Item Domus profeſſæ, ſed hæ debent immobilia vendere, exceptis ijs, quæ ad habitationem, & recreationem commoda eſſent. Qui ultima vota non ediderunt, poſſunt in particulari hæredes inſtitui. n. 285.

Quodſi Profeſſus Societatis hæres inſtitueretur intuitu totius Religionis, aut Domûs capacis (& ità præſumeretur de eo, qui ſcit eos aliter non eſſe capaces) cenſeretur Societas aut domus inſtituta, & inſtitutio valeret. Idem probabile eſt, ſi ab extraneo ignaro incapacitatis eſſet Religioſus hæres ſcriptus, ſecùs ſi à conſanguineo. f. 62. num. 286. & ſeq.

An Religioſi Societatis poſſint eſſe Executores Teſtamenti, vide, Teſtamenti Executio.

Societatis Contractus.

Tomo 4.

Societas eſt conventio duorum vel plurium contribuendi ad commune lucrum, vel uſum. Seu, Contractus Juris Gentium, nominatus, bonæ fidei, conſenſu initus, quo duorum vel plurium operæ vel res ad lucrum & damnum proportionaliter inter ſe communicandum, ex honeſta conventione conferuntur. fol. 183. n. 579. Differentia ab alijs contractibus, conſiſtit in communione lucri, quæ in alijs non habetur pro fine. fol. 184. num. 580.

Si unus

Si unus det Gregem ovium cum pacto, ut conferens curam habeat aliquotam partem fructuum, non factâ mercedis mentione, est Societas. fol. eod. n.581. ubi vide exempla.

Contribuens debet retinere dominium rei contributæ, alioquin haberet rationem mutui: potest tamen dominium fieri commune, ut quivis possideat saltem per socium. fol. eod. n.582.

In contributione omnium bonorum, est etiam contributio ad usum communem, & potest Societas contrahi ad solum usum. fol. 185. num.583.

Societas alia est universalis, hoc est, in universarum rerum communione constituta, aliâ particularis, seu specialis, cùm certæ rei vel negotiationis communio inducitur. fol. 185. n. 584. ubi exempla.

Si quis Sociorum acquirat aliquid actione prohibitâ, non fit commune, si tamen sponte conferat, non potest repetere. fol. 186. n.586. Condemnato tamen ad restituendum, debent etiam Socij concurrere, sicut etiam ad pœnam, si conscij fuerunt. eod.

Potest Societas omnium bonorum tacitè contrahi per actualem communionem bonorum omnium. fol.186. n.587. Societas omnium bonorum præsumitur extensa etiam ad bona futura, & quocunque titulo etiam lucrativo acquirenda. num.588. Factâ mentione hæreditatis acquirendæ, extenditur ad quamcunque seu ex testamento, seu ab intestato. fol.187. n.589.

Vi contractæ Societatis omnium bonorum, imputatur Societati quod quis sociorum dedit filiæ in dotem, aut filio ad prosequenda Studia. fol. eod. n.590. & seqq.

Societas contracta absque determinatione vel certarum rerum, vel certorum negotiorum, non extendit se ad ea bona quæ de facto habentur, neque quæ titulo lucrativo acquirentur, sed solùm ad ea, quæ titulo oneroso ex quæstu & opera acquirentur. fol.188. n.593.

Vi contractæ Societatis universalis, bona corporalia tempore contractûs existentia, statim fiunt communia, & traditio fictione Juris censetur intervenisse: quæ verò corpora post contractum acquiruntur nomine proprio, fiunt immediatè solius acquirentis: obligatus tamen est facere communia. fol.188. n.594.

Actiones personales necesse est ut cedantur: reales absque cessione fiunt communes, exceptâ hypothecariâ, cùm non sit principalis, sed communiter personali accedat. eod.

Varij sunt modi celebrandi Societatem. Primus est, quo contrahentes expresserunt partes tam lucri, quàm damni. fol. 188. n. 595. In quo modo celebrandi servanda est proportio inter contributionem & lucrum. fol.189. n.596. Quodsi expressa est pars lucri & damni, vel econtra, est tamen eadem proportio in utroque servanda. n.597.

Secundus Modus est, quando ob majus pretium operæ in pactum deducitur inæqualitas in lucro fol. 189. n.598.

Tertius, ut alter pecuniam conferat, alter non conferat, & tamen lucrum commune sit, quia opera unius pro pecunia valet. fol.eod. n.599.

Quartus, si ità contrahatur, ut unus Sociorum lucri partem ferat, de damno non teneatur. f.eod. n.600. ubi vide declarationem.

Quando unus solus confert pecuniam, alter operam, periculum pecuniæ ad solum conferentem spectat fol. 190. num.602. Verius enim est, quòd tunc pecunia non fiat communis, sed maneat propria conferentis. fol. 191. n. 603. Posset tamen ex pacto pecunia esse dividenda, si opera alterius esset tantò pretiosior, & dimidium pecuniæ haberet rationem mercedis. num.604. & seqq. ubi vide varias Regulas Theologorum pro servanda æqualitate.

Quamvis dominium ipsius capitalis, quamdiu non expenditur, maneat penes conferentem, & ejus periculo sit, si tamen à conferente operam expendatur pro mercibus, hæ merces fiunt communes, ità tamen, ut in divisione priùs totum capitale extrahatur, adeo, ut etiamsi præter capitale nihil intersit, illud totum cedat conferenti. f.192. num. 607.

Potest, per se loquendo, nil refragante Bullâ Sixti V. licitus esse contractus, quo salvum capitale reservetur conferenti, ità ut assecuratio spectet ad accipientem, si observentur certæ conditiones. fol.195. ubi eas vide n.611. Ad justificandum hunc contractum, debet in conferente capitale, adesse persuasio, quòd alter esset negotiaturus, & spes, quòd esset lucraturus, alioquin deesset sincerus animus vendendi spem pro modico lucro. fol.196. n.613. Includuntur autem in hujusmodi Societate tres Contractus: Societatis: Assecurationis: Venditionis. Non est tamen necesse, ut fiant successivè, nec etiam ut distinctè & expressè celebrentur. n. 614. & seq.

Posset etiam iniri Societas hoc pacto, ut conferens operam, obligetur ad dimidium damni capitalis, casu quo pereat: quodsi verò salvum maneat, detur eidem quarta solùm vel quinta pars capitalis in divisione. fol.196. num.616. Posset etiam conferens capitale exigere pignus, etiam in casum fortuitum. num. 617.

Socius non tenetur præstare nisi culpam levem. fol.197. num.619. & seqq.

Socio convenit beneficium Competentiæ, quod est speciale Privilegium hujus Contractûs. fol. 199. n.621. Spectandum autem tempus rei judicandæ, quo cognoscatur, quantùm Socius facere possit.

n.622. Fidejussori pro Socio non competit, benè tamen defensori. eod. Neque competit hæredi Socij, neque illi qui mandavit, ut Societatem contrahat. n.623. Deducendum priùs est æs alienum debitum ex ipsa Societate, non verò quod aliunde debitum. eod. Non competit hoc beneficium Socio, qui dolo desijt esse solvendo. eod. Tenetur promittere, non tamen Cautionem præstare, de solvendo, cùm ad pinguiorem fortunam pervenerit. n.624.

Si plures fuerunt Socij, & unus solus non est consecutus totum debitum, potest à reliquis exigere supplementum proportionale. eod.

Socij debent concurrere ad omnes illas expensas, quæ fiunt circa merces, in quibus Societas constituta est, & circa personam ac famulos negotiatoris. fol.200. n.625. ubi, vide quasdam limitationes.

Quidquid Negotiator in itinere ad negotiandum in Medicos & Pharmaca (non item in convivia, nisi & hæc ad negotia perficienda conducerent) ratione sinistræ valetudinis expendit, habet jus illud extrahendi. Idem dicendum de morbo, domi ex causa Societatis contracto. fol. eod. num.626.

Si Negotiator à latronibus spolietur, naufragium faciat, & amittat aliqua sua propria, quæ ad negotiationem faciendam secum tulerat, ea quoque extrahenda sunt; item litrum, si capiatur, nisi hæc ipsius levi culpâ eveniant. eod.

Tenetur Socius ex justitia subministrare mutuas pecunias ex proprijs, quando non habet communes, si necesse sit ad conservandas merces, & si negligat, damnum spectat ad illum solum. fol. 201. n.627. Si verò subministravit, extrahit: quodsi non sit unde extrahatur, habet actionem negotiorum gestorum. eod.

Socius non potest extrahere damnum, quod non formaliter, sed tantùm occasione administrationis incurrit. fol.201. n.628. ubi exemplum.

Potest socius per pactum obligari ad non communicandas operas alteri societati. Secluso tali pacto potest Societates multiplicare, sed sine præjudicio prioris. fol.202. n.629. Quamvis ex societate cum alijs inita, de facto prioribus socijs nullum damnum illatum est, si in judicio conventus ob fidem non servatam in pœnam condemnetur, eam solvere tenebitur: item refundere debet lucri accessum, quem iuruitu hujus obligationis consecurus est. Ex lucro tamen ex alia Societate quæsito nihil conferre tenetur. f. 202. n.630. Sive fuerit in pactum deductum sive non, si alia Societas inita est cum damno prioris, tenetur resarcire, sicut & lucrum cessans. n.631.

Accipienti pecuniam mutuam cæteri socij obligantur, si pecunia in communem usum versa est, secùs non obligantur, si societas non est universalis. fol.eod. n.632.

Possunt bona sociorum obligari eo modo, & in illis casibus, in quibus ipsa persona obligatur. eod.

Quando communi consensu unus ex socijs tanquam Institor negotiationi præpositus est, ut solus exerceret, hujus contractibus omnes & singuli in solidum obligantur. Idem est, quando socij ex omnium consensu promiscuè negotiantur. Qui tamen non sunt negotiati, non possunt conveniri, nisi priùs excluso eo, qui immediatè contraxit. fol.203. n.633.

Quando aliquis ex Socijs constituit Institorem, si non omnium nomine, & ex eorum mandato constituit, etiamsi cæteri sciverint, nec contradixerint, lucrum quidem est omnibus commune, damnum verò erit solius constituentis, qui socijs tenebitur actione *pro Socio*, non secùs acsi ipse comisisset. fol.eod. n.634. Qui comuni nominate Institorem constituerunt, non possunt invicem de Institoris facto agere, sed damnum ab eo datum illis commune est. eod.

Rebus communibus non potest unus Socius alijs invitis agere, nisi ad usum destinatum. f.203. num. 634.

Quando Jus est Individuum, non potest ab uno Socio sine alijs exerceri in præjudicium ejusdem. fol. eod. n.635. ubi exemplum in Jurisdictione.

Socijs competit adversùs se invicem Actio *pro Socio*, utrinque directa, & datur etiam quandoque durante Societate, regulariter non nisi finitâ Societate. fol. 204. n.636. Non datur hæc Actio illis, qui absque Contractu in rem communem incidunt. n.637.

Datur etiam Socijs Actio *communi dividundo*: ità tamen, ut, unâ inrentatâ, altera tollatur, quatenus ad eundem scopum tendunt. f.204. n.638.

Potest etiam Socius contra Socium intentare Actionem ex Lege Aquilia, si res communis à Socio damnum ex culpa passa est. Item Actio furti Socio adversùs Socium competit, si manifestum sit, dolo malo rem amotam fuisse, vel animo celandi attrectatam: & probatio Actori incumbit. fol. eod. n.639. ubi vide, quomodo una aliam perimat.

Societatis Dissolutio.

Societas dissolvitur 1. mutuo consensu, etiam tacito, quando Societas inita est cum definitione temporis certi, intra quod non liceat cuivis recedere, benè tamen utriusque consensu. fol. 205. num.641.

Dissolvitur 2. Renuntiatione, quando non est inita cum definitione certi temporis. Quodsi Socius ante

cius ante tempus præfinitum alijs non consentientibus renuntiet, renunciatio eatenus nocet renuncianti, ut solum damnum, non item lucrum illi commune fit. fol.205. n.642. ubi, vide Exceptiones.

Renuntiatio insinuanda est omnibus Socijs, & ità tempestivè & opportunè facienda, ut non fit damnosa ob negotia jam inchoata. fol.206. n.643. Facienda etiam est sine dolo. n.644.

Dissolvitur 3. Morte unius Socij, & quidem quoad omnes, nisi aliter conventum esset. fol.eod. n.645. Si mortuo uno Socio per aliquem cæterorum aliquid cœptum est ignoratâ morte Socij, quoad illud non est dissoluta Societas, sed continuanda per hæredem, quousque negotium absolvatur; secùs si cognitâ Socij morte cœptum esset. fol.207. n.646.

Si Societas consistebat in cultura vineæ, agri, ad plures annos, ità tamen ut non haberet naturam locationis aut Emphyteusis, tunc re adhuc integrâ finitur statim unius morte, secùs, transibit pro illo anno ad hæredes. fol. eod. n.647.

Dissolvitur 4. Maximâ & mediâ capitis Diminutione, Confiscatione, Publicatione. fol. 207. num. 648.

Dissolvitur 5. Rei interitu sive naturali, sive civili, vg. si usui Sacro destinetur: item negotio finito, cessione bonorum, & egestate. fol. eodem. num. 649.

Societas non transit vi primæ Conventionis ad hæredes, adeo ut nec pacto quidem fieri possit, ut uno mortuo ejus hæres fit Socius reliquorū. f.208. n.650. Posset tamen hujusmodi pactum juramento firmari. n. 651.

Si hæres defuncti Socij conveniat cum exteris, ut continuetur Societas, censetur Societas de novo inita. fol.eod. n.652.

Quando Societas est constituta circa vectigalia, aut alias res publicas conductas, tunc pactum adjectum, ut ad hæredes transeat, ob favorem Reipublicæ sustinetur, ità ut quidquid commodi vel damni post mortem Socij evenerit, hæredi sit commune, si tamen hæres sit persona idonea. fol.eod. num. 653.

Potest Socius defunctus suum hæredem gravare, ut si Socij velint cum ipso Societatem continuare, teneatur consentire. fol.209. n.654.

Socius Criminis.

Quomodo possit interrogari de Socio, & quid operetur ejus nominatio, vide, *Testis*. & To.6. fol. 263. §.9.

Sodomia.

Tomo 6.

Ad Sodomiæ crimen reducitur omnis actus Venereus contra naturam commissus inter diversa supposita. f.192. n.575.

In Imperio pœna Sodomiæ est concrematio. quamvis ex consuetudine soleat præmitti decapitatio. Si cum bruto peccatum, etiam brutum comburitur, & reus, nisi ob animæ periculum gratia fiat, vivus. n.576. Quæ pœna cùm sit atrocissima, non solet ob frequentiam delicti exasperari. num.577.

Ut constet de corpore delicti, sufficit si confessioni Rei accedat unus Testis omni exceptione major. fol.193. n.578.

Solus conatus absque effectu secuto, non punitur ordinariâ pœnâ. num.579.

Solennitates.

Tomo 5.

Regulariter quidem præsumuntur in actu omnes solennitates intervenisse, & neganti incumbit onus probandi: sed excipiuntur Minores contrahentes cum Majorenne. f.285. n.29.

Solidi.

Tomo 3.

Ex multorum opinione Solidus æquivalet Aureo Ungarico. f.127. n.152.

Solutio.

Tomo 3.

Ut aliud pro alio solvatur, requiritur consensus Creditoris. Tollitur autem debitum quocunque solvente, etiam ignorante, imò invito Debitore. Liberantur etiam Fidejussores. f.128. n.167.

Donator potest loco rei donatæ solvere æstimationem. f.eod. n.168.

Debitum in diem solvi potest ante diei adventum invito Creditore, nisi dilatio in favorem Creditoris adjecta esset, sicut locus solet constitui. Solvendum tamen est tempore non importuno jure gentium. f. 29. num.169. & seqq.

Solvi potest Tutori. item Procuratori generali: Procuratori tamen putatitio non rectè solvitur, nisi vel pecunia ad Creditorem pervenerit, vel solutionem ratam habuerit. fol.eod. n.175. & seq.

Quando Creditori Creditoris solvitur, ut primus debitor liberetur, distinctione opus est. Si enim causa solvendi est eadem, tunc Debitor & Creditor ipso jure liberantur. Sin minùs, res tamen est versa in utilitatem Creditoris, continget liberatio tantùm ope exceptionis. f.30. num 177.

Si debita sint plura, nec tamen nisi pro uno solvitur, tunc si tempore solutionis Creditor non elegerit, pro quo debito satisfieri velit, solutio illius debiti præfertur, ad quod solvendum cogi potest. si ad omnia cogi potest, gravior causa præfertur minùs gravi. Si causæ sint pares, debitum antiquius,

quius. Si æquè antiqua, proportionaliter pro singulis solutum censebitur. Usuræ tamen præferuntur forti. f. 30. n. 178.

Sortis Divisoriæ Contractus.

Tomo 4.

Est Contractus, quo aliqui Jus habentes in aliqua re conveniunt, ut mittantur Sortes, quibus constet, quis illam obtinere debeat. f. 341. num. 1091.

Prohibentur Sortes in electione ad Beneficium Ecclesiasticum. f. eod. n. 1092.

Sortilegium.

Tomo 6.

Sortilegium est mixti fori. f. 28. num. 128. nisi hæresim saperet, quod ad Ecclesiasticum spectat. n. 129. ubi vide, quandonam sapiat hæresin.

Specificatio.

Tomo 1.

Est Modus acquirendi jure gentium, per Introductionem formæ in materiam. f. 418. n. 103.

Si quis ex aliena materia speciem fecerit, quæ possit ad priorem materiam reduci, species pertinet ad dominum materiæ, secùs, ad effectorem speciei, sicut etiam à fortiori, si partim ex sua partim ex aliena materia fecerit. fol. eod. num. 104.

Ut dicatur Specificatio facta, debet res ità immutari, ut novum usum & nomen sortiatur in humano commercio. n. 105. & seqq. ubi exemplis declaratur.

Ut Specificator fiat dominus, requiritur inculpabilis ignorantia, quòd materia sit aliena. f. 419. n. 107.

Si species facta partim ex propria partim ex aliena materia, possit ad pristinam materiam reduci, manet unusquisque suæ materiæ dominus. f. eod. n. 109.

Domino Materiæ competit actio in factum, ad consequendam æstimationem materiæ. n. 110.

Spoliatus.

Tomo 1.

Spoliato competit Remedium ex Redintegranda. ca. 3. q. 1. quod est amplissimum, continens vim aliorum. f. 293. nu. 379. Extenditur etiam ad Laicos. 380.

Competit etiam Remedium ex *c. sæpe. de Restit. Spol.* f. eod. n. 383. Datur etiam contra tertium Possessorem, gnarum factæ spoliationis, non item, probabiliter, contra Possessorem bonæ fidei. 384.

Hæc Remedia sunt perpetua, & à quibusdam ad 100. annos extenduntur. f. 294. n. 385.

Sponsalitia Largitas.

Tomo 1.

Vocatur etiam Dotalitium, seu Mundus muliebris; & est donatio inter Sponsos facta, contemplatione futuri Matrimonij, tanquam conditionis ex qua pendet ejus valor. f. 366. nu. 330.

Secuto Matrimonio dominium est pleno Jure penes uxorem, neque restituitur soluto Matrimonio. f. 369. n. 349.

Subauditur in hac donatione conditio: Si sequatur Matrimonium quantùm est ex parte Sponsorum. Quodsi osculum intercedat, altero mortuo, non nisi dimidia pars manet donatarij. f. eod. n. 351. & seq. Repeti etiam potest ob deceptionem factam in promissione dotis amplioris, quàm quæ deinde data est. f. 370. n. 353.

Sponsionis Contractus.

Tomo 4.

Sponsio est Contractus, quo duo de Veritate vel eventu alicujus rei contendentes, sibi invicem aliquid spondent, ut id ejus sit, qui veritatem fuerit assecutus. f. 340. n. 1085.

Est Jure naturæ licitus, quia periculum cum periculo commutatur. n. 1086. Unde is qui certus est de veritate, non potest exigere rem in sponsionem deductam, nec solutam bonâ conscientiâ retinere. n. 1087. Veriùs idem dicendum est, etiamsi alter urgeat sponsionem fieri. n. 1088.

In Sponsione alicujus facti, v. g. quis jaculando sit victurus, pendet ex intentione spondentium, an sit locus pœnitentiæ, antequam alteruter jaculetur. f. eod. n. 1089.

Sponsiones super vita & Electione Summi Pontificis & Cardinalium, sunt prohibitæ. f. 341. num. 1090.

Spurius ex damnato coitu.

Tomo 2.

Spurius ex damnato coitu, non potest à parentibus hæres institui, sicut nec succedere ab Intestato. fol. 59. n. 266. Neque fideicommissum consequi. eod. sed hoc sibi reservaret hæres gravatus, non obstante fide datâ, quæ non obligat contra legem. num. 267. Hæres tamen posset sponte fideicommissum, non quà tale, dare Spurio ex affectu erga defunctum, ut ejus desiderio satisfaceret. eod. Ut tamen hæres fiduciarius pœnam subterfugeret, teneretur Fisco denuntiare: alioquin si pateat, privatur omnibus bonis, & in insulam relegatur. fol. 60. n. 268.

Posset quidem Pater suo Filio legitimo substituere pupillariter Spurium quoad bona, quæ filius aliunde quàm à patre haberet, non tamen quoad bona à se ad filium perventura. fol. 60. num. 269. & seqq.

Potest Spurius hæres institui sub conditione: si legitimabitur. fol. eod. n. 273. & seq. Non tenerentur tamen hæredes ab intestato diutius exspectare, quàm eventum primæ petitionis, quæ proximâ occasione fieri debet, & si tunc Legitimatio denegetur,

denegetur, hæreditas ad illos spectabit. fol. 61. n. 276. Vide etiam *Incestuosus*.

Avus potest probabiliter instituere nepotem ex filio spurio, dummodo non intuitu patris, ut pater habeat usumfructum, item cum limitatione, quam vide v. *Illegitimus Naturalis*. probabile tamen est, nullo modo posse talem nepotem instituere. fol. 61. n. 277. & 280.

Stellionatus.

Tomo 1.

Stellionatus est quoddam genus ad omnia crimina non habentia titulum specialem. Unde, quod in privatis Judiciis est actio de dolo, hoc in criminalibus est persecutio Stellionatûs. fol. 167. n. 511. Per se famosum non est, sed per accidens. 512.

Stillicidij avertendi Servitus.

Tomo 1.

Est jus, quo vicinus aquam pluviam à tecto suo in tectum vel aream vicini avertere & derivare potest. cùm absque hoc jure teneretur immissis canalibus alio derivare. fol. 249. nu. 172. Non licet autem ità variare, ut cadat graviùs, benè tamen ut leviùs, vg. magis ex alto. n. 173. Non censetur hæc servitus acquisita præcisè superficiei, sed solo. eod. Ad hanc servitutem pertinet Jus fluminis avertendi. 174.

Est & Servitus huic opposita stillicidij non avertendi, nempe ne vicinus à prædio dominante stillicidium (ob ejus utilitatem) avertat. vg. ut cisterna inde repleatur, hortus irrigetur, cloaca eluatur. &c. & n. eod. Unde dominus prædij servientis tenetur reficere canales, tegulas. n. 175.

Stipulatio.

Tomo 3.

Stipulatio superaddit nudæ promissioni certam verborum solennitatem, quibus non observatis non daretur actio civilis. fol. 75. n. 32. Est contractus propriè dictus. eod. Juris Civilis. fol. 76. nu. 34.

Stipulatio non solùm parit actionem, quando alijs contractibus accedit, sed etiam quando sola subsistit. fol. 77. nu. 36.

Stipulatio definitur, Contractus nominatus, stricti Juris, Juris civilis, verbis initus, interrogatione præcedente, eámq; responsione congruâ in continenti subsequente, quo respondens interroganti obligatur ad aliquid dandum vel faciendum. fol. 78. n. 38.

Requiruntur verba formalia: unde absens nisi per alium stipulari non potest. eod. Potest hodie fieri quocunque usitato idiomate, quo se contrahentes intelligant, vel per interpretem. fol. eod. nu. 40.

Non est opus, ut continuatio Responsionis cum interrogatione sit physica, sed sufficit moralis. & si dubium esset, Judex arbitrabitur. Communiter dicitur sufficere, si eâdem die fiat, non interposito actu aliquo peregrino. Quod si altero die responsio daretur, ex tanta dilatione probabiliter colligeretur, quòd priùs dissensisset, & sic non valeret in ratione stipulationis. fol. 79. n. 41.

Quando Interrogatio & Responsio differunt in Qualitate, vg. quia illa est absoluta, hæc conditionata, vel econtra, tunc si statim diversitas approbetur à stipulante per verbum *Placet*: adhuc valebit. Quod verum videtur, etiamsi promissor adjecisset aliquod onus, de quo non fuisset facta interrogatio. fol. 79. n. 42. Si verò diversitas sit in quantitate summæ, tunc stipulatio valet quoad summam minorem, in qua est Responsio sufficienter congrua. fol. 80. n. 44.

Sicut Promissor *dandi*, ità probabiliùs Promissor *faciendi* non liberatur, si offerat æstimationem invito stipulanti. fol. eod. nu. 45. & seqq.

Quæ in Stipulationem deducuntur, alia dicuntur juridicè Dividua, alia Individua. Dividua sunt, quorum una pars ratione partis tantam præstat proportionaliter utilitatem, quantam totum respectu totius. Cætera sunt Individua. fol. 81. n. 48.

Obligationes *dandi* plerumque ad dividua revocantur. Obligationes *faciendi* regulariter ad individua. n. 49.

Si stipulator uni hæredû promissoris partem rei promissæ remisisset, non posset ab alio hærede nisi partê nô remisâ petere. Item si unus ex hæredibus non sponte, sed Judicio condemnatus partem suam solverit, conveniri ampliùs non potest, sed exceptione rei judicatæ se tuebitur, reliquorum hæredum parte in debito manente. fol. eod. n. 50.

In obligationibus *Dandi* uno hæredum contraveniente adversùs singulos, etiam innocentes, pro hæreditaria portione indistinctè committitur pœna si quæ adjecta est, vel ad interesse, & pro parte hæreditaria singuli tenentur solvere, quod interest. In Obligationibus *Faciendi* non aliter tenebuntur singuli ad pœnam pro hæreditaria portione, quàm si factum individuum fuerit. f. 83. n. 52.

Si defunctus promisisset dolû absuturum, dolo ab uno hærede commisso, contra reliquos etiam cohæredes nasceretur Jus ad pœnam vel interesse. f. eod. n. 54.

Si quis sibi suisque hæredibus stipulatus est, ut liceat ire per tuum fundum, & stipulatore mortuo unus hæredum à te impediatur ire, reliqui hæredes non possunt agere contra te ad interesse; si illi non fuerunt impediti. f. 83. nu. 54.

Stipulationis contractus duas parit actiones, Condictionem certi, & Actionem ex stipulatu. Prior locum habet, quando res certa est in stipulationem deducta. Posterior, quando res indeterminata, vel factum. f. 84. num. 55. Illa autem dicitur stipulatio incerta, quando non apparet, quid,

quid, quale, quantúmque sit in stipulatione. nu. 56. ubi vide exempla.

Per has actiones Stipulator fructus rei promissæ non consequitur, etiamsi mora facta sit. Post Judicium tamen acceptum, Officio Judicis ex æquitate consequetur. f. eod. num. 57. Ex mora culpabili tamen tenetur ad fructus etiam percipiendos in conscientia Promissor. eod.

Quando plures conjunctim stipulantur, dicuntur: *Correi stipulandi*. Si plures conjunctim promittunt; *Correi promittendi*. Perinde autem esset, sive à Stipulatoribus fieret interrogatio singulorum in singulari, sive in plurali, & sive Promissores singuli responderent in singulari, sive in plurali. fol. 85. num. 58. Ut autem sint correi *debendi*, debet Stipulator exprimere, se à singulis eandem rem stipulari, alioquin evaderent duæ stipulationes. fol. eod. num. 59. Non requiritur tamen explicita mentio, sed sufficit implicita, quòd velit singulos in solidum obligari. eod.

Ex Correis stipulandi possent singuli totum in solidum exigere, etiamsi res sit dividua, ità tamen ut si uni in solidum solvatur, tota obligatio perimatur, & alter ne quidem à Correo aliquid petere possit, nisi essent socij. Pariter & econtra Correi debendi singuli in solidum tenentur, & uno solvente omnium perimitur obligatio, non est tamen necesse, ut ab uno in solidum petatur. fol. 85. nu. 60.

Correi debendi gaudent beneficio divisionis concesso fidejussoribus ex communiore sententia, etiamsi non expressè pro se reciprocè fidejussissent. fol. eod. n. 61. & fol 107. n. 109.

Uno ex Correis debendi convento, litéque contestatâ, non propterea alter Correus liberatur, quominus ampliùs conveniri possit. fol. 87. n. 64.

Nemo potest alteri etiam civiliter à se distincto stipulari, si stipulantis nihil intersit, neque conducat ad illius patrimonium augendum aut conservandum. fol. 87. n. 65.

Potest quis stipulari alteri cum adjectione pœnæ, quia sic jam suâ interest. eod.

Stipulatio alteri facta adeo non est efficax, ut ne quidem naturalem obligationem pariat, ne quidem Jure Canonico. fol. eod, n. 66.

Juris fictione non censetur *Alter* seu *Extraneus* esse Hæres: item conjunctus per patriam potestatem, vel per bonorum administrationem. eod. Hinc defunctus potest stipulari hæredi, etiam soli. fol. 88: n. 67.

Si defunctus uni soli ex pluribus hæredibus stipulatus est stipulatione *faciendi*, huic soli proderit stipulatio. Si verò stipulatione *dandi*, distinguendum est. Vel enim defunctus uni tantùm hæredi, & non etiam sibi stipulatus est, vel uni hæredi, & sibi simul: in priori casu hæredi soli in stipulatione expresso, cautum est, & totum acquiretur: in secundo casu ex persona defuncti etiam cæteris cautum censebitur. fol. eod. num. 68. & seq.

Pater potest stipulari aliquid dandum filiosam. si in dando possit patri usufructus acquiri vel proprietas. Si verò stipuletur *aliquid* faciendum pro filiosam. si factum conferatur in personam filij, inutilis erit stipulatio, nisi patris intersit. fol. 89. num. 70.

Filiusfamilias potest patri stipulari, etiamsi filij nihil intersit, non tantùm aliquid dandum, sed etiam faciendum. Unde infertur, quòd Regularis pro suo Prælato & Monasterio stipulari possit, quia etiam servus potest domino stipulari. fol. eod. n. 71.

Si filius patri sub conditione stipuletur, conditione existente post solutam patriam potestatem adhuc prodest patri. fol. 90. n. 72.

Filius stipulando acquirit patri non tantùm quoad obligationem civilem, sed etiam naturalem. fol. 90. n. 73.

Sanguine juncti non possunt invicem stipulari. fol. eod. n. 74.

Ratione administrationis à jure concessæ, potest Tutor pupillo, Curator minori, actor municipio stipulari, ità ut in his utilis actio tribuatur. fol. 91. num. 76.

Procurator habens speciale mandatum, potest mandanti ità stipulari, ut teneatur illi cedere actionem, licèt ei directam actionem non acquirat. Quando Procurator præsens est illi cujus negotium gerit, absque cessione utilis actio acquiritur. Quodsi non habeat speciale mandatum, sit tamen universorum bonorum Procurator, acquiritur domino exceptio doli 91. n. 77.

Notarius publicus non habet jure scripto potestatem extra Judicium pro absente stipulandi, ità ut ex stipulatione nascatur acceptata promissio, nisi consuetudo contrarium habeat. fol. eod. n. 78. In Judicialibus tamen, & Prætoriis stipulationibus Notarij in hoc puncto comparantur publicis servis seu Personis. eod. vide exempla.

Quòd privatus quivis possit stipulari causæ piæ, non satis efficaciter probatur, etsi communiter asseratur. fol. 92. n. 79.

Universim tunc quis alteri stipulari potest, quādo inde stipulanti lucrum accrescit, aut ab aliquo debito liberatur. fol. eod. n. 80.

Studiosi.

Tomo 5.

Studiosi non possunt invitii trahi ad alium Judicem quàm suum Rectorem, possunt tamen Jurisdictionem voluntariè prorogare. fol. 17. n. 75.

Quomodo Studiosi acquirant domicilium, vide *Domicilium*.

Studiosi, ratione promissionis factæ in Immatriculatione, possunt ob debita contracta citari à Rectore, ubicunque locorum sint. fol. 79. num. 35?.

Stuprum.

Tomo 1.

Quæ in Judicio contendit, se ab alio stupratam esse, præsumitur fuisse virgo, & fuisse injustè ac invita stuprata, donec probetur contrarium. Sponte consentiens non patitur injuriam. Censetur autem sponte consensisse, si abfuit metus justus, dolus & fraus, magna verecundiæ vis ob reverentiam stupratori debitam, aut timor ob potentiam: nec refert intervenisse muneta, preces importunas. f. 200. n. 687.

Si injustè & invita stuprata, vult nubere stupratori, & ipse eam vult ducere, non tenetur ad amplius antè Judicis Sententiam: imò tenetur Pater filiæ dotem constituere, non minùs quàm si non fuisset violata. f. eod. num. 688. Si verò Stuprator nolit eam ducere, vel ipsa nolit ei nubere, tunc ob injuriam illatam tenetur ad augendam dotem, ut possit æquè commodè nubere acsi stuprata non esset, vel certè alio modo æquè bonum Matrimonium procurare. 689. Si stuprata sponte obligationem remisit, non tenetur Stuprator ad aliquid præstandum parentibus in conscientia ante Judicis sententiam. 690. Si ante omnem transactionem æquè benè nubat, ad nihil tenetur in conscientia ante sententiam. 691.

Patri Puellæ competit adversùs Stupratorem actio injuriarum, etiamsi puella sponte consenserit, cui tamen non nisi post sententiam condemnatoriam Stuprator tenetur satisfacere. f. 200. nu. 691. Aliqui etiam ad Tutorem extendunt.

Si puella consensit ex metu alicujus mali, quod Stuprator sine injuria inferre potuisset, sed quasi in pretium stupri non inflixit, ad nihil tenetur. f. eod. n. 692. ubi exemplum.

Si deflorator non potest dare dotem competentem, tenetur eam ducere in uxorem, si ipsa velit, vel saltem procurare æquè bonum Matrimonium, si sine gravi difficultate aut damno suo potest. eod.

Si promisso Matrimonio consensum obtinuit, & nullum impedimentum vel causa supervenit, quæ sufficeret ad divortium, neque Stupratoris talis est conditio, ut puella potuisset facilè advertere, non promitti seriò, debet eam ducere, etiamsi ficto animo promisisset. f. 200. n. 693. Si Juramento promisisset, non excusaretur inæqualitate conditionis. eod. benè tamen excusaretur, si fæmina fingendo se virginem, ad promissionem induxisset. 694.

Obstrictus voto Castitatis aut Religionis, nec potens aliter satisfacere, tenetur petere Dispensationem, vel etiam eam ducere, reddendo, sed non petendo debitum. f. 201. n. 695.

Si stuprũ sine vi factum est, ejus pœna in persona honesta est publicatio dimidiæ partis bonorum, in humilioribus coercitio corporis cum Relegatione. Si verò per vim, punietur interdictione aquæ & ignis, seu deportatione. Hodie est pœna arbitraria. Qui corrumpit virginem necdum viri potentem, si sit persona honestior, in insulam relegatur. humilior in metallum damnatur. alicubi de consuetudine suspenduntur, vel alia mortis pœnâ afficiuntur. 697. Jure Canon: tenetur vel ducere, vel dotare. 698. ubi etiam quid Jure Bavatico Statutum sit.

Tomo 6.

Stuprator debet stupratam à se seductam vel ducere, vel dotare. f. 194. n. 582. Et in hanc pœnam etiam pœnæ Juris Civilis sunt commutatæ n. 583. Et hæc pœna sufficit. n. 584. Præsumitur autem puella seducta & decepta, nisi contrarium probetur. f. 195. n. 585.

Si puella sponte, & non decepta aut seducta consensit, adhuc pater agere potest injuriarum, si inde damnificatus est. n. 585.

Dos à stupratore statim est solvenda post condemnationem. nu. 586. Actio qua dos petitur, durat 20. annis. n. 587.

Pœna stupri relata procedit etiam in puella vilis originis, & inopis. n. 588.

Si puella scivit, Stupratorem non posse eam ducere, non videtur habere Jus ad exigendam dotem, sed solam actionem injuriarum ratione deceptionis. n. 589. Idem videtur dicendum, si puella nollet nubere Stupratori volenti eam ducere. f. 196. n. 590.

Ab hac pœna liberatur Stuprator, si cum puella convenit de certo pretio. n. 591.

Si Stuprator promissione Matrimonij ad stuprum induxit, non habet optionem dotandi vel ducendi, sed determinatè ducere debet, si petat puella. n. 592. Negante Stupratore promissionem, præsumptio stat pro puella. eod.

Stuprator si puellam imprægnavit, tenetur alere prolem post ablactationem. Imò etiam conducere ablactantem, si Mater ipsa non potest. n. 593. Et ad hæc tenetur etiam pendente lite super virginitate. n. 594.

An Stuprator possit ultra pœnâ canonicam puniri arbitrio Judicis, v. g. carcere, vel pecuniariâ mulctâ, pendet ex locorum Statutis, & consuetudine. n. 595.

Stuprum violentum punitur im Imperio ex Const. Carol. pœnâ mortis. f. 197. nu. 599. Quæ tamen pœna non videtur extendi ad auxiliatores. n. 601.

Stuprum per inebriationem obtentum, est annumerandum stupro violento. fol. 198. n. 601.

Stuprum violentum illatum meretrici prostitutæ, non punitur pœnâ mortis. n. 602.

Ex conceptione non arguitur certò, stuprum fuisse voluntarium. n. 605.

Stuprum voluntarium illatum necdum viripotenti, non punitur pœnâ mortis, bene tamen violentum. nec requiritur fractura claustri, sufficit conatus. fol. 606. & seq.

Substitutio. Substitutus.

Tomo 2.

Substitutio non rectè definitur ab Accursio: *Secunda Institutio.* cùm etiam legatario possit fieri Substitutio, quæ tamen non est Institutio. fol. 159. num. 1.

Definitur Substitutio in genere: unius aut plurium in alterius, aut aliorum locum, ad rem aliquam in ultima voluntate vocatio. strictiùs. Vocatio ad hæreditatem in locum alterius. fol. 160. num. 2.

Institutio conditionata: *si heres ab intestato nollet esse hæres*, non est Substitutio, quia non supponit Institutionem. f. eod. n. 3.

Substitutus ex tempore alicui Instituto ad tempus, (quod militi licet) est propriè Substitutus, quamvis legata à priore non soluta solvere non debeat, quia prior hoc onus in se recepit. fol. eod. num. 4.

Substitutio alia est directa, alia indirecta, seu fideicommissaria. Directa est, per quam Substitutus immediatè, & sine ministerio alterius Instituti hæreditatem testatoris consequitur. Indirecta, quando directo hæredi ejúsque fidei committitur, ut hæreditatem tradat alteri: fitque verbis obliquè ad Substitutum directis. f. eod. n. 5.

Directè Institutus cum substitutione indirecta, vocatur *Fiduciarius*, fitque verus hæres, sicut & directè Substitutus, non item Fideicommissarius: & ideo directè Instituto non adeunte hæreditatem fideicommissam, regulariter fideicommissum corruit, quia supponit existere hæredem directum. fol. 161. num. 7.

Substitutio directa subdividitur in Vulgarem, Pupillarem, Exemplarem, Compendiosam, Reciprocam, seu Breviloquam. eod. Addi potest Militaris Substitutio, facta Instituto ad tempus à milite, ex privilegio speciali. n. 8. & seq.

Substitutio Vulgaris.

Substitutio Vulgaris est Substitutio, quâ secundus hæres instituitur, collatâ Institutione in eum casum, quo primò institutus hæres non fuerit. f. 162. num. 10.

Quando ambiguum est, sítne facta Substitutio Directa, an Indirecta, præsumitur Directa. f. eod. num. 11.

Substitutio in casum expressum, vg. *Voluntatis*, vel *Impotentiæ*, comprehendit casum non expressum, nisi aliter constet aut præsumi possit de Voluntate Testatoris. Itaque si Substitutio facta sit sub conditione: *si Institutus noluerit esse hæres*, is verò vellet quidem, sed non potest esse hæres, Substitutio valebit. fol. 162. num. 14. & seqq. ubi referuntur varij casus, in quibus Substitutio extenditur ad casum non expressum.

Casus Impotentiæ & Noluntatis hoc habent commune, quòd uterque possit communi vocabulo comprehendi. *Si non hæres.* f. 163. n. 20.

Cùm Substitutio Vulgaris sit conditionata Institutio: *si Institutus non sit hæres.* hoc ipso exspirat, si sit hæres: ad quod sufficeret, si hæreditatem non quidem petitione hæreditatis, sed bonorum possessione consequeretur. f. eod. n. 21.

Si tamen Institutus aditâ hæreditate non exequeretur intra annum voluntatem defuncti ex negligentia, privaretur hæreditate, & succederet Substitutus cavens de executione. f. 164. n. 22.

Substitutus non transmittit spem ad hæredes, vg. si moriatur tempore deliberationis, & deliberans hæres Institutus postea repudiet, non prodest hæredibus Substituti, sed hæredibus ab intestato. eod.

Substitutus vulgariter excluditur per transmissionem jure sanguinis & jure deliberandi, sive ab hærede *suo*, sive ab extraneo fiat transmissio. fol. eod. n. 25. & seq.

Probabiliùs etiam hæres *suus* transmittit hæreditatem ultra legitimam relictam jure Suitatis, excluso Substituto. f. 165. n. 27.

In Substitutione filio facta, subintelligitur conditio: *si sine liberis decesserit.* f. 85. n. 374.

Noluntatis in Substitutione positæ sensus non est purè negativus, quasi sufficiat, non habuisse voluntatem, sed est positivus, ex intentione substituentis, nempe si Institutus positivè noluerit esse hæres, repudiando hæreditatem. eod.

Si Institutus post aditam hæreditatem indignus declaratur, Substitutio non habet locum, sed Fisco cedit. Si priùs fuit repudiata, habet Substitutio locum, nisi Repudiatio facta esset in fraudem Fisci. f. 165. n. 29. & seq.

Substitutus excluditur à patre adeunte hæreditatem filiosam. delatam: etiam hoc invito. f. 165. n. 31. & seqq. Excluditur etiam à Monasterio capaci successionis etiam per transmissionem, nisi substituta esset causa pia. f. 167. n. 41.

Substitutio vulgaris, quæ per aditionem ab Instituto factam evanuit, per illius in integrum restitutionem convalescit. fol. eod. n. 42.

Substitutio fortior est jure accrescendi, nisi de contraria voluntate testatoris aliunde constet. f. 168

f.168. n.46. Procedit autem de quocunque genere conjunctorum. n.47. & seqq. Imò procedit etiam in Substitutione vulgari tacita, quæ in pupillari expressa continetur f.169. n.49. & seqq.

Testamento ob præteritionem nullo, substitutio vulgaris evanescit. f.172. n. 59.

Substitutio vulgaris expressa continet tacitam pupillarem. f.174. n.69. sed f. 181. n.97. vide casum exceptum.

Substitutio Pupillaris.

Substitutio Pupillaris exspiraret, si filius post aditam hæreditatem decederet ultimo die anni decimiquarti, nam hoc die jam est habilis ad testandum. f.53. n.241.

Substitutus pupillo pupillariter non potest adire hæreditatem testatoris repudiatâ hæreditate pupilli. potest tamen repudiatâ hæreditate testatoris (si filius pupillus ab ea abstinuit) adire hæreditatem pupilli, si habeat cohæredem, cui accrescat sua portio; secùs non posset, ne testamentum patris destitueretur, & per consequens etiam testamentum pupilli. f. 155. num. 669. & seq.

Substitutio Pupillaris definitur: Substitutio Directa & Simplex, quâ Testator libero impuberi in potestate ipsius constituto, neque per mortem ipsius in alterius potestatem recasuro, hæredem instituit, qui impuberi ipsi sit hæres. fol. 170. num. 52.

Substituere potest Pater (non mater) in suo testamento, quo simul facit testamentum impuberi. eod.

Hujusmodi testamentum aliquando dicitur esse unum, aliquando duplex, ratione duplicis hæreditatis, & formæ unius. fol. 171. n. 53.

Etiam posthumo in utero existenti tempore mortis potest pupillariter substitui, dummodo esset in patria potestate nasciturus tempore mortis patris. eod.

Si pater factâ pupillari substitutione profiteatur in Religione capaci successionis, sicque solvatur patria potestas, substitutio pupillaris exspirat, & pupillo deinde in pupillaribus decedenti succederet hæredes ab intestato, pater & Monasterium. Secùs si profiteretur in Religione incapaci successionis. nam hæc Professio habet omnes effectus mortis naturalis. Si per Vota Simplicia solveretur patria potestas, tunc substitutio pupillaris ideo evanesceret, quia testamentum patris necdum est morte naturali aut civili confirmatum. fol. 171. n. 54. & seqq.

Ut subsistat Substitutio pupillaris, non debet pupillus mortuo testatore recidere in alterius patriam potestatem. fol. 172. nu. 58.

Jure novo etiamsi filius impubes esset præteritus, aut non Jure exhæredatus, aut ex præteritione alterius filij testamentum corrueret quoad institutionem, sicut tamen sustineretur quoad legata & fideicommissa, sic etiam quoad substitutionem pupillarem. fol. eod. n. 59.

Non solùm filijs naturalibus legitimis, & nepotibus in potestate existentibus, sed etiam arrogatis, aut adoptatis, transeuntibus in potestatem adoptantis, potest substitui pupillariter quoad illa bona, quæ ab adoptante, aut ejus intuitu pupillus acquisivisset. f. 172. nu. 60.

Ut evanescat substitutio, debet ultimus annus pupillaris esse completus per inchoationem ultimi diei illius anni, quo jam potest ipse pupillus facere testamentum. fol. 173. n. 61.

Sine exceptione tenendum est, neminem paganum posse pupillariter substituere non constituto in sua potestate. fol eod. nu. 62.

Substitutio pupillaris convalescit per supervenientem patriam potestatem, tanquam conditionem sub qua facta est substitutio. f. eod. n. 63.

Solutâ patriâ potestate per supervenientem dignitatem, probabiliter substitutio facta non evanescit. fol. eod. nu. 65.

Si Filius, malitiâ supplente ætatem, acquireret legitimam prolem ante pubertatis annos, evanesceret substitutio pupillaris, secùs non evanesceret, sicut nec ob malitiam supplentem ætatem posset citiùs testari. fol. 174. n. 66.

Si ex defectu Solennitatum testamentum est nullum, substitutio pupillaris est nulla: si haberet quæ sufficiunt ad testamentum inter liberos, & substitutus etiam esset ex familia, valeret, secùs, si esset persona extranea. fol. eod. n. 67.

Substitutio pupillaris expressa continet tacitam vulgarem, & econtra. Unde, ut tota substitutio evanescat, necesse est, ut Filius sui patris hæres existat, & pubes fiat. Quodsi hæres quidem existat, sed decedat impubes, Cajus non quidem testatori, sed filio succedit in utramque hæreditatem vi substitutionis pupillaris. Si verò filius non extat hæres, tunc substitutus erit hæres testatoris ex substitutione tacita vulgari. fol. 174. n. 69.

Econtra si substitutio fuisset expressa vulgaris, contineret tamen tacitam pupillarem, & tunc succederet substitutus testatori ex vulgari expressa, si filius non esset hæres: si verò esset hæres, sed decederet impubes, hujus esset hæres substitutus ex tacita pupillari. f. eod. n. 70,

Potest etiam verbis generalibus fieri substitutio, quæ sit expressa tam vulgaris quàm pupillaris. Quodsi ex duobus institutis unus tantùm capax esset substitutionis pupillaris, & essent invicem substituti generalibus verbis, censerentur solùm adinvicem vulgariter substituti, & impuberi nemo es-

nemo esset pupillariter substitutus, & sic in hoc casu substitutio vulgaris non contineret pupillarem, quia præsumitur pater noluisse inæqualem substitutionem facere. fol. 175. nu. 72.

Substitutio Pupillaris facta illi, cui fieri non potest, ex præsumpta voluntate testatoris adhuc valeret in vim Substitutionis vulgaris. f. eod. n. 73.

Si Substitutio Pupillaris quà talis est invalida, interest, ex quo capite sit invalida, an ex defectu solennitatum, an ex defectu personæ substituentis, vel illius cui substituitur, ut constare possit an habeat vim fideicommissi. Affirmandum enim est, si inutilitas præcisè provenit ex primo capite, item, si quidem ex secundo capite, Substitutio tamen facta est in Codicillo, & non in Testamento, tali casu, si is, qui fuit hæres Institutus, & cui pupillariter substitutum est, intra pupillarem ætatem decedat, debent ipsius hæredes ab intestato venientes restituere omnia Substituto, (deducta Trebellianicâ) quæ ex bonis Testatoris ad talem pupillum hæreditario jure pervenerunt. Si verò inutilitas substitutionis proveniat ex secundo capite, & est facta in testamento valido, tunc non habet vim fideicommissi, sed præcisè convertitur in Substitutionem vulgarem. f. 176. n. 74.

Substitutus pupillariter sive in primo sive in secundo gradu, hoc est, si substitutus in primo gradu hæres non sit, succedit in omnia bona pupilli undecunque acquisita. fol. eod. n. 75.

Si tamen facta esset duplex substitutio pupillaris, quamvis dicendum videretur, quòd deficiente primo gradu ad substitutum secundo gradu pervenire deberent bona instituti, etiamsi jam consecutus esset bona substituti in primo gradu, attamen in lege 47. ff. h. t. contrarium respondetur. fol. eod. n. 76.

Quamvis impubes hæreditatem paternam imprudenter adierit, quia tamen substantia patris cum substantia filij in unum patrimonium confusa est, non potest quidem substitutus pro libitu hæreditates separare, & unâ repudiatâ alteram adire, potest tamen uti beneficio restitutionis ad se à filio tanquam ad hæredem transmissio. fol. 177. n. 77. & seq.

Si pupillus hæreditatem paternam repudiet, & in pupillari ætate decedat, an adhuc substitutus admittatur, distinguendum est. Si enim Pupillus nullum habuit cohæredem, tunc tabulæ pupillares sustinentur Jure Suitatis, vi cujus ipso jure fuit hæres absque aditione. Si verò habuit cohæredem extraneum, tunc interest, an ambo repudiaverint hæreditatem: tunc enim censeretur Testamentum destitutum, (nisi ipse Substitutus ob vulgarem tacitam adiret) & Substitutio evanesceret, nec Jus Suitatis prodesset. Prætor tamen servaret Pupillo Substitutum, si hæreditas adiretur ab intestato. Si verò cohæres adiret, tunc Substitutus volens succedere Pupillo, etiam consequeretur portionem paternam, & adire cogeretur. f. 177. n. 79. & seq.

Per Substitutionem pupillarem expressam alicujus extranei, etiam verbis generalibus conceptam, excluditur mater etiam quoad legitimam per Substitutum. f. 178. n. 81. & seqq.

Item per vulgarem tacitam excluditur ab hæreditate mariti, qui nihil tenetur uxori relinquere. fol. 180. n. 89. Imò probabiliùs etiam mater Testatoris excludetetur, ob similem rationem, quia Testator non tenetur suæ matri relinquere legitimam, quando habet descendentes n. 90.

Si Substitutio est tantùm tacita pupillaris, tunc ex præsumpta voluntate Testatoris excludetur mater, si vel causa pia pro bono animæ defuncti, vel aliquis descendens, aut valde conjunctus, ut frater, est substitutus. fol. 179. num. 85. & seqq. Cessante hujusmodi præsumptione, probabilis quidem & tuta sententia est, Substitutum à matre quoad legitimam excludi, quando tantùm Pupillaris tacita est Substitutio facta: sed theoricè probabilius est, matrem à Substituto excludi secundùm præsumptam voluntatem Testatoris, quia tacitum & expressum eandem vim habent, quando leges non resistunt. f. 180. n. 91. & seqq.

Pupillaris Substitutio exspirat 1. Si pater patiatur maximam capitis diminutionem. 2. Si fecit novum Testamentum omissâ substitutione. 3. Si is, cui Substitutum est, fiat pubes. 4. Si arrogetur vel adoptetur ab ascendente. 5. Si Substitutus ante Pupillum decedat. 6. Si desinat patria potestas ante mortem Testatoris. f. 181. num. 98.

Exspirante Substitutione Pupillari per supervenientem pubertatem, non propterea exspirat tacita Vulgaris, adeoque repudiante filio hæreditatem patris, Substitutus omnibus præfertur, utpote quem Testator præ omnibus dilexit excepto filio. f. eod. num. 99.

Substitutio Pupillaris non restringit vulgatem, vel ad summum restringit negativè: *Si hæres non erit intra pubertatem*. quæ conditio impletur adhuc, etiamsi Pupillus veniat ad pubertatem, & hæreditatem repudiet. f. 182. n. 100.

Clausula illa, seu conditio: si intra pupillarem ætatem decesserit: pertinet solummodo ad hæreditatem Pupilli obtinendam, si conditio existat. non autem pertinet propriè ad vulgarem, cujus unica & propria conditio est: Institutum non esse hæredem. n. eod.

Quandocunque filius institutus abstineat, repudiatio retrotrahitur ad tempus mortis Testatoris: & sic semper fingitur facta repudiatio infra tempus ætatis pupillaris; fiérque locus Substitutioni vulgari tacitæ. f. 182. n. 101.

Si Paganus ultra annos pubertatis substitueret, valeret

valeret Substitutio usque ad annos pubertatis. Quodsi intra minorem ætatem, vg. ad decimum annum substituat, elapso illo tempore evanescit Substitutio. f.eod.n.103.

Substitutio Pupillaris hoc modo concepta: *Quisquis mihi hæres fuerit, sit & filio meo impuberi hæres:* evanesceret deficientibus hæredibus in testamento scriptis, nam ad hos solos extenderetur Substitutio ex mente Testatoris. eod.

Substitutio Exemplaris.

Substitutio Exemplaris (quæ etiam quasi pupillaris dicitur) est Substitutio simplex & directa, quâ pater aut mater, aut alius ex ascendentibus, liberis, furiosis, mente captis, hæredes substituunt. 183. n.104.

Jus itâ substituendi conceditur In *lege 9. C. de Impub.* Substit ubi humanitatis intuitu parentibus indulgetur, ut si filium, nepotem, vel pronepotem, cujuscunque sexûs, habeant mente perpetuò captum, liceat illis, relictâ legitimâ portione, substituere hæredem, nisi resipuerint. Et quidem si illis nulla proles descendentium sit, licet substituere quemcunque. Si verò ex hujusmodi mente capto descendentes supersint sapientes, aliqui ex his, unus vel plures substituendi sunt. Quodsi ipsi testatori sint liberi sapientes, non item mente capto, aliquis vel plures ex fratribus substituendi sunt. eod. Extenditur etiam ad furiosos, utpote qui plùs quàm mente capti sunt. n.105.

De Mutis & Surdis à natura, cùm vix videantur differre à mente captis, idem concedi potest. eod. De prodigis videtur negandum, cùm laborent vitio voluntatis. idem negandum de surdis & mutis, qui ipsi possunt testari. f.183. n.106.

Si tam pater quàm mater Substitutionem facerent, communior quidem est opinio, Substitutionem matris corruere, ne quis paganus cum duobus testamentis decedat, quod jura generaliter non permittunt, nisi militi. Verùm in casu posito hoc non est magis inconveniens concedere, quàm quòd amens partim restatus, partim intestatus decedat, quia pater in solis bonis paternis substituere potest. Cùm ergo matri sit facta potestas etiam vivo patre substituendi, & humanitatis sit, filium posse in omnibus bonis habere hæredem, probabilius est, utramque Substitutionem valituram, ità ut Substitutus à patre consequatur bona paterna, Substitutus à matre bona materna, cætera æqualiter dividerentur. f.184. n.107. & seqq.

Deficientibus descendentibus & fratribus, nulla est obligatio patris, ut substituat matrem, vel econtra mater patrem, ne quidem quoad legitimam, sicut dictum de Substitutione Pupillari, quam Exemplaris imitatur, exceptis illis, quæ per leges excipienda sunt. fol.185. n.102.

Ratio favendi fratribus præ parentibus, esse poterat, quòd illi plerumque diutius ferre debeant molestias amentis fratris. eod.

Probabiliter tenetur pater substituere consanguineos præ uterinis, & econtra uterinos, si nolint substituere omnes. eod.

Non solùm puberibus, sed etiam impuberibus amentibus, potest exemplariter substitui, ob majorem commoditatem hujus, quàm Pupillaris Substitutionis. fol.185. n.113.

Potest substitui exemplariter legitimè exhæredato amenti, sicut dictum est posse substitui pupillariter. f.185. n.114.

Filio tamen non legitimo non potest exemplariter substitui, sicut nec pupillariter. f.186. n.115.

Si pater amenti filio, ex quo exstant nepotes, substituit exemplariter, probabiliùs debet descendentibus saltem legitimam relinquere, quos non substituit, cùm sint jam aliquo modo domini bonorum paternorum. f.186. n.117.

Si pater filio amenti non reliquisset totam legitimam, locus non esset querelæ ad totam Substitutionem evertendam, sed ad supplementum agi posset.

Lucida intervalla non tollentia penitus amentiam, non enervant Substitutionem, nisi in illis ipsemet testamentum fecisset. debet ergo fieri probabile, quòd amentia sit radicitùs sublata. f. 187. num.121.

Substitutio Exemplaris generalibus terminis concepta, continet tacitè alias substitutiones, si subjectum earum capax sit. num.122. Si verò expressè diceretur: *si in amentia decesserit:* tunc redeunte mente evanesceret Substitutio Pupillaris & Exemplaris, non tamen vulgaris. n.123.

Substitutio Fideicommissaria.

Est Substitutio simplex & indirecta, quâ hæres ab intestato vel testamento institutus, gravatur alteri restituere hæreditatem, vel quotam illius. fol.188. n.125.

Cùm Fideicommissum accipiendum sit ab eo, qui verè est hæres fiduciarius, evanescit hæc Substitutio, si nemo velit esse hæres (exceptâ fortè causâ piâ. n.127.) Nam ante aditam hæreditatem Substitutus non habet jus absolutum. Item corruit, si fiduciarius moriatur ante aditam hæreditatem: item si Fideicommissarius moriatur ante fiduciarium, nec habet alium in secundo gradu substitutum, nisi transmittat ad suos hæredes. fol. eodem, num.125.

Substitutus etsi accipiat hæreditatem à fiduciario, non dicitur tamen huic succedere, sed Testatori mediante officio hæredis. fol.eod. n.126.

Si Fidei-

Si Fideicommissum relinquatur familiæ, in qua per varios gradus succedunt, vg. in Majoratu, tunc primus quidem substitutus accipit fideicommissum ab hærede, cæteri verò post primum accipiunt immediatè à primo Testatore vel Institutore, propriâ auctoritate, & sine ministerio præcedentis, adeundo per se hæreditatem instar proprij hæredis, & non ut Fideicommissarius, & ideo solus primus detrahit Trebellianicam. eod.

Fideicommissum potest non solùm in testamento, sed etiam in Codicillo, & ab intestato relinqui, item in Epistola, libello, imò solo nutu sine verbis formalibus. f. 189. n. 128.

Non potest indirectè substitui, nisi illi, qui possent institui directè, ne lex reddens institutionis incapaces frustretur. fol. 189. n. 129.

Fideicommissum potest relinqui restituendum ex certo die. fol. eod. n. 130.

Non requiruntur verba deprecatoria, sed fieri potest quibuscunque significantibus voluntatem obligandi ad restituendum. f. cod. n. 131.

Restitutâ hæreditate, is qui restituit, nibilominus hæres permanet, quod in realitate aliud non est, quàm quòd ipse posset adhuc actionibus directis conveniri, quamvis eas posset exceptione factæ restitutionis elidere, quam si negligeret, & solveret, posset solutum repetere à fideicommissario. f. eod. n. 132. & seq.

Fideicommissarius dicitur aliquando esse loco hæredis, nempe quando restitutâ hæreditate conveniunt illi activè & passivè actiones hæreditariæ. Si res aliqua particularis fuit restituenda, habetur loco legatarij. eod.

Senatûsconsulto Trebelliano constitutum est, ut si hæreditas ex causa fideicommissi restituta est, actiones, quæ hæredi & in hæredem competebant, omnes in fideicommissarium activè & passivè transferrentur. eod.

Fideicommisso non comprehenditur res particularis prælegata hæredi fiduciario. eod.

Fideicommisso gravari possunt omnes, ad quos aliquid perventurum est morte Testatoris relinquentis, vel saltem non adimentis quantùm in se est. Unde filius præteritus aut exhæredatus non potest gravari Fideicommisso, etiamsi hæreditatem, rescisso testamento consequatur, quia contra affectum patris consequitur hæreditatem. fol. 190. num. 134.

Non solùm res propriæ Testatoris, sed etiam res aliorum, imò eorum qui gravantur, possunt per Fideicommissum relinqui, dummodo non plùs graventur, quàm honorentur. f. 190. n. 135.

Jussus restituere portionem suam, debet etiam prælegata restituere, nisi addatur: *Hæreditariam.* Quodsi solùm restituere jubetur, prælegata probabiliter non comprehenduntur, quia restitutio censebitur respondere institutioni ex intentione Testatoris. f. 191. 136.

Si hæres sponte restituat totam hæreditatem, ne quidem Trebellianicâ detractâ, ab omnibus oneribus liber est. Si recuset adire hæreditatem, cogitur adire, & negatur illi Trebellianica. num. 137. Quamvis probabile sit, jure novo cogi non posse, quia hæreditas statim defertur ipsi Fideicommissario. f. 254. n. 381.

Potest Substitutio fieri etiam primo, secundo &c. fideicommissario. sed solus primus detrahit Trebellianicam, nisi neglexerit. f. 191. n. 138. Vide, *Trebellianica.*

Neglectis Solennitatibus requisitis ad probandum Fideicommissum, si hæres sciat voluntatem defuncti, & neget suæ fidei aliquid commissum esse, potest illi Fideicommissarius juramentum deferre, præstito priùs juramento calumniæ, & si jurare recuset, habetur pro confesso, & restituere cogitur, sicut etiam, si, postquam priùs negavit, deinde confessus est: sicque permittitur in propria causa esse judex & testis. Est ergo hoc singulare: cùm alioquin, qui nihil probavit, juramentum deferre non possit, & delatum possit referri. f. 191. n. 139. & plura de hoc in materia de Juramento. To. 5.

Probabile tamen videri posset, quòd ante Judicis sententiam non teneretur in conscientia restituere, quod ex legibus colligitur, in pœnam præcedentis negationis cogi ad restituendum. Nisi inter ipsum & Testatorem pactum intercessisset, tunc enim in conscientia obligaretur restituere. fol. 192. n. 140.

Probabiliùs tamen distinguendum est inter hæredem ab intestato, & eum qui honoratus est in testamento. Prior, si nolit obligari ad restituendum fideicommissum, adhuc succedet ab intestato, cùm hæreditatem à lege accipiat: ergo non apparet, unde absque pacto obligetur in conscientia: quin potiùs non obligari videtur supponi *in lege 13. C. de fideicom.* Secundus obligatur in conscientia, quia voluntati defuncti non contradicendo, consentire censetur in obligationem ad fidem servandam. fol. 193. n. 142.

Si Fideicommissum relictum est simpliciter, & statim ab adita hæreditate restituendum, Fideicommissarius moriens postquam dies cessit, transmittit ad hæredes, secùs, si relictum est sub conditione futura, & mortuus est, antequam dies cessit. fol. eod. n. 143.

Si filio per fideicommissum extraneo relictum gravato, postea præter spê liberi nascerentur, Substitutus à liberis excluderetur ex præsumpta voluntate Testatoris, secùs si causa pia strictè sumpta, hoc est, ad salutem animæ promovendam substituta esset. f. eod. n. 144.

Admonitus si per annum distulerit, aufertur illi lucrum, & cedit alijs. f. 194. n. 146.

Non

Non poteſt Fideicommiſſarius ante factam ſibi reſtitutionem jus ſuum alteri cedere, aut vendere, aut donare &c. ad hunc finem, ut ille tertius poſſit compellere hæredem gravatum, ut adeat hæreditatem, & ſibi Fideicommiſſum reſtituat, utendo remedijs Fideicommiſſario conceſſis. Neque transferuntur actiones in Fideicommiſſarium, caſu quo illi hæres reſtituat ante diem ceſſum. f.194. num.147.

Non exſpirat ſubſtitutio, etiamſi hæres decedat ante aditam hæreditatem, ſi deceſſit poſt Juſſum ſeu Decretum Judicis, adeóque hæres hæredis tenebitur adire & reſtituere. Quando autem tranſmittitur hæreditas gravata ad hæredes, ſeu Jure Suitatis, ſeu ſanguinis, ſeu deliberandi, cum ſuo onere tranſmittitur. f.195. n.148.

Modi reſtituendi Fideicommiſſum, recenſentur in *lege* 37. *ff. à Trebell.* vg. permittendo ipsâ rem poſſideri, verbo, epiſtolâ, reſtituendo alteri ex voluntate Fideicommiſſarij. & *l.* 7. §.1. *C. eod.* ſi hæres decedat ſine hærede, aut contumaciter abſit, ipſo jure actiones transferuntur. f.195. n.149.

Reſtitutio non realis transfert quidem dominium, ſed non poſſeſſionem, competitque ad eam à poſſeſſore particulari conſequendam Fideicommiſſaria hæreditatis petitio. Semel adeptâ poſſeſſione, & iterum amiſsâ, competit utilis rei vindicatio. f. eod. n. 150.

Fructus collecti vivo Teſtatore & reperti tempore mortis, & pendentes, ſunt Fideicommiſſario reſtituendi: item percepti poſt factam reſtitutionem verbalem vel quamcunque ſine poſſeſſione. Percepti ab hærede ſolùm gravato ſub conditione aut in diem, fructus interim perceptos hæres computat in Trebellianicam, ſed ſuperfluos lucratur, quos tamen non lucratur, ſi tardavit reſtituere. Si ſponte adivit hæreditatem, Fideicommiſſarius autem neglexit petere reſtitutionem, non ſunt reſtituendi fructus: ſi verò coactus adivit, percepti jacente hæreditate reſtituendi ſunt. f.eod.n.151.

Si Fideicommiſſum ità relictum ſit, ut reſtituatur, quidquid tempore mortis ſupererit, non tenetur teſtituere plus quàm quartam Jure novo, & ſi hanc reſtitueret etiam in vita, & cætera omnia conſervatet, ad nihil ampliùs teneretur. Imò & quarta hæc diminui poſſet ex cauſa dotis ſeu propter nuptias donationis, ſeu captivorum redemptionis, vel ſi non habeat hæres, unde faciat expenſas. f.196. n.152.

Pars cohæredis non gravati non accreſcit hæredi gravato, ſed Fideicommiſſario. f.eod. n.153.

Si quid reſtituendæ hæreditatis pereat, non tenetur hæres, niſi de culpa lata. f.eod. n.154.

Jus Sepulchrorum non transfertur in Fideicommiſſarium. fol.eod. n.155. benè tamen Jus Patronatûs ſeu præſentandi ad beneficium. 156.

Factâ duplici Subſtitutione, vulgari & fideicommiſſariâ, penes Subſtitutum eſt electio, poteſtque hæredem cogere, ut adeat hæreditatem ex præſumpto favore Teſtatoris, qui vulgarem ſubſtitutionem videtur ſolùm adjeciſſe in caſum impotentiæ, caſum verò Noluntatis videtur voluiſſe excludere per ſubſtitutionem fideicommiſſariam. f.197. n.158.

Si filio hæredi inſtituto ſubſtitutus ſit nepos tunc exiſtens, ſi deinde naſcantur alij nepotes ex eodem, quoad exceſſum ultra legitimam, ex circumſtantijs capienda eſt conjectura, an teſtatus voluerit ſubſtitutionem ad priorem nepotem, fortè ob præclaram ejus indolem, vel quid ſimile, reſtringere. fol. eod. n.159.

Pluribus hæredibus in partibus inæqualibus inſtitutis, & invicem ſubſtitutis indirectè, cenſetur ex præſumpta voluntate reſtitutio facienda ſecundùm proportionem inæqualium partium relictarum. eod. & ſeq.

Subſtitutio Breviloqua, ſeu Reciproca.

Definitur: Compoſita multarum perſonarum ad invicem ſeu reciproeè Subſtitutio. Eſt enim complexum quoddam ex pluribus ſubſtitutionibus ſimplicibus, paucis verbis expreſſa. Dicitur Reciproca, quaſi retroducta, repetita & reflexa inter perſonas, per ordinem ad quas multiplicatur, abſque reſpectu ad diverſa tempora, qualis eſt Compendioſa Subſtitutio. f.198. n.161.

Requiruntur verba ejuſmodi, quibus ſignificetur, hæredes inſtitutos ſibi invicem ſubſtitui in caſum Noluntatis, aut impotentiæ. fol.eod. n.162.

Ex qualitate perſonarum ſubſtitutarum colligendum eſt, quales ſubſtitutiones ſimplices complectatur Breviloqua. fol. eod. n.163.

Quandoquidem verbum, *Subſtituo*, recipit tam ſenſum directæ quàm indirectæ ſubſtitutionis, ideo in caſu quo ſubſtitutio vulgaris inutilis eſſet, cenſeretur continere ſubſtitutio fideicommiſſaria inter cohæredes extraneos. Poteſt ergo Subſtitutio Breviloqua plures ſubſtitutiones ſimplices continere, adeo, ut ſi vg. quatuor filij impuberes ſibi ſubſtituerentur, poſſent contineri 32. ſubſtitutiones. eod.

Illæ tamen ſubſtitutiones non continentur, quarum unus ex inſtitutis ſolus capax eſt. fol.199. n.144. comparatus eum incapaci. n. 145.

Propter ſimilitudinem inter pupillarẽ & exemplarem ſubſtitutionem, ſi impubes & mente captus invicem ſubſtituerentur, tam pupillaris ex parte pupilli, quàm exemplaris ex parte mente capti ſubintelligeretur. fol.eod. n.166.

Si in eodem teſtamento fiant plures ordines hæredum, vg. duo inſtituuntur in Sextante, duo in Triente, duo in Semiſſe, & addatur: *Et hos invicem ſubſtituo*: præſumitur voluiſſe tantùm reſpe-

ctivè substituere illos, qui in eodem ordine instituti sunt. fol.eod. n.168.

Si duobus simul legetur res certa, adjectâ clausulâ, ut ultimò decedens rem illam alicri restituet, censerentur legatarij quoque invicem substituti. fol.200. n.169.

Si duobus institutis aliquis communis substituitur, tunc, si instituti sunt liberi, censentur invicem sibi substituti, eum exclusione substituti communis, secùs, si extranei. f.eod. n.170.

Substitutio Compendiosa, & Militaris.

Est Substitutio, quæ plures quoad diversa tempora substitutiones complectitur, verbis saltem generalibus expressas. f.201. n.171. Dicitur complecti plura tempora per vocem: *Quandocunque decesserit.* quod est intelligendum cum respectu ad conditionem & qualitatem personæ, à qua dicitur aliud tempus Impubertatis, aliud Pubertatis, aliud amentiæ, aliod sanæ mentis, aliud mortis. eod. ubi exemplum.

Privilegium Militis est, quòd possit hæredi à se instituto, quicunque ille sit, substituere directè, & etiam ad tempus quod illi placuerit, ità, ot etiamsi dicat: *post tempus:* Substitutio tamen sit directa: & hæc est maximè propria substitutio compendiosa. f.201. n.172.

Valet autem in illis tantùm bonis, quæ ab ipso testatore proveniunt. n. 173. ubi vide exemplum.

Per substitutionem directam puberi filio factam à milite, probabiliter excluderetur mater. fol.202. num. 175.

Substitutio extensa ad plura tempora, potest fieri tripliciter. 1. per generalitatem verborum: *Quandocunque morietur.* 2. per specialitatem. *Instituo filium, & substituo Titium vulgariter, pupillariter, exemplariter, & fideicommissariè.* 3 tacitè. *Si filius meus moriatur, hæres sit Titius.* fol.202. n.177.

Verba obliqua nunquam fiunt directa, licèt recta quandoq; obliquentur, & ideo substitutio compendiosa per verba obliqua nullam continet substitutionem nisi fideicommissariam: nisi fortè causa pia esset substituta. f.eod. n.178.

Si Substitutio compendiosa fiat terminis directis civilibus, (hoc est non comunibus) hoc modo: *Quocunque tempore filius decesserit, sit hæres Cajus:* præsumendum de jure est, quòd non voluerit Testator gravare hæredem ab intestato fideicommisso, ne quidem quoad propria sua bona, in quibus filius hæres exstitit post pubertatem, & cum suis bonis confudit, adeoque non continetur substitutio fideicommissaria. Aliud dicendum, si verbis communibus usus esset. fol.202. num.179. & seqq.

Imò nec tunc videtur directa substitutio obliquari, quando facta est substitutio cum clausula: *Si filius sine liberis decesserit:* sed Testator videtur solùm prospicere velle casui, quo hæreditas nec agnita, nec ad filios transmissa esset. f.203. n.185.

Substitutus compendiosè in re certa, per verba communia, *si filius sine liberis decesserit:* Substitutus habetur instar Legatarij. Si verò per verba civilia directa fuit filius institutus in re certa, si filius sine liberis decedat, nec sit hæres, substitutus totam hæreditatem consequetur, parte trahente ad se totum. f. 204. n. 186.

Si pupillo fuerint duo substituti, unus per verba directa in re vel portione certa, alius verò substituatur per verba obliqua in omnibus bonis, primus accipiet totam hæreditatem, sed secundo restituet, detractâ Trebell. f. 204. n. 188.

Si quis sit pupillariter substitutus per verba obliqua in re certa, & alter substituatur in alijs bonis per verba communia, hæc trahitur ad omnia bona, & verbum commune dirigabitur, cùm nullus alius sit Hæres. f. eod. n. 189.

Si filio habenti cohæredem, sint duo substituti, Titius in re certa verbis obliquis, Cajus etiam in re certa verbis communibus, substituti redigentur ad Fideicommissum, & cohæres solvet substitutis fideicommissum. Secùs, si nullus cohæres datus esset. f. eod. n. 190.

Si impuberi substituatur Titius in re certa verbis directis, Cajus verbis communibus, Titius erit Hæres universalis, Cajus instar Fideicommissarij, obliquato verbo communi. f. eod. n. 191.

Si Testator instituit pupillum cum Clausula: si moriatur sine liberis, vel liberi ejus (nepotes) sine liberis, restituantur bona sua Titio Jure fideicommissi, censentur etiam Nepotes honorati, & instituti hæredes, quia gravantur restituere. fol. eod. n. 192.

Successio Legitima, seu ab Intestato.

Tomo 1.

Carenti Hærede Testamentario succeditur ab illis, qui, & quo ordine à Lege vocantur, & ideo successio Legitima dicitur. f. 470. n. 388.

Successionis ab intestato mira fuit olim varietas constituta, quæ referrur fol. eod. num. 391. & seqq.

Jure Moderno sunt tres præcipui ordines, primus Descendentium, secundus Ascendentium, tertius ex latere conjunctorum, attento semper gradu viciniore, & secundùm Jus civile numerantur & colliguntur tam gradus quibus unus distat à communi trunco, quàm quibus alter distat. fol. 471. n. 398.

Successio Descendentium.

Descendentium Legitimorum prima ratio habetur, exclusis omnibus ascendentibus & lateralibus, quantumvis gradu propinquioribus. f. 472. n. 400.

Descen-

Descendentes in eodem gradu, succedunt in partes viriles seu capita. f. eod. nn. 401. Defuncti tamen immediati proles gaudet Jure repræsentationis sui parentis, succedendo in stirpes. n. 403. Imò eodem Jure gaudent etiam abnepotes, & ultrà. f. 473. n. 407. & seqq. ubi n. 413. declaratur utilitas hujus rei in fideicommisso.

Successio etiam tunc fit in stirpes, quando mediati descendentes sunt in eodem gradu ex diversis descendentibus. f. 474. n. 414.

Nepos succedit Avo, etiamsi post ejus mortem conceptus sit. f. eod. n. 416. & seqq. ubi referuntur casus, quibus hoc moraliter contingere potest.

Filio ab hæreditate abstinente, adhuc Nepos Jure sanguinis succedit, exclusis ascendentibus & lateralibus, non obstante, quòd pater maneat civiliter hæres. f. 475. n. 423. & seqq.

Germaniæ consuetudo habet, ut fœminæ Nobiles contentæ dote renuntient successioni in favorem fratrum. f. 476. n. 426.

Legitimati per subsequens Matrimonium succedunt sicut legitimè nati. f. eod. num. 427. vide etiam *Legitimatio*. Ut verò Legitimati Rescripto Principis succedant, debuit pater habuisse justam causam non legitimandi per Matrimonium, debet carere liberis legitimis, & legitimandi debent consentire. nu. 428. Non excluduntur tamen à liberis post Legitimationem natis. nu. 429. Non comprehenderentur tamen Statuto, quo masculi excluderent fœminas, sed cum fœminis æqualiter succederent. f. 477. n. 431. Neque juvarentur, etiamsi Princeps diceret, se legitimare quoad Statuta. n. 435.

Adoptatus specificè etiam ab extraneo, succedit durante adoptione æqualiter cum legitimè natis. f. 478. Ab ascendente adoptatus, succedit non obstante emancipatione. n. 437. Adoptivus retinet simul Jus succedendi patri naturali. n. 438. vide etiam Adoptio.

Arrogati durante arrogatione, succedunt sicut legitimè nati, sine causa justa emancipati in quartam partem. f. 478. n. 440.

Adoptivi non admittuntur ad successionem Agnatorum & Cognatorum defuncti. f. eod. nu. 441.

Si defunctus nec legitimos, nec uxorem legitimam reliquit, sed naturales ex concubina, hi succedunt unà cum matre in duas uncias, dividendas in capita. f. eod. n. 444. Neque ab hac successione excluderentur à Legitimatis rescripto Principis, aut Adoptivis. f. 479. n. 445. In his duabus uncijs nepos illegitimus non succederet avo, ne quidem Jure repræsentationis, inspectis apicibus Juris, ex æquitate tamen fortè esset admittendus. f. eod. n. 449. & seq.

Filius illegitimus succedit matri (etiam Illustri si de patre constet) æqualiter cum legitimis ex eadem matre natis. Item in bonis aliorum ascendentium per lineam maternam. f. eod. nu. 451. & seqq.

Spurij Canonicè sumpti nullis ascendentibus succedunt, quamvis illis debeantur alimenta, sine quibus vitam sustentare non possent. f. 480. num. 454.

Successio Ascendentium.

Deficientibus descendentibus, succedunt ascendentes tam lineæ masculinæ, quàm fœmininæ suis descendentibus tam emancipatis quàm non emancipatis, etiam legitimatis rescripto Principis & Adoptivis: mater filio naturali illegitimo, etiam posthumo. f. 481. n. 457. ubi casus n. 460.

Pater Adoptivus extraneus non succedit adoptato. f. 482. nu. 461. Nec Arrogator arrogato impuberi decedenti. 462.

Mater non providens ex debito Tutorem impuberi, non succedit impuberi. f. eod. n. 463.

Si parentes primi gradûs supersint, & soli existant, nullis existentibus fratribus, succedunt æqualiter. f. eod. n. 464. & quidem etiam in illis bonis, quæ ab una sola linea profecta sunt. f. 483. n. 466. & seqq.

Succedente simul Patre & Matre, Pater non consequitur Usumfructum illius portionis quæ matri cedit, nisi quantùm priùs habuit. f. eod. n. 471.

Ex Ascendentibus propinquior excludit remotiorem, nullo Jure repræsentationis admisso. fol. 484. n. 473.

Concurrentes in ulteriore gradu, succedunt in Stirpes. f. eod. n. 475.

Ascendentes non excludunt fratres Germanos, sed hi cum illis succedunt in capita f. eod. n. 476. Excludunt tamen consanguineos & uterinos. nu. 477.

Existentibus ascendentibus, fratribus aut sororibus, & insuper alicujus fratris defuncti filijs, hi quoq; cum ascendentibus & fratribus concurrunt, sed solùm in stirpes, & probabiliùs etiam succedunt cum ascendentibus, quando nulli fratres existunt. f. 485. n. 478. & quidem in stirpes. num. 480. Nepotes tamen ex fratre penitus excluduntur. n. 483.

Quando Fratres cum ascendentibus concurrunt in diverso gradu existentibus, tunc hi non ampliùs in stirpes, sed in capita succedunt. f. eod. n. 481. idem videtur dicendum, si nulli fratres existant, sed filij fratrum, non obstante, quòd hi succedant in stirpes. f. 486. n. 482.

Frater naturalis non excluditur à Matre, sed cùm ea æqualiter succedit. eod.

In fucessione ascendentium semper subintelligenda est limitatio, quâ parentum ad secundas nuprias transeuntium successio in bonis provenientibus ex priore Matrimonio restringitur. f. 486. n. 484. Vide, *Nuptia secunda.*

Successio Transversalium.

Primo loco succedunt fratres & sorores ex eodem patre & matre conjuncti, h. e. Germani & Germanæ, unà cum ascendentibus, excludúntque fratres & sorores ex uno tantùm latere junctos. f. 487. n. 487. Et ità esset accipiendum Statutum, quo masculi fœminas excluderent, ut consanguineus aut uterinus non excluderet sororem germanam, sed solus frater germanus. n. 488. Procedit Regula etiam de fratribus naturalibus, qui excluderent fratrem consanguineum. 489.

Cum fratribus Germanis concurrunt filij alicujus Germani defuncti Jure repræsentationis. fol. eod. n. 491. Hi excludunt agnatos & cognatos in eodem licèt gradu existentes, v. g. patruum, avunculum &c. f. eod. n. 492.

Nullis Thijs seu Theiois (hoc est patruo vel avunculo, materterâ aut amitâ defuncti) aut fratribus existentibus, filij fratrum defunctorum succederent in capita. f. 488. n. 495. quod etiam probabiliter dicendum, quando excludunt Thios existentes, nullis existentibus fratribus. f. 490. n. 510.

Nullis Germanis existentibus, succedunt fratres & sorores ex uno tantùm parente conjuncti, & cæteris (etiam patruis) defuncti conjunctis præferuntur. f. eod. n. 511.

Fratres Naturales ex patre tantùm conjuncti, non succedunt invicem ab intestato. f. 490. num. 513.

Fratres adoptivi ab extraneo, non succedunt adoptantis filijs naturalibus. eod.

Quando ex uno tantùm latere conjuncti, nempe consanguinei & uterini, succedunt fratri, non est facienda bonorum à patre & matre profectorum divisio, quod quidem Jure Bavarico certum, Jure communi probabilius. f. 491. n. 514. & seqq.

Deficientibus fratribus, fratrúmque liberis, vocantur promiscuè cæteri collaterales agnati & cognati, observatâ gradûs prærogativâ: succedúntque in capita, sublato Jure repræsentationis, differentiâque superiorum vel inferiorum collateralium. f. 492. n. 520.

Duplex vinculum in his non operatur, ut tanquam duplex persona succedat in duas partes, sed in unam. fol. 493. n. 521. ubi casus.

Probabilius est, hanc successionem extendi sine termino, sicut successio descendentium. fol. eod. n. 523. & seq.

Successio Conjugum.

Deficientibus lateralibus, succedunt invicē conjuges in solidum de Jure communi, nisi pactis dotalibus aliud conventum sit. fol. 493. n. 525.

Si mulier nullam aut exiguam dotem attulit, nec, mortuo viro, haberet unde aleretur, admittitur ad successionem cum liberis hac ratione, ut succedat in quartam, si liberi non sint plures quàm tres, si plures, in virilem portionem, ut tamen ijsdem liberis proprietatem servet: legata imputantur in hanc portionem. fol. 494. n. 526.

Successio Fisci.

Nemine Jus succedendi prætendente, fit Proclamatio, & elapso termino præfixo fiunt Bona vacannia, eáque fisco cedunt, non nomine seu titulo hæreditario, sed Jure Superioritatis, unà cum oneribus. fol. 495. n. 530.

Indignorum etiam portio Fisco cedit. Qui autem sint de Jure indigni, vide, *Indigni.*

Suitas.

Tomo 2.

Suitas est Hæredum qualitas, qui primum in potestate patria locum tenent, continuationem dominij, necessitatémque successionis ipso Jure inducens. f. 85. n. 379.

Suitas etiam Posthumis convenit, fingente Jure, quòd fuerint in patria potestate. f. eod. n. 380.

Eâdem fictione Juris retinet filius Suitatem factus Episcopus aut Religiosus. n. 381.

Suitas probabiliter convenit Nepoti posthumo concepto vivo avo, & post mortem patris nato. eod.

Suitatis Jus quousque conveniat emancipatis, vide, *Emancipatus.*

Surdus.

Tomo 2

Surdus & Mutus à natura, neque Testamentum facere, nec Codicillos, nec fideicommittere, nec mortis causâ donare potest, nec manumittere. Si per accidens talis factus est, & litteratus est, potest Testamentum & cætera scribendo perficere. Si solùm est surdus, potest articulatè loquendo testari &c. Si solùm mutus, etiam à natura, modò scribere sciat, eadem potest. f. 54. n. 244.

Suspicio.

Tomo 5.

De Suspicionis causa, ob quam Judex delegatus recusatur, judicare debent non recusati, habentes Jus procedendi sine recusato, alioquin ad arbitros recurrendum est. Si recusetur Delegatus Episcopi, ad Episcopum spectat judicare. f. 30. n. 132.

Susurratio.

Tomo 1.

Susurratio fit, quando quis lædit famam apud tales personas, apud quas per consequentiam læditur pax, concordia, charitas. Tenetúrque Susurro ad restitutionem non solùm famæ, sed etiam pacis, concordiæ &c Et est peccatum specie distinctum à simplici detractione seu diffamatione. f. 170. n. 525.

Syndicus.

Syndicus. Syndicatus.

Tomo 4.

Est ille, qui ab aliqua Communitate, aut Collegio, Republica aut Civitate mandatum accipit. fol.210. n.655. & to.5. fol.167. num.459. ubi ejus differentiæ ab alijs Ministris.

Tomo 5.

Syndicus eligitur ab ipso Corpore, saltem majore ejus parte, ex duabus tertijs, (computatis etiam absentibus) consentiente. f. 167. n.462.

Potest in Syndicum eligi aliquis ex eligentibus, & ipse superior. f.168. n.464. Potest ad acceptandum per se loquendo cogi. n.465. Possunt etiam plures simul constitui. n.466. Potest dari ad causas criminales. n.467.

Ad Syndicum etiam illæ causæ pertinent, quæ inter Communitatem & Superiorem intercedunt. num.468.

Syndicus habet eandem potestatem, quam Procurator cum *libera*, nisi aliud exprimatur. fol.168. num.470.

Totam Communitatem & illius bona, non potest obligare nisi Syndicus Civitatum habentium Jura Principum, ut Imperiales. n.471.

A condemnatione Officialis in Syndicatu, non potest appellare is, cujus est Officialis. fol. 566. num. 405.

Syndicatûs remedium contra Judicem malè judicantem, convenit læso, etiamsi appellationi renuntiaverit, vel fatalia lapsa sint. f.588. n.529. & seqq. ubi referuntur pœnæ malè judicantium.

Syngrapha.

Tomo 5.

Est schedula scripta vel subscripta propriâ manu contrahentium, in conventionis fidem. fol.371. num.512.

Vide, *Chirographum*.

T.

Tacitum & Expressum.

Tomo 2.

Taciti & Expressi tunc solùm eadem vis est, quando *Expressum* non requiritur à lege expressè. f.125. n.552. & f.180. n.93.

Vitiato Expresso, tunc solùm vitiatur Tacitum, quando Tacitum innititur Expresso tanquam magis principali, non item quando est æquè principale, ut in substitutione vulgari & pupillari. f.182. num. 103.

Testamentum.

Tomo 2.

Testamentum à plerisque, sed minùs accuratè, definiri solet: Voluntatis nostræ justa Sententia, de eo quod quis post mortem suam fieri velit. f. 2. n.1. cùm sit potiùs definitio ultimæ Voluntatis in genere. Quæ tamen meliùs definitur: Gratuita Dispositio de Bonis, in tempus mortis seu post mortem disponentis. n. 5.

In Testamento possent Solennitates non esse substantiales, Lege sic disponente, quidquid sit de facto. n. 2.

Differt Testamentum ab alijs ultimis Voluntatibus per directam hæredis institutionem. n.3.

Testamentum meliùs definitur: Justa & ultima, ac fundamentalis voluntatis nostræ sententia, quâ absque speciali privilegio directè Jurium nostrorum universalem successorem instituimus. n.4. & seqq.

Testamentum potest largo modo dici: Contractus, & in favoralibus hoc nomine veniet. n.9.

Testamenti factio permittenda erat non solùm ad cavendas vitæ insidias à successuris ab intestato, sed etiam tanquam incitamentum vivendi frugaliter, & congregandi divitias in bonum Reipublicæ, & ut quis posset consulere animæ suæ. fol.3. n. 11. & seqq. Et ex his rationibus colligitur esse Juris Naturalis, quia naturæ humanæ consentaneum, posse facere Testamentum. n.14.

Nisi lex approbaret Testamenta, ex natura rei Bona defunctorum essent vacantia, & fierent primò occupantis, & hoc sensu testamenti factio est Juris Civilis. eod. Item est Juris publici, quia hujus beneficio concessa. f.4. n.16.

Dividitur in Testamentum ad pias causas, & profanas. inter liberos & extraneos. in Paganum & Militare. in Testamentum Rustici. Cæci. Surdi. Muti. f.4. n.17. Scriptum & Nuncupativum, quæ est principalis divisio. n.18.

Testamenti Scripti Requisita.

Ad Testamentum scriptum requiritur. 1. Ut nomẽ Hæredis Testator vel per se, vel per aliũ scribat. Si per se scripsit, hoc ipsum in scriptura dicendum. Item per Const. Imper. & Jure Bavarico requiritur, ut propriâ manu subscribat, vel Octavum Testem adhibeat. Si per alium scripsit Testamentum, etiam Jure communi debet vel ipse subscribere, vel octavum testem eo nomine adhibere, qui in præsentia cæterorum subscribat. f.4. n.19. & fol.18. n.79.

Requiruntur. 2. Septem Testes idonei, (per se loquendo) masculi, puberes, liberi, rogati, præsentes, qui Testatorem audiant & videant, suum nomẽ subscribant, sigillent. Si sigillo alieno? hoc exprimant de Jure Bavarico, quo etiam requiritur, ut major pars proprio sigillo utatur. Imperiti per alium subscribant, & hoc exprimant. Vocari non est necesse, satis est, præsentes rogari. fol.4. n.20.

Domestici

Domestici (hoc est, quorum alter in alterius potestate, vel ambo in patria potestate tertij sunt) Testatoris aut hæredis instituendi, Testes esse non possunt, sicut nec ipse hæres. f.5. n.21.

Filius emancipatus Hæredis aut Testatoris potest esse testis, (non item pater in Testamento filijfam. de bonis Castrensibus) sicut & Legatarij & Fideicommissarij particulares. eod.

Testes subscribant singuli suum & Testatoris nomen. Jure Bavarico saltem duo nomen testatoris scribunt, modò cæteri ad illos se referant, & sufficit, si major pars testium suâ manu subscripserit, cæterorum loco qui scribere nesciunt, alius contestis, & hujus subscriptionis mentio fiat. fol.5. num.22. & fusiùs. fol.26. n.117. & seqq. Jure Bavarico sigillum præter Insignia in clypeo, debet continere Cassidem. fol.eod. n.122. Et hæc omnia fiant uno contextu sine morali interruptione per actus ad hunc actum non spectantes. f.5. num.23. & f.25. n.113. Expressio temporis non est de substantia Testamenti. f.6. n.26. Plura de Solennitatibus in seqq.

Testamentum Nuncupativum.

Ad istud non est opus subscriptione aut sigillo, aut ullâ scripturâ. De ejus essentia est Nuncupatio hæredis, quâ indubitanter innotescat testibus: sufficeret tamen si testibus præsentibus nomen scriberet, aut scriptum legendum exhiberet. fol. 6. n.24. & fol.13. n.57. Plura de Solennitatibus in seqq.

Testamentorum Solennitates.

Testamentorum Solennitates supplentur, declarando suam Voluntatem apud Acta, vel precibus Principi oblatis. f.6. n.25.

Testamentum Solennitatibus aut eorum suppletione carens, nec privilegiatum, etiam pro foro Conscientiæ est Nullum. f.7. n.30. & seqq.

Ad Testamentum Nuncupativum requiritur substantialiter, ut hæres coram testibus disertè & clarè exprimatur, nec sufficeret confusa relatio ad aliquam schedam, quæ vg. exstat apud Confessarium. f.11. n.46. Probabiliter tamen sufficeret pronomen demonstrativum *Hic*. accedente manûs demonstratione. f.12. n.52.

Incertum valde est, an in Testamento scripto sufficiat relatio ad Codicillum, inspecto Jure novo Codicis. f.eod. n.53.

In Testamento Nuncupativo non debet post factâ Nuncupationem esse incognitus testibus hæres, sed independenter ab inspectione ullius instrumenti debet per testes probari posse. Unde non valeret relatio ad schedam exhibitam, sed non lectam. f.12. n.55.

Balbuties Testatoris non vitiat, dummodo intelligatur. f.13. n.56.

Testamentorum Solennitates non compensantur per aliquod æquivalens, vel etiam superans, v.g. testimonium unius masculi per 1000. fæminarum testimonia, sicut nec præsentia Parochi in Matrimonio per 1000. alios testes. f.12. n.51.

Si testamento nihil desit ex Requisitis ad Nuncupativum, valet, etiamsi Testator intenderit testari in scripto, nec clausulam adjecerit, ut valeat meliore modo. fol. 13. n. 59. & seqq. Ut tamen valeat in vim Codicilli, debet adjuncta esse clausula Codicillaris, quia potest interesse testatoris, quòd hæredi legitimo nullus sit substitutus. fol. 15. n. 66. & seqq.

Non haberet vim testamenti responsio per part. affirmativam: *Ità*: ad interrogationem Notarij, si cætera non intervenissent, vg. si testes non essent rogati. fol. 16. n. 70. quod quidem expressè cautum Jure Bavarico. quo tamen approbantur legata sic relicta. n.71.

Pro Testamenti Nuncupativi majore securitate consultum est, ut adhibeatur Notarius, qui voluntatem Testatoris, rogationem & præsentiam testium, totúmque actum testandi in publicum Instrumentum referat, ut uno fortè teste mortuo, fides fieret per talem scripturam. f. eod. n.72.

Testamentum Scriptum non requirit certam materiam in qua scribatur. fol.17. n.73. Characteres tamen debent esse usitati ad communem intelligentiam, (unde cypheræ non sufficerent, ne quidem in testamento inter liberos) litteræ integræ, sine abbreviaturis diversum sensum recipientibus. nu.74. Excipitur testamentum militis. nu. 75. Idioma certum non requiritur. eod.

Omissio alicujus particulæ faciens periodum imperfectam, non vitiat, si statim apparet, esse subintelligendam. fol. 17. n.76.

Inversio ordinis, v.g. si priùs scribantur Legata aut Substitutiones, quàm Institutio Hæredis, probabiliùs non vitiat, attento jure Codicis. fol. 18. nu.78.

Absoluto testamento potest adijci aliquid unicè tendens ad declarationem eorum, quæ iam solennizata sunt, vg. magis exprimendo nomina, qualitatem pecuniæ &c. alijs adjectis, vel mutatis, omnia ex integro repetenda. f. eod. n. 80.

Testamentariorum Testium Numerus.

In Testamento perfecto, & non privilegiato, Jure Civili Septem Testes requiruntur. fol. 19. n. 81. In Austria sufficiunt duo testes, teste Laym. fol. 23. n. 102. Jure Ecclesiastico sufficiunt duo cum Parocho, etiam ad causas profanas. fol. 19. n. 82.

Requiruntur Jure Canonico testes idonei, quales jure Civili. fol. eod, n. 84. Ad causas pias sufficiunt duo testes. fol. 20 nu. 85. Quoad causas profanas Jus Canonicum nihil innovavit *in cap; cùm esses*. circa septem testes Jure civili requisitos, nisi pro terris Ecclesiæ. Unde sicut Ecclesiastici tenentur se conformare aliis Legibus Reipublicæ, in cuius territorio vivunt, quoad Contractus, & alia pertinentia ad politicum Statum illius loci, ità in ordinandis testamentis. n. 87.

Præsen-

Præsentia Parochi requisita Jure Canonico pro ceteris Ecclesiæ, non suppleretur sufficienter per duos alios testes, sed deberent esse septem Jure Civili requisiti. f. 21. n. 91.

In Testamento ad pias causas duo testes non requiruntur pro substantiali formâ in cap. *Relatum*. f. eod. n. 94. & seqq. Quando ergo, de ultima voluntate aliunde constaret, v. g. per schedam, vel ex confessione illius, cui præjudicat ultima voluntas, valeret sine testibus. nu. 97. Neque referret, si Testator dixisset, se schedam scriptam exhibiturum Notario & testibus confirmandam, nec tamen exhibuisset: adhuc enim probabiliter valeret, sicut in simili dictum, valiturum Testamentum in vim Nuncupativi imperfectum in ratione Scripti. f. 22. n. 98.

Ad Testamentum ruri factum, ubi hominum penuria est, sufficiunt quinque testes. fol. eod. n. 99.

Notarius potest numerum testium complere Jure Constit. Maximiliani Imper. non item Jure Bavarico. f. eod. n. 100.

Quòd Testator Testamentum propriâ manu scripserit, non facit, ut sufficiant quinque testes, sed solùm, ut non teneatur subscribere. eod.

Sufficiunt tamen quinque testes in Testamento revocatorio prioris, si in priore instituti sunt extranei, in posteriore verò vocati ab intestato. fol. 23. n. 101. Imò probabile est, quòd isti quinque tantùm ad probationem requirantur. eod.

Quando plura Testamenta in una charta Scripta sunt, v. g. conjugum, & ab ambobus subscripta, pro ambobus sufficiunt septem testes. f. eod. num. 103.

Testium Rogatio & Præsentia.

Non est necesse, ut rogatio sit causa conveniendi, satis est, ex quacunque causa fortè præsentes moneti, & peti, ut velint testes esse. f. 23. n. 104.

Est, etiam de Jure Canonico, hic Rogatus necessarius in Testamento ad causas profanas. f. eod. nu. 105. Non item ad causas pias. 106. Sufficit autem rogari ab alio nomine Testatoris, imò absque mandato, eo tamen consentiente. f. 14. n. 108.

Præsentia testium major requiritur ad Testamentum, quàm ad alios contractus: nam non solùm audire, sed etiam videre debent Testatorem, faciem & lineamenta discernere. f. eod. nu. 109. & seq.

Tempore pestis sævissimæ non plùs requiritur, quàm ut audiant testes loquentem, & vocem agnoscant: nec est necesse, ut eodem tempore præsentes sint: sufficit, si successivè percipiant Testatoris voluntatem. f. eod. nu. 111. adhuc tamen septem testes requiruntur. f. 25. n. 112.

Negotium, cui debent esse præsentes testes, incipit à Scripturæ exhibitione, vel Hæredis Nuncupatione. f. eod. n. 113.

Illis omnibus & solis actibus intervenientibus & interrumpentibus vitiatur Testamentum, qui penitus extranei sunt, v. g. si quis inter testandum digressus ad negotium inter vivos, ædes suas alteri venderet, aut locaret. f. 26. nu. 115. Illi tamen actus, qui vel ex necessitate naturæ, vel ex voluntate testandi procederent, non viriarent, v. g. donatio causâ mortis, aditio hæreditatis sibi relictæ, & mox alteri ut hæredi relinquendæ, obligatio hæredis ad fideicommissum restituendum &c. qui non sunt actus penitus extranei aut disparati. nu. 116.

Testium Testamentariorum Habilitas.

Mulier in Testamento ad causas pias potest esse testis: item in testamento militis, & inter liberos. fol. 27. nu. 124. item in Codicillis & donatione causâ mortis. 28. nu. 125. vide etiam *Codicillus*.

Potest mulier universim adhiberi ut testis ad probandam veritatem testamenti ac sollennitatum adhibitarum, v. g. quòd viderit testes rogari, quòd nullus alius actus intervenerit, quòd hoc testamentum ultimo loco factum sit: imò si ambigua esset ultima voluntas testatoris, posset mulier testari de certo ejus sensu. fol. eod. n. 127.

Impubes non est testis idoneus, adeo ut nec post acquisitam pubertatem possit confirmare suum Testimonium priùs adhibitum. f. 28. n. 128. Idem de Servo dicendum, cùm Jure annuli careat. De utroque tamen constitutum est, ut valeat Testimonium, si probabiliter judicatus fuit pubes aut liber tempore confectionis Testamenti. n. 129.

Furiosus tempore lucidi intervali testis esse potest. f. 29. n. 130.

Prodigi Testimonium tunc subsistit, si adhibitum est, antequam illi bonis interdictum est, aut postquam notoriè ad frugem redijt f. eod. n. 131.

Cur Mutus, Surdus, Cæcus, arceantur à Testimonio, deducitur ex alijs requisitis ad hoc Testimonium, nempe quia non vident, non audiunt Testatorem, aut non possunt Juramentum præstare, vel rationem reddere auditorum. n. 132.

Intestabiles, hoc est, qui nec condere Testamentum, nec ex eo capere possunt, item Improbi, hoc est infames infamiâ Juris, non possunt in Testamento esse testes. f. 29. n. 133.

Hæres, utpote in negotio proprio, testis esse non potest. n. 134.

Domestici quinam excludantur à Testimonio, & quo sensu accipiantur, dictum est suprà. n. 21. & hîc n. 134. nempe nec is qui in potestate hæredis est, neque pater hæredis sub potestate constituti, neque fratres, qui in ejusdem patris potestate sunt, testes adhiberi possunt. Econtra Maritus in Testamento uxoris, frater emancipatus in Testamento fratris, libertus in Testamento patroni, socius in Testamento socij, famulus conductus in Testamento heri, filius emancipatus in Testamento patris (si non sit hæres) num. 135. An pater in Testamento filijfam. Testantis de bonis castrensibus, Jura variant. Sed negativa vera est. f. 30. n. 136.

Tutor Testamentarius pupillo hærede instituto testis esse potest. f. 30. n. 138.

Possunt

Possunt ex eadem domo in eodem Testamento plures testes adhiberi, si nihil ex dictis nu. 134. & 135. obstet. Unde pater & filius in ejusdem potestate constitutus, item duo fratres sub eadem potestate constituti, testes esse possunt in Testamento extranei. eod.

Legatarij & Fideicommissarij singulares admittuntur saltem in Testamento Scripto unà cum suis domesticis. f. 30. n. 139. idem rectiùs in Nuncupativo dicitur. n. 142. Ad probationem tamen Legati relicti in Nuncupativo Testamento, Legatarius, utpote in causa propria & principali, testis esse non potest. f. 31. n. 143. In Scripto ideo aliud dicendum est, quia eadem est probatio valoris Testamenti (ad quod utique admittendus est, utpote testis subscriptus) & Legati. n. eod. In Testamento Nuncupativo habente clausulam Codicillarem, sufficienter probatur Legatum duobus testibus relictũ per cæteros quinque testes. n 144.

Testamentorum Infirmatio per Irritationem.

Antiquitùs lapsu decennij infirmabatur Testamentum, nunc verò ne quidem longissimi temporis lapsu. f. 33. n. 146.

Irritari dicitur Testamentum, quando vitium infirmans non incurrit directè in ipsum Testamentum, sed accidit vel Hæredi, vel Testatori. f. eod. n. 147.

Ex Hæredis accidenti irritatur, si hæres institutus non adeat hæreditatem, vel quia moritur ante Testatorem, vel quia superviveus hæreditatem repudiat, dicitúrque Testamentum *destitui.* f. eod. n. 148. sed tunc Legata debentur.

Si intra annum deliberationis etiam ignarus obierit, transmittit Jus deliberandi ad hæredes. f. eod. n. 180. vide etiam *Transmissio.* Cæterùm, nemine volente adire hæreditatem, probabile est, Legatarios posse consequi sua Legata per Novell. 1. c. 1. §. 1. f. 33. n. 151.

Ex Testatoris accidenti irritum fit Testamentum per Statûs mutationem non solùm maximam, hoc est Servitutem, sed etiam mediam, Civitatis amissionem, & minimam, hoc est Arrogationem supervenientem f. 33. nu. 152. Excipitur per speciale privilegium illius Testamentum, qui ab hostibus captus est, perinde ac si in libertate mortuus esset, aut nunquam captus fuisset, nempe jure postliminij: nu. 153. Testamentum de bonis Castrensibus factum jure militari, non irritatur per arrogationẽ, nec per emancipationẽ etiam à pagano factũ. n. 154.

Irritum fit Testamentum eorũ, qui ultimo supplicio damnati sunt, eo quòd amittant hodieque Jus civitatis, etiamsi non efficiantur pœnæ Servi, quæ sublata est. f. 34. n. 155. Idem dicendum de Deportato. f. 48. n. 219.

Irritum fit etiam Testamentum illius, qui sibi mortem conscivit, ut effugeret pœnam criminis publici, de quo accusatus est. f. 50. n. 227.

Utrum Testamentum semel irritum factum per Statûs mutationem, restituto Statu reconvalescat absque nova confirmatione, saltem per codicillos, dubij Juris est. Ad minimum poterit bonorum Possessio peti secundùm tabulas Jure prætorio. fol. 34. n. 56.

Testamentum Ruptum.

Alter modus infirmandi Testamentum ritè factum, est, cùm rumpitur: nempe cùm, Testatore in eodem statu permanente, vitium incurrit in ipsum Testamentum. quod fit: Primò, agnatione posthumi legitimi naturalis in Testamento præteriti, qualis etiam est, qui nascitur vivo patre, sed post conditum Testamentum: rumpitur en[i]m adeo, ut ne quidem legata debeantur. f. 35. n. 58. Saltem si pater ignoravit uxorem prægnantem: si verò scivit, probabiliter legata sustinentur. n. 160. vide, *Legata.*

Per Clausulam Codicillarem adjectam non impediretur, quominus rumperetur Testamentum, ità, ut nec per modum fideicommissi esset hæreditas restituenda hæredi scripto à filio præterito. fol. eod. n. 161.

Secundò, rumpitur Testamentum arrogantis per arrogationem: item per adoptionem alicujus descendentis. fol. 36. n. 162. Adeo ut etiamsi adoptaretur nepos ex filio emancipato, & hærede scripto, adhuc rumperetur, quia nepos per arrogationem ingreditur in gradum proximum *Suorum.* n. 163. Unde etiam nepos non adoptatus rumperet Testamentum præteritus, si pater moreretur ante Avum: quæ subintratio est civilis agnatio eod.

Tertiò, rumpitur mutatione voluntatis legibus approbatâ, vel facto, vel verbis. Facto, ut per incisionem deliberatam, & animo revocandi factam, cancellationem, signaculorum avulsionem. f. 36. n. 164. Unius hæredis cancellatio non rumpit, sed ejus pars accrescit cæteris. 165. Omnibus hæredibus cancellatis sustinentur Legata ab Intestato. eodem.

Testamentum Nuncupativum publico Instrumento comprehensum, censetur ruptum seu revocatum cancellatione vel incisione talis Instrumenti, etiamsi nulla protestatio accessisset, si quidem non nisi unicum hujusmodi Instrumentum erectum fuisset: quod si duo, unius cancellatio non sufficeret, sed accedere deberet protestatio, quòd velit intestatus procedere. Idem esset, si plura exemplaria Testamenti scripti confecta essent. nam uno cancellato sine protestatione, incumberet hæredibus legitimis onus probandi, quod voluerit Intestatus decedere. f. 37. n. 166. & seq.

Verbis rumpitur Testamentum, factâ coram tribus testibus, vel inter Acta, revocatione, quòd nolit Testamentum valere: si decennium effluxerit à tempore conditi Testamenti, (sed Jure Bavarico à die revocationis) ante quod non esset ruptum, etiamsi coram septem testibus fieret revocatio. f. 37. n. 169. Si verò accederet protestatio, quòd velit Intestatus decedere, tunc quidem Jure Bavarico non requireretur fluxus decennij, benè tamen adhuc de Jure communi. Legata tamen essent sufficienter

ficienter revocata coram quinque testibus, imò Jure Bavar. coram tribus. n. 170. Probabile videtur, per Instrumentum publicum revocatorium, posse suppleri lapsum decennij. 171.

Rumpitur denique Testamentum confectione novi Testamenti posterioris: neque per hujus interitum, vel destitutionem, vel cancellationem aut incisionem reviviisceret Testamentum prius, nisi constaret, quòd Cancellatio aut incisio facta esset in eum finem, ut primum vires reciperet. f.38. n.172. Si in priore Testamento scriptus est hæres extraneus, sufficiunt ad posterius Testamentum quinque testes, si hæredes scribantur, qui ab Intestato succederent. f.eod. n.173. Sufficit etiam, si posterius Testamentum sit conditionatum, sub conditione contingente futura, etiamsi postea conditio deficeret: non item si sub conditione præterita, nam hac conditione deficiente Testamentum est nullum, nisi conditio adjecta esset impossibilis, vel turpis, quæ habentur pro non adjectis. 174.

Quando priori Testamento inserta esset clausula derogatoria posterioris Testamenti, tunc in posteriori necesse est fieri mentionem aliquam illius clausulæ derogatoriæ. f.38. n.176. & seqq. Pari modo mentio facienda esset Juramenti priori Testamento adjecti. 178. Cæterùm, revocatio contra Juramentum facta valeret, teneretur tamen hæres satisfacere promissario, cui juratum esset, Testamentum non esse revocandum. f.42. n.194. Promissio de non revocando Testamento est jure prohibita, & ideo non obligat, nisi juramento firmetur. f.43. n.196. Posset à Principe irrita reddi revocatio Testamenti. 197.

Rumperetur etiam prius Testamentum posteriore, in quo quis hæres scriberetur in re singulari & determinata. utpote, qui detractâ rei singularis mentione, perinde hæres esset, acsi simpliciter hæres scriptus esset. f.39. n.179.

Si in posteriore Testamento dicatur, quòd velit etiam prius Testamentum valere, rumperetur prius, ità tamen, ut Hæres in eo scriptus sit pro Fideicommissario habendus. f.eod. n.180.

Testamentum inter liberos, ut revocetur per posterius, debet hoc coram septem testibus factum esse. f. eod. n.181.

Quando existentibus duobus Testamentis non posset constare, quodnam eorum esset posterius, utrumque suspectum esset, & neutrum pro valido haberetur, sed hæres ab Intestato succederet. Si tamen constaret, utrumque factum esse à Testatore sanæ mentis, esset hæreditas boni viri arbitrio dividenda. f. 43. n.198. Si eadem in utroque Legata essent relicta, essent solvenda: item, si unum esset factum ad causam piam, illud præfertetur. num. 199.

Si defunctus à mortuis resuscitaretur, probabile est, Hæredes non teneri ad bona ei restituenda, quia intentio illius Defuncti non potest fuisse conditionata pro casu resuscitationis: unde talis nec thesauri absconditi, & interim reperti ab alijs, Dominium recuperaret. Quia tamen casus non est à Jure provisus, si contingeret, ad supremam potestatem spectaret, novâ provisione statuere, quid illi esset restituendum. f.44 n.203.

Testamentum sub hac conditione factum, ut non valeat, si Testator convalescat, Testatore convalescente non valeret, nisi longo tempore illud conservaret, & monitus de faciendo Testamento diceret, se jam fecisse: adeoque declararet, se adjectam conditionem pro non adjecta habere. Rectiùs faceret, illam conditionem cancellando. fol.eod. n.204.

Testamentum Metu aut Dolo confectum.

Testamentum metu quantumvis injusto & gravi extortum, jure naturæ, & seclusis legibus positivis, valeret, si seria fuisset voluntas Testatoris. f.40. n.182. Attento jure positivo probabiliùs tale Testamentum est nullum. 183.

Idem à fortiori dicendum de Testamento, ad quod injusto dolo quis inductus est, ità ut ignorantia antecedens causaverit simpliciter involuntarium. f.42. n.192.

Testamenti factio quibus non competat.

Prohibiti Testari reducuntur ad tres classes. Prima est eorum, qui ob defectum integri status inhabiles sunt. Secunda eorum, qui propter animi defectum. Tertia eorum, qui ob corporis vitium. Addi posset quarta classis eorum, qui in certa materia prohibentur, ut Clerici in reditibus superfluis. f.45. n.206. Quinam autem in specie ad has classes pertineant, videri potest sub proprijs vocabulis sequentibus. *Servus. Religiosus. Captivus. Deportatus. Damnatus. Filiusfam. Excommunicatus. Hæreticus. Impubes. Furiosus. Surdus. Mutus. Cæcus. Clericus.*

Ex Testamento quinam capere non possint.

Regula est, eos capere ex Testamento non posse, neque ut Hæredes, neque ut Legatarios, qui ob delictum testari prohibentur, ut Deportati. f.59. n.263. Hæretici. eod. Percussores & persecutores Cardinalium. num. 264. Occisor Testatoris. eod. qui si sit legatarius, absque omni sententia, res legata cedit Hæredi, quia præsumitur legatum revocatum, neque enim revocatio Legatorum requirit Solennitates. n.265.

Spurij sicut non succedunt ab intestato, ità à Parentibus Hæredes institui non possunt. f 59. n.266. & quia non potest relinqui fideicommissum illis, qui directè institui non possunt, ideo non possunt

substitui nec indirectè, nec vulgariter. eod. Vide, *Spurius. Incestuosus. Naturalis.*

Mulier suspecta hæres institui non potest. f.63. n.288. Religiosi quinam possint Hæredes institui, aut ex Testamento accipere, vide, *Religiosus.* & *Societas JESU.* Quibus modis possint plures Hæredes æqualiter vel inæqualiter institui, vide, *Hæreditas.*

Testamentum Parentum.

In Testamento alicujus habentis liberos, proximi gradu in potestate constituti utriusque sexûs vel instituendi, vel exhæredandi sunt. f.86. n.383. Et hoc etiam probabiliùs in Testamento matris requiritur, ut querelâ inofficiosi non sit opus. 384. & seqq.

Quomodo filij illegitimi Naturales institui possint, vide, *Illegitimi.*

Probabile etiam est, non sufficere ad valorem exhæredationis, causam esse Testamento insertam, sed insuper debere esse probatam, adeoque in Testamento Parentum *Querelam Inofficiosi* hodie esse sublatam. f. 87. n.385. de quo plura in v. *Querela Inofficiosi.*

Valet tamen Testamentum, in quo filius præteritus est, quoad legata, fideicommissa particularia,& donationes mortis causâ. f. eod. num.387. Si quidem pater scivit se habere liberos, secùs, si ignorâsset, & legata essent profana, tunc enim ex præsumpta voluntate conditionata nō debe entur, ne quidem si clausula Codicillaris adjecta esset. ol.88. n.391 & seq.

Testamentum paternum, quo emancipatus est præteritus, seu non legitimè exhæredatus, est ipso jure nullum, adeoque tali competit Jus dicendi Testamentum nullum, durans 30. annis, nec habet opus remedio prætorio possessionis bonorum contra tabulas,quod solùm uno anno durat. f.89.n.393. & seqq. ubi casus.

Idem Jus dicendi Testamentum nullum, competit adoptato ab ascendente prætērito. f. 90. n.398.

Ut Testamentum Parentum subsistat, tenentur liberos suos tam masculos quàm fœminas, tam filios quàm nepotes, (mortuis eorum Parentibus) tam suos, quàm emancipatos, legitimè natos, & legitimatos, adoptatos ab ascendentibus, mater etiam illegitimos instituere, vel nominatim exhæredare, causámque probare. Legitimati post factum Testamentum, ad minimum rumpunt Testamentum sicut posthumi præteriti: imò probabiliter est ab initio nullum. Arrogati præteriti quartam consequuntur. f.90.n.398.

Tnetur pnater naturalis etiam hæredem instituere, vel exhæredate filium ab alio adoptatum, qui proinde potest utriusque hæreditatem adipisci. fol. eod. n.401.

Quantumcunque Legatum filio relinqueretur, si non institueretur hæres, posset Testamentum dicere nullum. f.91. n.402. Neque sufficeret, fuisse Hæredi substitutum, adhuc enim, salvis legatis, Testamentum esset nullum, & filius succederet ab Intestato. n.403. Item non sufficeret, fuisse alios liberos, & nullum extraneum Institutum: nam ut nullus prætereatur, est de substantia Testamenti inter liberos. n. 404.

Etiamsi in tali Testamento apposita esset clausula Codicillaris ex Voluntate Testatoris, filius non gravaretur fideicommisso, ob improbum patris affectum, quo operatus esse convinceretur, sive scivisset, sive nescivisset, Testamentum esse nullum. f.91. n.406. Aliud tamen probabiliter dicendum, si causa pia esset instituta. fol 94. n.411.

Si filius præteritus abstineat ab hæreditate, sustinetur Testamentum, & hæres scriptus succedit, adeoque filio præterito fuit acquisita hæreditas sub conditione resolutiva, quatenus postea fingitur ab initio statim valuisse, & ideo fructus omnes, qui interim hæreditati accesserunt, ad Hæredem scriptum pertinebunt. f.93. n. 413.

Non posset tamen filius hujusmodi Testamentum firmare antecedenter renuntiando hæreditati. f.eod. n.414.

Jure Bavarico sunt liberi instituendi in eo,quod jam acceperunt, non obstante renuntiatione, alioquin Testamentum non valet. fol.94. num.415. in fine.

Filio legitimè exhæredato, Nepos non potest impugnare Testamentum: cùm vivo patre nihil illi debeatur, nec in locum patris intret. fol. eod. num. 416.

Testamentum militis non gaudet privilegio prætereundi filium in Testamento. f.eod. n.419.

Si filio minùs legitimâ relictum est titulo institutionis, Testamentum quidem sustinetur, sed competit filio actio ad supplementum legitimæ. f eod. n.420.

De Posthumo instituendo, vide, *Institutio Posthumi.*

Testamentum Filiorum.

Vide, *Institutio Parentum.*

De Filiorum exhæredatione, vide, *Exhæredatio.*

Testamentum Inofficiosum.

Quomodo definiatur in ordine ad Juris Remedium quod dicitur: Querela Inofficiosi: vide, *Querela Inofficiosi.*

Testamenti Executio.

Testamentorum Executores alij sunt Testamentarij, alij Legitimi, alij Dativi. Alij Universales, alij Particulares. Universales sunt, quando nullus Hæres in particulari persona institutus est, sed anima defuncti, ad quam voluntatem exequendam aliquis nominatur. nullo nominato, traduntur bona distribuenda Episcopo. f.156.n.674.

Executores esse possunt Clerici: item Religiosi cum consensu Superioris. & tenentur rationem reddere Episcopo, quantumvis generaliter exempti, non item specialiter exempti. Religiosi Societatis JESU jubentur in suis Constitutionibus abstinere

abstinere, nisi à Generali dispensetur in casu majoris momenti. f.eod. n.675. Minores S.Francisci solùm possunt præbere consilium. eod.

Fæmina potest esse Executrix Testamenti. f.157. num.676.

Executor debet decimumseptimum annum excessisse. eod.

Ad Executionem nemo cogi potest, acceptata tamen ampliùs repudiari non potest. fol.eodem. num.678.

Recusans Executionem amittit, quod illi in præmium relictum est, & illud alijs Executoribus accrescit. f.eod. n.679. Uno vel pluribus recusantibus, possunt cæteri exequi, nisi Testator contradixerit. eod.

Executor Universalis, alio hærede scripto, potest distrahere bona ad implendam Defuncti voluntatem. f. eod. num.680.

Munus Executionis non transmittitur, quando est electa industria personæ. f.eod. n.681.

Nec Episcopus cum consensu Executorum, nec econtra, possunt mutare dispositionem Defuncti, quando ea potest impleri. A Sede Apostolica hoc fit ex justa & necessaria causa, quod etiam Supremis Principibus sæcularibus concessum. fol.eod. num.681.

Quando dispositio commodè impleri non potest, commutari potest ad sustinendum legatum. fol.158. n.682.

Ad Episcopos domicilij Defuncti spectat urgere Executionem Testamentorum quoad causas pias. f.eod. n.683. Quod etiam ad causas profanas probabiliter extenditur. eod.

Executio facienda est quoad causam piam intra 6. menses ab insinuatione Testamenti numerandos, alioquin fructus & usuras solvere debent. Quoad profana conceditur annus, si Testator nullum tempus designavit. f.eod. n.684.

Rationes exigendæ sunt, etiamsi Testator prohibuisset. f. eod. n.685.

Exhibitio Testamenti obtinetur *Interdicto Prætoris de Tabulis exhibendis.* f. eod. n.686.

Testator. Testatus.

Quomodo Testator possit diversis modis instituere hæredes, vide, *Hæres. Hæreditas.*

Tomo 2.

Regula Juris 7. dum ait: naturaliter inter se pugnare: *Testatus, & Intestatus:* non habet hunc sensum, quasi naturæ repugnet, aliquem partim testatum, partim intestatum decedere, multò minùs quòd hoc sit impossibile ex natura rei, (cùm permittatur militibus, imò in Belgio Paganis) sed recipit hunc sensum: Ex eo quòd naturaliter repugnet, esse respectu eorundem bonorum testatum & intestatum, Jus ansam accepit prohibendi, ne quis paganus etiam pro diversitate bonorum testatus & intestatus decedat: nam Juris fictione hæreditas tota est una indivisibilis, sicut Testator est unus indivisibilis, quæ ab hæreditate repræsentatur, & per consequens Hæres quoque debet ex uno indivisibili titulo eum repræsentare. f.68. n.312. & seqq.

Præterea Regula, quòd nemo possit partim testatus, partim intestatus decedere, est intelligenda, si est in potestate Testatoris, testari de omnibus suis bonis, & in hærede est potestas consequendi omnia. Alioquin Regula habet exceptiones. fol. 69. n.315.

An Testator possit hæredis institutionem alieno arbitrio committere, vide, *Institutio in arbitrium alterius conjecta.*

Testis.
Et modus probandi per Testes.

Tomo 5.

Praxis habet, ut probaturus per testes, offerat Scripturam complectentem capita suæ intentionis, super quibus petit testes examinari. f. 295. nu. 80.

Actor debet Testes producere super Jure suo, & non præcisè ad probandum, quòd reus nullum Jus in tali re habeat, nisi hoc pertineat ad suum Jus illæsum servandum. f. 296. nu. 81. Reo verò sufficit ostendere, actori non competere Jus prætensum. eod.

Usus habet, ut testes, priusquam producantur, priùs Judici nominentur. n. 82.

Requiritur testium nominatorum citatio, (alioquin sponte comparentes fierent suspecti) & comparentes sunt producendi intra terminum à Judice designatum. eod.

Non facilè plures testes admittendi sunt, quàm qui videbuntur necessarij ad plenè & indubitatè probandum. f. 296. n. 83.

Si quis quartam testium productionem post priores jam examinatos peteret, non est concedenda, nisi juret, quòd non subtraxerit nec percontatus sit testificationes, vel alius pro eo agens, neque per dolum quartam petat fieri. n. 85.

Si quis ulteriori testium productioni renuntiâsset, non extenderetur ad testes ignoratos, si probet se ignorâsse. n. 86.

Non obstante renuntiatione factâ in prima instantia, integrum est producere testes in secunda instantia, dummodo producenti non innotuerint testificata in priori instantia. f. 297. n. 87.

Si producens plures exhibuit articulos, de quibus tamen omnibus non habent singuli testes notitiam, sed aliqui de hoc, aliqui de illo, consuetudine receptum est, ut hoc ipsum à producente specificetur. n. 88.

Si testes sint aliquo vinculo jurisjurandi obligati producenti, est priùs relaxandum vinculum. n. 89.

Solus producens debet testibus subministrare expensas statui illorum competentes. n. 90.

Adversarius Jure petit sibi notificari nomina & numerum testium recipiendorum, & articulos super quibus examinandi. f. 298. n. 93. & seq.

Si non statim possint testes reprobari, & contra illos

illos excipi, poteſt fieri proteſtatio de illis reprobandis: & tunc etiam poſt publicationem atteſtationum poteſt fieri reprobatio. Quodſi tantùm reſervetur poteſtas reprobandi, non valet niſi conſentiente adverſario: & tunc poſſet approbare eorum atteſtationem in ſuum favorem factam. Conſultius eſt, non proteſtari. Adhuc enim admittetur ad reprobandum, ſi juret, ſe id non facere malitiosè, vel probet, cauſam reprobandi primùm innotuiſſe. n. 95. & ſeqq.

Solet is, contra quem teſtes producuntur, ſuggerere & offerre Judici interrogatoria aſtutè concepta, & teſtibus facienda, ad explorandam eorum ſinceritatem in atteſtando. f. 299. num. 98. & ſeq. ubi formula concipiendi.

Si Judex teſtibus productis de Jure nil obſtet, tenetur eos Judex recipere, ſalvo adverſarij Jure reprobandi. Exceptiones ſtatim recipere debet: probationes tamen, ſi putet expedire, poteſt differre poſt publicationem, quibusdam caſibus exceptis. nempe. 1. Si objiciatur excommunicatio. 2. Si capitalis inimicitia, deſcendens ex lite criminaliter inter illos mota. 3. Si cauſæ qualitas non patiatur dilationem. In his caſibus priùs recipiendæ probationes vitiorum, quàm teſtes recipiantur. f. 300. n. 102. & ſeq. In dubio conſultius eſt ut differantur probationes. n. 105.

Receptio teſtium regulariter facienda eſt poſt litis conteſtationem, & cæteros actus præliminares. Exceptis excipiendis. n. 107.

Si probabiliter timenda eſt mors propinqua teſtis, poteſt ante litis conteſtationem recipi, citato adverſario, ſi citari poteſt: ſin minùs, conveniendus intra annum, vel ſaltem illi tenuntiandum, factam teſtium receptionem: alioquin atteſtationes non valent. f. 301. n. 108. & ſeq.

Idem dicendum, ſi teſtium diuturna abſentia timeatur. nu. 110. Vel oblivio eorum quæ teſtificanda ſunt. nu. 111. Vel ſi caſus contigiſſet in loco remoto. n. 112.

Quandoque etiam, cauſâ & circumſtantijs exigentibus, poſſunt teſtes examinari ante omnem alium actum Judicialem ad perpetuam rei memoriam n. 113. ubi vide Solennitates. & n. 115. ubi vide caſus. In his caſibus non eſt opus atteſtationes publicari. n 117.

Citatio teſtis non eſt de ſubſtantia Legitimi Teſtimonij, ſed ne ultrò ſe ingerens reddatur ſuſpectus. f. 302. n 118.

Eſt tamèn de ſubſtantia Teſtimonij, ut Judex partem adverſam citet ad videndum, recipi & jurare teſtes in caſibus, in quibus Jura requirunt citationem. f. 303. n. 120.

Hæc citatio cenſeretur ſufficienter facta, ſi parti producenti, præſente parte adverſâ, certus dies aſſignatus eſſet ad producendum teſtes. n. 121.

Citatio partis eſſet etiam tunc neceſſaria, ſi perſona aliqua domi ſuæ eſſet examinanda. num. 122.

Non tamen requireretur, ſi teſtis reproduceretur ſolùm ad declarandam ſuam priorem teſtificationem, ſicut non de novo tenetur jurare. n. 123.

Si Principalis citatus habet Procuratorem non citatum, comparente Principali, nec Procuratore contradicente, receptio valet, ſecùs non valet. f. 303.

Caſu quo teſtes fuiſſent, ex defectu citationis, nulliter examinati, nihilominus etiam poſt factam depoſitionum publicationē poſſent iidem de novo produci, & interveniente partis citatione de novo recipi & examinari. n. 126.

Teſtem productum & citandum à loco Judicij abſentem, debet Judex, per ſe loquendo, (ſi ſuæ Juriſdictionis eſt) ad locum Judicij evocare ſervatis ſervandis. f. 304. nu. 128. Vel ſaltem committere examen adminiſtratoribus illius loci. nu. 129. Si verò ſit extra Juriſdictionem Judicis litigantium, mittendæ ſunt litteræ Compaſsûs. n. 130.

Non ſolùm abſentis, ſed etiam in Judicio præſentis teſtis examen, poteſt alteri idoneo delegari ex gravi cauſa. f. 304. n. 131.

Is cui examen delegatur, debet omnia quæ circa teſtes obſervavit, quibus eorum fides minui poteſt, in Acta referre, & ad Judicem dirigere. f. 305. nu, 132. Poteſt quidem adbibere aliud ad excipiendas ſcripto depoſitiones, ſed non ſubdelegare examen. n. 133. Debet recipere proteſtationem adverſarij ſuper reprobatione teſtium. n. 134. Quomodo in Camera Commiſſiones fiant ad audiendos teſtes, & quid Commiſſarijs obſervandum, vide f. 305. n. 135. & ſeqq.

Omnis de Jure idoneus ad ferendum Teſtimonium invitus cogi poteſt, niſi ſit privilegiatus vel ratione perſonæ, vel ratione cauſæ. f. 306. n. 143. Modus cogendi habetur eod. Privilegiati ſunt ſenes, valetudinarij, milites, abſentes Reipublicæ cauſâ, aut aliter venire impediti; niſi veritas aliter haberi non poſſit, & hoc jurejurando conſtet. n. 144.

Reſpectivè privilegiati ſunt ne cogantur teſtificari, uxor contra maritum, gener contra ſocerum & econtra. ſponſus filiæ adverſùs patrem ſponſæ, & econtra: vitricus, privignus, ſobrinus, & ſobrina, & ſobrino natus, & qui priore ſunt gradu. libertus contra patronum patronamve, aut liberos, parentes, maritum patronæ, vel uxorem patroni & econtra. f. 307. n. 145. ſeq.

Clericus in cauſis civilibus cogi non poteſt, niſi quando veritas aliter haberi non poteſt. n. 147.

Proxenetæ ſeu Mediatores cogi poſſunt reſpectu perſonarum inter quas agunt proxenetam, ſi utraq; pars conſentiat. nu. 148. altero diſſentiente ne quidem volens admittetur. n. 149.

Ut commiſſarius poſſit cogere teſtes, non eſt neceſſe, quòd poſita ſit clauſula de cogendis teſtibus. fol. 308. n. 151.

Jure

Jore Ecclesiastico compelluntur Censuris: Jure Civili, mulctâ pecuniariâ, vel captis pignoribus. nu. 151.

Examen testium instituendum est in loco Judicii, nisi qualitas personarum examinandarum aliud exigat. fol. 308. n. 153.

Cùm testi non iurato regulariter non credatur, ab initio examinis statim exigendum iuramentum. fol. 309. n. 154. Possunt tamen partes remittere. n. 155. Et quosdam consuetudo eximit, ut Illustres. Formam iuramenti vide nu. 157.

Actus Juramenti præstiti referri debet ad Acta, expressâ die, ut appareat, testes jurâsse, die iuridicâ. n. 158.

Singuli testes, exclusis alijs, examinandi sunt, Notario præsente, qui depositiones ad Acta referat. nu. 159.

Factâ admonitione de gravitate perjurij, sedens examinandus super interrogatoriis generalibus: deinde super articulis, arbitrio Judicis transponcodis. nu. 160.

Si Judex aliqua interrogatoria à parte exhibita prætermitteret, attestationes tamen super examinatis valerêt: & parti Jus esset, ut exigeret examen super omissis, etiam post publicationem attestationum. nu. 161.

Testis habens loquendi facultatem, debet oretenus testificari: non habens, scripturâ: imperitus aliis signis. fol. 309. nu. 162. Testimonium scripto exceptum, debet Notarius testi iterum prælegere, ut emendare possit. fol. 310. n. 163.

Factâ à partibus renuntiatione ulterioris productionis, solet Judex in partium præsentia denuntiare, attestationes haberi pro publicatis, permittendo partibus eorum copiam fieri. Et tunc quæ gesta sunt, Notarius ad Acta refert. fol. 310. n. 164.

Attestationibus non publicatis si sententia ferretur, nec pars condemnata opponeret, valeret. n. 165.

Effectus principalis huius publicationis est, quòd nec testes priores, nec novi alii recipi possint super iisdem articulis, ob periculum subornationis. f. 311. n. 166. Super novis Articulis ideo recipi non possunt, quia super illis lis non est contestata. fol. 312. n. 171. Et hæc tam Jure Civili, quàm Canonico procedunt. n. 172. Item procedunt, etiamsi publicatio non esset rite facta. n. 175. Quodsi constaret, partes non didicisse attestationes, cessaret ratio, & effectus publicationis. fol. 313. n. 176. Quodsi solùm probabile esset, posset pars admitti ad juramentum. n. 177.

Si Receptio testium fuit ipso jure nulla, non excluderetur ulterior receptio & productio post publicationem, bene tamen, si fuit valida quidem, sed ope exceptionis irritabilis. fol. 313. n. 178.

Si pars adversa volens post publicationem producere novos testes super articulis directò contrarijs, simul se offerat ad probandum, quòd testes adversarii fuerint corrupti, esset admittendus ad probandum & reproducendum. n. 179. Super articulis indirectè contrariis tunc admittendus esset, si ab initio non potuit desuper sufficienter esse instructus. o. 180.

Minor & Ecclesia possunt adversùs omissam probationem restitui in integrum n. 181.

Et causa matrimonialis est in hoc puncto specialiter privilegiata in favorem matrimonii. nu. 182.

Judicis etiam arbitrio relinquitur, an videatur post publicationem esse novos testes recipiendos, & hoc ex officio, non præcisè ad instantiam partis. fol. 314. num. 183.

Valeret etiam receptio novorum testium, si pars adversa non opponeret exceptionem, ob jam didicitas attestationes. imò contra testem valde legalem non posset pars rationabiliter excipere. num. 184.

Factâ publicatione attestationum, partibus petentibus Copia danda, Originali apud Notarium asservato. num. 185. Deinde assignatur terminus, intra quem partes disputent de Attestationibus. num. 186. nisi contra personam testium exciperetur. eod.

Testis omni exceptione major est, cui quidquid objiciatur, frivolum apparet: & talis præsumitur, donec de contrario constet. f. 315. num. 189. Si exceptio negligatur à parte, censetur renuntiare Juri excipiendi, & depositio tenet. n. 190.

Testes Reprobatorij possunt per reprobatoriorum reprobatorios reprobari, sed non ultrà. f. 316. num. 192. Depositiones etiam per Instrumenta reprobari possunt. n. 193.

Testis reprobari non potest tanquam idoneus, si tempore juramenti & depositionis fuit idoneus, etiamsi medio tempore fuisset inhabilis. n. 194.

Capitalis inimicus non est idoneus testis adversùs inimicum. f. 316. n. 196. obi n. 197. referuntur species inimicitiæ capitalis. Sufficit autem probari causam inimicitiæ. num. 198. & nihil interest, quis fuerit causa inimicitiæ. f. 317. n. 199. Neque exceptioni obstaret, si inimicus paulò ante productionem fuisset reconciliatus, præsertim præcepto Superioris. n. 200. Nec Principis Constitutione sanciri posset, ut inimicus admitteretur in testem. num. 201. Duo testes inimici inimicitiâ levi, facerent semiplenam probationem. n. 204. Hæc omnia procedunt, nisi alter malitiosè causam dedisset inimicitiæ, ut non posset contra se in testem produci. n. 205.

Parentes non possunt esse testes in causa Civili liberorum, nec econtra. f. 317. num. 206. ubi exceptiones. & num. 208. quid possint testificari in causis matrimonialibus.

Frater in causa fratris potest esse testis omni exceptione major. 1. Si sit spectatæ fidei & Religionis. f. 318. 2. Si producatur inter duos fratres. eod. 3. Si concurrat alius testis summè legalis. n. 211. 4. Si à tertio contra fratrem producatur, & pro fratre testetur. eod. 5. Si natura causæ admittat testimonium domesticum. eod.

Econtra

de muto

Produ-

Produci potest testis in causa civili, qui aliquãdo à Judice fuit proprio motu reiectus, inde tamen non est redditus penitus inhabilis. n. 321.

Defectus testis non omni exceptione maioris potest suppleri per concursum testis omni exceptione maioris positivè. n. 322. idem per alia probationũ adminicula. n. 313. vel quia veritas per alios haberi non potest. n. 324.

Cui mandata est testium receptio, non hoc ipso mãdata est examinatio, bene tamẽ econtra. Item cui commissa est examinatio testium probatoriorũ, non hoc ipso etiam reprobatoriorũ. f. 406. n. 698. & seq.

Tomo 6.

Testis, qui ad dicendum verum pecuniam accepit, etsi falsum non committat, incidit tamen in pœnam falsi, præsertim si juravit, se non dictutum testimonium ob pecuniam acceptam. f. 99. n. 181.

Ad plenam delicti probationẽ non sufficit solius Principis assertio, quòd sibi ex aliorũ Principũ relatione constet, & delictũ sit notoriũ. fol. 252. n. 222.

Imò nec si Princeps testaretur de proprio visu. n. 223.

Unicus testis etiam de facto proprio & contra seipsum deponens, in præjudicium tertij non facit plenam probationem, nisi aliquã præsumptione, vel alijs adminiculis adiuvetur, Judicis arbitrio æstimandis. fol. 252. 225.

Duo testes omni exceptione majores sufficiunt ad condemnandum, nisi Statutum obstet. n. 226.

Testes alioquin de jure inhabiles, admittuntur tamen in probandis illis delictis, quæ ex natura sua communiter probari non possunt nisi per testes inhabiles. f. 253. n. 227. ubi exempla. Et tunc habentur tanquam integræ fidei, dummodo inhabilitas non proveniat ex inimicitia. eod. & n. 228.

Item admittuntur in criminibus atrocibus, quæ ideo vocantur Excepta, ut Hæresis, Læsæ Majestat. Latrocinij. n. 229. Non admittuntur tamen ad probanda adminicula & quæstiones præjudiciales. fol. 254. n. 230.

Quando autem testium inhabilitas provenit ex defectu famæ vel status, opus est, ut deponant in Tortura. n. 231.

In Criminibus, in quibus testes alioquin inhabiles non admittuntur, debent ità esse habiles testes, ut sint omni Exceptione majores, faciántque singuli plusquam semiplenam probationem, ob magnam legalitatem. f. 255. n. 232.

Contra inimicum Accusati admittitur accusati Exceptio. n. 233. quâ neglectâ faceret semiplenam probationem. n. eod.

Inhabilitas proveniens ex inimicitia, ne quidem per torturam purgari potest. f. 256. n. 237. Bene tamen in articulo mortis, cum Sacramentorum & juramenti interventu, & in defectum aliarum probationum. num. 238.

Inimici depositio potest sufficere saltem ad generalem inquisitionem. n. 239.

Oppositâ inimicitiâ capitali, statim in Criminali causa (secùs in civili) audiendus est reus opponens, & probationem in continenti offerens. f. 257. n. 240. Etiamsi ipse causam dederit. n. 241. Inimicitia modica non obstat testi. n. 242. Reconciliatus recenter, potest etiam repelli: si pridem, non est omni Exceptione major. num. 243. Testis utrique inimicus, adhuc videtur posse repelli. num. 244.

Consanguinei & Affines accusatoris non admittuntur contra extraneum. num. 245. Nec possunt cogi ad testificandum contra consanguineum aut affinem. n. 246. Imò nec in favorem ipsius productus. fol. 258. n. 247. Nisi veritas aliter haberi non posset. n. 248. Quando Judex procedit & non ad instantiam Accusatoris, admittuntur Consanguinei ad defensionem rei. n. 249.

Si conjuncti testentur contra conjunctum, fidem faciunt. n. 250.

Quod de Consanguineis dictum, etiam in conjuge procedit. n. 251.

Domestici etiam repelluntur in Criminalibus regulariter. n. 252. & seq. ubi limitationes.

Quando contra Domesticos est gravis præsumptio, non sunt unquam admittendi, nisi fortè cum tortura. fol. 259. n. 255.

Ad probandam innocentiam Rei, admittuntur Domestici, non tamen ad reprobrandum. num. 256. & seq. Neque ad purganda indicia valde gravantia. num. 258.

Domestici examinati ne quidem præsumptionem faciunt pro Domestico, opponente Accusatore. f. 260. n. 260.

Vasallus nullo jure repellitur à dicendo testimonio pro seniore. n. 262.

Infames in Criminalibus admittuntur, quando veritas per alios ex natura delicti aliter haberi non potest. num. 263. Aliàs non faciunt indicium ne quidem ad Inquisitionem, nisi generalem. n. 264. Deponentes plures de proprio sensu, contra præsentem faciunt indicium ad torturam sufficiens, contra absentem, ad inquirendum. fol. 261. n. 265. Infames infamiâ facti faciunt aliquale indicium. num. 266.

Accusatus vel Inquisitus de crimine gravi, non admittitur nisi in exceptis. fol. 261. num. 267. Neque Incarceratus ob crimen infamans. n. 268.

Ætas viginti & unius annorum sufficit ad testificandum in Criminalibus. n. 269. In crimine læsæ Majest. etiam minor quatuordecim annorum. num. 270. Item quando veritas aliter haberi non potest. f. 262. n. 271. Aliàs solùm facit aliquale indicium ad Judicis instructionem. n. 272.

Pubes potest testificari de visis in impubertate. num. 273.

Mulier admittitur Jure Civili, etiam in delictis, quorum pœna est corporalis. n. 274.

In causa, in qua quis querelavit, testis esse non potest. f. 263. n. 276. Nec Judex finito processu, in concernentibus Justitiam Sententiæ, benè tamen in concernentibus processum & ordinem. n. 278.

n.278. Nisi veritas aliter per naturam haberi non posset. n.279.

Socij nominatio ad interrogationem Judicis, sufficit ad formandam inquisitionem, eamque nominato transmittendam, ut cogatur se defendere. fol.264. n.283. Nunquam tamen sufficit ad torquendum, nisi concurrentibus tribus, quæ vide num.284.

Juramentum non potest in Criminalibus testi remitti. n.285.

Testes in inquisitione generali sine juramento auditi, possunt in speciali iterum examinari sub juramento. f.265. n.286. & seqq.

De Testium Confrontatione cum reo facienda, vide Confrontatio.

In quibusdam casibus admittitur testis depositio in scriptura. fol. 267. n. 303. & seq.

Testes singulares non probant plenè, nisi in crimine læsæ Majestatis, & vitæ meretriciæ, saltem si procedatur civiliter. fol. 268. n. 305.

Testis obligatur dicere veritatem Judici interroganti, si oculis vidit committi delictum, etiamsi reo promisisset secretum. fol.269. n.309. In Inquisitione tamen generali non tenetur. n. 310.

Si testis per errorem falsum deposuit, errore deprehenso tenetur ex justitia retractare, si potest absque gravi suo damno, si ex malitia, tenetur etiam cum vitæ periculo. fol. 270. n.312.

Testis valde gravatus quòd habeat notitiam delicti à reo commissi, si tamen nõ vult edicere, solet urgeri incarceratione in pane & aqua, & denique etiam torturâ. fol. 294. nu. 414.

Thesaurus.

Tomo 1.

Definitur, Vetus depositio pecuniæ alteriusve rei mobilis, cujus non exstat memoria, ut jam dominum non habeat. fol. 401. n. 10.

Jure gentium cedit Inventori, sed Jure civili aliter statutum est. Si enim invenitur medijs illicitis, cedit fisco quoad partem quæ alioquin esset inventoris eodem jure. Si licitis mediis in proprio inventoris solo, cedit totus inventori. si in alieno, sine licentia domini fundi & casu, inventor mediam partem lucratur, altera cedit domino. si de industria quæsitus, totus cedit domino. si cum consensu domini quæsitus, nihil in pactum deducendo, totus etiam cedit domino loci. n. 11.

Inventus in loco publico ad neminem spectante, cedit inventori: secùs media pars domino loci. nu. 12. Inventus in loco Sacro vel Religioso de industria, totus cedit fisco. n. 13. Si casu, media pars est inventoris. f. 402. n. 14. hodie tamen omnis locus facer est sub alicuius dominio, & ideo idem dicendum, quod dictum de inventione in loco alicuius privati. n. 17.

Usufructuarius non quà talis, sed solùm quà inventor, participare potest. n. 18.

Qui sciret thesaurum latere in fundo, posset fundum emere, bonâ scientiâ, eodem pretio, quo ignorantes. fol. eod. nu. 19.

Quia Dominus fundi fit dominus thesauri per ipsam inventoris apprehensionem, potest eum consequi rei vindicatione. fol. 403, nu. 23.

Tomo 4.

Thesaurus inventus in fundo vendito, sed necdum tradito, non est venditoris, sed emptoris. f. 26. n. 69.

Tigni Servitus.

Tomo 1.

Est Jus, quo quis ex ædibus suis in parietem vicini tignum ità potest immittere, ut in utriusque prædio quiescat. Tigni nomine veniunt trabes, & oblongi lapides, concamerationes. f. 247. n. 160.

Qui tignum immitteret non constitutâ servitute, posset non solùm actione Negatoriâ conveniri, sed iniuriam passus posset propriâ auctoritate tignum deiicere, vel intercidere. eod.

Unius tigni immissi patientiâ non acquirit immittens ius immittendi alia tigna in aliam parietis partem. benè tamen, si Servitus indefinitè constituta esset. f. 247. n. 161.

Tigni appellatione venit omnis materia, ex qua ædificia fiunt. fol. 421. nu. 119.

Tortura.

Tomo 6.

Ad torquendum reum sufficiunt Indicia minùs evidentia, quàm quæ sufficiunt & requiruntur ad condemnandum, debent tamen esse prudenter indubitabilia. f. 225. n.97. & seqq.

Antequam habeantur sufficientia indicia ad torturam, non licet Judici examinanti reum super articulos, inspergere minas torturæ. f. 244. n. 184.

Tortura definitur: Interrogatio de crimine commisso per corporis tormenta, ad eruendam ipsius criminis sive causæ veritatem legitimè à Judice instituta. f. 280. n. 355.

Torturæ usus non solùm licitus est, sed etiam necessarius. f. 281. n. 357.

Tortura non est adhibenda reo convicto ad extorquendam confessionem, sed absque hac condemnari potest. f. 282. n. 361.

Praxis torquendi convictum ad obtinendam confessionem, & sic excludendam appellationem, improbatur Jure Bavarico. n. 365.

Torturæ subijciendus est deprehensus in crimine, illúdque negans. f. 283. nu. 366. De hoc plura vide, *Reus*.

Nolens

Nolens ratificare, nec revocare, sciens non posse quartò torqueri, videtur tacitè ratificare confessionem. f.304. n.459.

Judex malitiosè intendens per torturam homicidium securum, est puniendus ut homicida. f.304. num. 461.

Injustè torto competit actio injuriatum, quæ est perpetua. f.305. n.462. In dubio stat præsumptio pro reo. n.465.

Ultra pœnam satisfactionis à Superiore puniendus est Judex injustè torquens. n.466.

Torturam præcedere debent Indicia reddentia prudenter reum suspectum. fol.306. n.468. Quo sensu autem cognitio Indiciorum sufficientium sit arbitraria, declaratur f.307. num.469.

Indicia indubitata sunt singula sufficientia ad torturam, non item verisimilia nisi semiplenè. fol.308. num.471. ubi differentia declaratur.

Indicium verisimile, nascitur ex moribus anteactæ vitæ, & accedente famâ, semiplenè sufficiens ad torturam. num. 472. Item ex deprehensione in loco suspecto, vel in loco perpetrati delicti, absentibus alijs. n.473. Item ex irrationabili conversatione cum facinorosis. n.474. Item ex præcedente inimicitia. f.309. n.475. Item ex assertione in articulo mortis. eod. Item ex fuga. num.476. Item ex præcedente lite de majore parte bonorum. Item ex vultu & gestibus. n.477. Ex inconstantia sermonis. n.478. Ex trepidatione. eod.

Indicia ad torturam seorsim & singulatim sufficientia sunt, quæ habentur. 1. Ex re in loco commissi delicti inventa, & priùs à delato possessa. f.310. n.481. 2. Ex semiplena probatione per testem. n.483. 3. Ex nominatione socii criminis. fol.311. n.484. 4. Ex Rei confessione extrajudiciali. n.487. 5. Ex minis præcedentibus. fol.312. n.490. 6. Ex transactione. n.491. ubi fusiùs declarantur.

In specie sunt quædam Indicia homicidij sufficientia singula ad torturam, quæ referuntur f.313. n.492. & seqq. Item Infanticidij. f.314. n.497. & seq. Item Veneficij. n.499. & seq. Item Rapinæ & Furti. num.501. & seqq. Item Incendij. fol.315. n.506. Item Proditionis. n.507. & seq. Item Magiæ, Sortilegij, vel Incantationis. fol.316. n.509. & seqq.

Ex confessione per iniquam torturam obtentæ, etiamsi postea superveniant Indicia sufficientia ad torturam, non potest Reus condemnari. fol.317. num. 512.

Judex potest ad torturam procedere ex Indicijs, quæ æquivalent expressis in jure. n.513.

Regulariter Indicia sufficienter probantur per duos testes. n.514. ubi vide exceptiones.

Transactio.

Tomo 4.

Transactio est de re dubia, lite, aut controversia jam mota, non gratuita pactio. fol.312. num.984. In præsenti sumitur pro contractu pariente actionem civilem. Est autem Contractus Innominatus. f.313. n.986.

Quando Sententia transijt in rem judicatam, non est ampliùs locus transactioni, nisi esset locus restitutioni in integrum, vel alteri exceptioni opponibili, post rem judicatam. tunc enim adhuc est locus transactioni, & multò magis, si non constet, rem esse judicatam. fol.eod. n.989. Neque potest transactio post rem judicatam juramento firmari. f.314. n.990.

Quando Transactio fit simplici pacto absque stipulatione, nondum est ipso jure extincta prior actio, sed elidenda est ope exceptionis. f.314. n.991 ubi exemplum.

Quando Transactio fit per acceptilationem, ipso jure perimitur prior actio, quam alioquin actor prætendebat. n.992. ubi exemplum. Quando fit per Stipulationem Aquilianam, novantur actiones priores, ex quocunque contractu provenientes & dubiæ; deinde acceptilatione accedente penitus tolluntur. n.993. ubi exemplum.

Si Transactio facta est adjectâ stipulatione pœnali, ut is, qui fidem non servat, ad pœnam teneatur, fidem non servans ad pœnam tenebitur. f.315. n.994. Tenetur insuper ad servandum pactum transactionis, si clausula est adjecta: *Rato nihilominus manente pacto.* Omissâ hac clausulâ, si pactum est juramento firmatum, habet vim illius clausulæ. n.995. ubi specialia Juris Bavarici.

Si ex utraque parte non est servata æqualitas moralis, & secundùm communem prudentum æstimationem in æstimatione juris dubij etiam per ignorantiam fiat, læso satisfaciendum est ad æqualitatem. f.315. n.996.

Ut Transactio valeat, abesse debet metus injustus, cadens in virum constantem. Idem cum proportione de dolo dicendum. f.eod. n.997.

Qui speciale mandatum habet compromittendi, potest etiam transigere, & econtra. f.316. n.998.

Æger potest validè transigere etiam cum Medico. f.eod. n.999.

Pupillus infante major non potest quidem sine auctoritate Tutoris transigere, si tamen transigendo suam conditionem meliorem fecit, tenebit transactio. fol.eod. n.1000.

Tutores & Curatores transigere possunt eo modo, quo dictum est cùm ageretur de eorum potestate. Finitâ tutelâ & curatelâ possunt cum ipsis majorennibus transigere. f.317. n.1001.

Transigere etiam possunt Administratores Civitatum & Syndici de rebus mobilibus, excepto Procuratore Cæsaris. f.eod. n.1002.

Pater circa bona adventitia, quorum administrationem habet, potest transigere. f.eod. n.1003.

Creditor cessis alteri actionibus contra suum debitorem, non potest in præjudicium Cessionarij transigere cum debitore. f.eod. n.1004.

De rebus alienari prohibitis transigi nonpotest, quibusdam casibus exceptis. fol 318. num. 1005. Excipitur 1. Quando ex rationabili causa ad præcidendas lites transigitur auctoritate Principis. n. 1006. Excipitur 2. Quando fit pro re vindicata dubia, ità ut apud eum maneat, qui ut vindicatam prætendit. n.1007. Excipitur 3. Quando est conformis Statuto. f.319. n.1008. Excipitur 4. Si accedat consensus eorum, in quorum favorem res prohibita est alienari. n.1009.

Non potest transigi circa res in Testamento contentas, antequam constet, quid in Testamento contineatur. f.319. n.1010. Quodsi post inspectum Testamentum, & factam transactionem proferantur Codicilli, ad hos non extenditur transactio. eod.

Non est necesse, ut Testamentum ipse inspexerit, qui circa contenta transigit, sed satis est, quòd ab alijs intellexerit. f.eod. num.1011.

Non valet renuntiatio, quâ transigentes renuntiarent juri annullanti transactionem. fol.319. n.1012. Imò nec posset juramento firmari. f.320. num. 1013.

Possunt Fideicommissarij inter se paciscí de fideicommisso sibi communiter relicto sub eventu dubio, nec Minor læsus restitueretur. fol.320. num.1014.

De alimentis in ultima voluntate relictis præteritis, non item futuris, transigi potest. fol.eodem. n.1015. ubi, vide declarationem, & extensionem. num. 1016.

De rebus Ecclesiasticis, ut Beneficio, Jure præsentandi, Decimarum &c. non licet transigere. fol.321. num.1017.

De Adulterio, quamvis sit crimen publicum & capitale, transigere inter delinquentem & accusatorem non licet, de alijs verò capitalibus & pœnam sanguinis, seu vitæ irrogantibus delictis, transigere & paciscí licet. fol.321. n.1018.

De alijs privatis criminibus, si criminaliter intententur, non licet transigere, bene tamen si civiliter. n. 1019.

Transactio cum uno Accusatore facta non impedit, quominus reus ab alijs accusari possit. f. 322. n.1021.

Sicut licet de proprio sanguine, ità etiam de alieno transigere. n.1022.

Non licet tamen transigere de criminibus non inferentibus pœnam mortis, sed mutilationis, flagellationis &c. f. eod. n.1023.

De Stupro transigere non licet, ubi non est crimen capitale. An hactenus dicta hodiernis moribus obtineant, consuetudo consulenda est. n.1024.

Transactio æquè litibus finem imponit ac sententia transiens in rem judicatam. Unde nec prætextu Instrumentorum de novo repertorum rescinditur: benè tamen si ex falsis instrumentis obtenta esset. f. 322. n. 1025.

Quando Transactio nudo pacto est inita, tunc, Jure Civili inspecto, parit Reo solùm exceptionem, actori autem salva manet actio, si alter non præstet, de quo conventum est. f. 323. n. 1026. Quando actio prætensa fuit sublata per Stipulationem Aquilianam & acceptilationem, tunc ad implenda pacta datur actori actio ex stipulatu n. 1027.

Si dolus intercessit, datur actio de dolo, quâ transactione rescissâ, prior actio revocatur. f. 323. n. 1028.

Quando Transactio mutuo consensu dissolvitur, prima causa ex integro reassumitur, & pecunia actori data condicitur. f. cod. n. 1029.

Si unus solus nolit, vel non possit implere quod promisit, tunc alter agere potest, ut vel impleantur promissa, vel quæ data sunt reddantur, & res in integrum restituatur. 323. n. 1030.

Si pœnitens velit postea servare fidem transactionis, est audiendus, & hoc sensu non licet in transactione pœnitere, sicut in alijs contractibus innominatis. n. 1031.

Quando res ab uno transigentium data postea evincitur, potest, qui dedit, conveniri ex stipulatu, f. eod. n. 1032.

Quando Transactio fit circa rem aliquam particularem, non extenditur ad aliud, de quo poterat moveri controversia, etiamsi à principio fuerit aliquid aliud petitum ab adversario. f. 324 n. 1033. Quando fit circa rem particularem quidem, sed sub universalitate actionum, quibus ea res peti posset, censetur actor ab omnibus actionibus recessisse. n. 1034.

Si petitio fuit generalis vel indefinita, & etiam transactio, censetur extensa etiam ad ea, quæ tunc absque alterius dolo non occurrebant. f. 324. nu. 1035. Si tamen dolus intervenisset in occultatione aliquorum, ad ea non extenditur efficaciter transactio, sed læso competit actio de dolo. n. 1036. ubi vide casum.

Generalis transactio non comprehendit bona per ultimam voluntatem relicta, si ultima voluntas necdum fuit inspecta. f. cod. n. 1037.

Quando præcessit petitio particularis, deinde secuta est transactio generalis, non hoc ipso transactio extenditur ad non petita, dummodo verba possint ex communi modo loquendi restringi. nu. 1038. ubi exemplum.

Transactionis contractus est stricti Juris. f. 1039. Unde qui de injuria transegit, non censetur remisisse Jus persequendi damnum injuriâ datum, quia est diversum utriusque objectum, nec unum est alterius accessorium. n. 1040.

Tomo 6.

Transactio cum læso in gravioribus delictis, non excusat à pœna ordinaria, nisi alia causa concurrat. f. 325. n. 540.

Transmissio Hæreditatis.

Tomo 2.

Hæreditas ab extraneo non adita, nec bonorum possessio agnita, regulariter & per se loquendo non transmittitur ad hæredes. f. 135. nu. 591. Casus excepti

excepti postea referentur. Ratio fundamentalis est hæc. Jus adeundi hæreditatem aliud non est, quàm Jus disponendi de hæreditate conditionatum,& dependens à voluntate hæredis, quâ acceptet oblatam sibi hæreditatem: ergo quando conditio non impletur, nec re ipsâ, nec juris fictione, Jus exspirat. f. 136. n. 596.

Descendens in potestate patria constitutus, in proximo gradu hæres sive ex testamento sive ab intestato, decedens hæreditate necdum aditâ, transmittit hæreditatem ad hæredes quoscunque Jure *Suitatis*. quia fit ipso Jure statim dominus hæreditatis absque aditione. f. 136. n. 597. Idem dicendum de illis emancipatis, qui ex privilegio retinent Jus *Suitatis*, v. g. filius professus in Religione capaci successionis, transmittit hæreditatem patris ad Monasterium. n. 598.

Quamdiu filius non declarat, se velle abstinere ab hæreditate, tamdiu reipsâ est hæres, nec hæreditas dicitur jacens. eod.

Emancipati non privilegiati Jure *Suitatis* non gaudent regulariter Jure transmissionis, hoc ipso quia non gaudent Jure Suitatis quoad acquisitionem dominij sine aditione. Neque sunt in hoc puncto æquiparati *Suis*, sed solùm quòd possint succedere Jure civili: item quòd ipsis debeatur legitima æqualis. Et quòd ijsdem Juris remedijs eam consequi possint per 30. annos. f. 137. n. 600.

Immediatus descendens sive *Suus* sive emancipatus, vel per lineam fæmininam descendens, nec aditâ nec repudiatâ hæreditate transmittit eandem Jure sanguinis ad hæredes *Suos*, non autem extraneos. f. eod. n. 601. Et hoc non solùm verum est, quando defertur successio Jure civili, sed etiam quando opus est Jure prætorio, nempe bonorum possessione. Nam quidquid Lex statuit circa hæreditatem, extenditur etiam ad bonorum possessionem delatam Jure prætorio. nu. 602. Hæreditas conditionatè relicta, conditione non impletâ non transmittitur. eod.

Quicunque hæres sciens sibi delatam hæreditatem seu ex Testamento seu ab intestato, si intra annum deliberationis decedat, transmittit hæreditatem ad quoscunque Hæredes, ità ut residuū tempus ad deliberandum illis cedat. f. 138. n. 603.

Minor 25. annis, eum ignorantia delatæ hæreditatis decedens, transmitteret probabiliter beneficium restitutionis in integrum ad acquirendum jus deliberandi. eod.

Transmissioni esset locus etiam ad excludendum substitutum, quia Substitutio tunc primùm sortitur effectum, quando institutus nec est ipse Hæres, nec alium fecit hæredem, quod tamen fit Jure transmissionis, vi cujus institutus non est penitus exclusus, & ideo provisio substitutionis cedit provisioni Legis. f eod. n. 605. & seq. Unde sequitur, quòd Jus transmissionis sit fortius Jure accrescendi: Nam Jus substitutionis est fortius Jure accrescendi, & Jus transmissionis est fortius Jure substitutionis. n. 607.

Infans hæreditatem sibi relictam nec tamen aditam, transmittit ad parentes, ex Lege 18. de Jure deliber. f. 155. n. 668.

Transmissione an excludatur substitutus vulgariter, vide, *Substitutio vulgaris.*

Transmissio hæreditatis delatæ Religioso professo in Religione capaci successionis, necdum aditæ, fit in Monasterium, excluso substituto profano. f. 167. n. 40.

Hæres *suus* probabiliter transmittit hæreditatem ultra Legitimam relictam Jure *suitatis*, excluso substituto vulgariter. f. 165. n. 27.

Transumpta.

Tomo 5.

Transumptum vocatur, quod ab originali describitur, & etiam vocatur *Copia*, vel *Exemplar*. Quod si solùm unam partem ex Originali referant, vocantur, *Memoria*. f. 353. n. 407. & seq.

Scriptura ab eodem Notario, à quo Originale, confecta, & illi simillima, eandē vim habet, quam Originale. f. eod. nu. 409. Imò sufficit à Notario subscribi. f. 354. n. 410.

Copia facta à privato, nullam habet fidem contra Adversarium. n. 411. Ne quidem si in archivo reposita esset. eod.

Scriptura facta ab alio Notario quàm illo qui fecit Originale, non habet vim Originalis ad probandum ipsum Negotium Gestum & narratum, etiamsi de cætero habeat omnes solennitates requisitas ad Instrumentum Authenticum. f. eod. n. 412.

Exemplum transumptum per personam publicam auctoritate Judicis Ordinarij, vel ad hoc specialiter delegati, plenè probat etiam non producto originali. f. 355. n. 417.

Judex Ordinarius petentis fieri transumptum, debet insuper citare alteram partem, cujus potest interesse. n. 419.

Si in Originali exstet cancellatio suspecta, impedit exemplationem. n. 420.

Transumptum ex comissione Judicis Ordinarij, & extractum ex Protocollo Notarij defuncti, probat etiam non producto Originali. n. 421.

Transumptum asservatum in Arhhivo publico ad hoc specialiter erecto, ut in eo non reponantur nisi Scripturæ Authenticæ, additâ inscriptione ab Archivario, facit plenam fidem. f. 356. n. 422.

Si scriptum aliquod est adeo antiquum, ut non cōstet, an sit Originale vel Transumptum, præsumitur esse Originale. Imò si constaret esse Transumptum, privilegio antiquitatis, quo minores probationes sufficiunt, probaret regulariter. n. 423. & seq. ubi vide limitationem.

Trapezita.

Tomo 4.

Idem est quod Nummularius, Mensularius, Argentarius. Differt à Campsore, quòd non solùm det operam principalem permutationi pecuniarum

rum, sed insuper exerceat negotiationem, recipiendo custodiam pecuniarum, dando tam proprias quàm alienas sub usuris. f. 125. n. 370.

Trebellianica.

Tomo 2.

Hæres rogatus totam hæreditatem restituere, potest Trebellianicam, ad imitationem Falcidiæ, hoc est, quartam partem hæreditatis, retinere. Idem conceditur Jure novo hæredi ab intestato. f. 246. nu. 351.

In Trebellianicam debet Hæres Fiduciarius computare non solùm quod sibi Legatum est, sed etiam fructus perceptos eo tempore, quod inter mortem Testatoris & restitutionem fideicomissi intercedit. f. eod. n. 355. Quod tamen solùm procedit in Hærede extraneo. f. 260. nu. 402. Non item si filius sit hæres institutus. 403. cuicunque sit facienda restitutio, exceptis fructibus post moram perceptis, qui in Trebell. computantur. n. 404.

Jure communi (non item Bavarico) potest deductio Trebellianicæ sicut Falcidiæ à Testatore prohiberi. f. 253. n. 379. Debet tamen prohibitio esse expressa, & facta absque Juris, & proprij patrimonij ignorantia. Unde non sufficit tacita, qualis videri posset inesse his verbis: *Volo restitui totam hæreditatem.* f. 255. n. 385.

Neglectus Inventarij non infert privationem Trebellianicæ, sicut Falcidiæ. eod.

Trebellianica sæpè venit in Jure nomine Falcidiæ. f. 253. n. 380.

Quando prohibetur deductio Trebellianicæ, non potest hæres cogi adire hæreditatem, sed potest repudiare. f. 254. n. 381.

Generali prohibitione alienationis suorum bonorum, non prohibetur sufficienter Trebellianica, benè tamen speciali. f. 255. n. 286.

Potest detractio Trebellianicæ prohiberi etiam liberis primi gradûs. f. eod. n. 387.

Trebellianica à Fideicommissis pijs Jure Bavarico deducitur, ità ut nec prohiberi possit. f. 257. n. 394. Eodem jure amittitur, si Inventarium confectum non fuerit, nisi liberi primi gradûs essent instituti. eod.

In Trebellianicam imputantur non solùm quæ quis Jure hæreditario consequitur, sed etiam alio Jure, v. g. Legati, fideicommissi &c. f. 259. n. 400. item quæ conditionis implendæ causâ relinquuntur. n. 401. Excipiuntur tamen probabiliter prælegata. 408

Si hæres detraxerit Trebellianicam, Fideicommissarius ulteriùs restituere jussus non potest iterū detrahere. Imò etiamsi hæres non detraxerit, non potest fideicommissarius deducere, nisi hæres in illius solius favorem omisisset detrahere. fol. 260. nu. 405.

Si plures sint ordine substituti fideicommissatij, præsumitur hæres in favorem ultimi non detraxisse Trebellianicam, & ideo nullus posset detrahere, nisi primus esset persona valde conjuncta, alioquin censetur hæres potiùs voluisse ultimo donare, ut sic pleniùs fidei & voluntati defuncti satisfaceret, qui utique voluit ad ultimum pervenire totum, quod ad primum pervenit. fol. 260. n. 406. & seqq.

Trebellianica deducitur ex cumulo omnium bonorum, & non solùm ex ea quantitate, quæ deductis legatis superesset, vg. casu quo quis habens in bonis 400. legasset 300. & juberet restituere 100. reliqua 300. dividerentur in 7. partes, quarum tres legatarij, quatuor fideicommissarius haberet. fol. 261. n. 409.

In tali casu, si legata soluta fuissent ante restitutionem, refundendum esset à legatarijs, quantum necessarium esset, ad complendam quartam, & de hac restitutione facienda tenentur cautionem præstare. fol. 262. n. 413.

Si pars hæreditatis legata esset, quandoquidem tale legatum habet potiùs rationem fideicommissi, videtur locus esse potiùs Trebellianicæ, quàm Falcidiæ, quia & onera transeunt in legatarium. fol. 263. n. 417. & seqq.

Triticiaria Actio.

Tomo 3.

Est actio personalis, generalis, competens ad omnia certa. exceptâ pecuniâ. Origo nominis est, quòd antiqui nomine *Tritici* intellexerint patrimonium in rebus quæ non pecunia. fol. 190. n. 363. Ideo autem hæc generalis Condictio ultra speciales introducta est, quia sunt aliqui casus, in quibus non datur Condictio specialis. n. 364. ubi vide exempla.

Turpitudo dantis vel accipientis.

Tomo 1.

Jus Civile distinguit inter casum quo solius dantis est turpitudo, & casum quo solius accipientis, & denique quo utriusque est turpitudo. f. 138. n. 358. & seq. vide etiam. *Meretrix* & *Restitutio*. Si turpitudo est solius dantis, vel utriusque, nulla est dati repetitio, benè tamen per conditionem ob turpem causam, si solius accipientis. ibid.

Tutela. Tutor.

Tomo 1.

Tutela, simpliciter loquendo non est munus publicum, dicitur tamen esse Juris publici, non utilitate quæ intenditur primariò, sed auctoritate, quia Magistratus & lex dat Tutores, vel confirmat. fol. 341. n. 211.

Tutela est vis ac potestas in capite libero, ad tuendum eum, qui propter ætatem se defendere non potest, Jure Civili data ac permissa. fol. 343. n. 212. ubi per *caput liberum* intelligitur ipse pupillus, prout libet à potestate patria. eod. Differt à Curatela, quòd principaliter detur ad defensionem personæ, & in defectum ætatis. 217.

Tutela respectu masculorum durat usque ad 14. annum

annum completum, respectu fœminarum usque ad duodecimum. f.344. n.220.

Tutelarum triplex est species. Testamentaria, Legitima, & Dativa. fol.eod. n.221. quæ deinceps ordine exponuntur.

Tutela Testamentaria.

Parentes liberis in potestate constitutis, impuberibus, justo Testamento Tutores constituere possunt. fol.eod. n.222. Quorum aliqui opus habent confirmatione à Magistratu, aliqui non. fol.345. num.224. Qui datur filijs in potestate constitutis, non indiget confirmatione. n.225. Requiritur tamen 1. Ut detur in Testamento perfecto verbis directis, aut Codicillo Testamento confirmato. 2. Ut ex hujusmodi Testamento adita sit hæreditas, quicunque sit hæres, nam & exhæredato potest dari. 3. Ut pupillus non sit casurus in alterius potestatem.

Si in Testamento detur Tutor *liberis*, horum nomine veniunt etiam Nepotes, non item si *filijs*. fol.eod.n.227.

Potest Tutor dari sub conditione pendente ad tempus, & ex tempore, interim verò per Magistratum providetur. f.eod. n.228.

Si Minorennis datus est Tutor, exspectanda est Majorennitas, etiamsi veniam ætatis impetrâsset. num.229.

Mater & Avia Tutores testamento dari possunt. Jure Bavarico matri duo assistentes adjunguntur, quibus rationes reddat. f.345.n.230.

Confirmatione eget Tutor datus pupillo filio emancipato, si tamen à patre datus est, sine inquisitione, sicut etiam, si datus est in Testamento imperfecto: si à matre datus est, eget confirmatione cum inquisitione. f.346.n.231.

Tutor filio naturali datus, item ab extraneo, eget confirmatione cum inquisitione. fol. 346. num.232.

Ut à Matre validè detur, debet filius hæres institui. n.233.

Extraneus Tutorem tunc dare potest, quando hæres non habet alia bona quàm Testatoris. f.eod. num. 234.

Tutela legitima.

Deficiente testamentario Tutore, vocatur Tutor legitimus à lege. f.347. n.235.

Primo loco vocatur mater, si velit, promittens coram Judice, se ad secunda vota non transituram, nisi depositâ priùs tutelâ, & renuntians S. Consulto Vellejano. fol.eod. n.236.

Secundo loco vocatur Avia. num.237. & etiam Avus. f.348. 242. Tertio, exclusis fœminis, laterales propinquissimi, eo ordine, quo ab intestato succederent. f.347. num.238. In casu quo nimis multi essent, unus vel plures apud Judicem eligendi sunt ut magis idonei, qui tutelam administrent, periculo tutelæ omnibus imminente, & substantiâ eorum Minoribus tacitè obligatâ. num. eodem.

Si semel ad Testamentarium devoluta est tutela isque excusetur, non redit tutela ad legitimum sed à Magistratu dandus est, idem, si fuerit remotus. Quod si Testamento datus decesserit, ad legitimum tutela redit. Si plures fuerint Testamentarij, in locum decedentis potest dari alius: si nullus supersit, legitimus succedit. f.eod. n.239.

Si proximi non sunt idonei, vel excusantur, propinquioribus defertur. f.347. n.240. & sic fieri potest, ut hæreditas sine tutela, & tutela sine hæreditate deferatur. eod.

Extenditur legitima tutela ad omnes gradus, ad quos jus successionis. fol.348. n.243.

Si impubes habet fratrem minorennem, isque est evasurus majorennis, priusquam alter pubes fiat, & quidem tempore notabili, à Magistratu interim Tutor dabitur. secùs vocatur propinquior. num. 244.

Mater ad secunda vota transiens, mortuo secundo marito habet regressum ad tutelam, si liberis nondum est à Magistratu prospectum, fol.eod. num. 245.

Patronus est legitimus Tutor servi impuberis manumissi. Decedente Patrono ad liberos spectat. num. 246.

Tutela Dativa.

In defectum legitimi Tutoris, Magistratus assignat idoneum, quem etiam cogere potest, & dicitur Tutor dativus. f.349. n.248.

Spectat autem dare ad Magistratum patris pupilli, esto pupillus absens sit. Item ad Magistratum loci, unde pater originem trahit, aut ubi filius natus est, si pater ibi domicilium habuit, aut ubi major pars facultatum existit, inter quos est locus præventioni. fol.eod. n.249.

Matri, si nolit esse Tutrix, incumbit onus petendi Tutorem, (non item Curatorem) alioquin privatur jure successionis, ad idem tenentur propinquiores. fol.eod. n.250. In defectum aliorum Creditores habent jus petendi Tutorem. fol.350. num.251.

Si Bona pupilli ità diffusa, aut aucta essent, ut Tutor datus non sufficeret, datur illi Curator, sicut & in quibusdam alijs casibus, 1. Si Patrimonium sit auctum, 2. In locum excusati, vel suspecti, 3. Si Tutor evasit Debitor aut Creditor pupilli. fol.eod. num.252.

Tutores non sunt dandi Milites, Creditores, Debitores, (Matre & Aviâ exceptis) Prodigi, Religiosi, Clerici, Inimici, Fœminæ aliæ, Minores, Surdi, Muti. qui jam unam tutelam malè administrârunt. f. eod. n. 257.

Tutorum Satisdatio, & Suspectorum Remotio.

Hodierno Jure in Imperio omnes Tutores satisdare tenentur, & rationes reddere, nec possunt adire Tutelæ administrationem, nisi interposito Magistra-

Magistratûs decreto. Conficitur autem Inventarium coram Notario & Testibus : deinde cautionem præstabunt vel sub hypytheca omnium bonorum, vel datis fidejussoribus, addito corporali Juramento, curaturos se, ut personæ pupilli in educatione cæterisque rectè prospiciatur, bona fideliter administrentur, rationes singulis annis reddantur : finitâ tutelâ bona restituantur. Idem Curatores præstabunt. f. 351. n. 259.

Hinc convenit Pupillo & Minori multiplex actio. Actio tutelæ, (de qua plura infrà) & actio ex stipulatu, rem pupilli salvam fore, & actio hypothecaria ex tacita hypotheca. Contra Fidejussores actio ex stipulatu. Denique Actio subsidiaria contra eos, qui non curârunt satisdari à tutoribus. f. eod. n. 261.

Satisdatio non purgat vitium suspicionis, quin suspectus à tutela removendus sit, nisi esset persona talis, cujus temorio plùs incommodare posset pupillo, quàm prodesse. f. 352. n. 262.

Suspectus habetur, qui non ex fide tutelam gerit, etsi solvendo sit : si ex moribus periculum imminеat : si dolosè aut negligenter cunctetur. Si mentiatur defectum alimentorum : si se subducat : quo casu fit immissio in bona tutoris. f. eod. n. 263.

Suspectum accusare potest quivis de populo, exceptis ipsis impuberibus. Puberes possunt Curatores accusare ex consilio consanguineorum. num. 264. Dum accusatio pendet, interdicitur administratio. f. 393. n. 265.

Tutor & Curator præstant culpã levẽ: hæredes tamen non tenentur de culpa levi, sed solùm de lata. eod. Excipitur tamen unus casus, quo Tutor de levi culpa nõ tenetur, nempe si Tutor negligens fuit in rationibus exigendis à Debitoribus pupilli, & illi interim desierint esse solvendo, tunc solùm de lata culpa tenetur. f. 361. n. 302.

De dolo accusatus & convictus, & à tutela remotus, fit infamis. f. 335. n. 266.

Tutelæ excusationes.

Excusatur quis à suscipienda tutela, allegando justam causam liberationis ab onere tutelæ. f. 354. n. 267. Quoad tempus interponendæ excusationis consuetudo locorum observanda. Qui plures causas habet, omnibus uti potest. 268.

Causæ autẽ excusantes enumerârur quindecim. 1. Est numerus propriorũ liberorũ. Jure Bavarico quinque liberi requiruntur Legitimi & naturales h. e. non adoptivi, superstites nati. Nepotes loco patris mortui pro una persona numerantur. Religionem ingressi non prosunt. Vulneratus in acie, & inde mortuus, non minùs quàm si in acie occubuisset, prodest. f. 354. n. 270. 2. Causa est administratio rerum fiscalium, excusans à tutela suscipienda, non à suscepta. n. 271. 3. Est absentia Reipublicæ causâ. 272. 4. Magistratus seu potestas excusans à suscipienda. f. 355. n. 274. 5. Lis cum pupillo. 275. 6. Trium tutelarum vel Curatelarum onus. 276. 7. Paupertas Tutoris aut Curatoris. eod. 8. Morbus, de quo Judex arbitrabitur. 277. 9. Litterarum ignorantia. 278. 10. Inimicitia. f. 356. n. 279. 11. Qui passus est Statûs controversiam à patre pupilli. eod. 12. Ætas 70. annorum. 279. 13. Grammatici, Rhetores, Medici. Non item Juristæ. 281. 14. Disparitas statûs. 282. Qui tutelam gessit, excusatur ab ejus curatela. 283.

Recusans tutelam non potest consequi Legatum. f. 356. n. 284.

Tutorum Auctoritas & Administratio.

Pupillus sine Tutoris auctoritate potest conditionem suam meliorem facere, v. g. sibi stipulando, non deteriorem. potest ergo alium sibi obligare, non illi obligetur. f. 357. n. 285.

Sine Tutoris auctoritate non potest pupillus hæreditatem adire, nec hæreditatem ex fideicommisso suscipere, nec bonorum possessionem petere. f. eod. n. 288. nisi Prætoris auctoritas suppleat defectum tutoris. f. 358. n. 289.

Tutor in ipso negotio debet præsens auctor fieri: post tempus, aut per nuntium non potest. f. eod. n. 290. imò probabiliter sufficiet, si actui statim superveniens in continenti suam auctoritatem interponat. 291.

Quando inter ipsum Tutorem & Pupillum negotium geritur, aliquis Curator ad actum constituendus est. f. eod. n. 293. nisi in tali actu tutor potiùs gereret negotium pupilli, quàm cum pupillo. v. g. si pater pupilli fuisset Debitor tutoris, posset Tutor sibi solvere ex bonis pupilli hæredis. Unde, quoties Tutor duplicem personam gerit, Tutoris & Creditoris, non præstat pupillo auctoritatem, sed administrat bona illius, & agit pupilli nomine. n. 294.

Tutor & Curator facto Inventario, & præstito juramento, (de quo suprà) & factâ promissione de defendendo pupillo, immiscebit se administrationi, ad quam primò spectat, ut pupillus secundùm suam conditionem instituatur, ex fructibus alatur, res pupilli conserventur, exigantur debita &c. alienanda alienentur, & quidem immobilia Judicis decreto. Idem de Curatoribus dicendum. f. 359. n. 295.

Ubi educandus sit pupillus, locorum Statuta aut consuetudo attendenda, quæ plerumque est, ut committatur educatio Matri, imò etiam Vitrico. n. 296.

Causæ Legitimæ alienandi Bona immobilia, sunt: æs alienum aliter non expungibile: alimentorum necessitas: liberatio ex periculo: dotatio sororis pauperis, ex eodem patre natæ; Alimentatio uterinæ pauperis: Denique si testator alienari jusserit, quo casu nec Judicis decreto opus est. f. 359. n. 297.

Etiam post adeptam pubertatem Tutor negotijs pupillaribus assistere jubetur, donec Rationibus redditis in Curatorem administrationem omnem transtulerit, siquidem Curator dandus sit, qui invito non datur de Jure comuni, fol. 360. nu. 298.

In Ger-

In Germania consuetudo est, ut Tutor maneat Curator usque ad annum Majoritatis. Jure Bavarico cogitur ad curatelam, nisi excuset nr. fol. 361. nu. 299.

Tutelæ actio.

Pupillo convenit Actio directa, quæ est personalis, bonæ fidei adversùs tutorem, ut administrationis suæ rationem reddat, & quidquid ex bonis retinet, restituat. fol. 361. n. 302.

Si ex pecunia pupilli tutor prædium sibi comparavit, erit in arbitrio pupilli, vel prædium sibi vindicare, vel pretium repetere unà cum usuris. fol. eod. nu. 303.

Si plures fuerint Tutores, & inter illos divisa administratio à Judice vel testatore, non potest quivis in solidum conveniri, sed pro rata parte suæ administrationis: si verò ipsorum conventione divisa est, potest quivis in solidum conveniri. fol. eod. n. 304. Si non est divisa administratio, datur minori electio contra quem agat, cedendo illi actiones contra contutores. Si unus solus tutelam gessit, is primò conveniendus, eo deficiente cæteri. 305. Jure Bavarico, si unus Tutorum negligentiam alterius non correxerit, non gaudet beneficio excussionis alterius Si plures fuerunt quàm duo, valet, quod à majore parte gestum est, si duo unus sine altero nihil agit. eod.

Datur etiam Minori Actio de Rationibus tutelæ distrahendis, idest, de controversia illarum rerum quæ per tutorem subtrahuntur à rationibus redditis: datur in duplum rei ablatæ, cui simplum inest, cumularíque potest cum actione furti: sed actio tutelæ quoad hanc speciem cessat. fol. 362. n. 306. Est perpetua, sed contra hæredes non datur, nisi lite contestatâ. eod.

Actio Tutelæ semel finitæ, si species aliqua omissa fuit, adhuc locum habet ad talem speciem repetendam. fol. eod. n. 308.

Actione ex Stipulatu non solùm Tutores, sed etiam Fideiussores ex tempore moræ à tutore factæ in Restituendo de fructibus & usuris conveniri possunt. fol. 363. nu. 312. De actione subsidiaria dictum est suprà. n. 261.

Tutori adversùs pupillum datur actio Tutelæ contraria, quâ petit, ut sumptus in rem ejus factos, & quidquid ratione administrationis sibi abest, recuperet. quæ actio datur etiam hæredi, item illi qui pro tutore negotia gessit. Jure Bavarico tenentur pupilli pro quantitate patrimonij & laborum, Tutori, finitâ tutelâ, bonorarium dare, alioquin per Magistratum decernendum. fol. 363. n. 313.

V.

Vagabundus.

Quorum locorum legibus teneatur, vide, *Lex. Tomo 6.*

Vagabundus delinquens, ubicunque deprehenditur, à Judice illius loci judicari potest. f. 14. n. 61. Si tamen à Judice loci ubi deliquit peteretur, illi mittendus esset. n. 62.

Vellejanum Senatusconsultum.

Tomo 3.

Jure Codicis, si mulier pro alio fidejubeat, non confecto publicè Instrumento à tribus restibus signato, fidejussio adeo nullius est valoris, ut nec civilis nec naturalis obligatio nascatur: & ideo tunc mulier non habet opus auxilio SenatûsConsulti Vell. Observatis verò dictis Solennitatibus datur quidē Creditori actio, mulier verò se defendere potest opponendo exceptionē ex dicto SenatûsConsulto, & ab obligatione liberari. fol. 111. num. 116.

Hujus Beneficij concedendi duplex causa refertur in Jure. 1. Quòd fidejubere deceat potiùs viros: Altera, quòd mulierum imprudentiæ & levitati consulatur. f. 112. n. 117.

Fidejussio pro marito facta, quantumvis solennizata, non tenet, nisi manifestè probetur, pecunias creditas in propriam mulieris utilitatem expensas esse. In Germania receptum est, ut uxores Mercatorum quasi sociæ pro maritis teneantur. Jure Bavarico uxor pro marito fidejubens non aliter obligatur, quàm si ab ea, absente marito, certiorata renuntiatio Auth. adductæ. eod. ubi vide discrimen inter Nobiles & Cives.

Juvatur hoc Beneficio mulier, etiamsi non se personaliter obliget, sed det pignora. f. 112. n. 118. Gaudet eodem, quando maritus ex ejus consensu oppignorat bona uxoris. eod. Item si consentiat ut res sibi oppignoratæ alteri obligentur. fol. eod. num. 119. Item quando alterius obligationem animo novandi, alterúmque penitùs liberandi, in se transferre vult. eod. Item quando statim ab initio alterius obligationem, quâ gravaretur, vellet in se recipere. f. 113. num. 120.

Quando mulier fidejubendo vellet alium callidè decipere, non juvaretur hoc beneficio: juvaretur tamen, si colludendo cum creditore non decipiendi animo, sed in fraudem legis callidè fidejuberet. fol. eod. n. 121.

Non juvaretur hoc beneficio, si pro alio solveret seclusâ omni obligatione, vel si remitteret jus pignoris in favorem Tertij, quia hæc non esset fidejussio, cùm nullam obligationem pro alio subiret. f. 114. n. 122.

Item, non juvaretur, si emens hæreditatem obligaret se Creditoribus hæreditatis, vel si pro suo fidejussore fidejuberet. fol. eod. n. 123.

Neque juvaretur mulier promittens alteri, quòd ipsum vellit indemnem servare adversùs alium, qui eum convenire posset; hoc enim non est subire obligationem pro alio, nec interveniunt tres personæ, ut ad fidejussionem requiritur. f. 115. n. 124.

Si mulier cum aliquo extraneo, ut correo, fidejuberet, non juvaretur SCto. quia præsumeretur pecuniam saltem quoad partem in utilitatem mulieris versam esse. Contrarium præsumeretur, si cum marito concurreret, & tunc esset locus SCto. fol.115. n.125.

Non juvaretur SCto uxor intercedens pro marito incarcerato ex causa criminali sub onere præstandæ satisdationis obtentâ liberatione, nec alio fidejussore invento. eod.

Beneficij hujus effectus transit ad hæredes. f.116. num. 126.

Prodest hoc beneficium etiam Fidejussoribus indemnitatis pro muliere, etiamsi sibi præcluderent regressum adversùs mulierem. Idem est, si fidejussor quis esset non quidem mulieris, sed debitoris principalis, accepto tamen à muliere mandato, & sciente creditore; nam hoc ignorante, exceptione doli repelleretur. eod.

Si mulier per errorem solvisset, quod fidejussit, posset solutum ex hoc SCto. repetere: imò Creditor ob nullitatem solutionis teneretur in conscientia etiam non repetenti restituere, quando mulier sine debitis solennitatibus fidejussit. f.116. n.127.

In casu, quo mulier per Novationem extingueret actionem Creditoris adversùs Debitorem principalem, succurritur Creditori concessâ illi actione *Restitutoriâ*, seu *Rescissoriâ*, quâ rescinditur intercessio mulieris, ejúsque persona subducitur. Quod si mulier statim ab initio in se obligationem alterius recepisset, datur Creditori actio *Institutoria*. Quin imò, si is, pro quo, modo prædicto, mulier se obligavit, sua bona mulieri pro illius indemnitate oppignorâsset, recurrente muliere ad SCtum. non solùm Institutoria actio competeret Creditori, sed etiam actio hypothecaria in ipsum à muliere transferretur, perinde ac si mulier illam cessisset. fol.117. n.128.

Si mulier velit pro Debitore judicium accipere, potest impedire actionem Restitutoriam. fol. eod. n.129. Datur actio Restitutoria Creditori contra omnes, qui liberati sunt. si sint plures Correi seu Creditores, illi soli restituitur actio & obligatio, apud quem mulier intercessit. eod.

Restitutoria actio, quoad durationis tempus metienda est, sicut illa, quæ perempta est, ità tamen, ut si actio non sit perpetua, tempus residuum compleatur post factam restitutionem, adeoque temporis intermedij inter fidejussionem & restitutionem nulla sit consideratio. f.118. n.130.

Si mulier apud Creditorem minorennem fidejubeat, hoc SCto. non defenditur, sed replicatione Restitutionis in integrum eliditur, casu quo principalis Debitor non est solvendo. f.118. n.131.

Nec etiam juvatur mulier, si expromittat apud dominum, ut manumittat servum, pro pretio libertatis in pactum deducto. eod.

Cessat etiam hoc beneficium in muliere majorenne, dotis favore. quod tamen probabiliter solùm procedit, si dos fuit constituta ante Matrimonium contractum. eod. Non est extendendum ad donationem propter nuptias. eod.

Mulier volens decipere Creditorem fidejubendo, non gaudet beneficio SCti. fol.119. num.133. Neque gaudet, si pretium justum pro fidejussione & ejus periculo accepit. num.134.

Neque gaudet hoc SCto. mulier, si post factam fidejussionem integro biennio à prima obligatione elapso pignus dedit, aut obligationem factam ratificavit, exceptâ fidejussione pro marito, & etiam illâ, quæ aliunde ex alio capite nulla fuisset. eod.

Potest mulier Jure Bavarico renuntiare beneficio SCti. Vell. De Jure communi (etsi usus contrarium habeat) non potest nisi in duobus casibus. 1. Si velit gerere tutelam. 2. Quando parata est pro alio judicium accipere, inficiando eum esse debitorem. f.120. n.136.

Ut Renuntiatio juramento firmetur, necesse est, eam fieri à sciente se habere hoc beneficium, ità ut juramentum cadat supra ipsum beneficium. f.121. num.138.

Venatio.

Tomo 1.

Jus venandi occupativè est Jus persequendi animalia, quæ terrâ, mari, cœlo capiuntur, & nullius sunt, jure naturali permissum, vel legitimo titulo acquisitum. f.410. n.61. Dividitur in tres species, in Venationem specie dictam, Piscationem, & Aucupium. n.62.

Fera capta etiam in alieno fundo fit capientis, nec capiens tenetur ad ullam aliam restitutionem, nisi si quod aliud damnum venando intulerit. num.62.

Fera recuperans naturalem libertatem, desinit esse in dominio, quod etiam de cicuraris procedit, si consuetudinem redeundi amittant, non item de naturaliter mansuetis. eod.

Inter feras liberas numerantur etiam pisces in stagno, (non item in piscina) & feræ in sylva quantumvis circumsepta inclusæ, non item in vivario. fol.411. n.63.

Fera vulnerata ità ut non possit evadere potestatem vulnerantis, est vulnerantis. Jure Bavarico licitum est feram persequi vulneratam in planitie per duos dies, per montes tribus diebus. n.65.

Si laqueus positus est in loco publico, ubi cuivis licitum est ponere, tunc fera non potens ampliùs se extricare, est ponentis laqueum, si verò in loco privato invito domino, potest dominus loci, non solùm feram captam, sed etiam instrumentum tanquam caducum retinere. f.eod. n.69.

Pisces ex stagno capti, Jure novo videntur ad dominum stagni pertinere, & qui ex stagno sine licentia

licentia piscantur, instar furum puniuntur. f.412. num.72.

Principes habent justas causas prohibendi privatis venationes. f.413. num.73. Non possunt tamen prohibere subditis, ne fructibus defendendis arceant feras. n.76.

Quandoque, nec tamen semper, obligat Princeps subditos ex justitia, ad non jaculandas, aut capiendas feras. f.eod. num.78. Quando Princeps alicui Magnati applicaret jus venandi, & in ejus gratiam alijs prohiberet, probabilius est, alios ex Justitia obligari ad abstinendum. n.79.

Princeps tenetur resarcire damna subditis, si quod patiuntur ex venationis reservatione, vel ferarum multiplicatione exorbitante. n.eod.

Feripedæ pro qualitate & frequentia delicti possunt varijs pœnis affici, adeo ut denique abscissione manuum, vel etiam ultimo supplicio puniri possint. fol.414. num.80. ubi refertur Consilium Nicolai Everhardi.

Viæ Servitus.

Tomo 1.

Est Jus Eundi, Agendi, & Ambulandi. Quamvis videatur legendum: *Vehundi*: ut comprehendatur differentia *Viæ* ab *Actu*. Includit plerumque Jus trahendi lapidem, vel trabem, ferendi hastam vel vexillum erectum, salvis fructibus pendentibus. f.251. num.182.

Qui Viam habet, Iter & Actum habet. Latitudo in porrectum octo pedes habet, in anfractum sexdecim. fol.eod. num.183.

Non multiplicatur secundùm fundorum servientium numerum. multiplicatur tamen, si sint diversa prædia dominantia, vel diversi domini. fol.eod. n.184.

Vitæ futuræ æstimatio.

Tomo 1.

Vita futura ab Ulpiano sic æstimatur. Si persona est intra 20. annum, censetur adhuc victura 30. cujuscunque anni sit. si intra vigesimum & vigesimum quintum, censetur victurus 28. si intra 25. & 30. adhuc vigintiquinque. si intra 35. & 40. adhuc 20. si intra 40. & 50. tot annorum computatio fiet, quot ætati ejus ad annum 60. deerit, remisso uno anno. si intra 50. & 55. annorum 9. si intra 55. & 60. annorum 7. si ultra 60. annorum 5. f.195. num.666.

Vitalitium.

Tomo 3.

Vitalitium est, quando Prædium, aliave res immobilis, vel æquivalenter talis, conceditur ad vitam unius vel alterius conjugum, eâ lege, ut certum quid singulis annis de ejusmodi vitalitio solvatur. Germanicè Leibgeding. f.244. n.580.

Vitium.

Quomodo Vitium differat à Morbo in re vendita, vide, *Morbus*.

Voluntas ultima.

Tomo 2.

In genere est Gratuita Dispositio de bonis in tempus mortis, seu post mortem disponentis. Comprehendit Testamentum, Codicillum, Substitutiones, Legatum, Donationem mortis causâ. Differt ab alijs pactis, quòd fiat primùm per mortem irrevocabilis. fol.2. n.5.

Voluntates ultimæ sunt Instar desiderij potiùs quàm Imperij ex sua natura efficacis. fiunt autem efficaces per legis ratificationem. f.3. n.15.

Ultima Voluntas Innominata, secundùm graves DD. plùs non requirit ad valorem, quàm Indicia, ex quibus Judex cognoscere possit Voluntatem Defuncti. Et ideo putant, ex hac ultima voluntate agi posse, quando non adsunt solennitates Testamenti. Sed non satis fundata videtur hæc Sententia. f.10. n.43.

In ultimarum Voluntatum commutatione præ oculis habendum Decretum Concilij Trid. sess. 22. c.6. non esse sine necessaria causa commutandas: deinde Episcopis summariè & extrajndicialiter cognoscendum, an preces sint subreptitiæ aut obreptitiæ. f.144. n.347.

Vsucapio. Vsurpatio.

Tomo 1.

Usucapionis verbum non solùm rebus mobilibus, sed etiam immobilibus aptatur. f.427. n.155.

Usucapio strictè accepta, est ipsa formalis acquisitio Dominij, seu Dominium *in fieri*, fundans Exceptionem præscriptionis, quamvis communiter cum Præscriptione confundatur. eod. & seqq.

Usucapioni opponitur Usurpatio quæ est Usucapionis interruptio per actum contrarium. f.428. n.158. Cætera vide v. Præscriptio.

Plura vide *Præscriptio*.

Vsura.

Tomo 3.

Usura non solùm Jure positivo, sed etiam Jure naturæ prohibita est, accepta in sensu theologico, nempe quando in pactum deducitur, ut pro mutuo dato solvatur aliquid ultra sortem, seclusis titulis excusantibus excessum. f.192. n.367. & seqq. ubi ratio à priori redditur, quæ fundamentaliter in eo consistit, (explosis aliorum subtilitatibus) quòd utilitas pecuniæ quà talis, non sit nisi pro unico actu quo distrahitur, reliquo tempore, quo otiosa detinetur, nullam affert utilitatem pretio æstimabilem. ergo ex diversitate temporis, quo quis possidet, & alter non possidet, si supponamus nullum

ex alto

ex alto dominio justificatur, propter utilitatem quæ subest, si sit licitum, ut inveniantur qui velint indigentibus mutuum dare. f. 205. n. 421.

Pignoris fructus à Creditore percepti, computandi sunt in partem solutionis, tam de Jure naturæ quàm de positivo. f. 206. n. 423. & seqq. Si ex pignoris fructibus Usuras solvat, quod reliquū est, vel in sortis solutionem computandum est, vel debitori restituendum. f. eod. n. 426.

Non esset Usura si Venditor in re vendita retineret sibi Usumfructum donec pretium solveretur. f. 207. n. 428. Neque etiam est Usura, si maritus fructus retineat ex rebus oppignoratis loco dotis. n. 435.

Uxor mortuo marito qui percipiebat dictos fructus, potest perceptionem continuare, quamdiu dos non solvitur. Item mortuâ uxore posset maritus filiorum nomine eandem continuare. f. 209. n. 434.

Pactum Legis Commissoriæ, hoc est, ut si debitum ex mutuo non solvatur statuto tempore, pignus pertineat ad Creditorem, utroque Jure reprobatur tanquam pallium usuræ. Si tamen contractus haberet naturam emptionis, & servaretur justum pretium, valeret. f. 209. n. 436. Nisi esset alius Emptor qui plus solvere vellet pro pignore, quàm Creditori debetur. n. 437.

Usura dividitur in Realem & Mentalem. Realis est, quando pactum intercedit, quo petitur aliquid ultra sortem non ex ullo titulo approbato. Mentalis est, quæ licèt prodeat in actum externum dando mutuum, & accipiendo lucrum ultra sortem, exteriùs tamen non explicatur animus interius accipiendi lucrum. Quodsi adsuit quidem animus accipiendi, sed reipsâ actus externus non est secutus, Juridicè loquendo non est Usura mentalis obnoxia pœnis. f. 211. n. 445. Si speretur aliquid à Mutuatario, & non tanquam pretium, non est usura. eod.

Si Mutuatarius per errorem dat aliquid tanquam pretium, & mutuans accipit bonâ fide ut liberalè donum, non tenetur restituere nisi in quantum est factus locupletior. Econtra si detur ut liberale donum, etiamsi mutuans accepisset ut pretium, non teneretur restituere. f. 212. n. 447.

Pactum obligans ad desistendum ab Actione injuriarum, vindictâ, vel accusatione, est Usurarium, si subsit justa causa instituendi, & accedat mutuo. f. 212. n. 448.

Pactum de conferendo Beneficio mutuanti præ alio, quod alicui conferre tenetur, si tenderet solùm ad excludendum indignum, non esset usurarium, secùs, esset. eod.

Pactum mutuandi pecuniam, si alter mutuet vinum, non est usurarium, si solùm ut conditio, non ut pretium exigatur. f. eod. n. 449.

Pactum de præstando, quod mutuatario nullum affert incommodum, non est usurarium. eod.

Non esset Pactum usurarium quo quis per circuitum pretium fidejussionis lucraretur: esset tamen injustitia, si nullum subest periculum in fidejussione. f. 213. n. 450.

Pactum usurarium esset de restituendo mutuo in loco, ubi plùs valet, nisi hoc fieret in commodum mutuatarij. f. eod. nu. 451. item esset usurarium, si ob aliquod commodum obligaretur Mutuatarius non solvere nisi elapso certo tempore. eod.

Usurarius tenetur in conscientia restituere usuras illicitè acceptas. f. eod. n. 452.

Si Mutuatarius habet animum absolutum, & non ex errore, putans se debere, sed quia vult satisfacere fidelitati, promisitque transferre dominium, quamvis non obligetur ex Justitia, transfert tamen dominium rei Usurariæ. f. eod. n. 453. Unde Usurarius non teneretur restituere nisi illos fructus, quos Mutuatarius percepturus fuisset. f.214. n.455. Competit tamen Mutuatario Jus rescindendi contractum, & sic recuperandi dominium rei Usurariæ. Quodsi hoc negligeret, alij Creditores privilegiati & hypothecarij præferreutur in tali re ipsi Mutuatario. n. 457.

Contractus Mutui Usurarij non est penitus nullus, ob varia inconvenientia quæ nascerentur, sed valet in ratione Mutui, ne utile per inutile vitietur. f. 215. n. 458. & seq.

Si res per Usuram accepta non ampliùs exstet, nihilominus Hæres ex alijs bonis hæreditarijs satisfacere tenetur Mutuatario, sicut alijs Creditoribus. Nullo tamen Jure tenetur ultra vires hæreditatis, nisi neglexerit Inventarium. f. 216. n. 461. Deficiente uno Hærede post factam hæreditatis divisionem, pars ab illo solvenda non accrescit cæteris. n: 464.

Pœnæ Usurariorum sunt variæ. 1. Sunt activè Intestabiles Jure Canonico. 2. Privantur Ecclesiasticâ sepulturâ. f. 217. n. 465. 3. Sunt Irregulares. 4. Clericus est ab Officio & Beneficio removendus. 5. Denegatur Eucharistia, & oblationes reiiciuntur. 6. Sunt infames. 7. Confiscatur sors, vel quarta pars illius. n. 466. Ut autem incurrat pœnas Canonicas, debet Usurarius esse manifestus. eod.

Tomo 2.

Usurarij Notorij Testamentum reprobatur, nisi cautionem satisfactionis præstiterit. f. 50. nu. 226.

Vsusfructus. Vsufructuarius.

Tomo 1.

Vsusfructus est jus alienâ re utendi fruendi salvâ illius substantiâ. f. 229. nu. 79. & seqq. ubi declaratur differentia ab aliis similibus juribus.

Usufructus duobus legatus pro annis alternis, uno ex illis legatarijs deficiente, alteri nō accrescit. Si in eodem testamento uni sub conditione legatur, & pendente conditione, legatur ab hærede alteri, & deinde conditione positâ prior usumfructum acquirit, sed iterum amittit, non revertitur ad illum, cui ab hærede purè legatus erat. Si in eodem testamento

mento diversis à diversis hæredibus legatur, non accrelcit alteri altero deficiente. f. 231. nu.85.

Si legatarij in Usufructu conjuncti sunt, est jus accrescendi etiamsi verbis tantùm conjuncti sint. f. eod. nu. 86.

Si uni legetur Ususfructus omnium bonorum, alteri verò ususfructus certi fundi, prior non concurrit cum posteriore, sicut concurreret, si posteriori fundus esset legatus. fol. 232. n 89.

Hæres ex asse scriptus non concurrit in Usufructu cum legatario usûsfructûs. eod.

Fundo duobus coniunctim legato, & usufructu alteri legato, coniuncti reputantur una persona, & consequuntur semissem. defuncto deinde uno ex coniunctis, portio illi' accrescet soli coniuncto, quia re & verbis coniunctus est. f. eod. nu. 90.

Commoda & Emolumenta Ususfructûs ad quatuor genera reducuntur, quæ sunt: Possessio. Fructuum perceptio. Adminicula. Actiones pro usufructu introductæ. Possessio non convenit usufructuario proprio nomine, sed nomine proprietarij. fol. 232. num. 91. Adminiculorum nomine veniunt omnia illa, sine quibus rectè uti frui non posset. 92.

Fructuum percipiendorum nomine non solùm illa veniunt, quæ propriè fructus sunt. ut partus pecorum, frumentum, vinũ, oleum, &c. sed etiã quæ aliam obventionis utilitatem habent, ut sunt reditus &c. fol. 233. n. 92. Inter fructus tamen non est Insula iuxta fundum nata. 93. Bene tamen laudemium, solvendum ratione Emphyteusis à novo Emphyteuta. 94.

In sylva cædua potest Usufructuarius cædere, & ligna cæsa ad libitum distrahere, modò non excedat arbitrium boni viri in cædendo, sed eo modo cædat, quo ipse paterfamilias priùs solitus erat, nisi per accidens impediretur. f. eod. n. 95. Ex sylva non cædua fructuarius non nisi pedamenta, & ramos ad vineæ usum cædere potest. in locum demortuatum arborum alias substituere debet, & emortuæ ad ipsum pertinent: pro evulsis non tenetur alias substituere, & potest illis uti ad ædium refectionem. 96.

Commoditatem ususfructûs, de jure communi, potest vendere cui voluerit. secùs Jure Bavarico, quo debet præferre dominum proprietatis, sicut emphyteuta. f. eod. nu. 97.

Fructus, qui non facto hominis, sed naturâ separantur, statim fiunt Usufructuarij, qui verò facto hominis opus habent, per se loquendo, hi ut per separationem fiant fructuarij, debent vel ab ipsomet, vel ab alio ejus nomine separari, & quando maturi sunt, habet jus separandi, & fit dominus, antequam in horrea reponat. Fructus, qui deciderunt, fiunt dòmini, sed tamen fructuarius eos colligendo suos facit. Quodsi eos dominus colligit, habet electionem, ut vel eos restituat Fructuario, vel æstimationem. Contra furem habet Fructuarius actionem furti, non tamen condictionem furtivam. & si fructus recuperat, suos facit. fol. 233. num. 98.

Fructus ultimo vitæ año percepti, non sunt cum proprietario pro rata temporis dividendi, sed integrè ad Hæredes Fructuarij spectant. f. 234. n. 100. & seqq.

Usufructuarius varia habet onera. Et inprimis tenetur reparare res vitium contrahentes, sarta tecta conservare, fundum colere, arbores emortuas (non item evulsas) substituendo reparare, uti servitutibus realibus, si quæ fundo debentur: interrumpere præscriptionem, & universim tenetur levem culpam præstare, sicut alius paterfamilias cavere solet. f. 235. n. 103. Gregis vel armenti capitibus demortuis, tenetur ex agnatis, si qua sunt, alia substituere. 104.

Non licet Usufructuario ædificium antè inchoatum perficere, quia hoc esset mutare formam. fol. eod. num. 105. & seq.

Expensas non modicas si facit, eas repetit actione negotiorum gestorum. n. 106.

Usufructuarius tenetur præstare annua Legata, si illi ususfructus omnium bonorum legatus est. ad alia debita solvenda non tenetur, sed Hæres ea deducit ex bonis. fol 235. n. 107. In deducendis debitis ità procedit Hæres. Primò, fructus si qui exstant in hæreditate, convertit in solutionem debitorum, qui si non sufficiunt, mobilia, denique immobilia vendit: residuum ad Usufructuarium pertinet, salvâ Falcidiâ. In solutione Annuorum Legatorum Usufructuarius æstimat ex una parte proprietatem omnium bonorum: ex altera parte fructus, qui uno anno, deductis sumptibus, percipi possunt. deinde init computationem annorum, (de qua in v. *Ætas*) ità tamen, ut nunquam ampliùs quàm 30. annorum computatio fiat. quodsi horum annorum fructus proprietatis æstimationem ità excedant, ut Hæres legitimam portionem habiturus non sit, tunc quarta Falcidiæ detrahetur, & cavebit Hæres, quòd si Fructuarius citiùs moriatur, quàm anni fuêre computati, velit restituere, quod ampliùs consecutus est. econtra Fructuarius cavebit hæredi, se plùs Falcidiæ nomine præstiturum, si 30. annorum spatium excesserit. fol. 236. n. 108.

Usufructuario præstanda est Cautio, quòd velit uti arbitrio boni viri, & finito usufructu restituere, exceptis sequentibus. 1. Patrefamilias in adventitijs filij. 2. Excepto eo, cui ususfructus absolutè, proprietas ex die legata est. & hi nec Inventarium facere tenentur. fol. eod. num. 109. Potest quidem Testator remittere Inventarij confectionem, sed non cautionem. 110. & seq. Fructus percepti ante præstitam cautionem non fiunt Fructuarij. 112. Cautio debet esse fidejussoria vel pignoratitia. Quodsi neutra possibilis est, Hæres vel proprietarius rem fructuariam penes se retinet, & Fructuario certam quantitatem solvit, & de hoc cavet. fol. 237. num. 114. & seq.

Si Fructuarius non servaverit cautum de faciendo vel non faciendo, statim committitur stipulatio. si verò non servaverit cautum de restituendo, committi-

committitur stipulatio finito Usufructu. fol.eod. num. 116.

Ususfructus extinguitur & cum proprietate consolidatur adventu diei, in quem constitutus erat. f.237. n.117. Et quia communiter constituitur ad tempus vitæ, extinguitur morte Fructuarij. Nam si concessus est, ut ad Hæredes transeat, est novus Ususfructus, ad primos tantùm Hæredes pertinens. f. eod. n.118.

Ususfructus constitutus personæ fictæ, quæ non moritur, durat 100. annis. f.238. n.119.

Ususfructus etiam extinguitur mediâ & maximâ capitis diminutione. Quò pertinet Professio in Religione successionis incapaci, quâ factâ consolidatur cum proprietate. fol.238. n.120.

Non extinguitur tamen Ususfructus per Professionem in Religione successionis capaci, sed durat ad tempus vitæ professi Usufructuarij, quod etiam verum est, quando pater profitetur habens Usumfructum in bonis filij. n.121. & f.239.

Extinguitur iisdem Ususfructus destructione rei tantâ, ut non ampliùs veniat sub eo nomine, quo Ususfructus erat constitutus. f.239. n.126. ubi exempla. Jure Bavarico etiam amittitur per rei deteriorationem. 127.

Denique extinguitur confusione cum proprietate, quando Fructuarius acquirit Jus proprietatis. eod.

Quamvis Ususfructus propriè dictus constitui debeat in rebus, quæ ipso usu non absumuntur, permittunt tamen leges etiam in illis, quæ ipso usu absumuntur, constitui quasi usumfructum. f.240. n.128. Inter hæc sunt etiam vestes viliores, quæ facilè atteruntur. 129.

Quasi Ususfructus potest tam ultimis Voluntatibus, quàm inter vivos constitui, & differt à mutuo, quòd non possit, sicut mutuum, revocari. fol.eod. n.130.

Differt etiam ab Usufructu stricto, quòd actualis cautio non sit de illius substantia, benè tamen Jus petendi cautionem, & actualis cautio solùm conditionatè: si petatur. f. eod. 132. & seqq. Cujus cautionis finis est, ut fructuari⁹ finito usufructu restituat nonquidem easdẽ res in individuo, sed ejusdem generis, bonitatis, & qualitatis. eod. nu. 134.

In hoc Usufructu transfertur dominium, & periculum ad fructuarium pertinet. f. & n. eod.

Ususfructus nunquam præscribitur sine titulo tempore Ordinario. f.442. n. 228. & f. 457. n. 315.

Tomo 2.

In Usufructu solo, vel in sola proprietate non potest constitui Legitima, sed filius pro rata Legitimæ haberet proprietatem, & insuper in cæteris etiam bonis Usumfructum, si cohæres extraneus datus est, secùs si fratres aut sorores. f. 116. n. 523.

Usufructuarius universalis tenetur conficere Inventarium exigente proprietario, alioquin præsumitur dolus. f. 154. n. 664.

Ususfructus quomodo possit oppignórari, vide, *Pign*

Vsus. Servitus Personalis.

Tomo 1.

Usus, sumptus pro servitute, est Jus Utendi tantùm, & non Fruendi, re alienâ, salvâ illius Substantiâ. Unde nulli fructus ad hæredes transmittuntur. Qui pecora habet in Usu, potest inde stercorare agros, lacte verò non nisi modico uti. Constituitur & finitur ijsdem modis, quibus Usufructus. f. 241. n. 135.

Usus prout habens separatam servitutis naturã, non est cum Usufructu conjunctus, semper tamen quoad utilitatem, & in effectu inest Usufructui. Unde si uni Ususfructus, alteri Usus Legatus sit, uterque utetur, sed Fructuarius insuper fruetur. f. eod. n. 136. & seq.

Usu Ædium concesso, potest Usuarius illas inhabitare cum uxore, liberis, famulis, & tota familia, nurus etiam cum socero, & econtra, quilibet cum parentibus, agnatis & affinibus. Inquilinum etiam admittere non prohibetur, sed seorsim locare non potest, sicut potest Usufructuarius. fol. 242. n. 138.

Usu in fundo constituto, potest Usuarius ex fructibus natis accipere, quantum in annum sufficit. In usu pecorum veniunt operæ, non item fœtus, quo nequidem uti potest, sicut nec lanâ. Ex lacte non licet illi conficere butyrum, caseum, &c. eod.

Usus irrevocabilis & independens in rebus ipso usu consumptibilibus concessus, non potest separari à dominio earundum rerum, sed est ipsum dominium. f. 242. n. 141.

Usus tamen revocabilis ad nutum concedentis, potest à dominio separari, & est separatus. fol. 243. Hujusmodi habent RR. PP. Franciscani. n. seqq.

Urpheda.

Tomo 6.

Est cautio juratoria, præstita à Reo carceribus relaxato, de non ulciscendo, quæ à Judice ritè acta sunt. f. 305. n. 467.

Vulneratio.

Ad quam restitutionem teneatur vulnerans, vide, *Homicidium.*

FINIS.

